


223


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 E
35

CLEMENTIS TIMPLERI

METAPHYSICÆ SYSTEMA METHODICVM,

Libris quinque

PER THEOREMATA ET PROBLEMAta *selecta concinnatum.*

Cui

Προπαιδείας ἕνεκα

IN PRINCIPIO ACCESSIT EIVSDEM

TECHNOLOGIA;

Hoc est

TRACTATVS GENERALIS ET VTILISSIMVS *de natura & differentiis artium liberalium.*

CVM PRÆFATIONE AVCTORIS AD LECTOrem, qua omnes alias editiones pro spuriis & adulterinis habet, vbicunque locorum fuerint impressæ.

SEORSVM ACCESSERVNT

RODOLPHI GOCLENII PHILOSOPHI Cl. NOTÆ & SCHOLIA in singula capita; nunc denuo ab Auctore recognita.

Cum Rerum & Verborum INDICE *copioso.*











HANOVIÆ
Apud Petrum Antonium,
M DC XVI.
Cum gratia & privilegio S. Cæs. Maiestatis.



ILLVSTRI ET GENEROSO COMITI ET DOMINO, Dn. ARNOLDO, Comiti in Bentheim, Teclaburg, Steinfurt & Limpurg, Domino in Rheda, Weuelinghouen, Alpen & Helffenstein, L. Baroni in Lennep, *&c.* hæreditario Præfecto *Coloniæ Agrippinæ*, Domino suo clementissimo, S.D.



ANNVS iam agitur nonus, Illustris ac Generose Comes, Domine clementissime, ex quo ad Philosophiam in inclyto tuo Gymnasio Steinfurtensi profitendũ nõ sine singulari Dei prouidentia sum vocatus. Ab eo tẽpore nihil prætermisi, quod ad excolendã & illustrandam hanc facultatẽ, cui ab ineũte ætate deditus fui, pertinere videbatur. Idq; feci nõ tantum, quod vocationis susceptæ ratio hoc à me postu-

laret: sed vel maxime, quod Philosophiam dignam iudicarem, in qua exornanda & expolienda omnes ingenii neruos contenderem. Semper enim cum docta & veneranda Antiquitate in hac fui sententia, Philosophiam singulare Dei donum esse, eiusque studium non solum esse iucundum, & liberali homine dignum; verumetiam ad sapientiam & prudentiam, quæ duæ sunt præcipuæ intellectus humani virtutes & quasi lumina, comparandam apprime vtile & necessarium: *Ac licet negari non possit, illam à compluribus partim barbariei cœno esse inquinatam, partim subtilium & inanium disputationum spinis intricatam, partim falsorum aut saltem incertorum dogmatum tenebris obscuratam, partim denique ab vsu turpi & nefando conculcatam; tamen quæ vitio hominum fiunt, illa non æquum esse duxi, vt ipsi Philosophiæ*

phiæ imputentur; multo minus, vt propterea innocens illa Diua in odium & inuidiam studiosæ iuuentutis vocetur, aut omnino in exilium pellatur: quin potius in id incumbendum omnibus esse existimaui, vt illa depurata, extricata & illustrata germanæ & natiuæ suæ formæ restituatur, & ad verum ac legitimum vsum reducatur: id quod etiam hactenus à me pro virili factum est, & in posterum, Deo volente & iuuante, sedulo ac fideliter fiet. Quoniam vero inter omnes artes & disciplinas Philosophicas ceu domina & regina eminet METAPHYSICA; *eiusque cultura animos studiosorum ad certarum doctrinarum satus melius & facilius accipiendos disponit & præparat; non paruum operæ pretium me facturum putaui, si illius præcepta, quæ ab Aristotele & plerisque eius interpretibus prolixe, perplexe, confuse & imperfecte traduntur, systemate*

compendiario, plano, methodico & pleniore comprehenderem, meisque auditorib. publice in Schola proponerem ac communicarem. Itaque perpaucis abhinc annis hunc laborem, quamlibet durum & molestum, alacri animo suscepi, susceptumque feliciter diuini Numinis auxilio adiutus ad finem perduxi. Sed mihi eo temporis ne in mentem quidem veniebat illum typis committere & diuulgare. Videbatur enim nimis adhuc rudis esse & informis fœtus, qui dignus non esset, vt in lucem, conspectumque doctorum virorum veniret. At postea præter spem & opinionem meam accidit, vt à multis etiam magni nominis viris approbaretur, qui etiam ad eius editionem procurandam & maturandam variis, iisque grauissimis argumentis me excitarunt. Vt igitur cum illorum voluntati obsecundarem, quorum apud me plurimum valet auctoritas, tum Rempub. literariam mea quali-

qualicunque opella iuuarem; tandem horis succisiuis cœpi Systema *illud* Metaphysicum *paulo accuratius recognoscere, & ad limam reuocare, ac quantum ingenii mei tenuitas passa est, expolire, expolitumque prælo subiicere.*

Cogitanti autem mihi, cui has librorum meorum primitias offerrem & consecrarem, nemo ex omnibus, præter tuam, inclyte Comes, Generositatem, occurrebat, qui hanc prærogatiuam suo quodam iure sibi vendicaret. Tu enim Scholæ Steinfurtensis, *in qua hic ingenii mei fœtus natus fuit, primus es Fundator: Tu eiusdem summus nutritius & patronus: Tu primus me ex peregrinis locis ad Philosophiæ professionem in illustri tua Schola obeundum vocasti; & ab eo tempore præcipuus semper studiorum meorum fautor fuisti: Tu denique primus typographiæ Steinfurtensis autor & institutor extitisti. Tuæ igitur illustri Generositati me-*

ritissimo primum hunc animi mei partum dedicare volui; tum vt meam ipsi industriam promptamque iuuandi rem literariam voluntatem probarem, tum vt memorem & gratum animum meum hac ratione declararem ac testatum facerem. Quapropter humiliter & obnixe rogo & obsecro, vt T. G. pro innata sua & plane heroica humanitate ac beneuolentia hoc leuidense munusculum, tanquam tesseram mei ergo se cultus & adfectus, sereno vultu suscipiat, suaque autoritatis scuto, contra maligni liuoris dentem, tegat & defendat. Quod si hac in re fauoris tui auram suauiter cœptis votisque meis aspirare sensero, efficiam cum Deo, vt T. G. vberiores aliquando studiorum meorum fructus percipiat & consequatur. Quam interim cum coniuge & sobole Generosa, totaque illustri domo Bentheimica *præpotentis Dei protectioni commendo, vtque eam in bonum Ec-*

clesiæ, Scholæ & Reipublicæ Christianæ diu bene valentem & florentem conseruet, ex animo precor atque opto. Steinfurti ex Museo meo, calendis Ianuar. Anno æræ Christianæ 1604.

Illustri tuæ Generositati
addictissimus

CLEMENS TIMPLERVS.





RODOLPHI GOCLENII ACVTISSIMI PHILOSOPHI, ET *seculo hoc nostro facile Principis, ad liberalis ingenii* LECTORES

PRÆFATIO.

NEcessaria ac vtilis, liberalique ingenio digna est Scientia illa antiquorũ Philosophorum nondum prorsus desita, quæ *communis sapientia* dicitur, quod Ens vniuerse absoluteque contempletur. Tale enim *νοητὸν* nulla scientia particularis pro subiecto sibi vendicare, nec instrumentum doctrinarum omnium Logica sine multis modis, & ceu differentiis Entis explicari potest: Vniuersa denique hæc doctrina & sapientia intellectum hominis perficit & quasi ingeniorum cos est, cum sit *ἀφαιρετική*, hoc est, rerum cognitionem, vt miscentur in materia, non profiteatur, sicut

in 2. Philoſophiæ ſcriptum eſt. Sed ne hæc diuinis elogiis nobilitata ϑεωρία eleuetur in poſterum & deformetur, ne in crimen vocetur, & contumelia afficiatur, dicique de ea poſſit iſtud Græcorum, *πάντα μία κόνις*: *à tractatione abſit ieiunitas*; abſint ſpinæ, nugaciſſimæque diſputationes, quæ implicant ingenium, non explicant; abſint ſordes & verborum monſtra ac prodigia, quæ vt diſcentium cœtus percipiat, tantum abeſt, vt ne initiati quidem (vt ita dicam) inter ſe intelligant; remoueantur tenebræ; remoueantur *ἀμεθοδία καὶ ἀταξία*, efformetur denique integrum doctrinæ corpus. Talis Philoſophiæ, quam ſæpe optaui, cum *σκιαγραφία* generalis, tum *ἐξεργασία* propemodum Clariſſimi & magno ingenio, acrique iudicio præditi, nec non apte nati ad docendum viri, *Clementis Timpleri*, mihi partim deprædicata, partim oſtenſa eſt. Eum igitur ad illius editionem publici, quod pro ſe quiſque ſpectare debemus, commodi cauſa, hæc mea vox aliquoties incitauit: Ecquando, mi Timplere, lucem tandem aſpiciet fructus ingenii tui *περὶ τῶν νοητῶν* germana ſolidaque theoria?

Rumpe moras, Clemens, *nec publica commoda tarda:*

Præcoque erit studii publica fama tui.

Huic meæ monitioni & desiderio meus *Timplerus* pro humanitate sua fecit satis. Qui igitur optimarum disciplinarum studio flagrant, quos iuuant res acute inuentæ, cum iudicio æstimatæ, prudenter dispositæ, perspicue, explicate, proprie, non barbare spurceque, sed emendate (valeant enim inprimis, qui sunt in ea hæresi, quæ nullam sequitur λέξεως puritatem ac mundiciem, quæ nouum genus sermonis condit) enunciatæ: disputationes denique quæstionum Philosophicarum inanis loquacitatis expertes, vtilitate & iucunditate refertæ; hæc ergo omnia, quos iuuant, ii me monitione recte fecerint, si hos *libros Philosophiæ naturalis* familiares & veluti domesticos sibi fecerint, Nulla hic, Lectores, deliramenta, nullæ nugæ, nulla inexplicabilia somnia, nullæ præstigiæ, à quibus inprimis auocat nos versiculus ille Græcorum Iambicus:

τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην.

In his enim discendis & temporis fit iactura, & iudicia deprauantur. Vsque adeo no-

eo nocent. Nihil vos moueant minus Latini elegantesque termini alicubi (quamquam parce & ex vsu) ab authore adhibiti. In singulis enim artibus quædam propria sunt artificibus vocabula. Quare Philosopho nostro quædam vocabula, vt architectis & pictoribus concedi æquum est. Quod si forte vobis stomachum faciat, quod à magnorum virorum qua recentiorum, qua veterum sententiarum aliquando dissidet *Timplerus* noster, non satis attenditis quam personam sustineat. Cum enim profiteatur se Philosophiæ & veritati patrocinari, postulat profecto, plus tribui rationibus, quam auctoritati. Cæterum in discrepantia & cõtentione illa sententiarum præcipuam laudem meretur modestia eius Philosophica. Non enim disputat tanquam cum aduersario dimicans, sed ἀνδρωπαθῶν, velut cum ipso confabulans. Nec præfracte tuetur semel à se scriptum, rectius edoctus. Nec dubito quin sæpe mecum cogitet illud: *In veritatis schola & vinci & vincere pulchrum est.* Et *Victi* (*sicut lapsi*) *quandoque resurgunt*. Quod reliquum est, optimi Lectores, à Deo precamur *Timplero*, vt deinceps diu habeat mentem sa-

nam in corpore ſano. Magnam enim in ſpem aliorum egregiorum ingenii huius ſpeciminum iſthæc Commentatio nos erexit. Marpurgi Idibus Iulii, Anni 1603.

PRÆ-





PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM DE NOVA HAC Editione.

Tanta est hoc exulceratissimo seculo in compluribus hominibus lucri captandi cupiditas, vt nihil intentatum relinquant, quod ad explendam illam conducere videtur, siue illud honestum sit, siue turpe; siue iustum, siue iniustum. Hoc ita esse non tantum alias magno meo damno comperi: Sed iam denuo non sine meo dedecore experiri cogor.

Prodiit enim superioribus nundinis Francofurtensibus, me inscio & inuito, Metaphysica *mea gemina editione noua, vna* Francofurtensi; *altera* Marpurgensi: *in quarum vtraque multa crassa & varia putidaque deprehenduntur menda, quibus ceu sputo vel cœno quodam labor meus est conspurcatus. Quod facile cuiuis patebit, qui hanc cum illis contulerit. Honestum autem & aequum erat Auctori prius indicasse, & ab eodem erratorum correctionem petiisse, quam nouam editionem, præter mentem & voluntatem ipsius, ex nimia quæstus auiditate moliri.*

Ita enim & scriptum ipsum emendatius in publicum exiisset & famæ scriptoris melius con-

fultum fuisset. Quod cum neutrum factum sit, ipsa necessitas me impulit, vt abiecta omni mora & cunctatione, nouum erratorum catalogum conficerem, confectumque ad GVILIELMVM ANTONIVM Typographum Hanouiensem *mitterem, ab eodemque obnixe peterem, vt ante nundinas vernales METAPHYSICAM meam cum suis additamentis denuo prælo subiicere; &, si commodum videretur, INDICEM* rerum Alphabeticum *adiungere non grauaretur.*

Hanc igitur editionem tanquam correctiorem & auctiorem, tibi candide & beneuole Lector, de meliore, quod dicitur, nota commendo, vtque eam omnibus aliis, vbicunque locorum reperiuntur, præsertim cum mihi spuria & adulterina habeantur, præferas, amanter & syncere suadeo. Hoc meum consilium, si secutus fueris, tibi ipse rem valde vtilem & mihi apprime gratam ac honorificam facies.

Bene salue & vale, meque tui studiosissimum fauoris tui aura prosequi perge. Steinfurti ex Museo meo, Calendis Februarii, Anno à nato Christo CIↃIↃCVIII.

CLE-



Clementis Timpleri TECHNOLOGIA, *seu* Tractatus Generalis, de natura & differentiis artium liberalium,

CAPUT I.

De Definitione & caußis artis liberalis, præsertim externæ.

THEOREMATA.

1 *Ars liberalis est doctrina, quæ hominem verè literatum & doctum reddit.* — *Definitur ars liberalis in genere.*

2 *Estque externa vel interna.* — *Diuiditur ars liberalis in genere.*

3 *Ars externa est systema methodicum certorum præceptorum de re aliqua scibili vtilique traditorum, ad erudiendum & perficiendum hominem.* — *Ars externa quid sit.*

4 *In ea consideranda veniunt, partim natura, partim differentia.*

5 *Natura artis liberalis externæ cognoscitur partim ex caussis, partim ex legibus.* — *Caussæ artis externæ exponuntur.*

6 *Caussæ sunt partim finis & efficiens: partim Materia & Forma.*

7 *Finis est vel vltimus, vel subordinatus.* — *I. Finis.*

8 *Vltimus finis vel est simpliciter vltimus, vel secundum quid vltimus.*

9 *Simpliciter finis vltimus, est gloria Dei per artes illustranda.*

10 *Secundum quid vltimus, est perfectio certa hominis, quam ars sibi propositam habet, ad succurrendum humanæ indigentiæ & necessitati.*

11 *Subordinatus finis vel est Accidentalis vel essentialis.*

12 *Accidentalis finis est ad quem ars præter naturam suam dirigitur, ideoque ab eo est separabilis.*

13 *Essentialis finis est, ad quem ars secundũ naturam suam dirigitur, ideoque ab eo est inseparabilis.*

14 *Estque vel remotus, vel proximus.*

15 *Remotus est, quem ars mediate intendit.*

16 *Proximus est, quem ars immediate intendit.*

17 *Vterque est vel Totalis, vel Partialis.*

18 *Totalis finis est, qui toti arti est adæquatus, eoque neque angustior, neque latior*

19 *Partialis est, qui contrario modo se habet.*

2, Efficiens. 20 *Causa efficiens artis liberalis externa, vel est prima, vel secunda.*

21 *Prima causa efficiens est solus Deus. Ab eo enim omnes artes liberales primam habent originem.*

22 *Secunda causa efficiens alia est principalis, alia minus principalis.*

23 *Principalis sunt homines ingeniosi & sapientes.*

24 *Minus principalis vel est Impulsiua, vel Instrumentalis.*

25 *Impulsiua partim est indigentia & necessitas humana; partim appetitus cognoscendi res homini à natura insitus*

26 *Instrumentalis est partim sensus externus, præsertim visus & auditus; partim obseruatio & experientia sensu comparata; partim discursus mentis, præsertim inductio.*

3, Materia. 27 *Materia artis liberalis externa sunt ipsa præcepta, naturæ artis congrua. Ex his enim totum corpus est coagmentatum & concinnatum.*

4, Forma. 28 *Forma est dispositio methodica præceptorum naturæ artis conueniens. Per hanc enim ars vltimam essentialem perfectionem suam consequitur.*

PROBLEMA I.

Quæ sit ars liberalis in genere, & num rectè in externam & internam distinguatur?

Quid sit ars liberalis in genere.



ANTIQVA & vsitata est distributio artis in liberalem & illiberalem. Illa intelligi non potest, nisi sciamus, quid sit ars liberalis in genere. In hac vero definienda Philosophi inter

inter se dissentiunt. Aliis enim ars liberalis est disciplina, quæ digna est, vt à liberali homine cognoscatur & exerceatur: aliis disciplina, quæ liberalem hominem informat: aliis pars ἐγκυκλοπαιδείας, aliis doctrina hominem informans & erudiens ad bene contemplandum & agendum: aliis doctrina, a qua artifex doctus & eruditus dicitur. Ex quibus definitionibus priores duæ videntur esse latiores suo definito; siquidem etiam quibusdam artibus manuariis seu mechanicis competunt, quæ in numero artium liberalium non habentur. Exempli gratia, pictoriæ, Typographicæ, & id genus aliis. Tertia vero licet vera sit, tamen est obscura. Posteriores vero duæ, si cum præcedentibus conferantur, videntur esse perfectiores, iisque præponendæ. Cum quibus etiam optime congruit ea, quæ in præceptis à me est tradita; quod scilicet ars liberalis sit doctrina, quæ hominem vere literatum & doctum reddit. Ex qua etiam facile intelligitur, quid sit ars illiberalis, seu mechanica; nimirum ea, quæ externis corporis membris exercetur, neque hominem vere literatum & doctum reddit. Cæterum quod ad distinctionem illam artis in externam & internam attinet, illa quidem, si ipsa vocabula spectes, noua est, & à nullo alio Philosopho hactenus tradita: nihilominus si res ipsas, quæ vocabulis significantur, consideràbis, reipsa comperies, illam necessariam esse ad enucleandam & eruendam vniuersam artis liberalis vim & significationem. Hæc enim modo sumitur pro disciplina, quæ verbis, vel prolatis traditur, vel scriptis comprehenditur, modo pro habitu intellectuali, seu notitia habituali, ex perceptione sedula eiusmodi disciplinæ comparata. Prior docendi gratia a nobis dicitur *externa*; posterior *interna*. Quod si tamen hi termini alicui ob nouitatem non probantur, priorem vocet *systematicam*, seu *enunciatam*; posteriorem, *habitualem*, seu *conceptam*: Et sic verbis quidem à me discrepabit, sensu autem plane conueniet.

Definitiones aliorũ recensētur & examinantur.

Definitio propria assignatur.

Distributio artis liberalis in externam & internam explicatur.

PROBLEMA II.

Quid sit ars liberalis externa in genere?

Definitio artis liberalis externæ adducitur & declaratur.

CIrcumfertur in Scholis Stoica artis definitio, prout a Luciano literis est consignata; quod nimi-

rum ſit *σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον, τῶν ἐν βίῳ.* hoc eſt, *compages præceptorum certorum vſu probatorum ad finem aliquem vtilem in vita.* Quæ definitio videtur propriè ſoli arti liberali externæ competere; non autem internæ, quæ nihil aliud eſt, *quam habitualis artis externæ notitia.* Idcirco etiam ad imitationem eius ars liberalis externa à me fuit definita, quod ſit *Syſtema methodicum certorum præceptorum de re aliqua ſcibili vtilique traditorum ad erudiendum & perficiendum hominem.* Per Syſtema autem, quod Græcè propriè ſignificat rem cõſtitutam, compactam & coagmentatam, à verbo, *συνίστασθαι*, idem valente ac conſtituere, compingere; hoc loco intelligo integrum doctrinæ corpus, ex diuerſis partibus coagmentatum. Tale enim eſt ars liberalis externa. Addo deinde, primò, illud Syſtema eſſe methodicum, vt ſignificem artem externam eſſe Syſtema non confuſum & perturbatum, ſed benè ſecundum leges methodi ordinatum & diſpoſitum. Deinde, præcepta in eo tradi de re aliqua ſcibili vtilique ad erudiendum & perficiendum hominem, vt ſignificem partim ſubiectum, circa quod explicandum omnis ars externa occupatur; partim finem illius. Atque cum his definitionibus ſupra expoſitis conueniunt etiam illæ, quæ ab aliis traditæ reperiuntur; vt cum ars liberalis modò dicitur doctrina certa, de talibus rebus, quarum aliqua eſt in vita vtilitas; modò doctrina methodica, conſtans ex præceptis de certo rei ſcibilis genere traditis ad explendum naturæ humanæ defectum.

PROBLEMA III.

An perfectio hominis ſit finis artium liberalium?

Pro theſi affirmante Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, Quia
omnis ars liberalis inuenta & conſtituta eſt à viris ſa-
Ratio. pientibus, vt per eam homo ad bene operandum perfe-
I. ctus reddatur. 2, Quia, ſi homo omni ex parte eſſet
II. perfectus, nulliuſque rei indigens ad benè operandum, non opus fuiſſet vlla arte liberali. Cum igitur videamus multas & varias artes liberales eſſe inuentas & excogitatas, inde neceſſariò concluditur, finem illarum eſſe ſuccurrere humanæ indigentiæ & neceſſitati, & ſic perfectionem aliquam homini conferre: Et hoc etiam teſtatur

testatur Aristoteles lib. 7. Politicor. sub finem, cum ait: Πᾶσα τέχνη καὶ παιδεία τὸ προσλεῖπον βούλεται τῆς φύσεως ἀναπληροῦν. hoc est, *Omnis ars & disciplina id, quod naturæ deest, vult explere.* ***Testimonii artis.***

Cæterum contra hanc sententiam obiici possunt tria potissimum argumenta. 1, Si perfectio hominis est finis artium liberalium, sequitur hominem à Deo non perfectum, sed imperfectum esse productum. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. 2, Si perfectio est genus artium liberalium, non potest earundem esse finis. Sed verum prius, vt testatur Aristoteles libro 7. Physic. auscult. cap. 3. vbi omnem *artem* vocat *perfectionem*. 3, Si perfectio hominis est effectum artium liberalium, non potest esse earundem finis: Sed verum prius, vt testatur Aristoteles in dicto illo insigni & memorabili supra citato: Ergo verum etiam est posterius. ***Obiectio.*** *I.* *II.* *III.*

Pro solutione horum argumentorum obseruanda sunt aliquot theoremata. Primum, Perfectionem hominis aliam esse Essentialem, aliam Accidentalem; & hanc vel esse Naturalem vel Moralem, vel Artificialem. ***Fundamenta solutionis iaciuntur.*** *I.*

2, Hominem à Deo & Natura perfectum esse productum, si perfectionem essentialem spectes, non autem si spectes perfectionem accidentalem, præsertim moralem & artificialem, quam voluit secundum ordinarium Naturæ cursum partim institutione & doctrina, partim exercitatione & assuetudine ab homine comparari. *II.*

3, Perfectionem esse genus artium liberalium, quatenus considerantur, vt internæ, non autem quatenus considerantur vt externæ, de quibus quæstio proposita est intelligenda. *III.*

4, Perfectionem hominis diuerso respectu esse finem & effectum artium liberalium; finem, quatenus illius gratia omnes artes liberales sunt non tantum inuentæ & constitutæ; sed etiam docentur & discuntur; Effectum verò, quatenus illa homini ab artibus iam inuentis & cognitis confertur. *IV.*

His igitur theorematis præsuppositis & probè intellectis, facile est respondere ad argumenta suprà obiecta. In singulis enim propositio connexa non est simpliciter vera, sed tantum secundum quid, propter am- ***Respondetur ad obiectiones.***

biguitatem, quæ est in vocibus illis: *Perfectum, Perfectio* & *Artes liberales.*

PROBLEMA IV.

Quæ sit causa impulsiua artium liberalium?

Causæ impulsiuæ artium recensentur.

I. OMnes artes liberales ab hominibus ingeniosis & sapientibus sunt inuentæ, tanquam à causa efficiente principali. Ad illarum vero inuentionem & constitutionem ab aliis causis impulsiuis fuerunt excitati. Inter quas prima est indigentia & necessitas humana. Nisi enim cognouissent multos & varios esse in homine naturæ defectus, qui tolli & expleri non possint, nisi per cognitionem artium liberalium, nunquam ad illas indagandas accessissent.

II. Altera est naturalis sciendi appetitus, qui in hominibus reperitur, ortus ex sensu ignorantiæ natiuæ. Is enim impellit hominem ad quærendas artes, quarum adminiculo scientia comparetur. Huius appetitus meminit Aristoteles *lib.* 1. *Metaphys.* statim à principio, cum ait: Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει, id est, *omnes homines scire appetunt natura.* Et hoc affatum probat à naturali amore sensus, qui in hominibus apparet. Solent enim sensus hominibus per se esse chari etiam remota omni vtilitate; præsertim vero visus, propterea quod is maximam rerum cognitionem afferat, multasque rerum differentias ostendat. Idem facit Cicero lib. 5. De finibus, cum inquit: *Tantus est innatus in omnibus cognitionis amor & scientiæ, vt nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nulla emolumento inuitata rapiatur.* His vero duabus causis impulsiuis alii adiiciunt tertiam, nempe admirationem, & ad hanc probandam adducunt dictum Aristotelis, quod habetur *lib.* 1 *Metaphys. cap.* 2. in hunc sensum: Διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, id est, *propter admirationem homines & nunc, & olim cœperunt philosophari.* Sed videtur admiratio non esse causa à prioribus distincta, sed ad illas commode referri posse. Omnis enim admiratio oritur ex ignorantia causarum, quibus res constat, excitatque hominem ad appetendum scientiam, per quam ignorantia tollatur & profligetur.

Admiratio refertur ad priores duas causas.

PROBLEMA V.

Quæ sit causa instrumentalis artium liberalium?

Inuen-

Causæ instrumentales artium exponuntur.

INuentores artium liberalium non tantum causas impulsiuas habuerunt, quibus excitati sunt ad earum indagationem; sed etiam causas instrumentales, quarum ope in suo proposito absoluendo vsi sunt. Inter illas vero prima fuit *αἴσθησις*, hoc est, *sensus*. Nihil enim cadit sub intellectum humanum, nisi prius aliquo modo fuerit sensu perceptum, nempe, vel per se, vel per accidens. Et cum præcepta artium vniuersalia sint fundata in singularibus, circa quæ sensus versatur: Sequitur illa sine sensus adminiculo non potuisse inueniri. *I.*

Altera est *μνήμη*, hoc est, *memoria*, seu obseruatio rerum singularium sensu prius apprehensarum. Nihil enim iuuat ad artium inuentionem sensu percipere & diiudicare res singulares, nisi etiam eædem obseruentur. *II.*

Tertia est *ἐμπειρία*, hoc est, *experientia*, orta ex frequenti rei eiusdem singularis sensu & obseruatione. Per hanc enim cognoscuntur & confirmantur principia vniuersalia artium, quibus nemo assentitur, nisi experientia exempla singularia suppeditet, à quibus per inductionem citra instantiam ad illa probanda procedatur. Hinc scite Aristoteles lib. 1. Metaph. cap. 1. ait: *Ἀποβαίνει δ' ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις, ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν ὥς φησι Πῶλος, ἡ δ' ἀπειρία τύχην.* hoc est, *Prouenit seu contingit scientia & ars per experientiam hominibus. Experientia enim artem fecit, vt Polus apud Platonem in Georgia recte ait: Inexperientia vero fortunam.* Et statim subiicit Aristot: *Γίνεται δὲ τέχνη ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων, καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις*, hoc est, *Fit autem ars* (seu potius artis principium) *quando ex multis experientiæ notionibus vna generalis de similibus sententia constituitur.* *III.*

Quarta & vltima causa instrumentalis est discursus mentis, quo partim principia vniuersalia artiũ per inductionem singularium, seu particulariũ, partim per principia vniuersalia, conclusiones probamus & demonstramus. Huius causæ meminit Aristot. lib. 2. Prior. Analyt. c. 23. cum inquit: *ἅπαντα πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ, ἢ δι' ἐπαγωγῆς*, h. e. *Omnia credimus vel per Syllogismum, vel per inductionem.* Item lib. 1. Poster. c. 14 *Μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ ἀποδείξει. Discimus aut inductione, aut demonstratione.* *IV.*

At contra tertiam causam instrumentalem artium

Obiect. *I.* liberalium, quam dixi esse *Experientiam*, moueri possint nonnullæ Obiectiones: 1. Si ars potest esse sine experientia, & artifex potest aliquis esse, qui non habeat experientiam; sequitur experientiam non esse causam efficientem artium liberalium. Sed verum prius, vt testatur non tantum Aristoteles *lib.* 1. *Metaphys. cap.* 1. sed etiam sensus communis. Videmus enim multos fieri Medicos, antequam habeant experientiam earum rerum, quas didicerunt. Videmus pueros perfectè discere Mathematicas artes, præsertim Arithmeticam & Geometriam, antequam vllam rerum Experientiam habeant. Ergo verum etiam est posterius.

II. 2. Quod incertum est & fallax, id non potest esse causa efficiens eius, quod certissimum est & verissimum: Experientia autem est incerta & fallax, vt docet Hippocrates in primo suo Aphorismo. nec immeritò, cum à sensibus, qui sæpe fallunt & falluntur, pendeat. Artes verò liberales sunt verissimæ & certissimæ: Ergo experientia non est causa efficiens artium liberalium.

III. 3. Si multa principia artium liberalium adeo sunt manifesta & nota, vt ad ea probanda non opus sit experientia, cum iis propositis nemo sit, qui non assentiatur, modò ipsos terminos, quibus efferuntur, intelligat: sequitur, non omnia artium liberalium principia experientiâ comprobari. Sed verum prius, vt testantur hæc & similia principia Geometrica: *Totum est maius qualibet sui parte: si ab æqualibus æqualia demas, ea quæ remanent sunt æqualia.* Ergo verum etiam est posterius.

Respond. ad obiect. 1. & 2. Ad priores duas Obiectiones respondeo, assumptionem non esse simpliciter veram, sed tantum secundum quid. Nam 1, ars potest esse sine experientia, quatenus consideratur vt iam inuenta & constituta, ab alioque discenda; non autem, quatenus est inuenienda & constituenda, in quo sensu à nobis hoc loco accipitur. 2, Artifex potest esse aliquis sine Experientia, quatenus sumitur non pro eo, qui artem inuenit & constituit; sed pro eo, qui artem iam inuentam didicit. 3, Experientia alia est vera, alia falsa, alia perfecta, alia imperfecta.

Prior certa est & firma; posterior verò incerta & fallax: sed de hac non intelligenda est sententia supra exposita.

Ad

Ad tertiam & vltimam obiectionem reſpondeo per inficiationem propoſitionis. Licèt enim multa ſint principia artium liberalium adeo manifeſta & nota, vt ſtatim, quando proponuntur ab ingenioſis intelligi poſſint, ſine præcedente explicatione; tamen non ſequitur, illam per Experientiam nullo modo probari poſſe, aut etiam non opus habere probatione experimentali, præſertim apud eos, qui primum ea inuenerunt & cognouerunt, aut qui alioqui hebetioris ſunt ingenii. III.

PROBLEMA VI.

An ars ſit præſtantior experientia?

ARiſtoteles lib. 1. Metaphyſ. cap. 1. confert experientiam cum arte duobus modis: 1, ratione actionis: & ſic ait Experientiam non eſſe inferiorem arte, ſed potius ſuperiorem: propterea, quod experti minus aberrent à ſcopo & fine actionis, quam artifices inexperti, cum experientia ſit notitia rerum ſingularium, in quibus per ſe actiones verſantur: Ars verò ſit notitia rerum vniuerſalium, in quibus actiones, quaſi per accidens occupantur. Et hinc etiam fit, vt artifex rerum ſingularum circumſtantias ignoret, quia regula vniuerſales ſæpe mutari ſolent, atque ita nonnunquam à fine propoſito aberret. Deinde idem Ariſtoteles confert Experientiam cum arte ratione cognitionis; & ſic ait, Artem longè præſtare experientiæ. 1, Quia artifices cognoſcunt cauſas rerum, quas empirici ignorant, ſeu artifices ſciunt & τὸ ὅτι, & τὸ διότι; Empirici ſciunt tantum τὸ ὅτι, non autem τὸ διότι. 2, Quia artifex docere poteſt, hoc eſt, res quas nouit per ſuas cauſas demonſtrare: Empiricus autem id facere nequit; quia cauſas ignorat. 3, Quia experientia eſt notitia ſenſitiua, quæ non meretur nomen ſapientiæ. Ars autem eſt notitia intellectiua. His rationibus addit Albertus adhuc quartam, nempe, quod error, qui in actione ab experto committitur, ipſi experimento aſſcribendus ſit, quod nõ rectè ſit ſumptum. Is verò error, qui committitur ab artifice, non debet aſſcribi arti, quæ de vniuerſalibus rectè & ex vera cauſa iudicat; ſed varietati & inconſtantiæ rerum ſingularium in quibus actio verſatur.

Ars præſtantior eſt experientia ratione cognitionis.

Ratio I. II. III. IV.

Problema VII.

An artes liberales habeant materiam & formam, & quænam illa sit?

Artes liberales non habere materiam & formam. SVnt, qui artibus liberalibus materiam & formam aut simpliciter, aut saltem propriè dictam derogant. *Ratio alior.* Rationes ipsorum sunt: 1, Quia nullus habitus materiam habet, ex qua constat.

I. Artes autem liberales sunt habitus. 2, Quia nihil habet formam, quod non habet materiam. *II.* Cum igitur artes liberales non habeant materiam, sequitur, illas neque habere formam. *III.* 3, Quia materia & forma propriè dicta solis substantiis conuenit & non accidentibus. *Refut. hæc sent.* Sed hæc sententia simpliciter non est vera. Licet enim artes liberales, quatenus considerantur vt habitus intellectuales destituantur materia & forma: tamen illis quatenus considerantur vt systemata, hoc est, integra doctrinæ corpora, neque materia neque forma derogari potest. Quæ autem sit illa materia & forma artium liberalium, non omnino est extra controuersiam.

Quæ sit materia & forma artium. Alii enim materiam artium liberalium statuunt ipsam rem scibilem, circa quam explicandam quælibet ars occupatur: Alii vero præcepta ipsa, quæ de re illa scibili traduntur. Similiter formam alii statuunt esse finem cuiusque artis, quatenus eius definitionem ingreditur: Alii vero ipsam methodicam præceptorum dispositionem. Sed ex his opinionibus prior vtrobique est falsa; posterior vero est vera. Res enim scibilis, circa quam explicandam quælibet ars liberalis versatur, non est materia illius propriè dicta, sed subiectum doctrinale: præcepta vero ipsa, quæ de illa re scibili traduntur, propriè dicuntur materia: siquidem ex illis totum artis Systema concinnatur & coagmentatur. Et cum finis & forma sint distinctæ causæ species, fieri non potest, vt finis artis liberalis, quatenus est finis, possit illius esse forma. Proinde potius methodica dispositio præceptorum statuitur esse forma artium liberalium in genere. Per hanc enim ars est ars, & essentialiter ab aliis rebus discernitur. Vnde etiam frequenter per metonymiam formæ ab Aristotele *ars* vocatur *methodus*.

CAPVT II.

De Legibus constituendi artes liberales externas.

THEOREMATA.

1 *Sic de caussis artium liberalium externarum; sequuntur leges easdem constituendi; quæ nihil aliud sunt, quam conditiones essentiales in artibus constituendis requisita.* *Leges constituendi artes definiuntur & distrib.*

2 *Illarum aliæ sunt principales; aliæ minus principales.*

3 *Principales aliæ sunt primæ; aliæ secundæ classis.*

4 *Primæ classis sunt, quæ concernunt finem & subiectum artium liberalium.*

5 *Inter illas prima lex est, vt qualibet ars certum proprium & adæquatum finem habeat.*

6 *Altera lex est, vt finis ille sit certa aliqua perfectio hominis, quæ ab arte certo præstari possit, ad explendum in eo naturæ defectum.*

7 *Tertia lex est, vt qualibet ars sufficienter tradat media ad perfectionem illam consequendam vtilia & necessaria.*

8 *Quarta lex est, vt qualibet ars certum, proprium & adæquatum subiectum habeat, in quo explicando occupetur.*

9 *Quinta lex est, vt illud subiectum sit determinatum aliquod scibile, cuius cognitio homini sit vtilis & necessaria.*

10 *Secunda classis sunt, quæ concernunt materiam & formam artium liberalium.*

11 *Inter illas prima lex est, vt præcepta artium sint vera, perspicua, facilia, vtilia, necessaria, totique arti homogenea, & sufficientia ad explicandum plene ipsum subiectum.*

12 *Altera lex est, vt qualibet ars certam & methodicam habeat præceptorum dispositionem, consistentem partim in determinata partium distributione, partim in apta & legitima earundem, cum ad se inuicem, tum ad naturam totius artis coordinatione.*

13 *Sic de legibus principalibus: Restant minus principales, quarum prima est, vt ars sit æmula naturæ: altera est, vt ars sit certior dux, quam natura.*

PROBLEMA I.

An eadem sint leges constituendi artes liberales, & easdem iam constitutas examinandi?

Pro thesi affirm.

Ratio. I. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia rectitudo seu bonitas artificialis, quam leges requirunt in artibus constituendis, eadem requiritur in iisdem iam constitutis examinandis.

II. 2, Quia, si aliæ leges essent artes constituendi & examinandi, sequeretur, non eandem rectitudinem & bonitatem artificialem vtrobique requiri, sed diuersam: quod tamen est absurdum.

III. 3. Quia eædem leges sunt normæ secundum quas artes liberales sunt constituendæ, & normæ secundum quas sunt examinandæ. Vnde etiam vulgò dicuntur κριτήρια, hoc est, regulæ & normæ iudicandi.

IV. 4, Quia peccata artium nihil aliud sunt, quam transgressiones legum, quæ ad artium constitutionem requiruntur. Ergo in cognoscendis & diiudicandis illis peccatis necesse est, vt ad illas respiciamus.

PROBLEMA II.

An necesse sit, quamlibet artem liberalem, habere certum proprium & adæquatum finem?

Sententia affirm. adstruitur. STatuitur thesis affirmatiua: Cum enim nulla ars liberalis temerè & frustra, sed omnis boni alicuius gratia fuerit inuenta & constituta, necessariò sequitur, omnem artem habere certum aliquem finem. Sed sicut quælibet ars habet propriam essentiam, quam cum aliis artibus non communem habet: Ita etiam necesse est, vt quælibet habeat proprium finem, cuius gratia ipsa sola fuerit inuenta, adeoque doceatur & discatur. Licèt enim finis generalis omnium artium sit perficere hominem, seu id, quod naturæ hominis deest, explere; tamen quælibet ars propriam & peculiarem perfectionem certo ac determinato alicui naturæ defectui oppositam respicit, & ad eam consequendam media etiam propria & peculiaria tradit, quæ in aliis artibus non docentur, neque doceri debent, nisi legem ὁμογωνίας turpiter violare velimus.

Cæterum non satis est, quamlibet artem habere finem certum

certum & proprium, nisi idem etiam sit adæquatus & commensuratus toti arti, eaque neque latior neque angustior. Finis enim proprius cuiuslibet artis debet esse vnus, omnibusque mediis & præceptis, quæ in ea traduntur certum ordinem, mensuram & numerum præscribere. Denique ad eum omnia, quæ in arte continentur, collimare & referri debent. Id autem fieri non posset, si non esset adæquatus toti arti, sed ea vel latior vel angustior. Qui enim latior est, non est arti proprius, sed communis cum aliis; Qui verò angustior est arte, ad eum omnia, quæ in arte traduntur, referri nequeunt.

PROBLEMA III.

An necesse sit finem cuiuslibet artis liberalis ita esse comparatum, vt ab ea certò præstari possit?

De hac quæstione discrepantes extant Philosophorum opiniones. Alii enim thesin affirmantem simpliciter defendunt. Rationes ipsorum sunt: 1, Quia quælibet ars sufficienter debet tradere media ad finem suum consequendum necessaria: Et quando hoc facit, tunc finis ab ea certò præstari potest. 2, Quia finis artis non debet in euentu incerto esse positus, nec aliunde, quam à mediis, quæ ars præscribit, pendere. 3, Quia si finis alicuius artis ab ea præstari non posset, sequeretur media, quæ in illa traduntur, non esse vera, aut saltem non sufficientia; quod pugnat cum natura artis secundum leges suas rectè constitutæ. Contra alii distinctionem faciunt inter artes, quas vocant ex Platone, ἀκριβεῖς ἢ στοχαστικάς, hoc est, accuratas & coniecturales. Ac illarum quidem finem concedunt semper ab iis certò præstari posse; harum verò non itidem. Et hanc suam sententiam probant inductione exemplorum. Nam 1. artis medicæ finis est sanitas: neque tamen ab illa certò semper præstari potest, iuxta illud Poëtæ,

Diuersa aliorum opin. recens. *Prima.* *Ratio pro prima opini.* *I.* *II.* *III.* *Secunda.*

Non est in medico semper releuetur vt æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

2, Ethicæ finis est moratè seu probè viuere: neque tamen omnes qui Ethicam didicerunt, & quidem perfectè, moratè & probè viuunt. 3, Rhetoricæ finis secundum Ciceronem ad Herennium, & ipsum Aristotelem, est *persuadere dictione*, hoc est, impellere auditorem ad a-

gendum aliquid, neque tamen Orator hunc finem semper obtinere potest.

Quæst. decid. Pro decisione quæstionis, respondent quidam finem cuiuslibet artis semper esse certum, certoque præstari posse, si intentionem spectemus. Illius enim gratia quælibet inuenitur, docetur ac discitur: Non autem semper esse certum, certoque præstari posse, si executionem, hoc est, acquisitionem & adeptionem actualem illius spectemus. Etsi vero hæc responsio non simpliciter est reiicienda, videtur tamen illi præferenda responsio aliorum, qui asserunt, finem cuiuslibet artis ab ea certo præstari posse, quatenus media sufficientia ad illum acquirendum & consequendum tradit: tametsi propter neglectum mediorum illorum, aut saltem prauum mediorum eorum vsum, aliamve causam externam impedientem, non semper ab eo, qui artem didicit, finis ille actu obtineatur.

PROBLEMA IV.

An necesse sit, quamlibet artem liberalem certum, proprium & adæquatum subiectum habere, in quo explicando occupetur?

Pro thesi affirm. defend. Ratio STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia quælibet ars determinatum aliquod scibile sibi tractandum sumit, & de eo præcepta tradit: Ergo habet

I. subiectum certum, in quo explicando versetur. 2, Quia

II. differentia specifica cuiuslibet artis non tantum sumitur ex eius fine, sed etiam ex subiecto. Non posset autem à subiecto peti, nisi esset artis proprium. 3, Quia

III. subiectum cuiuslibet artis toti eius tractationi debet esse substratum, ita, vt neque latius sit neque angustius

IV. tota arte: Ergo necesse est, vt sit arti adæquatum. 4 Quia, nisi quælibet ars haberet certum, proprium & adæquatum subiectum, fieri non posset, vt præcepta, quæ de eo in aliqua arte traduntur, possent dici ei propria, totumque eius corpus constituere.

Obiectio. I. Sed contra obiici potest: 1, Si vnum & idem scibile sæpe in diuersis artibus tractatur, sequitur, non quamlibet artem habere proprium subiectum: sed verum est antecedens. Corpus enim naturale non tantum in Metaphysica, sed etiam in Physica & Medicina con-

consideratur. Homo non tantum in Physica, sed etiam in Ethica, Politica, Iurisprudentia & Theologia, &c. Ergo verum etiam est consequens.

2, Si quælibet ars in informando homine occupatur, sequitur non quamlibet habere proprium subiectum: sed verum prius: Ergo & posterius. II.

3, Si quædam ars subiectum habet se tota latius, sequitur, non quamlibet artem habere subiectum adæquatum: Sed verum est antecedens. Grammaticæ enim subiectum sunt omnes voces: Logicæ Ens & non Ens, neque tamen illa subiecta in solis illis prædictis artibus explicantur. III.

Pro solutione harum obiectionum obseruanda sunt duo Theoremata. *Fund. solutionis ponuntur.* 1, *Vnum & idem scibile sæpe in diuersis artibus tractari, non quidem vno & eodem modo & fine, sed diuerso.* I. 2, *Subiectum artium liberalium aliud est subiectum informationis, aliud tractationis, aliud vsus:* II. *Ac subiectum quidem informationis esse id, quod artes liberales informat, cuiusmodi est animus hominis, seu potius ipse homo, cum suis facultatibus & actionibus naturalibus: Subiectum vero tractationis esse, in quo explicando artes liberales occupantur; vnde etiam,* subiectum doctrinale *nuncupatur. Denique subiectum vsus esse id, circa quod artium liberalium vsus versatur. Ideoque illa tria diuersa subiectorum genera inter se non esse confundenda, sed distinguenda.* His ita præmissis, respondeo in singulis obiectionibus committi fallaciam cõsequentiæ. *Respond. in genere ad obiect.* Ex antecedente enim non necessario sequitur consequens: quemadmodum testantur Theoremata à nobis allata.

PROBLEMA V.

An necesse sit, certas leges dari constituendi & examinandi præcepta artium, & quænam illa sint?

Reperiuntur multi, qui putant, cuilibet doctori & præceptori licitum esse pro suo arbitrio, & pro captu iuuentutis, quam cupit informare, præcepta artium liberalium conscribere & tradere: & propterea etiam videmus, quanta sit dissensio in singulis artibus à diuersis authoribus pro iudicii & voluntatis suæ libertate conscriptis. Sed hæc opinio nullo modo est approbanda, *Sent. aliorũ exponitur & refut.*

Ratio I. 1, Quia nihil in mundo rectè fieri potest, nisi fiat secundum leges certas, quas vel natura vel recta ratio, vel verbum Dei præscribit: Ergo neque artium liberalium præcepta rectè possunt conscribi, nisi secundum leges *II.* certas constituantur. 2, Quia nullum peccatum in præceptis artium tradendis committi posset aut demonstrari, si non essent certæ leges, secundum quas illa & non aliter sunt tradenda. Omne enim peccatum siue sit naturæ, siue morum, siue artis, est transgressio alicuius legis: Et vbi nulla lex, ibi nulla transgressio legis; & sic nullum peccatum. Proinde conclùdo necesse esse, vt certæ leges dentur constituendi & examinandi præcepta artium. Porrò, quænam sint illæ leges, non immeritò quæritur. De ea enim re nondum video omnino concors esse Philosophorum omnium decretum. Ac Ramus quidem, cui inter recentiores prima artium liberalium reformatio à multis asscribitur, tres leges tradit, secundum quas omnium artium præcepta putat esse constituenda & examinanda. Primam vocat legem κατὰ παντὸς, seu *legem veritatis*, quam postulare ait, vt omnia artium præcepta sint affirmata, vera, necessaria & generalia; non autem negata, falsa, contingentia & specialia. Alteram legem vocat καθ' αὑτὸ, seu, *legem iustitiæ*, quam dicit postulare, vt præcepta sint arti essentialia, non accidentaria. Tertiam nuncupat legem καθ' ὅλου, eamque ait requirere, vt eadem sint reciproca. Et has quidem tres leges sumit ex Aristotele, qui *lib.* 1. *Poster. Anal. cap.* 2. illas tradit, tanquam tres gradus necessitatis in enunciationibus apodicticis acquisitæ, seu tanquam normas, secundum quas omne axioma affirmatum & necessarium est examinandum. Etsi verò multi ex Aristotelicis rigidioribus hoc institutum Rami simpliciter reprehendunt, propterea, quod præter scopum & mentem Aristotelis illi tres gradus necessitatis ad constituenda & examinanda omnia artium præcepta ab eo detorqueantur; tamen de illo videtur æquius esse sentiendum; tum, quia très illi gradus necessitatis sunt communia κριτήρια cuiusque enunciationis necessariæ, in quacunque etiam arte reperiatur: tum, quia illa artium præcepta omnium sunt optima & certissima, quæ omnes tres gradus necessitatis in se contineat, hoc est, quæ sunt κατὰ παντὸς

καθ

Quæ sint leges cõstituendi & examinandi præcepta artium.

Sent. Rami expon.

Sent. Rami contra alios secundũ quid defend.

Ratio I.

II.

καθ' αὐτὸ, & καθ' ὅλου. Vtrum autem in omnibus artibus singula præcepta ita possint institui & conscribi, vt sint κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, & καθ' ὅλου, de eo magna adhuc est inter doctos controuersia, cum alii id negent, alii affirmēt. *Alia quæst. mouetur.*

Et pro sententia quidem negante afferri solent hæc argumenta: 1, Quia natura rerum, quæ in singulis artib. explicantur, non patitur, vt omnia præcepta, quæ de his traduntur, omnes tres gradus necessitatis habeant, cum aliæ sint necessariæ, aliæ contingentes. 2, Quia in omnibus artibus multa reperiuntur enunciata negata, specialia & contingentia, de quibus dissertatio instituitur; vt cum in Metaphysica docetur *nullam creaturam esse absolute æternam simplicem, vbique, &c.* In Physica, *ex nihilo naturaliter nihil fieri. Quendam hominem non natum esse ex coniunctione maris & fœminæ. Omne leue sursum ferri, & omne graue deorsum.* In Theologia, *Iesum Christum esse filium Dei & vnicum mundi seruatorem.* 3, Quia Arist. lib. 6. Metaph. c. 1. & lib. 11. c. 8. expresse asserit. Πᾶσαν ἐπιστήμην εἶναι ἢ τοῦ ἀεὶ ὄντος, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, hoc est, *omnem scientiam esse, aut eius, quod semper est, aut quod plerunque:* Cuius dicti sensus verus & genuinus videtur esse, quod omnis disciplina, seu ars tradat Enunciationes, quæ aut semper veræ sint, hoc est, necessariæ, aut plerumque veræ, hoc est, contingentes. Et propterea etiam in citato loco, ab artibus tantum remouet Enunciationes accidentarias, quæ neque semper, neque plerumque, sed casu & fortuito sunt veræ. *Omnia artiū præcepta non posse conformari secundum 3. leges.* *I.* *II.* *III.*

Contra pro sententia negante, adduci consueuerunt hæc argumenta: 1, Quia nullum præceptum in artibus tradi debet, nisi contineat perfectam aut definitionem, aut distributionem, aut proprietatis alicuius explicationem. Omne autem eiusmodi præceptum est κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου. 2, Quia in omnibus artibus enunciata cum suis exceptionibus constituunt integra artium præcepta, non vero ab his separata & seiuncta. Et sic quidem accepta sunt κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ & καθ' ὅλου, hoc est, generalia & summe necessaria, &, per cōsequens, reciproca. Etsi vero difficile est hanc controuersiam componere, quippe, quæ ex vtraque parte disceptantium rationibus non contemnendis ventilatur: Tamen visum est meam de ea re sententiam libere citra alterius præ- *Omnia artiū præcepta debere conterminari secū-dum 3. leges. Ratio I.* *II.*

iudicium exponere. Proinde sequentia theoremata obseruentur:

Propria auctoris sententia exponitur per certa theoremata.

I. 1, Præcepta artium alia ingredi systematicam artium constitutionem, alia vero in commentariis seu Probl. disceptationib. ad priora explicanda & probanda tradi.

II. 2, Vtriusque generis præcepta debere esse vera, perspicua, facilia, vtilia, necessaria, totique arti homogenea & sufficientia ad explicandum plene ipsum subiectum.

III. 3, Prioris generis præcepta semper debere esse affirmata ac generalia, nisi res ipsa scibilis sit singularis: sed non semper simpliciter & summe necessaria & reciproca. Posterioris vero generis quandoque possunt esse negata & specialia.

IV. 4, Ad prioris generis præcepta non tantum pertinere Definitiones, Distributiones, proprietatumque explicationes, sed etiam causarum, quibus res scibilis constar, aliorumque argumentorum cum consentaneorum, tum dissentaneorum, sine quibus res scibilis cognosci nō potest, explicationes.

PROBLEMA VI.

An necesse sit quamlibet artem liberalem certam & methodicam habere præceptorum dispositionem; & quænam illa sit?

Thesis affir. defend.

CVm methodica præceptorum dispositio sit forma artium liberalium, vt in præcedenti cap. traditum fuit, necesse est, quamlibet artem illam habere, nisi velimus in artes informem ἀταξίαν & confusionem inducere, quæ à natura earum plane est aliena. Cæterum quænam sit illa methodica dispositio, non immerito quæritur. Sunt enim multi, qui in artibus tradendis methodum quandam arbitrariam sequuntur, & probe se suo officio defunctos putant, si præcepta artium doceant eo ordine, qui ipsis videtur optimus. Sed hæc opinio erronea est, & perniciosa, ideoque nullo modo recipienda. Non enim methodica dispositio præceptorum artis debet pendere à libero hominum arbitrio, quod varium est, inconstans & mutabile; sed à certo quodam & immutabili principio, quod est partim natura ipsius artis; partim natura subiecti & finis proprii & adæquati in qualibet arte requisiti; partim denique ipse finis, quem ordo

Quæ sit illa methodica dispositio. I.

Sent. aliorū exponitur & refut.

ordo doctrinæ exquisitæ sibi habet propositum, nempe, nostra melior & facilior cognitio. Itaque in præceptis supra diximus methodicam dispositionem artium consistere partim in legitima & determinata partium distributione, partim in legitima & apta singularum partium cum ad se inuicem, tum ad naturam artis coordinatione. Necesse enim est. 1, vt tota ars in certas ac determinatas partes, earumque quælibet in sua membra vsque ad finem artis distribuatur: 2, vt singulæ partes apte inter se & secundum naturam totius artis ordinentur, ita, vt ea, quæ lucem afferunt sequentibus, hoc est, quæ faciunt ad meliorem & faciliorem sequentium cognitionem præcedant, & sic generalia specialibus præponantur, & τὰ καθόλου cuiuslibet artis prius, quam τὰ ἐπὶ μέρους tractentur & explicentur. Vtrum autem quædam artes sint tradendæ methodo seu ordine synthetico, aliæ analytico, de eo non est leuis controuersia: alii enim id affirmant, alii negant. Ac Zabarella quidem omnem disciplinam in contemplatricem & operatricem diuidit, & illam solam methodo synthetica; hanc vero sola methodo analytica tradendam esse constanter asserit, & hanc suam sententiam *lib. 2. de methodis, c. 7. & 9.* prolixe probare nititur, sed saluo aliorum iudicio, videtur Zabar. confundere methodum inueniendi artes, cum methodo constituendi & docendi artes inuentas. In artibus enim inueniendis semper opus est methodo seu ordine synthetico, qui procedit à partibus ad totum, à simplicibus ad composita, à causis ad effecta: In constituendis vero & docendis iisdem opus est methodo seu ordine analytico, qui procedit à toto ad partes, à composito ad simplicia, ab effectis ad causas. Proinde etiam falsum est Zabar. effatum, quo asserit, *omnem disciplinam contemplatricem tradendam esse methodo synthetica, & omnem operatricem methodo analytica.* Necesse enim est, omnem artem tradi methodo analytica, ita, vt progressus fiat, non tantum à tota arte ad singulas eius partes, sed etiam à toto illius subiecto, quod est ens scibile, ad singulas eius partes, adeoque à genere ad species, & à causato ad causas illius explicandas, vt fusius ea de re à nobis alibi agetur.

II. Propria sent. explic.

Quæstio alia mouetur aduersus Zabarell.

Refut. Zabar. opinio.

PROBLEMA VII.

An ars liberalis debeat esse æmula naturæ & quomodo?

Ars debet imitari naturam.

COmmunis opinio Philosophorum est, *artem debere esse æmulam naturæ*, & hanc etiam comprobat ipse Aristoteles, cum alibi, tum lib. 2. Phys.auscult.cap.2. cum ait: Τέχνη μιμεῖται τὴν φύσιν, hoc est, ars imitatur naturam.

I. II. Ratio huius assertionis est: 1. Quia analogia debet esse inter artem & naturam. 2. Quia ars perficere naturæ opus debet, eiusque defectum explere.

Quomodo ars debeat imitari natur. Quomodo autem ars debeat esse æmula naturæ, id controuersia & difficultate non caret. Neque enim in omnibus simpliciter ars vel potest, vel debet imitari naturam. Dicendum igitur videtur, artem debere esse æmulam naturæ;

I. modus. 1. vt nihil faciat temere & frustra; sed omnia certa ratione, certique boni gratia Ἡ φύσις γὰρ οὐδὲν ἀλόγως καὶ μάτην ποιεῖ, hoc est, *natura nihil facit temere, & frustra.* vt ait Arist.lib.2.de cœlo, c. 11.

II. 2, vt semper faciat id, quod est optimum. Ἡ φύσις γὰρ ἀεὶ ποιεῖ τῶν ἐνδεχομένων τὸ βέλτιστον, hoc est, natura enim facit semper ex iis, quæ fieri possunt, id quod est optimum. lib. 2. de cælo, c 5.

III. 3, vt neque superuacanea tradat, neque necessaria omittat. Natura per se enim non deficit in necessariis, neque redundat in superuacuis, vt docetur lib. 3. De anima, cap. 9.

IV. 4, vt certum ordinem obseruet, seu nihil faciat sine ordine, sed omnia cum certo ordine. Natura enim in operibus certum ordinem obseruat, & nullum ipsius opus est ἄτακτον, teste Arist.l.1. De part.animal. cap 1. & lib. 8 Phys auscult. cap 1.

V. 5, vt inter docendum obseruet ordinem naturæ resolutiuum, qui progreditur à toto ad partes, à causato ad causas: inter operandum vero ordinem naturæ compositiuum, qui procedit à partibus ad totum, à causa ad causatum, &c.

VI. 6, vt à generalibus progrediatur ad specialia, perinde ac natura facit.

VII. 7, vt idem aliquod opus faciat, quod natura, sed perfectiori quodam modo.

PROBLE-

PROBLEMA VIII.

An ars dux certior esse debeat, quam natura?

STatuitur thesis affirmatiua Rationes sunt: 1, Quia ars explere debet, quod naturæ deest. 2, Quia artis officiũ est certas regulas & normas præscribere, secundum quas naturæ actiones sunt conformandæ. 3, Quia natura vaga est, facilisque & procliuis ad lapsum & errorem: qui autem artis ductum sequitur, ille cautius & melius faciliusque operatur, minusque erroribus est obnoxius 4, Quia nisi ars certior dux esset, quam natura, melius esse naturæ quam artis ductum sequi: quod tamen pugnat cum ipsa rei veritate, communique omnium hominum, qui artes inuenerunt & docent, iudicio. Hinc etiam fit, vt vita hominis regatur partim sensu, partim experientia, partim ratione, partim arte: Sed inter illa quatuor, artis regimen cæteris longe præferatur.

Pro sent. affirm. Ratio I. II. III. IV.

CAPVT III.

De differentiis artium liberalium externarum.

THEOREMATA.

1 *Hactenus de natura artium liberalium externarum: sequuntur earundem differentiæ. Est enim ars liberalis externa alia principalis, alia minus principalis.*

Ars liberalis externa distribuitur in certas species.

2 *Principalis est, quæ principatum sibi vendicat.*

3 *Estque vel Theologica, vel Philosophica.*

4 *Theologica, est ars ex verbi diuini præscripto pie beateq; viuendi.*

5 *Philosophica est ars ex naturali rationis lumine bene contemplandi & agendi.*

6 *Estque vel prima, vel à prima orta.*

7 *Prima est vel Theoretica vel Practica.*

8 *Theoretica est, quæ rerum cognitionem sibi propositam habet, sine respectu ad actionem, vitaque humanæ informationem.*

9 *Estque vel Generalis vel Specialis.*

10 *Generalis est, quæ omne ens & non ens certo modo contemplatur. Eaque dicitur* Metaphysica.

11 *Specialis est, quæ tantum certum entis genus contemplatur.*

12 *Estque vel* Physica, *vel* Mathematica.

13 *Physica est ars, quæ tractat corpus naturale, quatenus est naturale.*

14 *Mathematica est ars, qua tractat quantum, quatenus est quantum.*

15 *Estque vel* Geometria *vel* Arithmetica.

16 *Geometria, est ars bene metiendi.*

17 *Arithmetica, est ars bene numerandi.*

18 *Practica, est quæ rerum cognitionem sibi habet propositam eum respectu ad actionẽ vitæque humanæ informationem.*

19 *Estque vel generalis, vel specialis.*

20 *Generalis est, quæ rationem morate viuendi in genere tradit. Eaque dicitur* Ethica.

21 *Specialis est, quæ rationem morate viuendi in specie tradit.*

22 *Eaque vel est* Oeconomica, *vel* Politica.

23 *Oeconomica, est ars bene regendi familiam.*

24 *Politica, est ars bene regendi ciuitatem seu Rempublicam.*

25 *Sic de arte Philosophica prima: sequitur à prima orta, quæ est vel primæ classis vel secundæ classis*

26 *Primæ classis sunt* Medica *&* Iuridica.

27 *Medica, est ars bene curandi sanitatem. Eaque est quasi soboles Physicæ.*

28 *Iuridica, est ars bene administrandi ius. Eaque est quasi soboles Philosophiæ Practicæ.*

29 *Secundæ classis sunt* Physiognomica *&* Optica.

30 *Physiognomica, est ars cognoscendi naturas & mores hominum ex signis corporis externis.*

31 *Optica, est ars bene videndi.*

32 *Restat ars minus principalis, quæ principali inseruit, & non inepte à quibusdam dicitur* Philologica.

33 *Estque vel sermocinatrix vel ratiocinatrix.*

34 *Sermocinatrix est, quæ orationẽ principaliter informat.*

35 *Estque vel primaria vel secundaria.*

36 *Primaria vel est* Grammatica *vel* Rhetorica.

37 *Grammatica, est ars emendate loquendi.*

38 *Rhetorica, est ars ornate dicendi.*

39 *Secundaria est* Poetica & Musica.

40 *Poeti-*

40 *Poetica, est ars bene versificandi.*

41 *Musica, est ars bene canendi.*

42 *Ratiocinatrix est, quæ rationem principaliter informat.*

43 *Estque vel* Logica, *vel* Historica.

44 *Logica, est ars bene disserendi & sciendi.*

45 *Historica, est ars bene conscribendi & legendi historias ad vitæ morumque informationem.*

46 *Ex quibus omnibus artibus constituitur ἐγκυκλοπαιδεία,* hoc est, *circulus & orbis doctrinæ liberalis, in quo percurrendo oportet occupari eum, qui ad solidæ & omnibus numeris absolutæ eruditionis laudem contendit.*

PROBLEMA I.

An ars liberalis recte distribuatur in contemplatricem & operatricem?

ARistoteles passim in suis libris, præsertim *lib. 6. Metaph. c.* 1. tria genera scientiarum, hoc est, disciplinarum & artium constituit. Vnum vocat θεωρητικὸν, *contemplatiuum*: Alterum πρακτικὸν, *actiuum*: Tertium, ποιητικὸν, *effectiuum*. Ratio illius distributionis sumitur partim à subiecto doctrinali, partim a fine disciplinarum. Alia enim versatur περὶ τὰ ἁπλῶς θεωρητὰ, hoc est, *res solummodo contemplandas*: alia, περὶ τὰ πρακτὰ, hoc est, *res agendas*; alia περὶ τὰ ποιητὰ, hoc est, *circa res efficiendas*: & rursus alia solam cognitionem rerum circa quas versatur sibi habet propositam; alia præter cognitionem, etiam actionem; alia effectionem. Sed Zabar. *lib. 1. de nat. Log. c. 2.* & alibi trimembrem illam distributionem Aristotelis, ad bimembrẽ reuocat. Itaque disciplinam aliam dicit esse *contemplatricem*, aliam *operatricem*. Et hanc rursus vel πρακτικὴν vel ποιητικήν. *Thesis affir. defend.*

Cæterum hanc distributionem multis seculis in scholis approbatam, quidam recentiores Philosophi in dubium vocant; & his argumẽtis impugnant. 1, Quia membra distributionis inter se non dissentiunt. Nulla enim ars est, quæ in sola rerum, quas tractat, cognitione acquiescat, neque eam ad certum aliquem vitæ humanæ vsum transferat. Ideoque quælibet ars simul est contemplatrix & operatrix. *Obiectio. I.*

2, Quia vana esset omnis ars, cuius cognitio nullũ ha- *II.*

beret in vita humana vſum; ideoque neceſſe eſt, vt quælibet ars non tantum ſit contemplatrix, ſed etiam operatrix.

Pro ſolutione horum argumentorum notentur duo theoremata:

Soluuntur obiect. per theor. 1, Diſtinguendum eſſe ex mente Ariſt. inter cognitionem, actionem & effectionem. Per actionem enim intelligere Philoſophum non quamlibet operationem,

I. ſed tantum actionem moralem, quam diſciplinæ practicæ dirigunt & informant. Per effectionem vero, operationem artificialem, quam diſciplinæ ποιητικαὶ diri-

II. gunt & informant. 2, Diſtinguendum eſſe inter vſum artium & operationem earum. Licet enim nulla ars ſit, cuius cognitio non aliquem in vita humana vſum habeat, cum quælibet ars perficiat aliquo modo hominem, & id quod naturæ deeſt, expleat; tamen non omnis ars docetur & diſcitur propter operationem, hoc eſt, vt res illa ſcibilis, circa quam verſatur, ab homine libere operante vel agendo vel efficiendo fiat & acquiratur: cum multa ſint ſcibilia, quæ ſub liberam & voluntariam hominis neque actionem neque effectionem cadant. Ex his igitur patet, artem liberalem recte diſtribui in contemplatricem & operatricem, neque fieri poſſe, vt in eo ſenſu, quem author diſtributionis ſequitur, vna & eadem res ſimul ſit contemplatrix & operatrix.

PROBLEMA II.

An ars liberalis recte diſtribuatur in Generalem & Specialem?

Theſis affir. defend. OMnis ars liberalis vel verſatur circa ſubiectum generale, vel ſpeciale. vel vſum habet generalem vel ſpecialem: Ideoque hoc duplici reſpectu non inepte videtur ars diſtribui in generalem & ſpecialem. Sic Metaphyſica eſt ars generalis, ſiue eius ſubiectum, ſiue vſum ſpectes. Reliquæ vero omnes artes ſunt ſpeciales, ſi ſubiectum ſpectes, circa quod explicandum occupantur; tametſi quædam ex his ſint generales ratione vſus, quem præſtant omnibus aliis artibus; cuiuſmodi ſunt Grammatica & Logica.

Obiect. Sed contra hanc diſtributionem obiici poſſunt duo

I. argumenta: 1, Quod ſit latior ſuo diſtributo: cum non

non tantum artibus diuersis competat, sed etiam vnius eiusdemque artis partibus, aliisque rebus. 2, Quod eius membra inter se non dissentiant, cum speciale semper sub generali comprehendatur. *II.*

Ad primum argumentum respondeo, distributionem illam esse latiorem suo distributo, si sola vocabula spectes, quæ multis aliis rebus accommodari possunt: non autem esse latiorem suo distributo, si spectes res, quæ significantur vocabulis, præsertim si illæ res ad naturam ipsius distributi limitentur & restringantur. Ad alterum argumentum respondeo: Generale & speciale semper inter se dissentire, quatenus vnum nunquam est alterum; non autem dissentire, quatenus vnum sub altero comprehenditur. *Respondetur ad obiectionem.* *I.* *II.*

PROBLEMA III.

An ars liberalis recte distribuatur in obiectiuam & directiuam?

EST quidam magni nominis Philosophus, qui in suis Præcognitis logicis disciplinas diuidit in *obiectiuas & directiuas*. Obiectiuas vocat, quæ res ipsas in natura positas, tanquam obiecta intellectionis nostræ tractant, cuiusmodi dicit esse quatuor maiores & principaliores, nempe, *Theologiam*, *Iurisprudentiam*, *Medicinam* & *Philosophiam*. Directiuas vocat, quæ non tractant res ipsas cognoscendas, nec hominis intellectum rebus ipsis informant & perficiunt; sed eius operationem aliquam tantum præparant, certisque normis & instrumentis dirigunt & ordinant. Et ex his aliam dicit dirigere intellectionem hominis, vt solam *Logicam*; aliam orationem, vt *Grammaticam*, *Rhetoricam* & *Poeticam*. Verum, vt pace tanti viri dixerim, videtur hæc distributio disciplinarum non esse recipienda, propter sequentes rationes: 1, Quia omnis disciplina habet certum obiectum, in quo explicando versatur, adeoque certum scibile tractat, tanquam obiectum intellectionis humanæ. Ideoque etiam omnis disciplina est obiectiua. Ac licet non omnis disciplina res tantum tractat in natura extra intellectum positas; tamen quælibet tractat vel ens in genere, vel certum genus entis siue realis, siue rationis: nihil dicam iam, quod entia realia non tantum extra *Thesis negatiua defenditur & cōtraria refellitur.* *Ratio* *I.*

animum, ſed etiam intra animum reperiuntur, cuiuſmodi ſunt conceptus rerum primi, virtuteſque omnes
II. tam intellectuales, quam morales. 2. Quia omnis diſciplina intellectum hominis rerum certarum, circa quas explicandas verſatur, cognitione informat, & perficit.
III. 3. Quia omnis diſciplina operationem aliquam hominis per ſua præcepta tanquam normas & inſtrumenta dirigit, ne in rectitudine, quæ in ea requiritur, aberret. Licet enim ſola Grammatica tradat artificium pure & emendate loquendi; & ſola Logica artificium bene diſſerendi & ſciendi; tamen reliquæ omnes diſciplinæ per vſum præceptorum à Grammatica & Logica traditorum dirigunt orationem & rationem hominis, vt eo melius & facilius finem ſibi propoſitum conſequatur. Proinde omnis diſciplina dici poteſt directiua: & ſic diſtributio artis liberalis in *obiectiuam* & *directiuam*, eſt vitioſa, non minus ac illa, qua diſciplina alia dicitur eſſe *realis*, alia *inſtrumentalis*, quæ videtur huic æquipollere.

PROBLEMA IV.

An ars liberalis recte diſtribuatur in Philologicam, Philoſophicam & Theologicam?

Theſis affir. defend. *Philologia quid.*

VSitatum eſt in ſcholis, præſertim Ariſtotelicis, accurate diſtinguere inter Philologiam, Philoſophiam & Theologiam, & ad tria illa ſumma quaſi capita ac genera omnes diſciplinas liberales referre. Per *Philologiam* enim intelligunt ſtudium humanioris literaturæ, qua homo præparatur ad Philoſophiam & Theologiam melius diſcendam. Et ſub hac comprehendunt, *Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, Muſicam, Logicam & Hiſtoricam.* Per Philoſophiam vero intelligunt ſtudium ſapientiæ naturalis & terrenæ, qua homo diſponitur ad bene contemplandum & agendum. Per Theologiam intelligunt ſtudium ſapientiæ præternaturalis & cæleſtis, per quam homo diſponitur ad bene beateque viuendum. Quod cum ita ſit, videtur non inepte ars liberalis diſtribui poſſe, ita, vt alia dicatur *Philologica*, alia *Philoſophica*, alia *Theologica*. Sed contra hanc ſententiam obiici poteſt: 1. Philoſophiam ex notatione

Philoſophia quid. *Theologia quid.*

Obiect.
I. nominis nihil aliud eſſe, quam ſtudium ſapientiæ. Ideoque cum omnes artes liberales ad parandam ſapientiam aliquid

aliquid conferant, Philoſophiæ ambitu omnes artes
liberales non immerito comprehendi. Et hinc Philoſo-
phiam definiri modo γνῶσιν τῶν θείων, καὶ ἀνθρωπίνων πραγ-
μάτων, καὶ τῶν ἐν τούτοις αἰτίων, vt eſt apud Platonem in
Phædone & Theæteto, hoc eſt, vt Cicero vertit lib. 2.
Officiorum, *Rerum diuinarum & humanarum cauſarum-
que quibus hæ res continentur, ſcientiam:* modo compre-
henſionem & doctrinam artium liberalium. Proinde
tam Philologicam quam Theologicam artem ſub Phi-
loſophica comprehendi. 2, Philologiam ex notatione *II.*
nominis nihil aliud eſſe, quam ſtudium artium libera-
lium, per quas λόγος hominis, nempe tam ratio, quam
oratio, informatur. Ideoque cum omnes artes libera-
les vel rationem vel orationem informent; inde ſequi,
omnes artes poſſe dici Philologicas: Et ſic ab iis Phi-
loſophicam & Theologicam non eſſe diſtinguendam.
3, Theologiam ſacroſanctam inter artes liberales rectè *III.*
non numerari; cum ex principiis naturalibus non con-
ſtet, ſed ſupernaturalibus: Neque naturali ſenſus & ra-
tionis lumine, humanoque ſtudio & induſtria ſit inuen-
ta & conſtituta; ſed lumine ſupernaturali verbi diuini
hominibus ſit patefacta. 4, Artem Medicam & Iuridi- *IV.*
cam neque ad Philologicam, neque ad Philoſophicam,
neque ad Theologicam artem referri poſſe: ideoque di-
ſtributionem illam eſſe anguſtiorem ſuo diſtributo. Pro *Fundamen-*
ſolutione harum obiect. obſeruanda ſunt ſeqq. theore- *ta ſolutionis*
mata. 1, Vocabula ſæpenumero tam in communi loquen- *iaciuntur.*
di conſuetudine, quam in ſchola artificum in alia ſigni- *I.*
ficatione vel latiore, vel anguſtiore vſurpari, quam ipſa
notatio concedit, vt teſtatur vox Grammaticæ, Logi-
cæ, Mathematicæ, Geometriæ, Ethicæ, & id genus aliæ.
2. Ex notatione non ſemper rectum & firmum ſumi poſſe *II.*
iudicium de ſignificatione vſitata vocabulorum, ſed
ex vſu & conſuetudine communi & antiqua recte lo-
quentium. 3, Non eſſe in libero huius vel illius homi- *III.*
nis priuati iudicio ſitum, vocabula, quibus res, præſer-
tim artes liberales ex communi conſenſu ſunt inſigni-
tæ, vel abrogare vel eorum ſignificationem immutare,
hoc eſt, vel ampliare, vel reſtringere; nõ minus, quam mo-
netæ valorem immutare; ſed reſpiciẽdum eſſe ſemper ad
vſum recte loquendi artificem. 4, Philoſophiæ vocabu- *IV.*

lum apud veteres & probatos authores, & in communi etiam recte loquentium vsu sumi non pro studio & doctrina omnium artium liberalium; sed tantum illarum, per quas homo disponitur ad bene contemplandum & agendum ex naturali rationis lumine; seu, per quas homo in rebus terrenis cognoscendis & agendis fit prudens & sapiens, cuiusmodi sunt *Metaphysica, Physica, Mathematica, Ethica, Oeconomica, Politica.* Ideoque non fas esse eius significationem vi notationis temere ampliare.
V. 5, Philologiæ vocabulum communiter vsurpari a viris doctis pro studio humanioris literaturæ, seu illarum duntaxat artium liberalium, quæ ita rationem & orationem informant, vt tanquam famulæ & pedisseguæ inseruiant Philosophiæ, & Theologiæ; cuiusmodi sunt, Grammatica, Rhetorica, Poetica, Musica, Logica & Historica: Ideoque non integrum esse cuilibet eius significationem ampliare.
VI. 6, Theologiam SS. numerari inter artes liberales, partim, quatenus sumitur pro systemate certorum præceptorum ex S Scriptura collectorum & methodice dispositorum; partim, quatenus accipitur pro notitia ordinaria rerum sacrarum & diuinarum ex verbi Dei auditu, lectione & meditatione comparata. Ac licet principia ipsius non sint naturalia, sed supernaturalia; neque naturali rationis, sed supernaturali verbi diuini lumine hominibus sint patefacta; tamen ordinarie à nobis non alio modo, ac reliquæ artes acquiritur, nempe partim sensus adminiculo, partim meditatione & mathesi assidua & seria verbi diuini à Deo nobis patefacta.
VII. 7, Medicam & Iuridicam artem ex Philosophia, tanquam sobolem ex matre suam habere originem: illam quidem ex Physica; hanc vero ex Ethica, Politica, & Oeconomica: Ideoque duas artes illas ad Philosophiā non male reduci posse. His præmissis & obseruatis vnicuique manifestum est, quid ad obiectiones superiores sit respondendum, ita vt opus non sit pluribus in hac quæstione tractanda immorari.

PROBLEMA V.

Quædam artes recte dicūtur subalternæ.

An quædam artes liberales recte à Philosophis dicantur subalternæ, & quæ earum sit natura?

CVm artes liberales ita sint comparatæ, vt vna alteri sit subordinata, tanquam subalternata subalternanti,

nanti, hoc est, inferior superiori, adeoque tanquam filia matri, non male eiusmodi artes à Philosophis dicuntur subalternæ. Sed vt melius intelligamus, quæ artes sint & dicantur subalternæ, natura earum breuiter est explicanda. Sciendum igitur, secundum Aristotelem eiusque interpretes Auerroem & Zabarellam, subalternarum artium naturam in eo consistere: 1, vt subiectum quodam modo idem habeant; sed differentia accidentali distinctum; hoc est, vt eandem habeant rem consideratam, ita tamen, vt subalternans eam sine materia, seu qualitate sensili contempletur, subalternata vero cum materia, seu qualitate sensili. 2, vt eundem plane modum considerandi habeant. 3, vt subalternata à subalternante, non tantum principia, sed etiam affectiones demonstrandas sumat Ex qua sententia porro seqq. porismata etiam ex consensu ipsius Zabarellæ in citato loco inferuntur, 1, Artes subalternas esse eiusdem essentiæ, neque facere numerum, hoc est, duas diuersas artes constituere, sed vnam tantum & eandem: ideoque omni subalternæ nomen subalternantis attribui posse. 2, Artes subalternas tantum inter artes mathematicas reperiri: quippe, quæ solæ eiusmodi considerent, quæ abstrahi possint à materia, seu qualitate sensili, cum qua per se semper sunt coniunctæ. 3, Geometriam & Opticam, itemque Arithmeticam & Musicam esse artes subalternas. 1, Quod Geometria consideret lineam quatenus est linea: Optica vero lineam visiuam, quatenus est linea: Similiter Arithmetica consideret numerum, quatenus est numerus: Musica vero numerum harmonicum seu sonorum, quatenus est numerus. 2, Quod Optica sua principia & affectiones demonstrandas sumat ex Geometria: Musica vero ex Arithmetica. Cæterum hæc sententia, si accuratius ad veritatis trutinam examinetur, videtur valde esse absurda, ideoque nullo modo recipienda. Impossibile enim est 1, vt artes subalternæ, quæ differunt vt subalternans & subalternata, vt superior & inferior, eandem plane essentiam specificam habeant, & sic vna sint numero ars. 2, vt subalternatæ nomen subalternantis attribuatur; Ita enim Optica esset Geometria, & Musica Arithmetica. 3, vt subalternata non tantum principia, sed etiam

Quæ artes dicantur subalternæ.

Sent aliorũ exponitur.

Refutatur sententia superius exposita.

Ratio I.

II.

III.

affectiones demonstrandas ex subalternante sumat. Ita enim nihil haberet peculiare. Proinde videtur magis probanda sententia eorum, qui artium subalternatum naturam in eo consistere arbitrantur, vt 1, subiecto quidem seu re considerata aliquo modo conueniant, differant autem modo considerandi. 2, vt subalternata à subalternante sumat principia ad demonstrandas suas conclusiones. Et sic statuunt, artes liberales non tantum inter disciplinas mathematicas reperiri, sed etiam inter alias: Ita enim non tantum Optica est subalternata Geometriæ; Musica Arithmeticæ; sed etiam ars Medica Physicæ; ars Iuridica Philosophiæ practicæ: denique omnes artes speciales erunt subalternatæ Metaphysicæ, tanquam arti catholicæ & generali.

Alia sententia exponitur & approbatur.

CAPVT IV.

De natura & differentiis artis liberalis internæ.

THEOREMATA.

1 *Adhuc actum fuit de arte liberali externa, seu systematica: sequitur ars liberalis interna, quæ nihil aliud est, quam habitus intellectualis hominem perficiens, doctumque & aptum reddens ad artificiose contemplandum vel operandum.*

2 *Estque vel simplex vel composita.*

3 *Simplex est, quæ cognitione vnius duntaxat artis externæ acquiritur.*

4 *Estque vel totalis, vel partialis:*

5 *Totalis est, quæ cognitione integra artis externæ comparatur.*

6 *Eius tot sunt species quot sunt artis externæ.*

7 *In genere tamen alia est contemplatiua, alia operatiua:*

8 *Contemplatiua est, quæ nullum ad operandum respectum habet.*

9 *Operatiua est, quæ certum respectum ad bene operandum habet.*

10 *Estque vel affectiua vel effectiua.*

11 *Actiua est, quæ ad bene agendum est destinata.*

12 *Effectiua est, quæ ad bene efficiendum est destinata.*

13 *Par-*

13 *Partialis est, quæ cognitione certa duntaxat partis externa alicuius artis comparatur.*

14 *Composita est, quæ cognitione plurium artiũ acquiritur.*

15 *Estque vel sapientia vel eloquentia.*

16 *Sapientia est habitus intellectualis, per quem homo idoneus est ad bene cognoscendum & diiudicandum verum & falsum, bonum & malum.*

17 *Estque vel Theoretica, vel Practica.*

18 *Theoretica sapientia est, quæ in sola contemplatione acquiescit, neque ad bene agendum dirigitur.*

19 *Practica sapientia est, quæ ad bene agendum dirigitur, & proprie dicitur prudentia.*

20 *Eloquentia est habitus intellectualis, per quem homo idoneus est ad animi sui sensa bene eloquendum.*

PROBLEMA I.

Quid sit ars liberalis interna?

VT definitio artis liberalis internæ recte instituatur & intelligatur, necesse est, vt sequentia theoremata obseruentur. 1, habitum in genere, (prout hoc loco vsurpatur) esse qualitatem permanentem, per quam homo ad bene vel male agendum disponitur. 2, habitum in genere alium esse rectum, alium prauum: quorum ille dicitur virtus, hic vitium. 3, vtrumque vel esse innatum vel aduentitium. 4, habitum rectum aduentitium vel esse intellectualem vel moralem. 5, habitum intellectualem rectum esse notitiam discendo comparatam, per quam homo promtus est ad bene muneris sui functiones obeundas. 6, Eundem alium esse liberalem, aliũ illiberalem. 7, Liberalem esse, qui hominem ad doctrinæ & virtutis officia obeunda idoneum reddit. Contra illiberalis, qui hominem à doctrinæ virtutisque studio auocat, & ad corporalia munia obeunda idoneum reddit. Hinc igitur patet, artem liberalem internam supra recte esse definitam, quod sit habitus intellectualis hominem perficiens, doctumque & aptum reddens ad artificiose contemplandum vel operandum. Licet enim in definitione illa non sit assignatũ genus proximum, cum habitus intellectualis alius sit rectus, alius prauus, & vterque vel innatus & aduentitius; tamẽ ex iis, quæ generi subiiciuntur, statim innotescit, qualis sit habitus intellectualis ipsa ars liberalis interna, vt non necesse fuerit expresse addere.

Pro constituenda & intelligẽda definitione traduntur theoremata.

I. *II.* *III.* *IV.* *V.* *VI.* *VII.*

Definitio ipsa assignatur.

PROBLEMA II.

Quæ requirantur ad comparandam artem liberalem internam?

Ad habitum comparandũ tria requiruntur.
I. Natura.
II. Doctrina.
III. Exercitatio.

IN ſcholis vulgo ex communi Philoſophorum ſententia traditur ad comparandum habitum tria requiri, naturam, doctrinam & exercitationem. Per naturam intelligitur docilitas, h. e. aptitudo naturalis ad capeſſendam doctrinam, præſertim ingenium bonum. Per doctrinam intelliguntur præcepta ipſa ab homine diſcenda. Per exercitationem frequens actuum ſimilium iteratio. Atque hæc tria ita neceſſario inter ſe ſunt connexa, vt Plutarchus in libello de inſtitutione puerorum expreſſe aſſerere audeat, *naturam ſine doctrina eſſe cæcam, & doctrinam ſine natura eſſe inſufficientem: exercitationem vero ſine vtriſque eſſe imperfectam.* Nec iſta aſſertio ratione deſtituitur. Sunt enim natura, doctrina & exercitatio tres cauſæ efficientes partiales, quæ vnam totalem conſtituunt. Itaque neceſſe eſt, vt ſecundum ordinarium naturæ ordinem ſimul concurrant ad habitum perfectum in homine efficiendum: & impoſſibile eſt, vt vna ſine altera ad cauſandum poſſit ſufficere. Hinc etiam Ariſtoteles lib. 9. Metaphyſ. c. 3. ait: *Ἀδύνατον τὰς τέχνας ἔχειν μὴ μανθάνοντα καὶ λαμβάνοντα*, h. e. impoſſibile eſt artes habere non diſcentem & acquirentem. Et Nemeſius in lib. de natura hominis, c. 1. ait: *Διὰ μαθήσεων περιγίνονται ἡμῖν αἱ τέχναι καὶ ἐπιστῆμαι*, h. e. diſcendo acquiruntur nobis artes & ſcientiæ. Item, c. 1. aſſerit: *ἕξις ἐκ μαθήσεως καὶ ἔθους περιγίνεται*, h. e. habitus doctrina & conſuetudine acquiri. Proinde cum hæc ita ſint, cuilibet manifeſtum eſt, ad comparandam etiam liberalem artem internam, quæ eſt ſpecies habitus intellectualis, neceſſario tria illa requiri, nempe naturam, doctrinam & exercitationem; quarũ prima ab Ariſt. in Rhetoricis dicitur *φύσις*, altera *μέθοδος*, h. e. doctrina methodice diſpoſita; tertia *γυμνασία*. Ex quibus natura & doctrina à quibuſdam dicuntur cauſæ remotæ habitus; exercitatio vero cauſa efficiens proxima; Hac enim poſita, ponitur ipſe habitus, & ſublata tollitur.

PROBLEMA III.

Quod ſit ſubiectum recipiens habitus intellectualis, & ſic etiam artis liberalis internæ?

DE hac quæſt. diuerſæ ſunt & diſcrepantes Philoſopho-

sophorum opiniones. Alii enim subiectum recipiens habitus intellectualis statuunt esse ipsum hominem, quatenus est homo; alii animum hominis; alii facultatem cognoscendi, quæ est in homine; alii intellectum; alii phantasiam; alii memoriam phantasiæ coniunctam; alii cerebrum; alii denique cor. Sed ex his opinionib. nulla vera est nisi sola prima. Rationes sunt: 1, Quia nihil potest esse subiecto recipiens habitus intellectualis, nisi sit animal rationale, facultatemque habeat naturalem intelligendi & ratiocinandi. Illa autē attributa ex omnib. animantib. soli homini competunt, quatenus est homo. Hinc etiam solus homo capax dicitur sapientiæ & doctrinæ propriè dictæ. 2, Quia idem est subiectum recipiens facultatum absolute operandi, & bene operandi. Cum igitur facultates absolute operandi, quæ diriguntur ab habitibus intellectualibus in nullo alio subiecto sint, nisi in solo homine quatenus est homo; sequitur idem etiam de ipsis habitibus intellectualibus, qui sunt facultates operandi, esse pronunciandum. 3, Quia idem est subiectum recipiens habitus intellectualis, & operationum intellectualium, quibus ille acquiritur & exercetur. Iam autem solus homo, quatenus homo, est subiectum recipiens operationū intellectualium eiusmodi. 4, Quia solus homo ex indocto fit doctus; ex inerte, artifex; ex insipiente, sapiens; ex imprudente, prudens: adeoque de solo homine habitus intellectualis, tanquam accidens de suo subiecto prædicatur. 5, Quia nullum accidens hominis, nullaque pars corporis humani potest esse subiectum recipiens vllius habitus intellectualis. Cum igitur facultas hominis cognoscendi, siue intelligendi siue sentiendi sit accidens hominis: Cerebrum vero & cor sint partes organicæ corporis humani, sequitur illis attribui non posse, quod sint subiectum recipiens vllius habitus intellectualis. Cæterum, contra hanc sententiam obiici possunt hæc argumenta: 1, Si nullus habitus intellectualis est in hominis animo tanquam in subiecto recipiente: sequitur falsam esse vulgatam illam distributionem habitus in habitum corporis & habitum animi: sed consequens est absurdum: E. & antecedens. 2, Si nullus habitus intellectualis est in corde hominis tanquam in subiecto, sequitur cor non recte

Diuersæ opiniones recensentur.

Sola prima opinio defend. Rati 1. 2. 3. 4. 5.

Obiectio. 1. 2.

dici sapiens & intelligens, cæcum & illuminatum; neque ex illo oriri cogitationes prauas: Sed consequens est absurdum, & pugnat cum multis S. Scripturæ locis: E. absurdum etiam est antecedens.
3. 3. Quodcunque est subiectum recipiens phantasmatum & noematum, id etiam est subiectum recipiens habitus intellectualis: Sed cerebrum est subiectum phantasmatum & noematum, aut saltem memoria, quæ in cerebro est: E. cerebrum est subiectum recipiens habitus intellectualis, aut saltem memoria.

Refut. obiect. Ad 1. obiectionem respondeo, Propositionem esse falsam. Ex antecedente enim non necessario sequitur consequens; propterea, quod illa distributio non est adiuncti in sua subiecta, sed effecti in causas suas efficientes instrumentales.

Corporis habitus qui dicatur. 1. Dicitur enim habitus corporis, non qui corpori hominis inest, sed qui externis organis corporis immediate comparatur & exercetur:

Animi habitus qui dicatur. animi vero habitus dicitur, qui internis animi subsidiis immediate acquiritur & exercetur.

2. Ad 2. obiect. respondeo, Scripturam sæpe per synecdochen tribuere cordi, quod totius hominis est proprium; propterea quod cor sit organum primarium, quo homo vtitur ad exercendas vitales operationes, adeoque fons caloris & spiritus vitalis.

3. Ad 3. respondeo, propositionem esse falsam. Non enim necesse est, vbi sunt phantasmata & noemata, ibi etiam sint ipsi habitus intellectuales tanquam in subiecto recipiente, cum sint res plane inter se diuersæ, adeoque differant, tanquam causa efficiens & effectum. Præterea licet concedamus cerebrum esse subiectum recipiens phantasmatum & noematum, per quæ res intelliguntur, tamen de memoria ipsa idem negamus, cum sit merum accidens.

PROBLEMA IV.

Quid sentiendum sit de diuisione habituum intellectualium ab Arist. lib. 6. Ethic. tradita?

Diuisio Arist. expon. & declaratur. Aristot. lib. 6. Eth. c. 3. quinque species constituit habituum intellectualium, quib. animus verum enunciat, vel affirmando vel negando, nempe τέχνην, ἐπιστήμην, φρόνησιν, σοφίαν, νοῦν, h. e. *artem scientiam, prudentiam, sapientiam & intellectum.* At primo in eodem cap. agit de scientia, quam definit, quod sit ἕξις ἀποδεικτική, h. e. habitus de-

demonſtratione comparatus: Deinde in c. 4. definit artem, quod ſit ἕξις τις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικὴ περὶ τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, h. e. habitus quidam cum recta ratione efficiendi circa id, quod aliter ſe habere poteſt, occupatus. Tertio in c. 5. prudentiam definit, quod ſit ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτική, h.e. habitus cum recta ratione agendi circa humana bona occupatus. Quarto, in c. 6. intellectum definit, quod ſit ἕξις ἀρχῶν, hoc eſt, habitus principiorum. Deniq; in c. 7. ſapientiam definit, quod ſit intellectus & ſcientia; hoc eſt, habitus ex intellectu & ſcientia compoſitus. Proinde ſecundum mentem Ariſt. in citat. loco, per ſcientiam nihil aliud intelligitur, quam notitia certa concluſionum demonſtratione τοῦ διότι, comparata: Per intellectum, nihil aliud, quam notitia certa principiorum, per quæ concluſiones demonſtrantur: Per ſapientiam, nihil aliud, quam notitia certa, tam principiorum quam concluſionum: Per prudentiam nihil aliud, quam notitia cum recta ratione agendi, h. e. perſequendi & fugiendi id, quod homini moraliter eſt bonum vel malum: Denique per artem, nihil aliud, quam notitia cum recta ratione efficiendi id, quod homini artificialiter eſt bonum vel
malum. Vnde porro concluditur; 1, diſtributionem illam *Ex diuiſione*
Ariſt. non eſſe intelligendam de diſciplinis & artib. libe- *Ariſt. expli-*
ralib. externis, prout illæ ſupra à me in trib. ſuperioribus *cata pori-*
capitib. in genere fuerunt explicatæ; neque etiam de o- *ſmata infe-*
mnib. artib. liberalibus internis, ſiue ſimplicib. & totali- *runtur.*
bus ſiue compoſitis. 2, nullam diſciplinam liberalem, ſi- 1.
ue eius ſyſtema, ſiue habitualem notitiam ſpectes, ſecun- 2.
dum ſe totam eſſe ſpeciem ſcientiæ in ea ſignificatione, in qua vocabulum illud ab Ariſt. 6. Ethic. vſurpatur; cum nulla ſit, quæ non ſimul conſtet ex principiis aut concluſionib. 3, vocabulum artis, ab Ariſt. libr. 6. Eth. plane in 3.
ſpeciali & ſtricta ſignificatione vſurpari; non vero in illa generali, qua omnem diſciplinam liberalem complectitur. 4, Perperam & contra mentem Ariſt. diſtributio- 4.
nem illam habituum intellectualium, prout 6 Eth. traditur, à Zabar. aliiſque eius interpretib. accommodari ad omnes diſciplinas liberales tam externas, quam internas, quaſi nulla ſit, quæ non ad aliquod illius membrum referri poſſit.

Problema V.

An ſapientia & prudentia ſint habitus intellectuales reuera inter ſe oppoſiti?

Pro theſi affirmante. Ratio

IN hac quæſt. alii theſin affirmantem, alii theſin negantem defendunt. Rationes pro theſi affirmante ſunt: 1,
1. Quia ſapientia conſiſtit in perſpicientia veri & falſi; ſeu, eſt ſcientia veri & falſi: Prudentia vero conſiſtit in perſpicientia boni & mali; ſeu, vt Stoici volunt, eſt ſcientia bonorum, malorum & mediorum, ſeu neutrorum.
2. 2, Quia ſapientia eſt habitus theoreticus; prudentia vero habitus practicus.
3. 3, Quia ſapientia poteſt exiſtere ſeparata à virtute morali: Prudentia autem non poteſt; quippe quæ dux eſt ad virtutem moralem, eique certum
4. medium, certamque agendi normam præſcribit. 4, Quia ſecundum Ariſtotelem 6. Ethic. ſapientia & prudentia ſunt diſtinctæ ſpecies habitus intellectualis.

Pro theſi neg. Ratio

Rationes pro theſi negante ſunt 1,
1. Quia ſapientia ſecũdum Ciceronem, eſt rerum diuinarum & humanarum, cauſarumque quibus hæ res continentur ſcientia: Ergo et-
2. iam ſub ſe comprehendit prudentiam. 2, Quia ſapientia comparatur cognitione artium practicarum, cuiuſmodi ſunt *Ethica*, *Politica*, *Oeconomica* & *Iuriſprudentia*. Illæ autem artes pertinent ad Philoſophiam. Ergo pru-
3. dentia quoque ſub ſapientia comprehenditur. 3, Quia ſapiens dicitur ille, qui recte ſentit de rebus: Talis autem eſt is, qui prudens eſt: Ergo prudens eſt ſapiens, &
4. prudentia eſt ſapientia. 4, Quia omnis vera rerum notitia, prout eſt in homine, eſt riuulus diuinæ ſapientiæ, eiuſque ſimulachrum: Ergo illa quoque recte dicitur ſa-
5. pientia. 5, Quia finis ſtudiorum noſtrorum ex conſenſu Philoſophorum eſt partim ζώησις, hoc eſt, intelligentia rerum, quæ nomine ſapientiæ indicatur; partim δύναμις ἑρμηνευτική, hoc eſt, facultas bene proferendi animi ſui ſenſa, quæ voce eloquentiæ ſignificatur: E. neceſſe eſt prudentiam ſub ſapientia comprehendi.

Quæſtio deciditur per diſtinctionem

Pro deciſione quæſtionis ſciendum eſt, vocabulum *ſapientiæ*, in ſchola Philoſophorum & apud alios probatos authores modo ſpecialiter vſurpari pro ſolo habitu intellectuali theoretico: & ſic prudentiam & ſapientiam reipſa ſibi opponi; modo vere generaliter, pro habitu intelle-

intellectuali tam theoretico, quam practico: & sic comprehendere sub se prudentiam, neque ei reipsa opponi. In priori significatione intelligendæ sunt rationes pro thesi affirmante allatæ: In posteriore vero reliquæ rationes, quæ pro thesi negante adductæ fuerunt.



INDEX CAPITVM ET PROBLEMATVM Technologiæ.

CAP. I.
De definitione & causis artis liberalis externæ, pag. 1.

PROBLEMATA.

1 *Quid sit ars liberalis in genere: & num recte in externam & internam distribuatur?* 2

2 *Quid sit ars externa in genere?* 3

3 *An perfectio hominis sit finis artium liberalium?* 4

4 *Quæ sit causa impulsiua artium liberalium?* 6

5 *Quæ sit causa instrumentalis artium liberalium?* ibid.

6 *An ars sit præstantior experientia?* 9

7 *An artes liberales habeant materiam & formam, & quænam illa sit?* 10

CAP. II.
De legibus constituendi artes liberales externas, 10.

1 *An eædem sint leges constituendi artes liberales & easdem iam constitutas examinandi?* 12

2 *An necesse sit, quamlibet artem liberalem habere certum, proprium & adæquatum finem?* ibid.

3 *An necesse sit finem cuiuslibet artis liberalis ita esse comparatum, vt ab ea certe præstari possit?* 13

4 *An necesse sit, quamlibet artem liberalem certum, proprium & adæquatum subiectum habere, in quo explicando occupetur?* 14

5 *An necesse sit, certas leges constituendi & examinandi præcepta artium dari, & quænam illæ sint?* 15

6 *An necesse sit, quamlibet artem liberalem certam & methodicam habere præceptorum dispositionem, & quænam illa sit?* 18

7 *An ars liberalis debeat esse æmula naturæ & quomodo?* 20

8 *An ars liberalis duæ cer-*

tior esse debeat quã natura? 21

CAP. III.

De differentiis artium liberalium externarum. 21.

PROBLEMATA.

1 *An ars liberalis recte distribuatur in contemplatricem & operatricem?* 23

2 *An ars liberalis recte distribuatur in generalem & specialem?* 24

3 *An ars liberalis recte distribuatur in obiectiuam & directiuam?* 25

4 *An ars liberalis recte distribuatur in Philologicã, Philosophicã & Theologicam?* 26

5 *An quædam artes liberales recte à Philosophis dicantur subalternæ, & quæ earum sit natura?* 28

CAP. IV.

De natura & differentiis artis liberalis internæ. 30.

PROBLEMATA.

1 *Quid sit ars liberalis interna?* 31

2 *Quæ requirantur ad cõparandam artem liberalem internam?* 32

3 *Quod sit subiectum recipiens habitus intellectualis, & sic etiam artis liberalis interna?* ibid.


4 *Quid sentiendum sit de diuisione habituum intellectualium ab Arist. lib. 6. Eth. tradita?* 34

5 *An sapientia & prudentia sint habitus intellectuales inter se reuera oppositi?* 34

Finis Technologiæ.

TABVLA

TABVLA TECHNOLOGIÆ
Methodum adumbrans.



Vide sequens latus paginæ.

C Differen-

Tabula Technologiæ Methodum adumbrans:

C Differentiæ secundum quas ars liberalis externa alia est

- Principalis, vel
  - Theologica.
  - Philosophica, vel
    - Prima, vel
      - Theoretica, vel
        - Generalis, vt Metaphysica
        - Specialis, vel
          - Physica
          - Mathematica, vel
            - Geometria,
            - Arithmetica.
      - Practica, vel
        - Generalis vel Ethica.
        - Specialis, vel
          - Oeconomica,
          - Politica.
    - à prima orta, quæ est, vel
      - Primæ classis, vt
        - Medica,
        - Iuridica.
      - Secundæ classis, vt
        - Physiognomica,
        - Optica.
- Minus principalis: quæ Philologica dicitur: Estque vel
  - Sermocinatrix, quę sermonem principaliter informat. Estque vel
    - Primaria, vt
      - Grammatica,
      - Rhetorica,
    - Secundaria, vt
      - Poetica,
      - Musica,
  - Ratiocinatrix, quæ rationem principaliter informat: Estque,
    - Logica.
    - Historica.

Ars interna, alia est

- Simplex: vel
  - totalis, quæ in genere, vel
  - Partialis.
    - contemplatiua,
    - operatiua, vel
      - Actiua,
      - effectiua.
- Composita vel
  - Sapientia, vel
    - Theoretica.
    - Practica quæ proprie dicitur prudentia.
  - Eloquentia.

F I N I S.

META-



METAPHYSICÆ
LIBER PRIMVS.
CAPVT I.
De natura Metaphysicæ,

THEOREMATA.

1 METAPHYSICA *est ars contemplatiua, quæ tractat de omni intelligibili, quatenus ab homine naturali rationis lumine sine vllo materiæ conceptu est intelligibile.* *Def. M*

2 *Eius partes sunt duæ; vna vniuersalis, altera particularis.* *Par.*

IN CAPVT PRIMVM.
PROBLEMA I.
An detur Metaphysica?

TANTVS hactenus vbiq; locorum & contemptus fuit nobilissimæ hu plinæ, quæ METAPHYSICA nuncupatur, vt multi non tantum illam ignorauerint; verum etiam vtrum omnino sit talis aliqua disciplina, dubitauerint. Quoniam vero nemini aditus patet ad adyta arcana Metaphysicæ, nisi certus omnino sit & persuasus in animo suo, illam dari: operæ pretium me facturum puto, si in vestibulo huius artis ante omnia eius existentiam probem. Sunt igitur sequentia argumenta obseruanda:

1 Si dantur principia & attributa generalia ac communia, quibus omnia entia, quæ in aliis disciplinis traduntur, naturæ cognatione inter se conueniunt, datur etiam ars aliqua generalis, quæ hæc omnia consideret & explicet. Naturalis enim sciendi appetitus qui est in hominib⁹, præsertim Philosophiæ studio addictis, nihil incognitum relinquit: sed eo vsque in singularum rerum consideratione progreditur, donec ad vltimã metam perueniat, vltra quam nihil amplius contemplandum inueniatur ac restet. Iam autẽ nemo sanæ mentis homo negare potest, *Metaphysicã dari, Ratio I.*

magnam hinc inde copiam eiusmodi principiorum & attributorum generalium ac communium reperiri, quæ fines & limites cæterarum omnium artium & disciplinarum transcendunt. Si enim resoluas, e. g. hominem tanquam speciem infimam in omnia genera, quibus secundum absolutam suam essentiam subordinatur, inuenies quædam eorum ita esse vniuersalia & communia, vt neque in Physica, neque in alia vlla disciplina particulari considerari ac explicari queant, cuiusmodi sunt *aliquid, ens reale, substantia, corpus.* Necesse igitur est, vt detur aliqua ars generalis, quæ eiusmodi principia & attributa generalia ac communia contempletur ac declaret. Illa autem nulla alia esse potest, quam quæ vulgo *Metaphysica* nominatur.

2 Si dantur substantiæ incorporeæ & spirituales, datur etiam disciplina aliqua quæ illas secundum absolu[illegible] essentiam contempletur, quatenus naturali ratio[illegible]æ lumine cognosci possunt. Sed verum est an[illegible] infra suo loco probabitur. Ergo verũ etiam [illegible]ens. Ac cum nulla aliarum disciplinarum ab [illegible]s inuentarum præter Metaphysicam sit, quæ [illegible]as incorporeas & spirituales secundum absolutam earum essentiam contempletur, quatenus naturali rationis humanæ lumine cognosci possunt: fatendum omnino est, Metaphysicam in numero disciplinarum esse habendam, neque ab eo excludendam.

Ratio III. 3 Si Metaphysica habet proprium subiectum adæquatum, quod nulla alia disciplina sibi vendicat, neque vendicare potest; sequitur illam ab aliis omnibus artibus & disciplinis esse distinctam: &, per consequens, ex artium & disciplinarum ordine non esse eiiciendam & exterminandam. Sed verum prius, vt infra Probl. 5. demonstrabitur: Ergo verum etiam est posterius.

Ratio IV. 4 Si præstantissimi quique Philosophi in Metaphysica inuenienda, constituenda, docenda & discenda elaborarunt; non dubium est, quin talis aliqua disciplina detur. Quis enim homo sanæ mentis est, qui velit tempus suum, quo nullus sumptus sumptuosior, in eo consumere, quod plane in rerum natura neque est, neque esse potest? At verum esse antecedens probari potest inductione partim Philosophorum tam veterum, quam recentiorum; partim

tim

tim librorum, quos de rebus metaphysicis scriptos post se reliquerunt. Ergo neque de consequentis veritate dubitari potest.

Cæterum contra argumenta à nobis allata hoc modo excipi potest. Tractatio communium principiorũ & attributorum, quibus res aliarum disciplinarum inter se conueniunt, pertinet ad Logicam; quemadmodum tractatio substantiarũ incorporearum partim ad Physicam, partim ad Theologiam sacram: Ergo non est necesse, vt præter has disciplinas alia constituatur, quæ vocetur METAPHYSICA. *Exceptio.*

Respondeo ad exceptionem 1, Communia principia & attributa entium ad Logicam pertinere, neq; omnia neque alia ratione, quã quatenus ad modũ bene disserendi & sciendi conferunt. 2, Substantias incorporeas in Physica cõsiderari nõ absolute, sed respectiue, quatenus sunt causæ rerũ naturalium: cum solum corpus naturale, quatenus naturale, sit subiectũ adæquatum Physicæ, vt alibi à nobis demonstratũ fuit. In Theologia vero sacra easdem considerari, quatenus earũ cognitio facit ad bene beateque viuendum. Cum ergo longe aliter hæc omnia in Metaphysica tractentur; cõcludo ex antecedente superioris enthymematis obiecti, nõ recte & vere cõsequẽs inferri. *Responsio ad exceptionem.*

2. An diuersæ sint appellationes Metaphysicæ, & quæ earũ ratio?

NON semper vno & eodẽ modo hæc ars quã tractandam suscepimus, insignitur; sed sæpenumero diuersis. Dicitur enim 1, *Metaphysica* à Scholasticis, vel quasi *Postphysica*, quod post rerum naturaliũ cognitionem demum a Philosophis fuerit inuenta: vel quasi *Transphysica*, quod ea tractet, quæ fines & limites Physicæ transcendant, & supra res naturales ordine naturæ seu dignitatis sint collocata. Eaque appellatio sumpta est ex inscriptione quam Arist. suis de hac arte libris præfixit, nimirũ τῶν μετὰ φυσικά. 2, *Prima Philosophia*, vel quod de primis & cõmunissimis omniũ rerum principiis & attributis agat, ab eaq; omnes aliæ disciplinę philosophicę pẽdeãt; vel quod primas substãtiæ species, vt sunt, Deus, angeli, formę substantiales, explicet. 3, *Theologica*, seu *Theologia naturalis*, quod specialiter tractet de Deo & reb. diuinis, quatenus naturali intellectus humani vi intelligi possunt. 4. *Sapientia*, quod res à vulgi captu remotas cõtẽpletur, earumq;

Diuersæ sunt appellationes Metaphysicæ. *I. Appell.* *II.* *III.* *IV.*

ſupremas cauſas & affectiones inquirat: adeoque ipſum
V. hominem vere ſapientem efficiat. 5. *Vniuerſalis ſcientia*, quod de omnibus rebus diſſerat, ſecundum vniuerſalia earum principia & attributa. Atque hæ poſteriores quatuor appellationes ab ipſo Philoſophorum coryphæo Ariſtotele huic arti, quæ vulgo *Metaphyſica* nuncupatur, ſunt impoſitæ, ex ratione ſubiecti circa quod verſatur, & à quo tota eius natura ac dignitas depender. Nam lib. 6. Metaphyſ. cap. 1. vocat eam modo πρώτην φιλοσοφίαν. modo θεολογικήν: lib. vero 2. cap. 2. modo σοφίαν, modo τὴν καθόλου ἐπιστήμην.

3 *An Metaphyſica ſit ars?*

Metaphyſicã nõ eſſe artem rationes aliorum.

SCIO equidem Philoſophiæ Peripateticæ ſectatoribus rigidioribus inſolens & abſurdum videri, Metaphyſicam numerare inter artes. Et propterea ſi viderint in principio huius capitis Metaphyſicã à me definiri per
I. artem, non dubito, quin ægerrime hoc ſint laturi & aduerſus me inſurrecturi his rationibus. 1. *Omnis ars eſt habitus cum recta ratione efficiendi*, vt docet Ariſtot. lib. 6. Ethic. cap. 4. *Metaphyſica non eſt habitus cum recta ratione efficiendi.* Non enim operatur in externam & corpoream materiam. *Ergo Metaphyſica non eſt ars.*
II. 2 *Omnis artis opus eſt corporeum*, vt docet Zabarella lib. 1. de natura Logicæ, cap 8. quia ſcilicet ex materia corporea efficitur: *Metaphyſica opus non eſt corporeum: Ergo Metaphyſica non eſt ars.*
III. 3 *Nulla ſcientia contemplatiua eſt ars.* Sunt enim diſtinctæ ſpecies habitus intellectual s, vt patet ex lib. 6. Ethic. Ariſtotelis cap. 2. 3. 4. *Metaphyſica autem eſt ſcientia contemplatiua*, non tantum quia definitio Scientiæ contemplatiuæ ei competit; ſed etiam quia Ariſtoteles lib. 11. Metaphyſ. cap. 6. tria genera ſcientiarum θεωρητικὰς cõſtituit, nempe Phyſicam, Mathematicam & Theologicam: & paſſim eam per ἐπιστήμην θεωρητικὴν definit. *Proinde Metaphyſica non eſt ars.*

Fundamẽta iaciũtur futuræ reſponſionis.

Vt igitur his rationibus occurratur, excutienda eſt homonymia vocabulorum *artis* & *ſcientiæ*, quæ multos deludit & in errorum præcipitia deducit Illa enim vocabula nõ ſemper vno & eodem modo à Philoſophis aliiſque probatis autoribus vſurpantur; ſed ſæpe in diuerſa ſignificatione. *Artis* enim vox ſumitur 1, pro doctrina methodica,

Artis vox quot modis vſurpetur.
1. ſignificatũ.

thodica, quæ de re aliqua scibili vtilique in vita humana tractat. Et sic definita fuit ars à Stoicis, vt apud Lucianum habetur, quod sit σύστημα ἐκ καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν βίῳ, hoc est, *compages præceptorum certorum vsu probatorum ad finem aliquem vtilem in vita.* Seu, vt Quintilianus reddidit, sensum potius secutus quam verba, *Doctrina certa de talibus rebus, quarum aliqua est in vita vtilitas.* 2, pro notitia veræ doctrinæ de re aliqua vtili methodicè traditæ. Et sic quælibet scientia præceptorum tendentium ad finem aliquem in vita vtilem, dici potest ars. 3, pro noticia vera faciendorum. Et sic definitur ab Aristotele 6. Ethic. cap. 4. ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική. Similiter *Scientia* vox accipitur. 1, pro actu sciendi transeunte. 2, pro quauis doctrina methodica quæ sub scientiam cadit. 3, pro quolibet habitu intellectuali. Et sic Aristot. 8. Topic. cap 3. & alibi scientiam distribuit in θεωρητικήν, πρακτικὴν καὶ ποιητικήν. 4, pro habitu duntaxat contemplatiuo. Et sic Physica, Mathematica & Metaphysica, prout in animo existunt, dicuntur ab Aristotele aliisque Philosophis *Scientiæ*. 5, pro noticia certa conclusionum demonstratione comparata, & sic Arist. 6. Ethic. cap. 3. Scientiam definit ἕξιν ἀποδεικτικήν.

2. signific.

3. Signific.

Scientia vox, quot modis vsurpetur.

1. Signific. *II.* *III.* *IV.* *V.*

His ita positis & declaratis, respondeo, Metaphysicam diuerso respectu esse artem simul & scientiam. Artem quidem quatenus sumitur vel pro systemate, vel pro noticia certorum præceptorum methodicè dispositorum ad finem aliquem vtilem in vita humana: non autem quatenus sumitur pro habitu cum recta ratione efficiendi. Scientiam vero, quatenus hæc vox accipitur vel pro qualibet doctrina scibili, vel pro quolibet habitu intellectuali, vel pro habitu duntaxat contemplatiuo: non autem quatenus vsurpatur pro noticia certa conclusionum demonstratione comparata. Metaphysica enim prout in animo existit, nō tantum est conclusionum, sed etiam principiorū noticia. Ideoque frequenter ab Aristot. dicitur *Sapientia*, quippe quæ habitus est ex noticia tam principiorum, quam conclusionum compositus, vt patet lib. 6. Ethic. c. 7. Vnde porro luce meridiana clarius est, quid sentiendum sit de rationibus supra allatis ad demonstrandum, Metaphysicam non esse artem. In singulis enim propositio non est simpliciter vera de qualibet arte; sed tan-

Quo respectu Metaphysica sit ars vel Scientia.

Responsio ad argumenta superiora.

tum de arte in tertia significatione accepta: quanquam etiam de illa dubitatur, *vtrum semper operetur in externam & corpoream materiam, & ex ea opus corporeum efficiat*, vt alibi disceptari solet. Proinde mirum non est, si Metaphysica talis ars non sit.

4 *Vtrum Metaphysica sit disciplina contemplatrix, an operatrix?*

DVo sunt summa genera disciplinarum. Vnum contemplatricium, alterum operatricium, vt scite admodum docet Zabarella lib. 1 de natura Logicæ, cap. 2. Recte igitur quæritur, *ad quod genus Metaphysica sit referenda?* Quoniam vero illa res sibi subiectas considerat non operationis gratia, vt scilicet homo rerum cognitarum γνῶσιν, vel agendo, vel efficiendo moliatur; sed solum cognitionis causa, vt videlicet homo naturalem sciendi appetitum iucundissima rerum metaphysicarum notitia expleat, & viam sibi ad alias disciplinas planam & expeditam sternat ac præparet: idcirco Metaphysica non ad genus disciplinarum operatricium, sed contemplatricium est referenda. Neque obstat quod supra à nobis definita fuit per artem. Sicut enim scientia, ita etiam ars in generali significatione alia est θεωρητική, alia πρακτική, alia ποιητική. Ideoque vt intelligeretur, in quo genere artis Metaphysica sit ponenda, adiunctum fuit, quod sit ars contemplatiua.

Metaphysica est disciplina contēplatrix.

5 *Quod sit proprium & adæquatum subiectum Metaphysicæ?*

MAGNA est controuersia inter Philosophos de subiecto proprio & adæquato Metaphysicæ. Cum enim illud constet ex re considerata & modo considerandi, de vtraque parte diuersæ hinc inde opiniones reperiuntur. Nam quod ad rem consideratam attinet, illam alii statu[illegible] solum Deum; alii substantiam incorpoream, quatenus suo ambitu complectitur Deum & creaturas spirituales; alii omne ens reale cõmune Deo & creaturæ, substantiæ & accidenti: alii denique omne ens tam reale quam rationis. Sed nulla harum quatuor sententiarum [illegible]idetur penitus exprimere totam rei in Metaphysic[illegible]nsideratæ vniuersitatem. Metaphysicus enim non tantum contemplatur ens, sed etiam non ens, adeoque

Res considerata in Metaphysica qua sit. Aliorum opiniones.

adeoque essentiam & priuationem entis: quæ omnia necesse esset excludi, si aliqua præcedentium opinionum poneretur vera. Proinde nos latius extendimus *rem* in Metaphysica *consideratam*, vt sub ea *πᾶν νοητὸν*, hoc est, *omne intelligibile* comprehendatur, nihilque penitus excludatur eorum, quæ in aliorum sententiis desideramus.

Propria sententia.

Modus considerandi in Metaphysica quis sit.

De *modo* vero *considerandi*, qui rem consideratam restringit, & formalem rationem subiecto Metaphysicæ confert, communis quidem opinio Aristotelis & aliorum Philosophorum est, quod ille nullus alius sit quam QVATENVS ENS. Hinc Metaphysica vulgo definitur, *Scientia entis quatenus ens.* Verum neque hæc opinio videtur consistere posse, cum modus ille considerandi non sit adæquatus toti Metaphysicæ.

Communis opinio.

Siquidem hæc disciplina entia considerat, non tantum sub conceptu entis; sed etiam sub conceptu substantiæ & accidentis. Multa enim attributa generalia competunt enti, non quatenus ens; sed quatenus est vel substantia vel accidens. Quocirca etiam hac in re veritatis amore à vulgato ac recepto tam veterum quam recentiorum Philosophorum placito recedimus, *modumque considerandi solius Metaphysicæ* proprium & adæquatum statuimus hunc, nempe, *Quatenus ab homine naturali rationis lumine sine vllo materiæ conceptu est intelligibile.* Ita enim nullus conceptus omittitur & excluditur, siue generalis, siue specialis, sub quo solent *τὰ νοητὰ* à Metaphysica considerari.

Propria sententia.

Et hoc videtur etiam Fonseca in suis commentariis, quos in libros Metaphysicorum Aristotelis conscripsit, agnouisse. Nam lib. 1. cap. 2. quæst. 1. sect. 2. asserit rationem formalem sub qua subiectum Metaphysicæ ab aliarum scientiarum subiectis distinguitur esse, quatenus non includit vllam materiam in suo conceptu. Seu, vt paulo post loquitur, *quatenus abstractum est ab omni materia si non re ipsa, saltem ratione & consideratione.* Idem sect. 3. ait, Metaphysicam versari circa omnia entia quatenus sine materia intelligi possunt. Item subiectum Metaphysicæ, vt subiectum est, complecti omnia entia, quatenus absq; omni materia, concipiuntur. Idem lib. 4. c. 1. Q. 1. sect. 5. expresse pronunciat, Finem Metaphysicæ esse naturalem contemplationem eorum omnium, quæ in suo conceptu materiam non includunt.

Item, ſubiectum proprium & adæquatum Metaphyſices eſſe ens non includens in ſuo conceptu materiam, quatenus poteſt naturali lumine cognoſci. Hoc etiā videtur innuere Franciſcus Suarez in diſput. ſua prima de natura Metaphyſicæ, ſect. 1. contex. 20. dum inquit; *Obiectum huius ſcientiæ in conceptu obiectiuo ſuo materiam non includere, neque ſenſilem, neque intelligibilem.* Item ſect. 4. context. 3. dum aſſerit, finem Metaphyſicæ eſſe declarare naturam, proprietates & cauſas entis in quantum ens, & partium eius, quatenus ſecundum eſſe à materia abſtrahunt. Proinde concludo, *Subiectum proprium & adæquatum* Metaphyſicæ eſſe, *Omne intelligibile*, quatenus ab homine naturali rationis lumine ſine vllo materiæ conceptu eſt intelligibile. In hoc enim explicando tota Metaphyſica verſatur; ad idemque omnia quæ in Metaphyſica traduntur tanquam ad vnum & communem ſcopum referuntur, vt non immerito dici poſſit *centrum* huius vniuerſæ artis, ex quo omnia præcepta illius ſuam habeant originem, & ad quod omnia viciſſim reduci neceſſe ſit. Nihil igitur pro præcepto Metaphyſico haberi debet, quod ſub rationem formalem huius ſubiecti non cadit.

Subiectū proprium & adæquatū Metaphyſ. quod ſit.

6 *An Metaphyſica omnia entia ſpeciatim & diſtinctè ſecundum proprias eorum rationes conſideret?*

HÆc quæſtio ſtatim poſt præcedentem diſcutienda proponitur, vt melius fines ac terminos Metaphyſicæ à modo cōſiderandi illius artis proprio præſcriptos ac definitos intelligamus, ita vt neque eos inſcii tranſgrediamur, neq; aliquid intra eos contentum relinquamus intactum. Ac pro theſi quidem affirmante quæſtionis à quibuſdam adducuntur hæc argumenta.

Rationes aliorum.

I. 1 Quia Metaphyſicæ ſubiectum tam late patet ac obiectum intellectus. Ergo cum intellectus verſetur circa omne ens ſpeciatim & diſtinctè ſecundum proprias rationes, ſequitur etiam Metaphyſ. circa idem occupari.

II. 2 Quia res conſiderata in Metaphyſica eſt omne ens tam reale, quam rationis, tam increatum quam creatum, tam ſubſtantia quam accidens. Ergo fieri aliter non poteſt, quin concedatur omnes res ſpeciatim & diſtinctè à Metaphyſica conſiderari, ſiue ſint naturales, ſiue ſuper-

ſupernaturales, ſiue materiales, ſiue immateriales, ſiue alterius generis.

3 Quia Metaphyſica eſt ſcientia catholica ſeu vniuerſalis, vt teſtatur Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſ. cap. 2. lib. 6. cap. 1. Ergo quicquid in particularibus ſcientiis tractatur, neceſſe eſt vt etiam in illa conſideretur. Iam autem reliquæ ſcientiæ res ſibi ſubiectas ſpeciatim & diſtincte conſiderant. Ideoque neque de Metaphyſica hoc negari poteſt. III.

4 Quia ſcientia quæ tractat de aliquo genere tanquam ſubiecto adæquato, tractat etiam diſtincte de omnibus ſpeciebus ſub illo contentis. Quia cognitio perfecta & diſtincta generis pendet à diſtincta ſpecierum, quæ ſub eo comprehenduntur, cognitione. Et hoc etiam teſtatur Ariſtot. lib. 1. Poſter. analyt. cap. 23. dum aſſerit, eiuſdem ſcientiæ eſſe conſiderare totum & partes, hoc eſt, genus & ſpecies. Vnde etiam 4. Metaphyſ. cap. 2. ait, *ſcientiam hanc contemplari ens quatenus ens, & ſpecies eius, & ſpecies ſpecierum.* IV.

Veruntamen theſis negatiua quæſtionis ſola vera eſt, & approbanda ob ſequentes rationes: *Rationes pro theſi negãte.*

1 Quia nulla ars debet conſiderare ea quæ ſub modum conſiderandi, tanquam rationem formalem ſui ſubiecti non cadunt. Iam autem ſpecialis & diſtincta conſideratio omnium rerum ſecundum proprias earum rationes non cadit ſub formalem rationem ſubiecti Metaphyſicæ. Hæc enim vult, vt Metaphyſicus contempletur omnes res quatenus in ſuo conceptu nullam materiam ſiue ſenſilem, ſiue intelligibilẽ includunt, hoc eſt, vt clarius loquar, quatenus ſub ratione entis, ſubſtantiæ, accidentis & ſimilium attributorum reliquarum diſciplinarum fines tranſcendentium concipiuntur. Ergo non recte affirmatur, omnes res ſpeciatim & diſtincte ſecundum proprias rationes à Metaphyſica conſiderari. I.

2 Quia antequam Metaphyſica eſſet inuenta, iam reliquæ diſciplinæ particulares in ſuis rebus contemplandis & explicandis verſabantur: Ergo non eſt inuenta Metaphyſica vt omnes res ſpeciatim & diſtincte conſideraret; ſed vt eas tantum traderet, ad quarum intelligentiam cæterarum facultas non erat ſufficiens, ſeu, quæ reliquarum fines ac terminos tranſcendebant. II.

III. 3 Quia si Metaphysica omnes res speciatim & distincte tractaret, superuacaneæ forent reliquæ omnes disciplinæ, quæ proprias rerum naturas inquirunt: quandoquidem hoc sola Metaphysica sufficienter præstaret. At hoc pugnat cum communi omnium Philosophorum sententia, qui asserunt, multas ac distinctas esse disciplinas, earumque vnamquamque circa certum ac proprium subiectum scibile occupari.

Responsio ad rationes pro thesi affirm. adductas.

Quod igitur ad argumenta attinet pro thesi affirmante allata, ad primum respondeo per distinctionem. Concedo enim Metaphysicæ subiectum quoad rem considératam, tam late patere, quam late obiectum intellectus.

Ad I. Sed quoad modum considerandi, nego. Hic enim postulat, vt omne ens consideretur à Metaphysica, sub illis tantum conceptibus, qui nullam materiam includunt. Vnde recte inquit Fonseca lib. I. cap. 2. Q. 2. sect. 2. *Entia quæ reipsa sunt immaterialia, vt substantia separata* (seu incorporeæ) *intelligi distincte à Metaphysico secundum omnes conceptus tam generales, quam speciales.* Quæ autem sunt reipsa materialia, vt entia naturalia, non intelligi distincte à Metaphysico; Sed quoad conceptus generales, quibus cum immaterialibus conueniunt, vt sunt conceptus entis, substantiæ & similium. Item sectio. 3. *Metaphysicum agere de omnibus immaterialibus sub specialibus conceptibus; de materialibus vero sub generalibus.*

Ad II. In altero argumento concedo antecedens; sed nego consequens, ob rationem in solutione primi argumenti allatam.

Ad III. In tertio similiter concedo, quicquid in particularib. scientiis tractatur, id etiam debere considerari in Metaphysica, quæ est scientia vniuersalis. Sed nego, eodem modo singula in Metaphysica esse consideranda & tractanda, quo in aliis disciplinis inferioribus: cum vniuscuiusque disciplinæ subiectũ certo ac peculiari modo considerandi tanquam ratione formali sit restrictum ac limitatum.

Ad IV. Eadem responsio est ad quartum argumentum. Nam quæcunque scientia tractat de aliquo genere tanquam subiecto adæquato, illa etiam tractat distincte de omnibus speciebus illius generis, quatenus modus cõsiderandi, qui cuiusque disciplinæ proprius est, admittit & non exclu-

recludit. Non enim scientia debet transgredi seu transilire limites à modo considerandi, tanquam ratione formali sui subiecti præfixos; sed intra eos se continere, & sic ea duntaxat tractare quæ cum illo modo considerandi congruunt. Idcirco etiam Metaphysica omnia & singula entia, siue realia siue rationis, siue incomplexa siue cōplexa, siue absoluta siue respectiua, siue vniuersalia siue singularia cōsiderare debet; sed non alio modo, nisi quatenus habent eiusmodi genera principia & attributa, quæ fines & terminos aliarum inferiorum disciplinarum transcendunt, vt patet ex Schemate, quod in rudiorum gratiam sub finem huius Prob. subiicere placuit.

Aristoteles lib. 1. Poster. analyt. c. 7. context. 56. Fran. Suarez disp. 1. de N. Metaphys. sect. 2. context. 12.

SCHEMA OSTENDENS DVOBVS EXEMplis, quæ in Metaphysica & quomodo considerari debeant.

Intelligibile	Hæc sunt propria Metaphysicæ.	Intelligibile
Aliquid		*Aliquid,*
Ens		*Ens,*
Ens reale		*Ens reale,*
Ens reale incomplexū		*Ens reale incomplexum*
Substantia		*Accidens,*
Substantia creata		*Qualitas.*
Corpus		
Corpus naturale,	Hæc sunt Physicæ propria.	*Qualitas sensilis,*
Corpus animatum,		*Qualitas tactilis,*
Animal,		*Qualitas tactilis prima,*
Homo,		*Calor,*
Aristoteles.		*Calor ignis.*

7 *Quæ sint causæ Metaphysicæ?*

CVM Metaphysica sit eiusmodi ens, quod rationem causati suscipit; necesse quoque est, vt habeat causas quarū vi sit inuenta & constituta. Efficiens igitur causa, & quidem prima est solus Deus, fons & autor omnis boni. Sicut enim cæteræ omnes artes sunt riuuli ex vberrimo & inexhausto diuinæ sapientiæ fonte deducti: ita etiam Metaphysica. Secunda causa efficiens est intellectus humanus Philosophiæ studio addictus. Materia sunt præcepta ex quibus totum Metaphysicæ systema est concinnatū. Forma generica, est dispositio methodica præceptorū, quæ in Metaphysica traduntur. Specifica v. forma, est cōgruētia præceptorū omniū cū modo cōsiderādi res illi arti subiectas. Finis propri⁹ est partim explicatio, partim

Efficiens Metaphys. *Materia.* *Forma.* *Finis.*

cognitio rerum ad Metaphysicam pertinentium. Non enim hæc ars considerat suas res, quas tractat, operationis; sed solius cognitionis gratia: quæ tamen cognitio non vana est & inutilis; sed maxime fructuosa homini, in quocunque disciplinarum genere versetur, vt in quæstione sequenti docebitur. Ex his autem, quæ de causis Metaphysicæ disseruimus, patet, non leuiter errare Franciscum Suarez disp. 1. de natura Metaphysicæ, sect. 4. context. 1. quando ait; *Materialis causa huius scientiæ non est alia, nisi subiectum eius, quod constat esse intellectum*, nisi quis velit materiam circa quam ad materialem causam reuocare: illa autem materia non est alia præter obiectum scientiæ. Rursus, cum ipsa scientia forma quædam sit, non habet aliam causam formalem, sed habet essentiam suam seu rationem formalem; habet etiam obiectum quod quatenus speciem tribuit, rationem formæ habere dicitur, saltem extrinsecæ.

Fr. Suarez male sentit de materia & forma Metaphys.

8 *An Metaphysica sit disciplina necessaria & vtilis?*

Pro thesi negante rationes aliorum:

REperiuntur multi, præsertim ex iis, qui rerum necessitatem & vtilitatem, solis pecuniarum, aliarumue terrenarum facultatum lucris metiuntur, omniaque
I. sua studia ad χρηματιστικόν referunt, qui Metaphysicam ne-
II. que necessariam, neque vtilem disciplinam esse arbitran-
III. tur: tum, quia eorum iudicio meras subtilitates & argu-
IV. tias Philosophicas tradat; tum, quia mentem hominis à cura rei familiaris & Reipublicæ auocet; tum, quia vana spe cognitionis rerum magnarum & sublimium sectatores suos lactet; tum denique quia eius studium remoretur & impediat progressum in reliquis artibus discendis, quæ vitæ humanæ sunt necessariæ.

Pro thesi affirm. Ration. prop.

Cæterum hoc de Metaphysica iudicium esse erroneum; contrarium autem verum, id patet ex sequentibus rationibus;

I. 1 Quia Metaphysica agit de communissimis omnium entium attributis, sine quorum cognitione ea, quæ in aliis disciplinis tractantur, exacte intelligi nequeunt.

II. 2 Quia subiectum Metaphysicæ quoad rem consideratam, habet se ad subiecta reliquarum disciplinarum particularium, tanquam genus ad speciem. Ideoq; sicut cognitio generis necessaria est ad perfectã cognitionem speciei; ita etiam noticia subiecti Metaphysicæ necessaria est

ria est ad noticiam subiectorum, circa quæ aliæ scientiæ versantur.

3 Quia principia Metaphysicæ sunt omnium prima, communissima & notissima, ab iisque reliquarum disciplinarum principia pendent. *III.*

4 Quia Metaphysica præscribit vnicuiq; scientiæ particulari suum proprium & peculiare subiectum, &, si necesse sit, illud esse demonstrat: quatenus scilicet partim versatur circa prima entium genera, ex quorum distinctione oritur distinctio subiectorum diuersorum quæ in aliis disciplinis tractantur: partim principia præbet ad demonstrandum, in quo gradu seu genere entium eiusmodi subiecta collocentur, vt prolixe ea de re agit Francis. Suarez disp. 1. de Natura Metaphys. sect. 4. context. 5. *IV.*

5 Quia Metaphysica principia prima & communia aliarum disciplinarum declarat ac probat, atque contra proteruas Sophistarum fraudes & strophas defendit: quatenus scilicet partim rationem ipsorum terminorum, ex quibus illa principia constant, explicat: partim veritatem & certitudinem illorum principiorum demonstrat cum aliis modis, tum potissimum per deductionem ad impossibile. *V.*

6 Quia Metaphysica res in particularibus artibus tractatas resoluit vsque ad suprema genera & attributa; & sic appetitum sciendi naturalem in homine explet. *VI.*

7 Quia nobis viam præparat facilem & expeditam ad alias disciplinas melius & facilius discendas, vt testatur Fr. Suar. disp. 1. de N. Metaph. sect. 4. cont. 4. *VII.*

Proinde cum hæc ita sint, nostri officii est, non curare quid alii de necessitate & vtilitate Metaphysicæ sentiant; sed omnem diligentiam adhibere, vt eam discamus & cognoscamus. Ita enim sua sponte in cuiusque animo & cōscientia, quam necessaria & vtilis sit hæc nobilissima disciplina, constabit.

9 *An Metaphysicæ munus sit tradere instrumenta sciendi?*

HÆc quæstio copiose & erudite tractatur à Francisco Suarez disp. 1. de N. Metaph. sect. 4. context. 24. & sequentibus, vbi etiam thesin illius negantem defendit. Sed nos breuitatis studio, nude proponemus ratio- *Pro thesi negante Rationes.*

nes præcipuas, quibus ſententia negatiua nititur & firmatur, cuiuſmodi ſunt; 1. Quia ſola Dialectica eſt ars ſciendi. Ideoque proprium illius munus eſt tradere modum ſciendi, quod nihil aliud eſt quam tradere inſtrumenta ſciendi, earumque naturam, conditiones & proprietates explicare ac demonſtrare. Et hoc teſtatur Ariſtoteles lib. 2. Metaph. cap. 3. in celebri illo dicto, *ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης*, hoc eſt, *Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam & modum ſciendi.* Quo dicto docere voluit, vt omnes interpretes exponunt, Dialecticam ante alias ſcientias eſſe diſcendam, eo quod ad illam ſpectat modum ſciendi tradere. Idem comprobat Fonſeca libr. 2. Metaphyſ. cap. 2. Quæſt. 2. ſect. 2. dum inquit, *finem proprium & peculiarem Dialecticæ eſſe viam & rationem tradere, qua facile & ſine errore poſſimus ex cognitis incognita intelligere.*

II. 2. Quia ad eandem artem pertinet tradere modum docendi & differendi, hoc eſt, declarandi ſeu probandi res ſcibiles, ad quam pertinet tradere modum ſciendi. Iam autem ad ſolam Dialecticam pertinet tradere modum docendi & differendi, vt omnes Philoſophi fatentur: inprimis vero Fonſeca & Suarez. Ille enim libr. 2. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 5. expreſſe affirmat, Dialecticæ proprium finem in quem tota ipſa incumbit, nihil aliud eſſe quam formas omnes ſiue modos differendi tradere. Ideoque modum differendi eſſe adæquatum Dialecticæ ſubiectum. Hic vero diſp. 1. de N.M. ſect. 5. context. 35. & 36. docet ad Dialecticam pertinere tradere methodum & modum docendi. Ergo Dialecticæ munus etiam eſt tradere modum ſciendi, &, per conſequens, docere inſtrumenta ſciendi.

III. 3. Quia quatuor ſunt præcipua inſtrumenta ſciendi, nempe definitio, diuiſio, ſyllogiſmus & methodus. Per definitionem enim & diuiſionem cognoſcimus quæſtionem ſimplicem. Quid res ſit & quotuplex: Per ſyllogiſmum, quæſtionem coniunctam, vtrum ſit vera & falſa. Per Methodum, melius & facilius res cognoſcimus. Iam autem illorum quatuor inſtrumentorum naturam, conditiones & proprietates nulla alia ars, niſi ſola Dialectica perfecte & diſtincte explicat ac demonſtrat, quemadmodum liquet ex præceptis ipſius, & nos aliquando in noſtra Logica quam pari methodo conſcriptam, ſi Deo viſum fuerit, in lucem edemus,

mus, clarius ostendemus. Ergo ad solam Logicam pertinet tradere instrumenta sciendi. Ac proinde à Metaphysica plane est alienum. Interim non negamus, sed omnino concedimus, instrumenta sciendi, quæ in Dialectica explicantur, plurimum illustrari à Metaphysica, quatenus illa partim agit de essentia, partim de generibus primis & supremis, partim de attributis generalibus & communibus; in primis vero de diuersitate seu distinctione entium: denique quatenus principia generalia explicat, in quibus præcepta Logica definiendi, diuidendi, argumentandi & ordinandi fundantur.

Metaph. plurimum illustrat instrumēta sciendi.

10 *An Metaphysica sit vna specie disciplina?*

SEntiunt nonnulli Metaphysicam non esse vnam specie disciplinam, sed genere: Ideoq; alii tres illi species subiiciunt, quarum vna tractet de ente in genere quatenus ens; altera de intelligentiis creatis; tertia de Deo: alii ad minimum duas, quarum vna vniuersaliter tractet de entibus: altera particulariter, de speciebus entis, præsertim substantia & accidente. Verum hæc multiplicatio specierum Metaphysicæ videtur esse vana & nullo modo recipienda. Omnis enim ars, omnisque scientia accipit vnitatem specificam ex vnitate subiecti proprii & adæquati, circa quod versatur, vt Aristoteles docet 1. Poster. analyt. cap. 23. Ideoque cum Metaphysica etiam habeat vnum proprium & adæquatum subiectum, ad quod explicandum omnia sua præcepta refert, sequitur illam quoque esse vnam specie disciplinam. Neq; obstat quod ipsa res in Metaphysica considerata tanquam genus in diuersas species distribuitur. Modus enim considerandi, qui Metaphysicæ est proprius, tantum vnus est specie. Isque rationem formalem subiecto addit, per quam Metaphysicæ fit proprium, eamque in certa specie constituit, & ab omnibus aliis artibus & disciplinis essentialiter discernit.

Aliorum de hac quæstione opinio.

Metaph. est vna specie disciplina.

11 *An Metaphysica omnium disciplinarum ab hominibus inuentarum sit nobilissima?*

ETsi veritas thesis affirmantis ex præcedente doctrina satis bene perspici & diiudicari potest; tamen ne videar aliquid omittere, quod facit ad dignitatem Meta-

Pro thesi affirmante Rationes.

physicæ patefaciendam ac illustrandam, paucas rationes subiiciam, quibus illa sententia probetur:

I. 1 Quia Metaphysica omnium artium est generalissima & suprema; quippe quæ ea tractat, quæ fines & limites reliquarum disciplinarum transcendunt. Vnde etiam ab Aristotele passim dicitur *scientia vniuersalis:* præsertim Metaphys. libr. 1. cap. 2. libr. 4. c. 1. Siquidem cum aliæ artes tantum certam partem seu speciem entis tractent; illa totam entis vniuersitatem sibi contemplandam sumit.

II. 2 Quia omnium artium est princeps & domina, quatenus vnicuique certum subiectum, quod tractare debet, præscribit: primaque & generalissima principia explicat & probat, à quibus propria cuiusque disciplinæ principia pendent: denique quatenus Deum eiusque naturam & attributa considerat & explicat, prout ex creaturis naturali intellectus humani lumine perspici & cognosci possunt. Vnde etiam ab Arist. 6. Metaphys. 1. nuncupatur *ἀρχικωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη.*

III. 3 Quia omnes res in prima & suprema genera ac attributa resoluit paulatim ab inferioribus ad superiora, à specialioribus ad communiora ascendendo: & sic naturalem sciendi appetitum, qui est in hominibus Philosophiæ studio addictis, perfecte explet.

12. *An Metaphysica essentialiter differat à Logica, Physica & Theologia sacra?*

SVnt nonnulli, qui Metaphysicam negant peculiarem esse disciplinam, eiusq; præcepta partim ad Logicam, partim ad Physicam, partim ad Theologiam sacram referunt. Aduersus igitur hanc opinionem, quæ ex Metaphysica facit monstrum triforme, obseruanda est essentialis huius artis à reliquis tribus distinctio.

Discrimē inter Metaph. & Log.

I. Differt enim Metaphysica à Logica 1. genere proximo. Hæc enim est ars operatrix: illa, contemplatrix.

II. 2 Subiecto scibili. Licet enim Logica, si vsum spectes, versetur circa ens & non ens, perinde ac Metaphysica: tamen si doctrinam illius respicias, pro subiecto proprio & adæquato non habet nisi modum bene disserendi & sciendi, vt patet ex P. 9. huius capitis. Et hoc etiam agnouit acutissimus & celeberrimus nostri seculi Philosophus *Goclenius* in parte secunda suæ Metaphysicæ, disput. 1.

putat. 1. dum ait, *modum disserendi praeceptis explicatum esse subiectum Logicæ docentis.*

3 Fine proprio, qui in Metaphysica est explicare omne intelligibile, quatenus cadit sub modum considerandi illius artis proprium: In Logica vero explicare modum bene disserendi & sciendi. *III.*

4 Dignitate. Quia Metaphysica propter se expetitur, &, si subiectum illius doctrinale spectes, sola est ars catholica & suprema. Logica vero propter aliud expetitur; estque ars particularis, & Metaphysicæ subiecta. *IV.*

A Physica vero differt Metaphysica 1. re considerata. Quia illa tantum corpus naturale contemplatur; hæc vero omne intelligibile. *Discrimẽ inter Metaph. & Physicã.* *I.*

2 Modo considerandi. Quia illa contemplatur corpus naturale quatenus naturale: Hæc vero idem, quatenus in suo conceptu nullam materiam includit, hoc est, sub conceptu generali entis, substantiæ & similium. *II.*

3 Fine proprio. Quia illa sua præcepta dirigit ad explicationem & cognitionem rerum naturalium quatenus sunt naturales: Hæc vero ad explicationem omnium intelligibilium; quatenus naturali rationis lumine sine vllo materiæ conceptu sunt intelligibilia. *III.*

4 Principiis. Quia Metaphysicæ principia sunt generalia & communia aliis artibus; Physicæ vero principia sunt specialia, & illius disciplinæ propria. *IV.*

Denique à Theologia sacra & supernaturali differt Metaphysica; *Discrimẽ inter Metaph. & Theol. sac.*

1 Re considerata. Illa enim versatur tantum circa res sacras & diuinas: Hæc vero circa omnes simpliciter res. *I.*

2 Modo considerandi. Illa enim res diuinas considerat, quatenus faciunt ad pie beateque viuendum: Hæc vero easdem, quatenus sunt intelligibiles sub conceptu entis, substantiæ & similium attributorum. *II.*

3 Ratione principiorum. Illius enim principia propria per solam reuelationem diuinam & hyperphysicam innotescunt. Huius vero naturali rationis humanæ lumine cognoscuntur. *III.*

4 Fine proprio. Illa enim sua præcepta tradit, non propter solam cognitionem rerum sacrarum & diuinarum; sed potius, vt illa cognitione ad pie beateque viuendum vtamur: Hæc vero in nuda rerum diuinarum co- *IV.*

gnitione, qua naturale sciendi desiderium exatiatur, acquiescit.

13 *An Metaphysica ordine doctrinæ debeat præcedere reliquas omnes disciplinas?*

Pro thesi affirm. rationes.

I. PRo thesi affirmante quæstionis videntur militare sequentes rationes. 1. Quia ars vniuersalis ordine doctrinæ debet præcedere particularem: Metaphysica autem est ars vniuersalis; reliquæ omnes disciplinæ sunt particulares, teste Aristotele libro 5. Metaphys. capite 1.

II. 2 Quia subiectum Metaphysicæ habet se ad subiecta aliarum omnium disciplinarum, vt genus ad speciem: Ergo cum generalia prius discenda sunt quam specialia, sequitur Metaphysicam ordine doctrinæ præponendam esse reliquis disciplinis.

III. 3 Quia à principiis Metaphysicæ pendent cæterarum omnium disciplinarum principia, non secus ac particulare ab vniuersali, vel ædificium à fundamento. Omnes enim aliæ scientiæ, vt Suarez ait disp. 1. de Natura Metaphys. sect. 4. contexr. 4. sæpe vtuntur principiis Metaphysicæ aut ea supponunt, vt in suis demonstrationibus vel ratiocinationibus progredi possint, vnde sæpe contingit ex ignoratione Metaphysicæ in aliis scientiis errari.

IV. 4 Quia Metaphysica cæteris omnibus disciplinis præscribit & assignat certum subiectum; ad earumque consecutionem & intelligentiam viam sternit. Vnde à Thoma in principio Metaphysicæ & in 2. distinct. 3. Q. 3. art. 2. dicitur esse *ordinatiua aliarum scientiarum*; & in 2. dist. 24. Q. 2. art. 2 ad 4. *dirigere alias scientias.*

Pro thesi negante obiectiones.

I. Cæterum in contrariam partem obiici possunt hæc argumenta. 1. *Si Metaphysica post alias disciplinas, præsertim Physicam demum est inuenta, sequitur illam ordine doctrinæ reliquas non debere præcedere: Sed verum prius, ergo & posterius.* Assumptio probatur. 1, Quia Grammatica, Rhetorica, Logica, Physica, Mathematica, Ethica & id genus aliæ artes prius fuerunt inuentæ ac Metaphysica. 2, Quia intellectus humanus à sensilibus & compositis, tanquam nobis notioribus gradatim deductus fuit ad perceptionem insensilium & simplicium.

2 *Si*

2 *Si Grammatica, Rhetorica & Logica prius discenda sunt quam Metaphysica; falsum est Metaphysicam ordine doctrinæ debere præcedere reliquas omnes disciplinas: At verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur: 1, Quia ab intelligentia verborum pendet intelligentia rerum: Ergo cum Grammatica & Rhetorica versentur circa verba: & illa quidem doceat modum emendate loquendi; hæc modum ornate dicendi; sequitur Grammaticam & Rhetoricam prius esse discendam quam Metaphysicam. 2. Quia Logica tradit modum bene disserendi & sciendi, quæ se habet ad omnes artes & disciplinas vt instrumentum manuarium, ad opus quod manu conficitur. Ergo sicut opifex sine instrumento opus suum recte conficere non potest; ita neque homo vllam artem recte vel docere vel discere potest, nisi modum bene disserendi & sciendi ex Logica didicerit. Hinc Aristoteles passim in suis scripris veteribus Philosophis obiicit quod δι' ἀπαιδευσίαν, hoc est, ignorantiam Logicæ sæpe in rerum naturalium contemplatione errauerint. Proinde Logica prius discenda est quam Metaphysica: Atque hoc etiam idem Aristoteles docet libro 2. Metaphys. cap. 3, non procul à fine, vbi ait: Δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἕκαστα ἀποδεκτέον, ὡς ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης, ἔστι δ' οὐδέτερον ῥᾴδιον λαβεῖν, hoc est, *Institutus quisque esse debet, quo pacto singula approbanda sint, quoniam absurdum est simul quærere scientiam & modum sciendi; præsertim cum neutrum assequi facile sit.* Quibus verbis innuit Philosophus ante omnes alias scientias discendum esse modum sciendi, hoc est, disciplinam quæ modum sciendi tradit, nempe Logicam, vt Alexander, Thomas, Albertus & alii commentatores exponunt.

Vt igitur controuersia illa tollatur & componatur, obseruandæ sunt tres conclusiones. 1. Metaphysicam debere præcedere reliquas omnes disciplinas ordine accuratæ & perfectæ doctrinæ. Ille enim vult vt progressus fiat ab vniuersalibus ad particularia, à generalibus ad specialia. Et hoc etiam testatur Fonseca libr. 2. Metaphys. cap. 3. Quæstio 5. sect. 4. dum inquit, *Metaphysicam priorem esse Physica & Mathematica, ordine exquisitæ doctrinæ; neminemque posse scientiam vllam perfecte assequi*

Decisio quæstionis in vtramq; partē disputatæ: I. Conclusio.

II. *siue Philosophia prima.* 2. Metaphysicam esse posteriorem aliis disciplinis ordine inuentionis, qui à facilioribus progreditur ad difficiliora; ab iis, quæ nobis sunt notiora, ad ea quæ natura sunt notiora.
III. 3. Metaphysicam non simpliciter indigere subsidio Grammaticæ, Rhetoricæ & Logicæ; sed tantum secundum quid, quatenus facile & sine errore est vel docenda, vel discenda. Ideoque etiam non simpliciter necessarium esse, vt illæ artes ante Metaphysicam discantur, sed tantum ex certa hypothesi prius indicata.

14 *Quomodo Metaphysica legitima sit diuidenda?*

De diuisione Metaph. diuersæ aliorũ opiniones.

IN diuisione Metaphysicæ constituenda Philosophi inter se non consentiunt. Alii enim Metaphysicam tanquam genus in diuersas species distribuunt; quorum opinio à nobis fuit refutata supra P. 10. Alii considerantes Metaphysicam vt totum integrale, modo in plures, modo in pauciores partes dispescunt. Pererius lib. 1. de Philosophia, cap. 5. tres facit partes Metaphysicæ, vnam de substantiis à materia seiunctis, & secundum rem, & secundum rationem: Alteram, de Transcendentibus, vt sunt vnum, verum, bonum, actus, potentia, &c. Tertiam, de decem prædicamentis, tanquam speciebus proximis entis. Verum hæc diuisio peccat partim in ordine, partim in distinctione partium, quæ propter mutuum consensum non erant distinguendæ. Neq; enim Metaphysica primum debet agere de substantiis incorporeis; deinde de transcendentibus & prædicamentis: sed potius generalia sunt præmittenda specialibus. Neque transcendentia illa quæ recensentur à Pererio, extra ordinem prædicamentorum sunt collocanda, sed potius ad illum referenda. Fonseca in proœmio suo, quod conscripsit in Metaphysicam Aristotelis, cap. 8. videtur duas partes Metaphysicæ constituere; Vnam de communibus omnium rerum attributis; Alteram de rebus, ab omni materiæ concretione liberis. At neque hæc diuisio omnino vitii est expers. Est enim angustior suo diuiso, cum in secunda parte Metaphysicæ non tantum agendum sit de substantiis immaterialibus; sed de omnibus cum substantiis tum accidentibus, quatenus absque omni materiæ conceptu naturaliter sunt intelligibiles. Franciscus Suarez disput. 1. de Nat. Met. sect. 5. context.

23. duas

23. duas partes Metaphysicæ ponit: Vnam, quæ de ente vt ens est, eiusque principiis & proprietatibus disserit: Alteram, quæ tractat de aliquibus peculiaribus rationibus entium, præsertim de immaterialibus. Atque hæc diuisio, si recte intelligatur, omnium est optima. Oportet enim Metaphysicam subiectum suum in quo explicando occupatur, primum in genere considerare, secundum communia attributa quibus entia inter se conueniunt: Deinde in specie, secundum propria attributa, quæ cum in substantiis, tum accidentibus reperiuntur. Idcirco etiam nos ad imitationem illius diuisionis distribuimus *Metaphysicam in vniuersalem & particularem*, quarum illa tractat de intelligibilibus seu entibus in genere; altera de speciebus entis incomplexi. Quam diuisionem secutus etiam fuit doctissimus *Taurellus* in synopsi Metaphysices Aristotelis. Quanquam clarissimum Philosophiæ lumen *Goclenius* eam reiicit in parte secunda suæ Metaphysicæ, disp. 1. statim à principio; motus fortassis, vt videtur, hac ratione, quod Aristoteles passim totam Metaphysicam scientiam *vniuersalem* appellat, & à scientiis particularibus distinguit; neque vspiam hanc appellationem ad certam duntaxat partem Metaphysicæ restringit. At, saluo tanti viri iudicio, videtur ratio illa tanti momenti non esse, vt propterea diuisio Metaphysices in vniuersalem & particularem sit reiicienda. Non enim illa est diuisio generis in species; sed integri in sua membra: eaq; sumpta est à subiecto Metaphysicæ, quod primum vniuersaliter, deinde particulariter secundum legem methodi est considerandum & explicandum, obseruato tamen semper eodem modo considerandi; à quo potissimum, tanquam à ratione formali subiecti, vnitas specifica Metaphysicæ dependet. Neque illa diuisio obstat, quo minus tota Metaphysica ad reliquas omnes artes & disciplinas sese habeat, tanquam ars vniuersalis ad particulares. Subiectum enim proprium & adæquatum Metaphysices generalius est & latius patet quam cæterarum omnium artium subiecta, siue rem consideratam spectes, siue modum considerandi. Atque sic explicata est doctrina de Natura Metaphysicæ.

Sententia propria.

Obiectio contra datã diuisionem.

Responsio ad obiectionem.



De Nihilo & Essentia,

CAPVT II.

1 *Vniuersalis pars Metaphysicæ est doctrina de intelligibilibus & entibus in genere.*

2 *Eaque consistit cum in generalissimis intelligibilium & entium distributionibus, tum in communissimis eorundem attributis.*

Intelligibile quid sit. 3 *Intelligibile porro dicitur omne, quod intellectu percipi ac comprehendi potest.*

4 *Estque vel nihil, vel aliquid.*

Nihil quid. 5 *Nihil est, quod simpliciter non est nihil.*

6 *Aliquid est, quod simpliciter non est aliquid.*

7 *Estque positiuum, vel negatiuum.*

8 *Positiuum aliquid est, quod quid ponit seu affirmat.*

Essentia quotuplex. 9 *Estque vel essentia, vel ens.*

10 *Essentia est aliquid positiuum, per quod ens est id quod est. A Scholasticis barbaro vocabulo dicitur* entitas *seu* quidditas.

11 *Estque vel realis, vel imaginaria.*

12 *Realis essentia est actus entis realis quatenus est tale.*

13 *Imaginaria essentia est actus entis rationis, quatenus est tale.*

14 *Vtraque vel est simplex vel composita, quarum illa, enti simplici; hæc, composito competit.*

15 *Et rursus vel absoluta, vel respectiua; quarum illa, enti absoluto; hæc respectiuo competit.*

16 *Et rursus vel vniuersalis vel singularis, quarum illa enti vniuersali, hæc singulari competit.*

17 *Vniuersalis essentia vel est generica, vel specifica.*

18 *Generica est, quam ens à suo genere habet cum alia specie communem.*

19 *Specifica est per quam ens in certa specie constituitur, seu quæ cuique speciei est propria.*

IN CAPVT PRIMVM

PROBLEMA I.

An nihil sit intelligibile?

Pro thesi negante Ratio aliorum. SVnt quidam qui putant, quicquid est intelligibile, illud esse ens, & quicquid rationem entis non habet, non esse intelligibile. Quæ sententia si est simpliciter vera, se-

ra, sequitur *nihil* ex intelligibilium numero esse remouendum & excludendum, neque de eo in Metaphysica, quæ de intelligibilibus differit, quicquam agendum esse. At contraria assertio est verior. Sunt enim duo summa genera eorum, quæ dicuntur intelligibilia, quorum vnum complectitur ea, quæ per se, hoc est per propriam notionem sunt intelligibilia: alterum ea, quæ per accidens, hoc est, per notionem alterius sunt intelligibilia Atque ad hoc postremum genus etiam *Nihil*, omnesque priuationes & negationes referuntur. *Nihil* enim per notionem alterius, quod de ipso simpliciter negatur, est intelligibile. Quod nisi fieret, multa principia Philosophica, quæ ex terminis illis constant, à nobis intelligi nō possent; cuiusmodi sunt; *Quicquid est, aut est à nihilo aut ab aliquo; aut ex nihilo, aut ex aliquo. Ex nihilo nihil fit. Aliquid in nihilum non potest resolui: inter nihil & aliquid nulla est proportio.* Cum autem hoc sit absurdum & pugnet cum sano cuiusque hominis iudicio, statuendum omnino est, *Nihil esse intelligibile.*

Pro thesi affirmante Rationes propria.
I.
II.

2 *An inter* Nihil & Aliquid *detur medium?*

PRima ac generalissima distributio τοῦ νοητοῦ, est in nihil & aliquid. Quicquid enim à mente hominis concipi & intelligi potest, id est vel nihil, vel aliquid. Sed vt veritas huius distributionis magis illustretur, non inepte quæritur, *vtrum inter nihil & aliquid detur medium.* Ac thesis quidem negatiua probatur his rationibus. 1, Quæcunque contradictorie opponuntur, inter illa non datur medium. Definitur enim ἀντίφασις ab Aristotele libr. 1. Poster. analyt. cap. 2. context. 13. ἀντίφασις ἧς οὐκ ἔστι μεταξὺ καθ' αὑτήν. Iam autem *nihil* & *aliquid* contradictorie opponuntur: cum idem valeat *Nihil*, ac *non aliquid:* Ergo inter nihil & aliquid non datur medium. 2. Si inter nihil & aliquid daretur medium, illud posset aut mente hominis concipi, aut vocabulo aliquo enuntiari. Sed consequens est impossibile: Ergo & antecedens. At posset sophista aliquis obiicere; *Nihil* esse aliquid, cum sit vox; & omnis vox sit ens; & omne ens sit aliquid; Ideoque nihil & aliquid non contradictorie opponi. Respondendum autem est *Nihil* à nobis hoc loco considerari nō vt vocem; sed vt id, quod per vocem illam significatur:

Pro thesi negante.
I.
II.
Obiectio.
Responsio.

ideoque sophisma illud, sumptum ex confusione signi & signati, esse friuolum & futile.

3 *An aliquid & nihil æquipolleant enti & non enti?*

Pro thesi negante. VAlde vsitatum est in Schola Philosophorum, obiectum intellectus distribuere in ens & non ens. Non igitur immerito quæritur, *vtrum Aliquid & Nihil illius distributionis membris æquipolleant.* Est autem thesis negatiua vera, ob sequentes rationes: 1. Quia aliquid latius patet quam ens. Nam & essentia & priuatio est aliquid; neque tamen ens, vt infra probabitur. Hinc etiam Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 1. ait, *aliquid* comprehendere ens & non ens.

I.

II. 2 Quia *Non ens* suo ambitu complectitur tam aliquid, quam nihil. Essentia enim & priuatio est *Non ens*, neque tamen nihil, sed aliquid.

III. 3 Quia *non ens* duobus modis sumitur à Philosophis; vel simpliciter, vel secundum quid. In priore significatione acceptum idem est ac nihil. In posteriore vero non æquipollet nihilo; sed semper de certo ente, aut saltem aliquo enuntiatur. Sic entia rationis dicuntur *non entia*, non simpliciter, sed secundum quid; quia non sunt entia realia. Eodem modo materia prima in Physicis sæpe ab Aristotele dicitur *non ens* secundum quid; quia non est corpus illud naturale quod inde producitur. Quo sensu etiam pullus dicitur fieri ex non pullo, hoc est, ouo: caro ex non carne, hoc est, sanguine. Sic priuatio dicitur non ens, & tamen nō est nihil. Vnde porro hæc porismata colligo, 1, Ens non semper contradictorie opponi non enti, sed tum demum, quando vsurpatur pro non ente simpliciter. 2, Inter ens & nihil, dari medium. 3, Non simpliciter nihil esse, cuius nulla est essentia.

Porismata. *I.* *II.* *III.*

4 *An ex nihilo possit fieri aliquid, & ex aliquo nihil?*

Sententia veterum Philos. in bonum sensum trahitur. VIdentur Philosophi veteres thesin negantē defendere. Hinc enim orta sunt trita illa & vulgata in Philosophia axiomata: *Inter nihil & aliquid nulla est proportio. Ex nihilo nihil fit. Quod aliquid est, in nihilū nō potest resolui.* Quæ certe effata nihil aliud præ se ferunt, quam ex nihilo non posse fieri aliquid, & ex aliquo nihil. At dicēdū est, Philosophos veteres, præsertim eos, qui veritatis indagādæ studio fuerūt addicti, nō fuisse ita stupidos & insanos, ne dicam

cam

cam impios, vt primo etiam enti *Deo*, cui virtutem infinitam agendi in scriptis suis tribuunt, detraxerint potentiam ex nihilo producendi aliquid, & aliquid in nihilum destruendi. Quocirca quando asserunt, *ex nihilo nihil fieri, & aliquid in nihilum non posse resolui*, illa effata non in alienum & peruersum, sed in proprium & genuinum ipsorum Philosophorum sensum sunt trahenda, vt intelligantur vera non simpliciter, sed secundum quid, nimirum partim de substantiis, partim de virtute naturæ, quam Dei famulam esse crediderunt, seu de virtute causæ secundæ, quæ primæ subordinatur. Impossibile enim est, vt vi naturæ seu creaturæ tanquam causæ secundæ, ex nihilo fiat aliqua substantia, & ex aliqua substantia nihil, cũ infinita, si ita loqui licet, distantia sit inter nihil & aliquid; neque vlla omnino inter vtrumque proportio. Et hoc etiam sensu in Physicis verum est, *ex nihilo nihil fieri*, hoc est, nullum corpus naturale generari posse naturaliter ex nihilo. Similiter aliquid in nihilum non posse resolui, hoc est, nullum corpus naturale corrumpi posse naturaliter in nihilum.

5 *An cognitio* Nihili *recte statuatur fons omnium virtutum, sicut ignorantia, vitiorum?*

ETsi hæc quæstio ad Metaphysicam per se & directe non spectat; sed duntaxat per accidens & indirecte, ob terminos illos, *Nihil* & *Aliquid*, qui in ea vsurpantur, tamen quid de illa sentiendum sit, paucis & quasi παρέργως indicabo. Ac sententia quidem affirmatiua est vera, si non metaphysice sed Ethice intelligatur. Qui enim vere cognitum & exploratum habet, quid sit *nihil*, hoc est, qui scit, quanta sit naturæ suæ imbecillitas; quanta bonorum terrenorum seu mundanorum inconstantia, quanta vitiorum turpitudo, quanta hominum improborum & nefariorum nullitas, ille primum fit humilis, sibique & suis viribus diffidere incipit: Deinde, à rebus terrenis, & mundanis animum auertit ad res cœlestes & diuinas: Tertio, omni studio auersatur & fugit vitia, & ne in ea incidat, cauet, Quarto, consortium improborum hominum detestatur & declinat. In summa, eiusmodi homo neque amat, neque admiratur, neque appetit, nisi quod iudicat esse *Aliquid.* Contra, qui *Nihil* ignorat, ille 1, seipsum amat & admiratur, aliosque præ

Sententia affirmatiua approbatur.

se elato supercilio contemnit & despicit. 2, sibi suisque viribus nimium confidit: 3, animum auertit à bonis cœlestibus & diuinis ad bona terrena & mundana: 4, vitiis se totum tradit & mancipat: 5, improborum consuetudine delectatur. In summa, neglectis veris bonis falsa bonorum simulachra appetit & testatur. Proinde recte cognitio *nihili* virtutum, ignorantia vero, vitiorum omnium scaturigo statuitur.

6 *Quid sit essentia in genere & quotuplex?*

Essentia quid.

NON eodem modo essentia à Metaphysicis definitur. Aliis enim est actus entis, quatenus est ens: aliis perfectio qua vnumquodque ens consistit: aliis id, per quod vnumquodque habet quod est ens. Etsi vero singulæ hæ definitiones recte intellectæ admitti possunt; tamen vt melius sensus earum explicetur ac cognoscatur, à nobis in præceptis *essentia* dicitur *aliquid positiuum*, per quod ens est id, quod est. Loco enim generis posuimus *aliquid positiuum*, quod essentiæ & enti est commune; loco vero differentiæ specificæ, qua ab ente distinguitur, additum fuit, *Per quod ens est id, quod est.*

Essentia quotuplex.

Porro essentia distribuitur in varias species, secundum distributionem ipsius entis. Quot enim sunt species entis, tot etiam sunt species essentiæ. Et in hoc sensu verum est, quod à quibusdam profertur axioma: *Talis essentia, quale ens.* In primis vero memorabiles & vtiles in Philosophia sunt illæ essentiæ distributiones, quarum in præceptis facta est mentio, & quas breuitatis studio hoc tempore repetere nolumus.

7 *An essentia entis recipiat magis & minus?*

Pro thesi negante.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia essentia entis est indiuisibilis secundum partes & gradus.

I.

2, Quia essentia entis habet se instar numeri, vt

II.

tradit Aristoteles lib. 8. Metaphys. cap. 3. Quemadmodum enim numerus idem non manet, sed fit diuersus, si ei demas vel addas vnitatem; ita etiam essentia non manet vna & eadem, sed fit diuersa, si quicquam ei vel detrahas vel addas.

III.

3, Quia vnaquæque essentia in rebus creatis habet à Deo suam definitam perfectionem essentialem, quæ neque excedi, neque imminui potest. Vnde etiam Philosophi asserunt, impossibile esse, vt duæ essentiæ

sentiæ specie diuersæ dentur, quæ parem habeant perfectionem essentialem. Notandum tamen est, sententiam negantem quæstionis esse veram duntaxat, de essentia absolute in se considerata, non vero quatenus cum alia comparatur. Alioquin enim sicut entis species alia magis, alia minus est perfecta; ita etiam essentia vnius speciei perfectior est quam alterius.

De ente in genere, eiusque generalissimis distributionibus.

CAPVT III.

1 *Sic de essentia. Sequitur Ens, quod est aliquid positiuum, essentia præditum.* *Definitio generalis entis.*

2 *Estque vel reale, vel rationis.* *Distributio generalis entis.*

3 *Ens reale est ens, quod per essentiam suam reipsa, etiam citra mentis cogitationem existere aptum est.*

4 *Estque vel primum, vel à primo ortum; seu, quod idem est,* increatum, *vel* creatum.

5 *Ens primum est, quod à seipso existit.*

6 *Ens à primo ortum est, quod ab alio existit.*

7 *Ens rationis est ens, quod sola mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil est. Vnde non immerito nuncupatur* Ens fictum, ens imaginarium.

8 *Vtrumque tam ens reale, quam rationis varias sub se continet species, quæ commode in quinque classes distribui possunt.*

9 *Prima classis sunt Ens incomplexum, & complexum.*

10 *Ens incomplexum est, quod per se vno simplicique conceptu comprehendi potest.*

11 *Ens complexum est, quod per se vno simplicique conceptu comprehendi nequit.*

12 *Secunda classis sunt ens absolutum, & respectiuum.*

13 *Ens absolutũ est, quod nullum ad aliud habet respectum.*

14 *Ens respectiuum est, quod in respectu ad aliud consistit.*

15 *Tertia classis sunt ens vniuersale & singulare.*

16 *Ens vniuersale est, quod in multis per essentiæ communicationem existere aptum est.*

17 *Ens singulare est, quod essentiam habet indiuiduam alisque secundum naturam incommunicabilem.*

18 *Quarta classis, sunt ens immateriatum, & materiatum.*
19 *Ens immateriatum est, quod ab omni materia, siue sensilis, siue intelligibilis, concretione est liberum.*
20 *Ens materiatum est, quod ex aliqua materia concretione constat.*
21 *Quinta classis sunt, ens permanens & successiuum.*
22 *Ens permanens est, quod totam suam essentiam simul possidet. sine partium essentialium fluxu & additione.*
23 *Ens successiuum est, cuius essentia in continuo partium essentialium fluxu & additione consistit.*

IN CAPVT TERTIVM

PROBLEMA I.

An ens possit perfecte definiri, & quomodo?

Pro thesi negante. Rationes aliorum. COMMVNIS opinio Philosophorum est, Ens posse quidem aliquo modo describi, sed non perfecte definiri; tum, quia sit genus summum, vltra quod aliud genus non reperiatur; tum, quia nihil possit perfecte definiri, nisi sit species alicui generi subiecta. *I.* *II.*

Refutatio superioris opinionis. At hæc opinio non videtur esse approbanda, neque rationes quibus confirmatur. Supra ens enim adhuc alia genera sunt collocata, nimirum *Intelligibile aliquid*, aliquid positiuum: ideoque illud non est summum genus, sed species aliis generibus subiecta. Et, per consequens, perfecte definiri potest. *Ens quid sit.* Vnde etiam à nobis in præceptis definitum fuit, quod sit *aliquid positiuum essentia præditum.* Cum qua definitione consentit aliorum assertio: *Ens est, cuius est aliqua entitas seu essentia. Ens est aliquid per essentiam suam existens:* Dissentit vero, *Ens est quo vnumquodque dicitur esse: Ens est, quicquid quoquo modo est.* Illæ enim definitiones latiores sunt duo definito, cum etiam essentiæ & priuationi competant, nisi interpretatione commoda limitentur ac restringantur.

2 *An ens & essentia inter se differant, & quomodo?*

Sent. aliorū Ens & essentia inter se differunt. MVlti confundunt inter se terminos illos metaphysicos *ens* & *essentiam*, quasi nihil inter eos sit discriminis, & vnicuique licitum sit pro arbitrio, sine veritatis iniuria vnum pro altero vsurpare. Sed quod res aliter sese habeat, id patet ex sequentibus rationibus. 1, *I.* Quia ens & essentia sunt species oppositæ vnius generis. *II.* 2, Quia definitione inter se differunt. Ens enim est aliquid

quid positiuum essentia præditum. Essentia vero est aliquid positiuum, per quod ens est id quod est. 3, Quia ens est concretum; essentia vero abstractum. 4, Quia si essentia esset ens, tunc haberet essentiam; & sic progressus daretur in infinitum: quod est absurdum. Cæterum adhuc quæritur, *Vtrum ens ab essentia ratione tantum differat, an realiter?* Respondeo, distinguendum esse inter ens increatum & creatum. Illud enim tantum ratione differt à sua essentia; hoc vero realiter. Hinc communis Theologorum & Philosophorum saniorum sententia est, *in Deo idem realiter esse ens & essentiam*; in creaturis autem non: cum aliud in iis sit ens, quod habet essentiam, aliud essentia quæ habetur. *Quomodo ens ab essentia differat.*

3 *An sit discrimen inter ens & rem?*

Etsi in vulgari loquendi consuetudine hi duo termini Metaphysici confunduntur: tamen in accurata philosophandi ratione distinguuntur, tanquam genus & species. Omnis enim res est ens: sed non omne ens est res. Nam etiam entia rationis, sunt entia, neque tamen sunt res. Vnde fit, vt proprie per *rem*, solum *ens reale* intelligatur. Proinde errat Auerroes, quando in sua paraphrasi ait, latius patere rei nomen quam entis: nisi vocabulo *Rei* improprie & *καταχρηστικῶς* vtatur pro quolibet intelligibili: quod quandoque in communi loquendi vsu solet fieri. Similiter errat Fonseca lib. 4. Metaphys. c. 2. Q. 5. sect. 2. quando asserit; *Ens aliquid, rem* idem prorsus esse, nec vllo pacto inter se distingui. *Ens & res inter se differunt.*

4 *An omne ens vnam duntaxat habeat essentiam?*

Aristoteles lib. 6. Topic. cap. 3. docet, *vniuscuiusque entis vnam esse essentiam:* ideoque vnam etiam duntaxat definitionem essentialem. Quæ assertio non est simpliciter vera, sed secundum quid. Nam primum vni & eidem enti possunt accidere multæ relationes, & per consequens, multæ essentiæ respectiuæ. Deinde vnum & idem ens potest habere diuersas essentias absolutas, vnam singularem, alteram vniuersalem. Et rursus vnam genericam, alteram specificam. Sic Socrates quatenus est pater, dominus, præceptor, maritus, &c. habet diuersas essentias respectiuas. Idem quatenus est indiuiduum humanum, habere essentiam absolutam singularem. Eodem modo homo, quatenus animal, habet essentiam ab- *Vnum ens potest habere multas essentias.*

ſolutam genericam, qua cum beſtiis conuenit; quatenus vero homo, habet eſſentiam abſolutam ſpecificam, qua diſtinguitur à beſtiis. Quando igitur Ariſtoteles ait, *vniuſcuiuſque entis vnam eſſe eſſentiam*, neceſſe eſt, ſi veritas illius dicti conſtare debet, vt tantum de eſſentia abſoluta & ſpecifica cuiuſque entis intelligatur.

Quo reſpectu vnum ens dicatur habere vnam eſſentiam.

5 *An ens poſſit manere ſaluum deſtructa ipſius eſſentia?*

Pro theſi negante.

PRo theſi negante quæſtionis faciunt hæ rationes. 1, Quia tanta & tam arcta ac indiuidua communitas
I. & cognatio eſt inter ens & eſſentiam, vt neque ens abſque eſſentia, neque eſſentia abſque ente eſſe vel cogitari vere poſſit. Vnde etiam fit, vt ſicut eſſentiæ ens, ita entis
II. definitionem eſſentia ingrediatur. 2, Quia ens habet ſe ad eſſentiam, ſicut formatum ad formam. Sicut igitur formatum non poteſt eſſe abſque forma, neque forma abſque formato; ita neque ens abſque eſſentia, neque eſſentia abſque ente.

Obiectio.

At in contrariam partem obiici poteſt, quod ens abſolutum poſſit amittere relationes, cum naturales, tum voluntarias, & ex conſequente, eſſentias reſpectiuas quas habet à ſuis relationibus; & tamen interim manere ſaluum & incorruptum. Pro qua obiectione ſoluenda notanda ſunt duo theoremata:
I. *Nullum ens poſſe ſubſiſtere ſine ſua eſſentia, neque abſolutum ſine abſoluta, neque reſpectiuum ſine reſpectiua.*
II. 2, *Ens abſolutum poſſe ſubſiſtere ſine eſſentia reſpectiua, quam à relatione ſeparabili accepit.* Argumenta igitur pro theſi negante adducta ſunt vera, quatenus ſecundum prius theorema, non poſterius intelliguntur.

Solutio obiectionis.

6 *An ens, tanquam genus, recte diuidatur in ens reale & rationis?*

VSitatiſſimum eſt in ſchola Philoſophorum diſtinguere inter *ens reale*, & *rationis*. Sed hoc controuerſum eſt, vtrum ſe habeant ad ens vniuerſaliter acceptum tanquam ſpecies oppoſita ad ſuum genus? Alii enim hoc negant, alii affirmant. Rationes priores ſectæ ſunt.
I. 1, Quia ens rationis non eſt verum ens, ſed quaſi vmbra
II. entis. 2, Quia ens rationis nullam præter nominis communitatem habet cum ente reali, non ſecus ac homo pictus vel mortuus cum vero homine.
III. 3, Quia ens rationis per ſe non eſt intelligibile, ſed per comparationem dunta-

Pro theſi negante Rationes.

duntaxat ad verum ens. 4, Quia priuationes, & negationes ſunt entia rationis: & tamen à Philoſophis in numero verorum entium non habentur, ſed non entium.

Vide F. S. diſp. 52. ſect. 1. & in præfatione.

Pro theſi affirmante Rationes.

Rationes poſterioris ſectæ ſunt: 1, Quia ens reale & rationis conſentiunt inter ſe definitione generali entis; diſſentiunt autem ſpeciali: Vtrumque enim eſt aliquid poſitiuum eſſentia prædicum; ſed differunt quod illud per ſuam eſſentiam reipſa, etiam citra mentis cogitationem ſubſiſtere aptum eſt. Hoc vero ſola mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil I.
eſt. 2, Quia nullum ens eſſe vel excogitari poteſt, quod ad alterutrum membrum diuiſionis non poſſit referri. II.
3, Quia non tantum relatio; ſed etiam diuerſitas ſeu diſtinctio entium diuiditur à Philoſophis in realem & rationis, tanquam genus in ſpecies oppoſitas. Ergo cum hæ diuiſiones ſint legitimæ, & fundatæ in diuiſione illa, qua ens diſpeſcitur in reale & rationis: Sequitur omnino ens reale & rationis eſſe ſpecies oppoſitas ſub genere entis comprehenſas. III.

Ens rationis 4. modis à Philoſophis vſurpatur.

Pro deciſione quæſtionis obſeruanda ſunt duo theoremata. Primum theorema eſt, *Ens rationis, non vno & eodem modo à Philoſophis vſurpari.* Sed 1, effectiue dici ens rationis, omne ens quod à ratione efficitur. Quo ſenſu omnia opera artificialia, omniaque entia, quæ ab I.
inſtitutione & ordinatione intellectus & voluntatis pendent, appellari poſſunt entia rationis. 2, Subiectiue dici ens rationis, omne ens quod in ratione ineſt tanquam adiunctum in ſubiecto recipiente. Quo ſenſu omnes rerum conceptus, omneſque diſpoſitiones & habitus, qui vulgo creduntur eſſe in animo, vocari poſſunt entia rationis. 3, obiectiue dici *ens rationis*, omne ens quod rationi obiicitur, ſeu circa quod ratio occupatur. Quo ſenſu III.
omne ens reale, quatenus ſub intellectum cadit, dici poteſt ens rationis. 4, denique *ens rationis* dici quodlibet IV.
ens, quod à ratione fingitur & excogitatur, ad modum entis realis, neque citra mentis cogitationem exiſtere aptum eſt. Et in hac ſola ſignificatione, quæ omnium ſtrictiſſima eſt, ens rationis opponi enti.

Vide F. S. diſp. 54. ſect. 1. conte. 2. & 5. Goclenium c. 1. Metaph. p. 9.

Ens eſt genus non vniuocū, ſed analogū,

Alterum theorema eſt, *Ens vniuerſaliter acceptum non eſſe genus vniuocum entis realis & rationis; ſed genus analogum, ſeu genus πρὸς ἕν*, propterea quod non ex

æquo, sed analogice, & secundum modum prioris ac posterioris de ente reali & rationis, tanquam speciebus subiectis prædicetur. Quod igitur ad quæstionem propositam attinet, non aliter concludere possum, quam thesin affirmantem esse veram, si ens sumatur pro genere non vniuoco, sed analogo; negantem vero esse falsam. Proinde nihil aliud restat, quam vt argumenta pro thesi negante allata breuiter soluantur. In primo distinguo inter verum ens, quatenus sumitur pro ente reali, & quatenus sumitur pro eo quod non vere, sed falso dicitur ens. De priore concedo ens rationis non esse verum ens, sed quasi vmbram entis: De posteriore autem nego. Ens enim rationis non falso, sed vere dicitur ens, tametsi non sit ens reale. In altero nego ens rationis nullam præter nominis communionem habere cum ente reali: siquidem definitio generalis entis etiam secundum analogiam competit enti rationis. In tertio nego ens rationis per se non esse intelligibile. Licet enim per comparationem ad verum, hoc est, reale ens, melius & clarius intelligi possit; tamen per propriam etiam speciem mente fictam apprehendi aptum est. In quarto nego, imo pernego, priuationes & negationes esse entia rationis. Hoc enim pugnat cum primis principiis Metaphysicæ supra cap. 2. à nobis explicatis, quemadmodum etiam infra l. 5. cap. vltimo fusius demonstrabitur. Neque obstat quod quidam obiiciunt, ens rationis dici quicquid ratione concipitur & comprehenditur. Ideoque cum etiam priuationes & negationes ratione concipiantur & comprehendantur, recte illas dici entia rationis. Est enim definitio illa entis rationis, prout hoc loco à nobis vsurpatur, falsa & nullo modo recipienda, nisi in manifestam absurditatem incidere velimus.

Solutio rationum pro thesi negãte. *I.* *II.* *III.* *IV.* *Obiectio.* *Responsio ad obiectionem.*

7 Quomodo ens reale & rationis sit definiendum?

Ens reale quid sit.

Diuersæ circumferuntur definitiones entis tam realis quam rationis. Ens enim reale modo dicitur *esse, quod re ipsa extra intellectum existit*: modo, *cuius esse non pendet ab operatione intellectus*, modo, *quod capax est realis existentiæ*. Ex quibus definitionibus priores duæ angustiores sunt suo definito. Sunt enim entia quædam realia, quæ secundum communem Philosophorum opinionem, non extra intellectum, sed in ipso intellectu existunt; quorum-

quorumque esse ab operatione intellectus, tanquam à causa efficiente pendet, vt sunt notiones rerum omnesque habitus tam intellectuales quam morales, & id genus alia. Posterior vero est quidem adæquata suo definito, sed à posteriore assignata. Idcirco vt perfectior redderetur, *ens reale* à nobis definitum fuit *Ens, quod per essentiam suam reipsa etiam citra mentis cogitationē existere aptum est.* Similiter *ens rationis*, modo *dicitur esse, quod extra intellectum reipsa non existit*: modo, *cuius esse pendet ab operatione intellectus*: modo, *quod esse obiectiuē tantum habet in intellectu.* Quæ definitiones omnes latiores sunt definito: cum etiam quibusdam entibus realibus competant, vt paulo ante dictum fuit. Proinde à nobis *Ens rationis* definitum fuit *ens, quod sola mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil est.* *Ens rationis quid sit.*

8 *An doctrina generalis de ente rationis pertineat ad Metaphysicam?*

DE hac quæstione tres distinctas inuenio in scriptis Philosophorum sententias. Alii enim simpliciter affirmant, doctrinam generalem de ente rationis pertinere ad Metaphysicam. Alii simpliciter negant: Alii mediam viam tenent, & concedunt quidem de ente rationis in Metaphysica esse agendum indirecte per accidens, obiter, & per quandam analogiam seu reductionem: negant autem directe per se & ex instituto. Quod autem sola prima sententia vera sit, id non tantum patet ex cap. 1. huius l. Probl. 5. & 6. verum etiam probari potest sequentibus rationibus. I, Quia ens rationis sub ente vniuersaliter sumpto directe tanquam species sub suo genere analogo continetur. 2, Quia ens rationis est per se scibile multaque habet attributa cum ente reali communia. Ergo de eo tractandum est in aliqua scientia. Cum autem nulla alia scientia præter Metaphysicam sit ad quam pertineat generalis doctrina de ente rationis, sequitur in hac sola de ente *rationis*, secundum generales ipsius rationes & affectiones esse agēdum. 3, Quia sine generali doctrina de ente rationis, multa neque in Metaphysica neque in aliis artibus & aliis disciplinis intelligi possunt.

Vide F. S. disp. 1 de N. Metaphys. sect. 1. cont. 1. 2. 3. 4. Item disp. 54. de entibus rationis in proœmio.

Thesis affirmatiua quæstionis simpliciter approbatur.

Rationes. I. II. III.

9 *An ens rationis habeat causas quarum vi existat, & quæ illæ sint?*

OCcasionem ad hanc quæstionem mouendam po-

De Nihilo & Essentia,

CAPVT II.

1 *Vniuersalis pars Metaphysicæ est doctrina de intelligibilibus & entibus in genere.*

2 *Eaque consistit cum in generalissimis intelligibilium & entium distributionibus, tum in communissimis eorundem attributis.*

Intelligibile quid sit. 3 *Intelligibile porro dicitur omne, quod intellectu percipi ac comprehendi potest.*

4 *Estque vel nihil, vel aliquid.*

Nihil quid. 5 *Nihil est, quod simpliciter non est nihil.*

6 *Aliquid est, quod simpliciter non est aliquid.*

7 *Estque positiuum, vel negatiuum.*

8 *Positiuum aliquid est, quod quid ponit seu affirmat.*

Essentia quotuplex. 9 *Estque vel essentia, vel ens.*

10 *Essentia est aliquid positiuum, per quod ens est id quod est. A Scholasticis barbaro vocabulo dicitur* entitas *seu* quiditas.

11 *Estque vel realis, vel imaginaria.*

12 *Realis essentia est actus entis realis quatenus est tale.*

13 *Imaginaria essentia est actus entis rationis, quatenus est tale.*

14 *Vtraque vel est simplex vel composita, quarum illa, enti simplici; hæc, composito competit.*

15 *Et rursus vel absoluta, vel respectiua; quarum illa, enti absoluto; hæc respectiuo competit.*

16 *Et rursus vel vniuersalis vel singularis, quarum illa enti vniuersali, hæc singulari competit.*

17 *Vniuersalis essentia vel est generica, vel specifica.*

18 *Generica est, quam ens à suo genere habet cum alia specie communem.*

19 *Specifica est per quam ens in certa specie constituitur, seu quæ cuique speciei est propria.*

IN CAPVT PRIMVM

PROBLEMA I.

An nihil sit intelligibile?

Prothesi negante Ratio aliorum. SVnt quidam qui putant, quicquid est intelligibile, illud esse ens, & quicquid rationem entis non habet, non esse intelligibile. Quæ sententia si est simpliciter vera, se-

ra, sequitur *nihil* ex intelligibilium numero esse remouendum & excludendum, neque de eo in Metaphysica, quæ de intelligibilibus disserit, quicquam agendum esse. At contraria assertio est verior. Sunt enim duo summa genera eorum, quæ dicuntur intelligibilia, quorum vnum complectitur ea, quæ per se, hoc est per propriam notionem sunt intelligibilia: alterum ea, quæ per accidens, hoc est, per notionem alterius sunt intelligibilia. Atque ad hoc postremum genus etiam *Nihil*, omnesque priuationes & negationes referuntur. *Nihil* enim per notionem alterius, quod de ipso simpliciter negatur, est intelligibile. Quod nisi fieret, multa principia Philosophica, quæ ex terminis illis constant, à nobis intelligi nō possent; cuiusmodi sunt; *Quicquid est, aut est à nihilo aut ab aliquo; aut ex nihilo, aut ex aliquo. Ex nihilo nihil fit. Aliquid in nihilum non potest resolui: inter nihil & aliquid nulla est proportio.* Cum autem hoc sit absurdum & pugnet cum sano cuiusque hominis iudicio, statuendum omnino est, *Nihil esse intelligibile.*

Pro thesi affirmante Rationes propria.

I.

II.

2 *An inter* Nihil *&* Aliquid *detur medium?*

PRima ac generalissima distributio τοῦ νοητοῦ, est in nihil & aliquid. Quicquid enim à mente hominis concipi & intelligi potest, id est vel nihil, vel aliquid. Sed vt veritas huius distributionis magis illustretur, non inepte quæritur, *vtrum inter nihil & aliquid detur medium.* Ac thesis quidem negatiua probatur his rationibus. 1. Quæcunque contradictorie opponuntur, inter illa non datur medium. Definitur enim ἀντίφασις ab Aristotele libr. 1. Poster. analyt. cap. 2 context. 13. ἀντίφασις ἧς οὐκ ἐστὶ μεταξὺ καθ' αὑτήν. Iam autem *nihil & aliquid* contradictorie opponuntur: cum idem valeat *Nihil*, ac *non aliquid:* Ergo inter nihil & aliquid non datur medium. 2. Si inter nihil & aliquid daretur medium, illud posset aut mente hominis concipi, aut vocabulo aliquo enuntiari. Sed consequens est impossibile: Ergo & antecedens. At posset sophista aliquis obiicere; *Nihil* esse aliquid, cum sit vox; & omnis vox sit ens; & omne ens sit aliquid; Ideoque nihil & aliquid non contradictorie opponi. Respondendum autem est *Nihil* à nobis hoc loco considerari nō vt vocem; sed vt id, quod per vocem illam significatur:

Pro thesi negante.

1.

II.

Obiectio.

Responsio.

ideoque sophisma illud, sumptum ex confusione signi & signati, esse friuolum & futile.

3 *An aliquid & nihil æquipolleant enti & non enti?*

Pro thesi negante.

VAlde vsitatum est in Schola Philosophorum, obiectum intellectus distribuere in ens & non ens. Non igitur immerito quæritur, *vtrum Aliquid & Nihil illius distributionis membris æquipolleant.* Est autem thesis negatiua vera, ob sequentes rationes:

I. 1. Quia aliquid latius patet quam ens. Nam & essentia & priuatio est aliquid; neque tamen ens, vt infra probabitur. Hinc etiam Fonseca lib. 5. Metaph.cap.1. ait, *aliquid* comprehendere ens & non ens.

II. 2 Quia *Non ens* suo ambitu complectitur tam aliquid, quam nihil. Essentia enim & priuatio est *Non ens*, neque tamen nihil, sed aliquid.

III. 3 Quia *non ens* duobus modis sumitur à Philosophis; vel simpliciter, vel secundum quid. In priore significatione acceptum idem est ac nihil. In posteriore vero non æquipollet nihilo; sed semper de certo ente, aut saltem aliquo enuntiatur. Sic entia rationis dicuntur *non entia*, non simpliciter, sed secundum quid; quia non sunt entia realia. Eodem modo materia prima in Physicis sæpe ab Aristotele dicitur *non ens* secundum quid; quia non est corpus illud naturale quod inde producitur. Quo sensu etiam pullus dicitur fieri ex non pullo, hoc est, ouo: caro ex non carne, hoc est, sanguine. Sic priuatio dicitur non ens, & tamen nō est nihil.

Porismata. Vnde porro hæc porismata colligo,

I. 1, Ens non semper contradictorie opponi non enti, sed tum demum, quando vsurpatur pro non ente simpliciter.

II. 2, Inter ens & nihil, dari medium.

III. 3, Non simpliciter nihil esse, cuius nulla est essentia.

4 *An ex nihilo possit fieri aliquid, & ex aliquo nihil?*

VIdentur Philosophi veteres thesin negantē defendere. Hinc enim orta sunt trita illa & vulgata in Philosophia axiomata: *Inter nihil & aliquid nulla est proportio. Ex nihilo nihil fit. Quod aliquid est, in nihilū nō potest resolui.* Quæ certe effata nihil aliud præ se ferunt, quam ex nihilo non posse fieri aliquid, & ex aliquo nihil. At dicēdū est, Philosophos veteres, præsertim eos, qui veritatis indagādæ studio fuerūt addicti, nō fuisse ita stupidos & insanos, ne dicam

Sentētia veterum Philos. in bonum sensum tra-

cam

eam impios, vt primo etiam enti *Deo*, cui virtutem infinitam agendi in scriptis suis tribuunt, detraxerint potentiam ex nihilo producendi aliquid, & aliquid in nihilum destruendi. Quocirca quando asserunt, *ex nihilo nihil fieri, & aliquid in nihilum non posse resolui*, illa effata non in alienum & peruersum, sed in proprium & genuinum ipsorum Philosophorum sensum sunt trahenda, vt intelligantur vera non simpliciter, sed secundum quid, nimirum partim de substantiis, partim de virtute naturæ, quam Dei famulam esse crediderunt, seu de virtute causæ secundæ, quæ primæ subordinatur. Impossibile enim est, vt vi naturæ seu creaturæ tanquam causæ secundæ, ex nihilo fiat aliqua substantia, & ex aliqua substantia nihil, cũ infinita, si ita loqui licet, distantia sit inter nihil & aliquid; neque vlla omnino inter vtrumque proportio. Et hoc etiam sensu in Physicis verum est, *ex nihilo nihil fieri*, hoc est, nullum corpus naturale generari posse naturaliter ex nihilo. Similiter aliquid in nihilum non posse resolui, hoc est, nullum corpus naturale corrumpi posse naturaliter in nihilum.

5 *An cognitio* Nihili *recte statuatur fons omnium virtutum, sicut ignorantia, vitiorum?*

ETSI hæc quæstio ad Metaphysicam per se & directe non spectat; sed duntaxat per accidens & indirecte, ob terminos illos, *Nihil & Aliquid*, qui in ea vsurpantur, tamen quid de illa sentiendum sit, paucis & quasi *παρέργως* indicabo. Ac sententia quidem affirmatiua est vera, si non metaphysice sed Ethice intelligatur. Qui enim vere cognitum & exploratum habet, quid sit *nihil*, hoc est, qui scit, quanta sit naturæ suæ imbecillitas; quanta bonorum terrenorum seu mundanorum inconstantia, quanta vitiorum turpitudo, quanta hominum improborum & nefariorum nullitas, ille primum fit humilis, sibique & suis viribus diffidere incipit: Deinde, à rebus terrenis, & mundanis animum auertit ad res cœlestes & diuinas: Tertio, omni studio auersatur & fugit vitia, & ne in ea incidat, cauet. Quarto, consortium improborum hominum detestatur & declinat. In summa, eiusmodi homo neque amat, neque admiratur, neque appetit, nisi quod iudicat esse *Aliquid*. Contra, qui *Nihil* ignorat, ille 1, seipsum amat & admiratur, aliosque præ

Sententia affirmatiua approbatur.

se elato supercilio contemnit & despicit. 2, sibi suisque viribus nimium confidit: 3, animum auertit à bonis cœlestibus & diuinis ad bona terrena & mundana: 4, vitiis se totum tradit & mancipat: 5, improborum consuetudine delectatur. In summa, neglectis veris bonis falsa bonorum simulachra appetit & sectatur. Proinde recte cognitio *nihili* virtutum, ignorantia vero, vitiorum omnium scaturigo statuitur.

6 *Quid sit essentia in genere & quotuplex?*

Essentia quid. NON eodem modo essentia à Metaphysicis definitur. Aliis enim est actus entis, quatenus est ens: aliis perfectio qua vnumquodque ens consistit: aliis id, per quod vnumquodque habet quod est ens. Etsi vero singulæ hæ definitiones recte intellectæ admitti possunt; tamen vt melius sensus earum explicetur ac cognoscatur, à nobis in præceptis *essentia* dicitur *aliquid positiuum*, per quod ens est id, quod est. Loco enim generis posuimus *aliquid positiuum*, quod essentiæ & enti est commune; loco vero differentiæ specificæ, qua ab ente distinguitur, additum fuit, *Per quod ens est id, quod est.* *Essentia quotuplex.* Porro essentia distribuitur in varias species, secundum distributionem ipsius entis. Quot enim sunt species entis, tot etiam sunt species essentiæ. Et in hoc sensu verum est, quod à quibusdam profertur axioma: *Talis essentia, quale ens.* In primis vero memorabiles & vtiles in Philosophia sunt illæ essentiæ distributiones, quarum in præceptis facta est mentio, & quas breuitatis studio hoc tempore repetere nolumus.

7 *An essentia entis recipiat magis & minus?*

Pro thesi negante. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia essentia entis est indiuisibilis secundum partes & gradus.
I. 2, Quia essentia entis habet se instar numeri, vt
II. tradit Aristoteles lib. 8. Metaphys. cap. 3. Quemadmodum enim numerus idem non manet, sed fit diuersus, si ei demas vel addas vnitatem; ita etiam essentia non manet vna & eadem, sed fit diuersa, si quicquam ei vel de-
III. trahas vel addas. 3, Quia vnaquæque essentia in rebus creatis habet à Deo suam definitam perfectionem essentialem, quæ neque excedi, neque imminui potest. Vnde etiam Philosophi asserunt, impossibile esse, vt duæ essentiæ

ſentiæ ſpecie diuerſæ dentur, quæ parem habeant perfectionem eſſentialem. Notandum tamen eſt, ſententiam negantem quæſtionis eſſe veram duntaxat, de eſſentia abſolute in ſe conſiderata, non vero quatenus cum alia comparatur. Alioquin enim ſicut entis ſpecies alia magis, alia minus eſt perfecta; ita etiam eſſentia vnius ſpeciei perfectior eſt quam alterius.

De ente in genere, eiuſque generaliſſimis diſtributionibus.

CAPVT III.

1 *Sic de eſſentia. Sequitur Ens, quod eſt aliquid poſitiuum, eſſentia præditum.* *Definitio generalis entis.*

2 *Eſtque vel reale, vel rationis.* *Diſtributio generalis entis.*

3 *Ens reale eſt ens, quod per eſſentiam ſuam reipſa, etiam citra mentis cogitationem exiſtere aptum eſt.*

4 *Eſtque vel primum, vel à primo ortum; ſeu, quod idem eſt,* increatum, *vel* creatum.

5 *Ens primum eſt, quod à ſeipſo exiſtit.*

6 *Ens à primo ortum eſt, quod ab alio exiſtit.*

7 *Ens rationis eſt ens, quod ſola mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil eſt. Vnde non immerito nuncupatur* Ens fictum, ens imaginarium.

8 *Vtrumque tam ens reale, quam rationis varias ſub ſe continet ſpecies, quæ commode in quinque claſſes diſtribui poſſunt.*

9 *Prima claſſis ſunt Ens incomplexum, & complexum.*

10 *Ens incomplexum eſt, quod per ſe vno ſimplicique conceptu comprehendi poteſt.*

11 *Ens complexum eſt, quod per ſe vno ſimplicique conceptu comprehendi nequit.*

12 *Secunda claſſis ſunt ens abſolutum, & reſpectiuum.*

13 *Ens abſolutũ eſt, quod nullum ad aliud habet reſpectum.*

14 *Ens reſpectiuum eſt, quod in reſpectu ad aliud conſiſtit.*

15 *Tertiæ claſſis ſunt ens vniuerſale & ſingulare.*

16 *Ens vniuerſale eſt, quod in multis per eſſentiæ communicationem exiſtere aptum eſt.*

17 *Ens ſingulare eſt, quod eſſentiam habet indiuiduam aliiſque ſecundum naturam incommunicabilem.*

18 *Quarta classis, sunt ens immateriatum, & materiatum.*
19 *Ens immateriatum est, quod ab omni materia, siue sensilis, siue intelligibilis, concretione est liberum.*
20 *Ens materiatum est, quod ex aliqua materia concretione constat.*
21 *Quinta classis sunt, ens permanens & successiuum.*
22 *Ens permanens est, quod totam suam essentiam simul possidet, sine partium essentialium fluxu & additione.*
23 *Ens successiuum est, cuius essentia in continuo partium essentialium fluxu & additione consistit.*

IN CAPVT TERTIVM

Problema I.

An ens possit perfecte definiri, & quomodo?

Pro thesi negante. Rationes aliorum. COMMVNIS opinio Philosophorum est, Ens posse quidem aliquo modo describi, sed non perfecte definiri; tum, quia sit genus summum, vltra quod aliud genus non reperiatur; tum, quia nihil possit perfecte definiri, nisi sit species alicui generi subiecta.
I.
II.

Refutatio superioris opinionis. At hæc opinio non videtur esse approbanda, neque rationes quibus confirmatur. Supra ens enim adhuc alia genera sunt collocata, nimirum *Intelligibile aliquid*, aliquid positiuum: ideoque illud non est summum genus, sed species aliis generibus subiecta. Et, per consequens, *Ens quid sit.* perfecte definiri potest. Vnde etiam à nobis in præceptis definitum fuit, quod sit *aliquid positiuum essentia præditum*. Cum qua definitione consentit aliorum assertio; *Ens est, cuius est aliqua entitas seu essentia. Ens est aliquid per essentiam suam existens:* Dissentit vero, *Ens est quo vnumquodque dicitur esse: Ens est, quicquid quoquo modo est.* Illæ enim definitiones latiores sunt duo definito, cum etiam essentiæ & priuationi competant, nisi interpretatione commoda limitentur ac restringantur.

2 *An ens & essentia inter se differant, & quomodo?*

Sent. aliorũ Ens & essentia inter se differunt. MVlti confundunt inter se terminos illos metaphysicos *ens* & *essentiam*, quasi nihil inter eos sit discriminis, & vnicuique licitum sit pro arbitrio, sine veritatis iniuria vnum pro altero vsurpare. Sed quod res aliter sese habeat, id patet ex sequentibus rationibus. 1, *I.* Quia ens & essentia sunt species oppositæ vnius generis. *II.* 2, Quia definitione inter se differunt. Ens enim est aliquid

quid positiuum essentia præditum. Essentia vero est aliquid positiuum, per quod ens est id quod est. 3, Quia ens est concretum; essentia vero abstractum. 4, Quia si essentia esset ens, tunc haberet essentiam; & sic progressus daretur in infinitum: quod est absurdum. Cæterum adhuc quæritur, *Vtrum ens ab essentia ratione tantum differat, an realiter?* Respondeo, distinguendum esse inter ens increatum & creatum. Illud enim tantum ratione differt à sua essentia; hoc vero realiter. Hinc communis Theologorum & Philosophorum saniorum sententia est, *in Deo idem realiter esse ens & essentiam*; in creaturis autem non: cum aliud in iis sit ens, quod habet essentiam, aliud essentia quæ habetur.

Quomodo ens ab essentia differat.

3 *An sit discrimen inter ens & rem?*

ETsi in vulgari loquendi consuetudine hi duo termini Metaphysici confunduntur: tamen in accurata philosophandi ratione distinguuntur, tanquam genus & species. Omnis enim res est ens: sed non omne ens est res. Nam etiam entia rationis, sunt entia, neque tamen sunt res. Vnde fit, vt proprie per *rem*, solum *ens reale* intelligatur. Proinde errat Auerroes, quando in sua paraphrasi ait, latius patere rei nomen quam entis: nisi vocabulo *Rei* improprie & καταχρηστικῶς vtatur pro quolibet intelligibili: quod quandoque in communi loquendi vsu solet fieri. Similiter errat Fonseca lib. 4. Metaphys. c. 2. Q. 5. sect. 2. quando asserit; *Ens aliquid, rem* idem prorsus esse, nec vllo pacto inter se distingui.

Ens & res inter se differunt.

4 *An omne ens vnam duntaxat habeat essentiam?*

ARistoteles lib. 6. Topic. cap. 3. docet, *vniuscuiusque entis vnam esse essentiam:* ideoque vnam etiam duntaxat definitionem essentialem. Quæ assertio non est simpliciter vera, sed secundum quid. Nam primum vni & eidem enti possunt accidere multæ relationes, & per consequens, multæ essentiæ respectiuæ. Deinde vnum & idem ens potest habere diuersas essentias absolutas, vnam singularem, alteram vniuersalem. Et rursus vnam genericam, alteram specificam. Sic Socrates quatenus est pater, dominus, præceptor, maritus, &c. habet diuersas essentias respectiuas. Idem quatenus est indiuiduum humanum, habere essentiam absolutam singularem. Eodem modo homo, quatenus animal, habet essentiam ab-

Vnum ens potest habere multas essentias.

solutam genericam, qua cum bestiis conuenit; quatenus vero homo, habet essentiam absolutam specificam, qua distinguitur à bestiis. Quando igitur Aristoteles ait, *vniuscuiusque entis vnam esse essentiam*, necesse est, si veritas illius dicti constare debet, vt tantum de essentia absoluta & specifica cuiusque entis intelligatur.

Quo respectu vnum ens dicatur habere vnam essentiam.

5 An ens possit manere saluum destructa ipsius essentia?

Pro thesi negante.

PRo thesi negante quæstionis faciunt hæ rationes. 1, Quia tanta & tam arcta ac indiuidua communitas & cognatio est inter ens & essentiam, vt neque ens absque essentia, neque essentia absque ente esse vel cogitari vere possit. Vnde etiam fit, vt sicut essentiæ ens, ita entis definitionem essentia ingrediatur. 2, Quia ens habet se ad essentiam, sicut formatum ad formam. Sicut igitur formatum non potest esse absque forma, neque forma absque formato; ita neque ens absque essentia, neque essentia absque ente.

I.

II.

Obiectio.

At in contrariam partem obiici potest, quod ens absolutum possit amittere relationes, cum naturales, tum voluntarias, & ex consequente, essentias respectiuas quas habet à suis relationibus; & tamen interim manere saluum & incorruptum. Pro qua obiectione soluenda notanda sunt duo theoremata: *Nullum ens posse subsistere sine sua essentia, neque absolutum sine absoluta, neque respectiuum sine respectiua.* 2, *Ens absolutum posse subsistere sine essentia respectiua, quam à relatione separabili accepit.* Argumenta igitur pro thesi negante adducta sunt vera, quatenus secundum prius theorema, non posterius intelliguntur.

Solutio obiectionis.

I.

II.

6 An ens, tanquam genus, recte diuidatur in ens reale & rationis?

VSitatissimum est in schola Philosophorum distinguere inter *ens reale*, & *rationis*. Sed hoc controuersum est, vtrum se habeant ad ens vniuersaliter acceptum tanquam species opposita ad suum genus? Alii enim hoc negant, alii affirmant. Rationes priores sectæ sunt. 1, Quia ens rationis non est verum ens, sed quasi vmbra entis. 2, Quia ens rationis nullam præter nominis communitatem habet cum ente reali, non secus ac homo pictus vel mortuus cum vero homine. 3, Quia ens rationis per se non est intelligibile, sed per comparationem dunta

Pro thesi negante Rationes.

I.

II.

III.

duntaxat ad verum ens. 4, Quia priuationes, & negationes sunt entia rationis: & tamen à Philosophis in numero verorum entium non habentur, sed non entium. *Vide F. S. disp. 52. sect. 1. & in præfatione.*

Rationes posterioris sectæ sunt: 1, Quia ens reale & rationis consentiunt inter se definitione generali entis; dissentiunt autem speciali: Vtrumque enim est aliquid positiuum essentia præditum; sed differunt quod illud per suam essentiam reipsa, etiam citra mentis cogitationem subsistere aptum est. Hoc vero sola mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil est. 2, Quia nullum ens esse vel excogitari potest, quod ad alterutrum membrum diuisionis non possit referri. 3, Quia non tantum relatio; sed etiam diuersitas seu distinctio entium diuiditur à Philosophis in realem & rationis, tanquam genus in species oppositas. Ergo cum hæ diuisiones sint legitimæ, & fundatæ in diuisione illa, qua ens dispescitur in reale & rationis: Sequitur omnino ens reale & rationis esse species oppositas sub genere entis comprehensas. *Pro thesi affirmante Rationes.* *I.* *II.* *III.*

Pro decisione quæstionis obseruanda sunt duo theoremata. Primum theorema est, *Ens rationis, non vno & eodem modo à Philosophis vsurpari.* Sed 1, effectiue dici ens rationis, omne ens quod à ratione efficitur. Quo sensu omnia opera artificialia, omniaque entia, quæ ab institutione & ordinatione intellectus & voluntatis pendent, appellari possunt entia rationis. 2, Subiectiue dici ens rationis, omne ens quod in ratione inest tanquam adiunctum in subiecto recipiente. Quo sensu omnes rerum conceptus, omnesque dispositiones & habitus, qui vulgo creduntur esse in animo, vocari possunt entia rationis. 3, obiectiue dici *ens rationis*, omne ens quod rationi obiicitur, seu circa quod ratio occupatur. Quo sensu omne ens reale, quatenus sub intellectum cadit, dici potest ens rationis. 4, denique *ens rationis* dici quodlibet ens, quod à ratione fingitur & excogitatur, ad modum entis realis, neque citra mentis cogitationem existere aptum est. Et in hac sola significatione, quæ omnium strictissima est, ens rationis opponi enti. *Ens rationis 4. modis à Philosophis vsurpatur.* *I.* *Vide F. S. disp. 54. sect. 1. conte. 2. & 5. Goclenium c. 1. Metaph. p. 9.* *III.* *IV.*

Alterum theorema est, *Ens vniuersaliter acceptum non esse genus vniuocum entis realis & rationis; sed genus analogum, seu genus πρὸς ἕν*, propterea quod non ex *Ens est genus non vniuocū, sed analogū,*

æquo, ſed analogice, & ſecundum modum prioris ac poſterioris de ente reali & rationis, tanquam ſpeciebus ſubiectis prædicetur. Quod igitur ad quæſtionem propoſitam attinet, non aliter concludere poſſum, quam theſin affirmantem eſſe veram, ſi ens ſumatur pro genere non vniuoco, ſed analogo; negantem vero eſſe falſam. Proinde nihil aliud reſtat, quam vt argumenta pro theſi negante allata breuiter ſoluantur. In primo diſtinguo inter verum ens, quatenus ſumitur pro ente reali, & quatenus ſumitur pro eo quod non vere, ſed falſo dicitur ens. De priore concedo ens rationis non eſſe verum ens, ſed quaſi vmbram entis: De poſteriore autem nego. Ens enim rationis non falſo, ſed vere dicitur ens, tametſi non ſit ens reale.

Solutio rationum pro theſi negãte. I.

II. In altero nego ens rationis nullam præter nominis communionem habere cum ente reali: ſiquidem definitio generalis entis etiam ſecundum analogiam competit enti rationis.

III. In tertio nego ens rationis per ſe non eſſe intelligibile. Licet enim per comparationem ad verum, hoc eſt, reale ens, melius & clarius intelligi poſſit; tamen per propriam etiam ſpeciem mente fictam apprehendi aptum eſt.

IV. In quarto nego, imo pernego, priuationes & negationes eſſe entia rationis. Hoc enim pugnat cum primis principiis Metaphyſicæ ſupra cap. 2. à nobis explicatis, quemadmodum etiam infra l. 5. cap. vltimo fuſius demonſtrabitur.

Obiectio. Neque obſtat quod quidam obiiciunt, ens rationis dici quicquid ratione concipitur & comprehenditur. Ideoque cum etiam priuationes & negationes ratione concipiantur & comprehendantur, recte illas dici entia rationis.

Reſponſio ad obiectionem. Eſt enim definitio illa entis rationis, prout hoc loco à nobis vſurpatur, falſa & nullo modo recipienda, niſi in manifeſtam abſurditatem incidere velimus.

7 *Quomodo ens reale & rationis ſit definiendum?*

Ens reale quid ſit.

Diuerſæ circumferuntur definitiones entis tam realis quam rationis. Ens enim reale modo dicitur *eſſe, quod re ipſa extra intellectum exiſtit*: modo, *cuius eſſe non pendet ab operatione intellectus*, modo, *quod capax eſt realis exiſtentiæ*. Ex quibus definitionibus priores duæ anguſtiores ſunt ſuo definito. Sunt enim entia quædam realia, quæ ſecundum communem Philoſophorum opinionem, non extra intellectum, ſed in ipſo intellectu exiſtunt;

quorum-

quorumque esse ab operatione intellectus, tanquam à causa efficiente pendet, vt sunt notiones rerum omnesque habitus tam intellectuales quam morales, & id genus alia. Posterior vero est quidem adæquata suo definito, sed à posteriore assignata. Idcirco vt perfectior redderetur, *ens reale* à nobis definitum fuit *Ens, quod per essentiam suam reipsa etiam citra mentis cogitationē existere aptum est.* Similiter *ens rationis*, modo *dicitur esse, quod extra intellectum reipsa non existit:* modo, *cuius esse pendet ab operatione intellectus:* modo, *quod esse obiectiue tantum habet in intellectu.* Quæ definitiones omnes latiores sunt definito: cum etiam quibusdam entibus realibus competant, vt paulo ante dictum fuit. Proinde à nobis *Ens rationis* definitum fuit *ens, quod sola mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil est.* *Ens rationis quid sit.*

8 *An doctrina generalis de ente rationis pertineat ad Metaphysicam?*

DE hac quæstione tres distinctas inuenio in scriptis Philosophorum sententias. Alii enim simpliciter affirmant, doctrinam generalem de ente rationis pertinere ad Metaphysicam. Alii simpliciter negant: Alii mediam viam tenent, & concedunt quidem de ente rationis in Metaphysica esse agendum indirecte per accidens, obiter, & per quandam analogiam seu reductionem: negant autem directe per se & ex instituto. Quod autem solà prima sententia vera sit, id non tantum patet ex cap. 1. huius l. Probl. 5. & 6. verum etiam probari potest sequentibus rationibus. 1, Quia ens rationis sub ente vniuersaliter sumpto directe tanquam species sub suo genere analogo continetur. 2, Quia ens rationis est per se scibile multaque habet attributa cum ente reali communia. Ergo de eo tractandum est in aliqua scientia. Cum autem nulla alia scientia præter Metaphysicam sit ad quam pertineat generalis doctrina de ente rationis, sequitur in hac sola de ente *rationis*, secundum generales ipsius rationes & affectiones esse agēdum. 3, Quia sine generali doctrina de ente rationis, multa neque in Metaphysica neque in aliis artibus & aliis disciplinis intelligi possunt. *Vide F S. disp. 1 de N. Metaphys. sect. 1. cont. 1. 2. 3. 4. Item disp. 54. de entibus rationis in proœmio. Thesis affirmatiua quæstionis simpliciter approbatur. Rationes. I. II. III.*

9 *An ens rationis habeat causas quarum vi existat, & quæ illæ sint?*

OCcasionem ad hanc quæstionem mouendam po-

tissimum præbuit Fr. Suarez disput. 54. de Entibus rationis, sect. 2. Ibi enim asserit, ens rationis per se neque causam finalem, neque formalem, neque materialem, proprie habere, sed solum efficientem. Quanquam alii Metaphysici etiam causam efficientem proprie dictam enti rationis denegarunt. Vt igitur manifestum fiat hanc opinionem esse falsam & erroneam, primum paucis ostendam ens rationis habere causas, quarum vi existat: Deinde singulas ordine breuiter explicabo. Ac cum ens rationis non semper eo modo sit, quo esse potest, sed aliquando incipiat esse: idque non a se, sed ab alio: neque temere, sed boni alicuius gratia, statuendum omnino est, *ens rationis habere causas*, quarum vi existat. Causa igitur efficiens à qua ens rationis pendet, est intellectus, quatenus ad modum entis realis fingit & excogitat aliud ens, quod in se realiter non existit. Materia sunt simulachra entium realium in intellectu existentia. Ex his enim entia rationis format intellectus, coniungendo ea quæ realiter non coniunguntur, & separando quę realiter non sunt separanda. Forma consistit partim in ipsa fictione, partim in affectione analogica, quam ens rationis habet ad ens reale. Finis, cuius gratia ens rationis excogitatur, est, vt primum intellectus noster, qui in se debilis & imperfectus est, hac ratione iuuetur ac perficiatur. Quoniam enim homo aliquando non potest res cognoscere prout in se sunt; concipit eas per comparationem vnius ad aliam, atque ita format relationes rationis, vbi veræ ac reales relationes non sunt. Similiter, quoniam idem homo aliquando nō potest vnico cōceptu distincte cognoscere totam perfectionē vnius rei simplicis, concipit eam sub diuersis cōceptibus, & sic format distinctionē rationis. Secundo, vt ens reale adumbret hominibusque sub oculos ponat. Quod autem F. Suarez in citato loco, context. 8. præter hos duos finem adhuc alium assignat, vt nimirum intellectus noster cognitionem de ipsis etiam negationibus & priuationibus, quæ nihil sunt, consequatur; cum nihil possit concipere nisi ad modum entis: illa opinio non potest consistere. Non enim tantum ens, sed etiam non ens est obiectum intellectus, vt supra cap. 2. Probl. 1. docuimus: tametsi *Non ens* concipi & intelligi nequeat, nisi per notionem entis. Et qui *non ens,*

Ens rationis habet causas.

Quæ sint causæ entis rationis.
1 *Efficiens.*
2 *Materia.*
3 *Forma.*
4 *Finis.*

Falsus finis à Suarez allatus refutatur.

ens vult concipere, tanquam ens, ille in concipiendo errat, & cum se tum alios misere decipit; cum conceptus verus semper congruere debeat cum natura eius quod concipitur.

10 *An omne ens rationis sit accidens, & quod sit illius subiectum?*

ETsi ens rationis aliud concipitur per modum substantiæ, vt chimæra, cerberus, Apollo, Musa, Minerua; aliud per modum accidentis realis, siue sit quantitas siue qualitas, siue motus, siue relatio; tamen omne ens rationis in se est accidens. 1, Quia est merum figmentum intellectus, quod extra intellectum nusquam existit. 2, Quia non per se subsistit, sed indiget subiecto inhærentiæ, ad sui existentiam. Id quod nihil aliud est, quam intellectus. 3, Quia tamdiu existit in intellectu quamdiu cogitatio mentis, per quam concipitur & formatur, durat, & citra eam nihil est. Errant igitur illi qui negant omne ens rationis esse accidens. Errat etiã F. Suarez, qui disput. 54. de entibus rationis, contex. 11. asserit, ens rationis in nulla re esse subiectiue, sed tantum obiectiue in intellectu.

Pro thes: affirm. rationes *I.* *II.* *III.*

Errores aliorum circa hanc quæstionem perstringuntur.

11 *Quomodo ens rationis recte sit diuidendum?*

DVas potissimum reperio in libris Philosophorum diuisiones peculiares entis rationis. Prima est, quod aliud sit verum, aliud fictum. *Verum Ens rationis* vocant, quod de ente aliquo reali vere prædicari potest, cuiusmodi putant esse, omnes terminos technologicos in Grammatica, Rhetorica, & Logica, & id genus aliis artibus receptos. *Fictum ens rationis* vocant, quod de nullo ente reali vere prædicari potest, cuiusmodi sunt cerberus, chimæra. aliaque id genus figmenta poetica.

Ens rationis ab aliis male diuiditur: 1, in verum & fictum.

Altera diuisio est, quod ens rationis aliud sit positiuum, vt relatio rationis, aliud negatiuum, vt priuatio & negatio stricte sumpta.

2 In positiuũ & negatiuũ.

Vtrasque diuisio constat ex membris eiusmodi, quorum vnum pugnat cum natura ipsius distributi. Cum enim omne ens rationis in strictissima significatione acceptum nihil aliud sit quam ens fictum, sequitur illud nõ recte diuidi in verum & fictum. Cumque omne ens rationis sit aliquid positiuum, sequitur perperam ens rationis diuidi in positiuum & negatiuum; præsertim cum priuatio & negatio stricte sumpta non suscipiant ratio-

Fr. Suarez disput 54. de entibus rationis, sect. 3 & 4.

Melior diuisio ensis rationis, F. Suarez ibidem sect. 4. context. 1. & 2.

nem entis, sed *Non entis.* Proinde rectius videtur ens rationis diuidi, si quis dicat primum, *aliud per modum substantiæ concipi, aliud per modum accidentis realis* Deinde aliud fundamentum habere in ipsis rebus, vt sunt orbes & circuli imaginarii in doctrina sphærica: aliud vero non, vt sunt cerberus, chimæra, &c.

12 *Vtrum ens reale sit genus vniuocum entis increati & creati, an analogum?*

Ens reale est genus non vniuocum, sed analogũ entis increati & creati.

NON leuis de hac quæstione inter Metaphysicos est disceptatio. Sed breuitatis studio statuendum puto, Ens reale non esse genus vniuocum, sed analogum. Non enim ex æquo prædicatur de ente increato & creato, sed secundum analogiam & modum prioris & posterioris. Deus enim perfectissimo modo est ens reale primum, quatenus à nullo pendet; omnia vero ab ipso: Deinde quatenus ante omnia alia entia fuit; Hæc vero omnia post ipsum: Tertio, quatenus est infinitæ essentiæ & virtutis: Creaturæ vero sunt entia realia, quatenus certum & limitatum essendi modum à Deo acceperunt, ac vnaquæque cum eo aliquam similitudinem habet. Nec obstat, si quis obiiciat inter infinitum & finitum nullam esse proportionem: Ideoque ens reale non posse esse genus analogum entis increati & creati. Licet enim inter infinitum & finitum nulla detur proportio mathematica, datur tamen proportio seu analogia metaphysica, quatenus in ratione entis quodam modo inter se conueniunt, infinitumque est principium, à quo omnia finita entia suam habent originem.

Obiectio.

Responsio.

13 *An solus Deus sit ens primum & increatum?*

Pro thesi affirmante Rationes.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia solus Deus à se ipso & à nullo alio ente suam habet essentiam. Vnde recte dicitur αὐταρχος, αὐτῶν, αὐτούσιος, αὐθύπαρκτος.

I. 2, Quia nullum ens habet se prius.

II. 3, Quia omniũ entium est summum & perfectissimum.

III. 4, Quia primum principium est omnium extra se entium; nullumque ens extra Deum est nisi per efficientiam Dei.

IV. 5, Quia nullum ens extra Deum, Deo est coæternũ, nisi statuatur, illud aut à seipso exstitisse, aut ab æterno à Deo esse creatum. Quorum vtrumque est absurdum. Si enim

V.

à seipso

à seipso extitit: Iam Deus solus non recte dicetur *αὐτοὸν*, *αὐτοούσιος*, neque summum & perfectissimum ens; neque principium primum omnium extra se entium. Si vero ab æterno à Deo fuit creatū; iam dabitur aliquod ens creatum, quod ab æterno extitit, & nunquam cœpit esse. Id quod pugnat cum natura entis creati, cuius proprium est, esse ab aliquo & aliquando incipere esse.

14 *An ens recte diuidatur in incomplexum & complexum?*

INter alias entium diuisiones, etiam illa in schola Philosophorum est vsitata, qua ens in *incomplexum* & *complexum* distribuitur. Eaque sumpta videtur ex cap. 1. & 2. libri Categoriarum. In capite enim primo docet Aristoteles *τῶν λεγομένων τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεσθαι, τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς*, h. e. *eorum quæ dicuntur quædam secundum complexionem dici, quædam sine complexione.* Deinde in 2. capite distribuit ea, quæ secundum nullam complexionem dicuntur in decem Categorias, iisque neque affirmationem vel negationem, neque veritatem vel falsitatem inesse docet. Vt autem hæc diuisio, vtrum sit legitima, intelligatur, necesse est, vt primum omnium consideremus quid sit Ens tam incomplexum quam complexum.

Est igitur *Ens incomplexum* nihil aliud, quàm quod per se vno simplicique conceptu comprehendi potest, seu quod separatim sine alio existit & concipitur, cuiusmodi sunt Deus, homo, animal, planta, adeoque quælibet substantia, itemque quantitas, qualitas, motus, relatio. *Ens incomplexum quid.* *Ens vero complexum est, quod per se vno simplicique conceptu comprehendi nequit, seu, quod coniunctim cum alio existit & concipitur*, cuiusmodi sunt omnia entia concreta quæ in suo conceptu subiectum & adiunctum simul includunt, e. g. ferrum ignitum, liberum arbitrium, Aristoteles Philosophus, Quantum, quale, mobile, relatum: adeoque quælibet sententia integra, siue sit affirmatiua siue negatiua. *Ens complexum quid.*

Ex quibus definitionibus colligo tria consectaria: 1, *ens incomplexum & complexum consentire quidem cum distributo, sed inter se dissentire.* 2, *nullum ens reperiri posse, quod non ad alterutrum membrum distributionis reuocari possit: ideoque distributionem neque latiorem neque angustiorem esse suo distributo.* 3, *terminos illos metaphysicos abstractum* *Consectaria ex definitionibus collecta.* I. II. III.

& concretum non æquipollere enti incomplexo & complexo: tum, quia etiam non entibus competant; tum, quia tam abstractum quam concretum quandoque possit esse ens incomplexum, vt sapientia, caliditas, albedo, homo, animal, Deus, &c.

15 *An absolutum semper opponatur respectiuo?*

Absolutum quid, variis modis dicitur.

Diuisimus supra in præceptis ens generaliter sumptum in absolutum & respectiuum. Vt igitur hæc diuisio illustretur, non immerito quæritur, *vtrum absolutum semper opponatur respectiue?* Ac cum vocabulum illud

I. *absolutum*, sit homonymum, & modo vsurpetur pro per-

II. fecto; modo pro indeterminato & conditionis experte,

III. modo pro eo quod sine comparatione intelligitur, modo pro eo quod in respectu ad aliud consistit: hinc manifeste liquet, absolutum non semper opponi respectiuo; sed modo inchoato & imperfecto, modo determinato seu conditionato, modo comparato, modo denique respectiuo. Sic opus absolutum dicitur quod perfectum est. Necessitas absoluta, quæ non est conditionalis. Bonitas absoluta quæ enti simpliciter inest sine comparatione ad aliud. Deus dicitur ens absolutum, quatenus sine respectu ad aliud consideratur.

Absolutum non semper opponitur respectiuo.

16 *An ens recte diuidatur in vniuersale & singulare?*

Vulgata est in Philosophia diuisio entis in vniuersale & singulare: cuius etiam passim in suis scriptis summus ille Naturæ genius & interpres Aristoteles mentionem facit; inprimis vero in libro De interpretatione, cap. 7. statim à principio, dum ait: ἐστὶ τὰ μὲν καθόλου τῶν πραγμάτων, τὰ δὲ καθ' ἕκαστον: hoc est, *Rerum aliæ sunt vniuersales aliæ singulares.* At videtur illa diuisio non esse legitima: 1, Quia membrum illius primum non consentit cum distributo. Omne enim ens habet propriam existentiam. Nullum autem vniuersale habet propriam existentiam: siquidem *Omne quod est, eo ipso quod est, singulare est*, vt ait Boetius. 2, Quia membra ipsa diuisionis inter se non dissentiunt. Omne enim ens vniuersale essentialiter prædicatur de singulari sibi subiecto, v. g homo de Socrate, equus de Bucephalo, &c. 3, Quia vniuersale non tantum opponitur singulari, sed sæpe etiam particulari, quod singulare non est. Nihilominus contraria potius

Rationes pro thesi negãte. I. II. III.

Thesis affirmatiua aptatur.

potius sententia est sequenda. Nam primum falsum est, nullum vniuersale habere propriam existentiam, vt in sequente capite probabitur. Deinde, nullum ens vni- *Soluūtur ra-* uersale, qua vniuersale, est singulare, neque singulare, qua *tiones pro* singulare, est vniuersale. Ideoque membra diuisionis o- *thesi negāte.* mnino inter se dissentiunt. Neque obstat quod in propositione ens vniuersale de singulari essentialiter prædicatur. Illa enim prædicatio non efficit, vt ens vniuersale vnquam fiat singulare, & singulare vniuersale. Denique vniuersale semper opponitur singulari aduerse: particulari vero disparate, præsertim, quatenus pro generali vel communi vsurpatur.

17 *Quid sit ens vniuersale & singulare?*

APud Aristotelem quatuor potissimum reperio definitiones entis vniuersalis & singularis. Prima habetur in libro Categor. cap. 1. in titulo περὶ τῶν ὄντων. Ibi enim ens vniuersale definitur, quod de subiecto aliquo prædicatur; *Singulare, quod de nullo subiecto prædicatur.* Altera extat in libro De interpretatione cap. 7. λέγω καθόλου μὲν, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι, καθ' ἕκαστον δὲ ὃ μή. *Vniuersale dico quod sua natura aptum est prædicari de pluribus: Singulare vero quod non.* Tertia in lib 7. Metaphys. cap. 13. τοῦτο λέγεται καθόλου ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε, hoc est, *illud dicitur vniuersale quod sua natura aptum est pluribus inesse.* Quarta, in lib. 1. Poster. analyt. c. 24. τὸ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ καθόλου φαμὲν εἶναι. *Quod semper & vbique est, vniuersale vocamus.* Vbi etiam simul innuit, quid sit singulare, nimirum quod est τόδε τι καὶ ποῦ καὶ νῦν, id est, *hoc aliquid & alicubi, & nunc.* Ait enim vniuersale neque esse hoc aliquid, neque alicubi, neque nunc.

Afferuntur definitiones 4. ex Aristotele.

I. *II.* *III.* *IV.*

Ex quibus definitionibus colligo. 1. Ens vniuersale *Colliguntur* quatenus vt incomplexum consideratur, esse, quod essen *ex definitio-* tiam habet multis (scilicet inferioribus sibique subiectis) *nibus Aristo-* communicabilem, seu, quod in multis per essentiæ com- *telis quatuor* municationem existere aptum est: Ideoq; secundum na- *theoremata.* turalem prædicandi ordinem de multis essentialiter prædicari potest. *I.* Singulare vero esse quod essentiā habet indiuiduā, aliisque (scilicet inferioribus sibique subiectis) incommunicabilē. Ideoq; neq; secundū naturalem prædicādi ordinē de alio prędicari potest 2. Omne ens singu- *II.*

& concretum non æquipollere enti incomplexo & complexo: tum, quia etiam non entibus competant; tum, quia tam abstractum quam concretum quandoque possit esse ens incomplexum, vt sapientia, caliditas, albedo, homo, animal, Deus, &c.

15 *An absolutum semper opponatur respectiuo?*

Absolutum quid, variis modis dicitur.

Diuisimus supra in præceptis ens generaliter sumptum in absolutum & respectiuum. Vt igitur hæc diuisio illustretur, non immerito quæritur, *vtrum absolutum semper opponatur respectiue?* Ac cum vocabulum illud *absolutum*, sit homonymum, & modo vsurpetur pro
I. perfecto; modo pro
II. indeterminato & conditionis experte,
III. modo pro eo quod sine comparatione intelligitur, modo pro eo quod in respectu ad aliud consistit: hinc manifeste liquet, absolutum non semper opponi respectiuo; sed modo inchoato & imperfecto, modo determinato seu conditionato, modo comparato, modo denique respectiuo. Sic opus absolutum dicitur quod perfectum est. Necessitas absoluta, quæ non est conditionalis. Bonitas absoluta quæ enti simpliciter inest sine comparatione ad aliud. Deus dicitur ens absolutum, quatenus sine respectu ad aliud consideratur.

Absolutum non semper opponitur respectiuo.

16 *An ens recte diuidatur in vniuersale & singulare?*

Vulgata est in Philosophia diuisio entis in vniuersale & singulare: cuius etiam passim in suis scriptis summus ille Naturæ genius & interpres Aristoteles mentionem facit; inprimis vero in libro De interpretatione, cap. 7. statim à principio, dum ait: ἐστὶ τὰ μὲν καθόλου τῶν πραγμάτων, τὰ δὲ καθ' ἕκαστον: hoc est, *Rerum aliæ sunt vniuersales aliæ singulares.* At videtur illa diuisio non esse legitima:

Rationes pro thesi negate.

I. 1, Quia membrum illius primum non consentit cum distributo. Omne enim ens habet propriam existentiam. Nullum autem vniuersale habet propriam existentiam: siquidem *Omne quod est, eo ipso quod est, singulare est*, vt ait Boetius.
II. 2, Quia membra ipsa diuisionis inter se non dissentiunt. Omne enim ens vniuersale essentialiter prædicatur de singulari sibi subiecto, v.g homo de Socrate, equus de Bucephalo, &c.
III. 3, Quia vniuersale non tantum opponitur singulari, sed sæpe etiam particulari, quod singulare non est. Nihilominus contraria potius

Thesis affirmatiua approbatur.

potius sententia est sequenda. Nam primum falsum est, nullum vniuersale habere propriam existentiam, vt in sequente capite probabitur. Deinde, nullum ens vniuersale, qua vniuersale, est singulare, neque singulare, qua singulare, est vniuersale. Ideoque membra diuisionis omnino inter se dissentiunt. Neque obstat quod in propositione ens vniuersale de singulari essentialiter prædicatur. Illa enim prædicatio non efficit, vt ens vniuersale vnquam fiat singulare, & singulare vniuersale. Denique vniuersale semper opponitur singulari aduerse: particulari vero disparate, præsertim, quatenus pro generali vel communi vsurpatur.

Soluuntur rationes pro thesi negãte.

17 *Quid sit ens vniuersale & singulare?*

Afferuntur definitiones 4. ex Aristotele.

APud Aristotelem quatuor potissimum reperio definitiones entis vniuersalis & singularis. Prima habetur in libro Categor. cap. 1. in titulo περὶ τῶν ὄντων. Ibi enim ens vniuersale definitur, quod de subiecto aliquo prædicatur; *Singulare, quod de nullo subiecto prædicatur.* Altera (I.) extat in libro De interpretatione cap. 7. λέγω καθόλου μὲν, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι, καθ' ἕκαστον δὲ ὃ μή. (II.) *Vniuersale dico quod sua natura aptum est prædicari de pluribus: Singulare vero quod non.* Tertia in lib 7. Metaphys. cap. 13. τὸ δὲ (III.) λέγεται καθόλου ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε, hoc est, *illud dicitur vniuersale quod sua natura aptum est pluribus inesse.* Quarta, in lib. 1. Poster. analyt. c. 24. τὸ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ κα- (IV.) θόλου φαμὲν εἶναι. *Quod semper & vbique est, vniuersale vocamus.* Vbi etiam simul innuit, quid sit singulare, nimirum quod est τόδε τι καὶ ποὺ καὶ νῦν, id est, *hoc aliquid & alicubi, & nunc.* Ait enim vniuersale neque esse hoc aliquid, neque alicubi, neque nunc.

Colliguntur ex definitionibus Aristotelis quatuor theoremata.

Ex quibus definitionibus colligo. 1, Ens vniuersale quatenus vt incomplexum consideratur, esse, quod essentiam habet multis (scilicet, inferioribus sibique subiectis) communicabilem, seu, quod in multis per essentiæ communicationem existere aptum est: Ideoq; secundum naturalem prædicandi ordinem de multis essentialiter prædicari potest. (I.) Singulare vero esse quod essentiã habet indiuiduã, aliisque (scilicet inferioribus sibique subiectis) incommunicabilẽ. Ideoq; neq; secundũ naturalem prædicãdi ordinẽ de alio prędicari potest 2, Omne ens singu- (II.)

lare secundum Aristotelem tribus conditionibus indiuidantibus esse circumscriptum, vt sit. 1, hoc aliquid. 2, in certo loco. 3, in certo tempore. Ens autem vniuersale ab his omnibus conditionibus esse liberum, vt neque sit hoc aliquid, cum sit commune pluribus; neque in certo loco cum sit vbique, hoc est, in omnibus suis indiuiduis, vbicunque locorum reperiantur; neque in certo tempore, cum sit semper, hoc est, quamdiu singulare aliquod existit.

III. 3, Ens vniuersale non tantum ratione, sed realiter differre ab ente singulari: neque idem esse singulare, ac vniuersale per conditiones indiuiduantes contractum.

IV. 4, Nullum ens vniuersale separatim extra singulare existere, vt idem Aristot. affirmat lib. 7. Metaphys. c. 16.

18 *An entia vniuersalia sint aliquid extra intellectum?*

Pro thesi negante Rationes. DE hac quæstione grauis est controuersia inter Philosophos tam veteres quam recentiores. Alii enim thesin negantem; alii affirmantem defendunt. Rationes

I. pro thesi negante sunt duæ præcipuæ. 1, Quia omne ens quod extra intellectum in natura vere & positiue exsistit, est ens singulare. Idcirco etiam Boetius inquit: *Omne quod est eo ipso quod est, singulare est.*

II. 2, Quia entia vniuersalia nihil aliud sunt, quam mera entia rationis quippe quæ sola mentis cogitatione ab entibus singularibus abstrahuntur & citra illam nihil sunt.

Pro thesi affirm. Rationes. Rationes pro thesi affirmāte sunt quinque præcipuæ: 1, Quia entia vniuersalia reipsa sunt in suis singularibus, & extra ea non reperiuntur, vt patet ex præcedente quæ-

I. stione. Ergo cum entia singularia extra intellectum vere & positiue in natura existant, sequitur idem de vniuer-

II. salibus non posse negari. 2, Quia entia vniuersalia vere & essentialiter prædicantur de suis singularibus. Ergo cum Dici de aliquo requirat inesse; & modus prædicandi sequatur modum essendi; necesse est, vt entia vniuersalia vere & essentialiter insint suis singularibus, &, per consequens, aliquid sint extra intellectum.

III. 3, Quia dantur in intellectu conceptus non tantum singulares, sed etiam vniuersales. Ergo sicut conceptus singulares sunt signa & simulachra rerum singularium; ita etiam conceptus vniuersales sunt signa & simulachra rerum vniuersalium extra intellectum existentium.

4, Quia

4. Quia omnes artes & disciplinæ præter Theologiam sacram directe & per se versantur in contemplandis & explicandis entibus vniuersalibus; non vero singularibus: Ergo aut statuendum est nullam artem & disciplinam entia extra intellectum existentia directe & per se considerare & tractare; aut concedendum est entia vniuersalia aliquid esse extra intellectum. *IV.*

5. Quia entia vniuersalia vere existunt, vereque multis communicantur antequam ab intellectu apprehenduntur. Ergo non sunt entia rationis, quæ sola mentis cogitatione sunt & citra eam nihil sunt. Pro decisione quæstionis distinguendum est inter *entia vniuersalia* quatenus sumuntur pro rebus vniuersalibus, & quatenus sumuntur pro conceptibus vniuersalibus, quibus tanquam signis & imaginibus res vniuersales repræsentantur. In prima significatione entia vniuersalia sunt aliquid extra intellectum. Et sic intellectæ rationes pro thesi affirmante allatæ sunt verissimæ. In altera significatione entia vniuersalia nihil sunt extra intellectum Sed rationes pro thesi negante adductæ nihil valent. Falsum enim est, *omne ens extra intellectum vere & positiue existens esse singulare*, tametsi Boetius hoc affirmet. Falsum etiam est, entia vniuersalia siue pro rebus siue pro conceptibus vniuersalibus accipiantur, esse mera entia rationis, quatenus ens rationis opponitur enti reali. Conceptus enim illi vniuersales manent etiam in intellectu cessante ipso cogitandi actu. *V.* *Deciditur quæstio.* *Refutantur rationes pro thesi negante allata.*

19 *Quomodo vniuersalia vulgo soleant diuidi, & quid de illis diuisionibus sit sentiendum?*

IN scriptis Scholasticorum tres potissimum occurrunt diuisiones vniuersalium. Prima est, quod vniuersale aliud est in causando, aliud in repræsentando, aliud in essendo, aliud in prædicando. Altera est, quod vniuersale aliud sit ante rem, aliud in re, aliud post rem. Tertia est, quod vniuersale aliud sit genus, aliud species, aliud differentia, aliud proprium, aliud accidens. Singulæ hæ diuisiones tametsi secundum leges bene diuidendi, quæ in Logicis traduntur, non sint conformatæ; tamen in sano sensu possunt aliquo modo admitti. 1. Si per *vniuersale in causando* intelligatur causa vniuersalis quæ ad multa *Diuisiones tres vniuersalium recensentur & explicantur.* *I.*

effecta communem influxum præstat: per *vniuersale in repræsentando*, conceptus & terminus communis, quo res vniuersalis significatur: per *vniuersale in essendo & prædicando* res vniuersalis quæ in multis essentialiter inesse, & de multis prædicari apta est. 2, Si per *vniuersale ante rem* intelligatur. Idea rei vniuersalis in mente diuina concepta: per *vniuersale in re*, ipsa res vniuersalis in singularibus existens: per *vniuersale post rem*, conceptus & terminus communis, quo res vniuersalis repræsentatur. 3, Si vniuersale consideretur non absolute quatenus est vniuersale, sed respectiue, quatenus est prædicabile. Sic enim quinque modis ens vniuersale de aliis prædicari aptum est, nempe aut οὐσιωδῶς aut ἐπουσιωδῶς. Si οὐσιωδῶς, aut in quæstione quid est, aut in quæstione quale quid est. Si in quæstione quid est, aut de pluribus diuersæ essentiæ specificæ, vt genus, aut de pluribus eiusdem essentiæ specificæ, vt species. Si in quæstione quale quid est, dicitur differentia essentialis. Denique si ἐπουσιωδῶς, aut necessario, vt proprium, aut contingenter, vt accidens. Vbi tamen etiam obseruanda sunt duo consectaria. 1, Vniuersale in causando non proprie dici vniuersale quatenus illud opponitur singulari. Ideoque etiam eius considerationem directe ad hunc locum non spectare. 2, Ens vniuersale quatenus consideratur vt prædicabile ad Dialecticam potius quam Metaphysicam pertinere.

20 *An ens aliud sit permanens, aliud successiuum?*

Tribus modis ens dici potest permanens vel successiuum.

TRibus modis ens dici potest vel permanens vel successiuum. 1, quod essentiam habet vel immutabilem, vel mutabilem. 2, quod vel in suo loco perseuerat, nec in alterius locum succedit. 3, quod vel totam suam essentiam simul possidet sine partium essentialium fluxu & additione; vel essentiam suam habet positam in continuo partium essentialium fluxu & additione. Atque in hac postrema significatione à nobis hoc loco ens permanens & successiuum accipitur. Sic *entia permanentia* sunt corpora naturalia, eorumque quantitas extensiua, qualitas & relatio. *Successiua* vero sunt motus & tempus excepto momentaneo. At videtur eiusmodi ens successiuum non posse actu dari in rerum natura. Cuius enim partes essentiales nunquam simul actu existunt, idipsum non

Obiectio contra ens successiuum.

non potest actu existere. Iam autem entis successiui partes essenciales nunquam simul actu existunt. Quæ enim sunt præteritæ, iam non sunt: & quæ sunt futuræ, nondum sunt. Ergo ens successiuum non potest actu existere. Respondeo, propositionem esse veram de ente permanente, quod ex partibus essentialibus est compositum; non autem de ente successiuo. Ens enim natura in eo cõsistit vt partes ipsius essentiales sibi mutuo succedant, simulque non existant. Et satis est ad actualem eius existentiam, si pars præsens actu existat, & sic partes præteritas & futuras inter se copulet. Præteritum enim dicitur, quod aliquando fuit præsens, Futurum, quod aliquando erit præsens. *Responsio ad obiectionem.*

De Attributis simplicibus entium in genere: ac primum de existentia,

CAPVT IV.

1 *Adhuc de generalissimis intelligibilium & entium distributionibus. Sequuntur communissima eorundem attributa, quæ vel sunt simplicia vel coniuncta.* *Fons. lib. 4. Metaph. c. 2. Q. 5. sect. 2.*

2 *Simplicia attributa sunt, quæ omni enti absolute conueniunt sine disiunctione oppositorum.* *Fr. Suar. disp. 3. sect. 2. contex. 2.*

3 *Eius generis sunt existentia & duratio.*

4 *Existentia est actus, quo ens existit pendens ab ipsius essentia.* *Existentia quid sit.*

5 *Eius tot sunt species, quot sunt species generales entis & essentia.*

6 *Hinc existentia alia est realis, alia imaginarta; alia increata, alia creata; alia absoluta alia respectiua; alia vniuersalis, alia singularis; alia substantialis, alia accidentalis, &c.*

1 *An ens quatenus ens, habeat veras aliquas & positiuas passiones seu proprietates?*

IN hac quæstione misere sese torquent Scholastici Doctores, vt patet saltem ex disputatione tertia Metaphysica Fr. Suarez sectio 1. Alii enim affirmant, alii negant. Pro thesi affirmante sunt hæ potissimum rationes. *Pro thesi affirmante.*

1. Quia ens quatenus ens, est subiectum Metaphysicæ. *I.* Cum igitur cuiuslibet scientiæ subiectum habeat veras aliquas & positiuas passiones seu proprietates, quæ de ipso demonstrantur, vt patet ex libr. 1. Poster. anal. cap. 8, cont. 75. Et lib. 4. Metaph. c. 2. sequitur idem de subiecto

II. Metaphysicæ non posse negari. 2, Quia vnum, verum, bonum ex communi Metaphysicorum consensu per se ac necessario insunt enti, quatenus ens est, deque eo demonstrantur: Omne enim ens quatenus ens est vnum, verum, bonum: Ergo necesse est vt concedatur ens, quatenus ens, habere veras aliquas & positiuas passiones.

Pro thesi negante. *I.* Pro thesi negante sunt hæ: 1. Quia omnis vera & positiua passio seu proprietas realiter differt à subiecto, cui inest. Iam autem omnia attributa quæ per modum passionis & proprietatis enti, quatenus ens est, assignantur, non differunt realiter ab ente. Sunt enim & ipsa entia. Ergo non sunt veræ & positiuæ passiones entis quatenus ens: nisi velimus statuere vnum ens posse esse passionem alterius entis, quatenus est ens: quod tamen est absurdum. *II* 2, Quia omnis vera & positiua passio addit intrinsecus ad subiectum suum cui inest, aliquid positiuum. *Consectaria.* 1. 2. Id autem non faciunt vnum, verum, bonum, & si quæ sunt similes passiones entis, quatenus est ens. Hæc enim nihil addunt enti præter negationẽ & relationem rationis seu denominationem extrinsecam: v. gr. Vnum, negationem diuisionis in se; Verum, relationem ad intellectum; Bonum, relationem ad voluntatem. Ergo vnum, verum, bonum, & si quæ sunt similes, non sunt veræ & positiuæ passiones entis, quatenus est ens.

Deciditur quæstio per 4. theoremata. *I.* Pro decisione quæstionis quatuor subiicio theoremata: 1. Vnum & idem eos diuerso respectu posse esse speciem entis & passionem seu adiunctum entis; speciem quidem, quatenus refertur ad aliquod ens tanquam genus; adiunctum vero, quatenus refertur ad aliquod ens tanquam subiectum. *II.* 2, Ens vniuersaliter sumptum vt genus, complectens sub se omnes species entis, non posse habere veras & positiuas passiones toto genere entis à se differentes, cum omnis vera & positiua passio sit ens: nihilominus, si illa entis vniuersalitas paululum limitetur, posse habere veras & positiuas passiones toto relationis genere à se differentes, etiam quatenus ens est. *III.* 3, Vnitatem, veritatem & bonitatem esse veras & positiuas passiones omnis entis quatenus est ens, si modo ipsæ à generalitate illa entis excipiantur, ad vitandum progressum in infinitum. *IV.* 4. Falsum & absurdum esse dogma Scholasticorum, quod passiones entis, cuiusmodi sunt vnitas,

vnitas, veritas & bonitas nihil addant enti præter negationem & relationem aliquam rationis, seu denominationem extrinsecam, vt in sequentibus probabitur.

2 *Quot sint passiones seu proprietates entis quatenus est ens?*

DE numero passionum, quæ enti quatenus est ens, competunt, dissentiunt inter se Metaphysici. Alii enim tres tantum ponunt, nempe vnum, verum, bonum. Et hæc est communis Scholasticorum opinio, quam etiam Fran. Suarez sequitur. Alii his tribus adiiciunt existentiam & durationem. Alii distinguunt passiones entis in simplices & coniunctas seu complexas. Ad simplices referunt vnum, verum, bonum. Ad coniunctas infinitum & finitum, actum, potentiam, idem & diuersum, & id genus alias. *Sententia aliorũ de numero passionum recẽsentur & reiiciuntur.*

Cæterum nulla ex his opinionibus perfectum numerum passionum entis quatenus est ens, attingit. Idcirco nos ad complendum defectum multas superioribus adiecimus, vt doctrina attributorum deinceps explicanda reipsa testabitur. Vbi etiam admonitos volo Lectores candidos, me ea quæ à Scholasticis passiones seu affectiones entium appellantur, maluisse attributa entium nominare. Idque potissimum propter Deum, in quem proprie non cadunt passiones seu affectiones; sed tantum metaphorice secundum nostrum concipiendi modum. *Admonitio.*

3 *An existentia differat ab essentia entis & quomodo?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia existentia est actus, quo ens ex stit. Essentia vero est actus, per quem ens est id quod est. 2, Quia existentia entis in creaturis habent se ad essentiam tanquam effectum ad causam. 3, Quia existentia in creaturis naturæ ordine posterior est essentia & hanc præsupponit. Vnde Zabarella lib. 2 Phys. de materia prima cap. 3. *Existentiam dicit esse quiddam additum essentiæ.* 4, Quia ad existentiam entis in creaturis plura requiruntur, quam ad essentiam. Multa enim sunt, sine quibus ens existere non potest, quæ tamen ad essentiam ipsius constituendam nihil conferunt. Sic ad existentiam hominis requiruntur proprietates ipsius essentiales. Sine his enim existere homo ne- *Pro thesi affirmãte. Rationes. I. II. III. IV.*

quit. Ad essentiam tamen hominis constituendam nihil conferunt. Et hoc idem Zabarella in loco citato testatur, inquiens: *Plura requiruntur ad existentiam tribuendam, quam ad essentiam rei constituendam.* Essentiam enim propriam quælibet res habet per seipsam. At non quælibet res apta est per seipsam existere; Sed multa
V. sunt, quæ alio indigent per quod existant. 5, Quia existentia entis potest concipi & intelligi sine illius essentia
VI. & retro. 6, Quia quæstio an sit, differt à quæstione quid sit. In illa enim de existentia, in hac de essentia entis quæ-
VII. ritur. 7, Quia existentia est passio seu affectio entis. Essentia autem non.

Quomodo existentia ab essentia differat. Cæterum vlterius quæritur, quomodo existentia ab essentia differat, realiter an sola ratione? Respondeo, distinguendum esse inter existentiam entis increati & creati. Illa enim realiter non differt ab essentia, sed sola ratione. Sicut enim Deus est sua essentia, ita etiam sua existentia. Hæc vero non sola ratione, sed etiam realiter ab essentia discernitur, quemadmodum patet ex rationibus antea allatis. Proinde grauiter errat cum Scholasticis Fr. Suar. disp. 31. sect. 6. cont. 1. quando asserit: *Essentiam creatam in actu extra causas constitutam non distingui realiter ab existentia.* Item sect. 13. context. 18. *Existentiam nihil aliud esse, quam essentiam in actu constitutam.* (*Error F. Sua.*)

4 *An omne ens quatenus ens habeat existentiam?*

Pro thesi affirmante Rationes. Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia existentia est proprietas cuiusque entis quatenus ens est. Ideoque à nullo ente abesse potest. 2, Quia arctus &
I. inseparabilis nexus est inter existentiam & essentiam,
II. ita vt nulli enti possit vere attribui essentia, quin etiam necesse sit attribui existentiam. Siquidem existentia immediate fluit ab essentia entis tanquam effectum à sua
III. proxima causa efficiente. 3, Quia destructa existentia destruitur ipsa essentia, & ex cõsequenti ipsum ens. Hinc recte Fr. Suarez disput. 31. sect. 12. context. 2. asserit, impossibile esse ita separari existentiam ab essentia, vt conseruetur existentia destructa essentia. Item context. 5. fieri non posse de absoluta Dei potentia vt essentia creata conseruetur in rerum natura, & extra causas, sine vlla existentia. Concludo igitur erroneam & absurdam esse (*Error quorũdã Scholast. taxatur.*)

quorun-

quorundam Scholasticorum opinionem, qui putant existentiam ab ente, eiusque essentia esse separabilem, seu quod idem est, ens aliquod posse virtute Dei conseruari sine vlla omnino existentia. Neque valet obiectio: Ens rationis, ens præteritum & futurum destituitur existentia. Ergo quoddam ens non habet existentiam. Talis enim est existentia quale est ens. Proinde ens rationis existentiam habet imaginariam; ens præteritum existentiam præteritam; ens futurum existentiam futuram. *Obiectio.* *Responsio ad obiectionem.*

5 *An omne ens habeat existentiam propriam?*

IN hac quæstione Fr. Suarez disp. 31. sect. 12. contex. 19. & sequentibus thesin affirmantem defendit. Dicit enim non posse rem existere per alienam existentiam absque propria. Fundamentum ipsius præcipuum est, quia existentia non realiter differt ab essentia entis; Imo nihil aliud est quam ipsa essentia in actu constituta. At hæc hypothesis non conceditur Suarez, & supra à nobis fuit refutata. Pr. 3. Idcirco veriores & firmiores sunt rationes quæ ab aliis pro asserenda hac sententia afferri solent: cuiusmodi sunt; 1, Quod omne ens habet propriam essentiam. Ideoque cum existentia ab essentia pendeat tanquam effectum à sua causa efficiente proxima, sequitur aut omne ens habere propriam existentiam: aut aliquod ens non habere propriam essentiam: quod est absurdum. 2. Quod omne ens sicut per alienam essentiam non est ens; ita neque per alienam existentiam existit. Aut si per alienam existentiam existit, sequitur per alienam etiam essentiam esse ens: quod est absurdum. Quod si quis excipiat, naturaliter quidem omne ens habere propriam existentiam & absque ea existere non posse: nihilominus virtute Dei fieri posse, vt ens aliquod supernaturaliter existat per alienam existentiam absque propria. *Pro thesi affirmante Ratio.* *I.* *II.* *Exceptio.*

Ad hanc exceptionem respondent contrariæ sententiæ defensores, id non fieri posse, ne per potentiam quidem Dei absolutam: propterea quod manifesta fiat implicatio contradictionis, si quis dicat ens aliquod esse verum ens, veramque ac propriam habere essentiam in mundo; & tamen propria existentia destitui, vt liquet ex rationibus antea allatis. *Responsio ad exceptionem.*

6 An existentia vnius entis possit alteri communicari non communicata ipsius essentia?

Pro thesi negante Rationes.

HVius quæstionis decisio pendet à præcedentium enodatione. Cum enim existentia sit adiunctum essentiale cuiusq; entis: & ab essentia entis immediate fluat tanquam effectum à causa; sequitur existentiam vnius
I. entis non posse alteri communicari sine essentiæ com-
II. municatione. Nullum enim adiunctum essentiale alteri communicari potest sine essentiæ cõmunicatione. Nullum etiam effectum alteri attribui potest sine causæ, à
III. qua immediate pendet, attributione. Quod si existentia vnius entis alteri communicaretur non communicata essentia; sequeretur existentiam ab essentia esse separabilem, neque inter vtramque nexum esse indissolubilem, Cum igitur consequens hoc sit absurdum, sequitur absurdam etiam esse hypothesin, ex qua infertur.

7 An vnius entis, vna tantum sit existentia?

Thesis affir. asseritur.

SI quis superficietenus duntaxat hanc quæstionem consideret, statuere aliter non potest, quam vnius entis vnam tantum esse existentiam. Absurdum enim videtur vni enti plures existentias tribuere. Quod si vero diligenter expendat quæstionem 4. capitis 3. lib. 1. eamque conferat cum quæstione 3. 4. & 5 huius capitis: reipsa animaduertet thesin affirmantem quæstionis propositæ non esse simpliciter veram. Cum enim existentia pendeat ab essentia tanquam effectum à causa; sequitur vnius entis tot esse existentias quot sunt essentiæ. Ideoque sicut vnius entis essentia vna est absoluta, altera respectiua, vna singularis, altera vniuersalis; vna generica, altera specifica: ita etiam vnius entis existentiam esse variam ac diuersam: Et sic verum est effatum illud, *Talis est existentia, qualis est essentia.* Item, *Existentia debet esse proportionata essentia.*

8 Vtrum existentia sit tantum entium singularium, an vero etiam vniuersalium?

Existentia non tantum est singular. sed etiam vniuers.

PRobatum supra fuit problemate 4. & 5. omne ens habere existentiam & quidem propriam. Quod si ita est, necessario sequitur non tantum entia singularia, sed etiam vniuersalia suam habere existentiam. Non enim tantum singularia; sed etiam vniuersalia sunt vera entia.

vt

vt patet ex P.15. 16. & 17. capitis 3. At contra hanc conclusionem obiici potest, entia vniuersalia non existere nisi in singularibus, & extra ea nuspiam reperiri. Ideoq; non habere propriam existentiam à singularium existentia distinctam, sed per existentiam duntaxat singularium existere. Respondeo verum quidem esse, quod entia vniuersalia non existant nisi in singularibus. Sed inde non rectè concluditur illa non habere propriam existentiam à singularium existentia distinctam. Nam in eo ipso distinguitur existentia entium vniuersalium à singularium existentia, quod illa in hac, non vero hæc in illa sit fundata. Sicut enim entia vniuersalia suam essentiam habent fundatam in essentia singularium: ita etiam suam existentiam habent fundatam in existentia singularium. Et in hoc sensu conceditur etiam distinctio illa entis vniuersalis & singularis à ratione existentiæ desumpta, quod illud per se & immediate; hoc per aliud & mediate existat. Non enim possibile est, vt ens vniuersale existat nisi per sua singularia, seu mediantibus singularibus.

Obiectio.

Responsio.

9 *An sit discrimen inter existentiam & subsistentiam?*

SI vocabula ipsa eorumque originem in se spectes, non videtur vllum esse discrimen inter existentiam & subsistentiam. Sicut enim idem sunt existere & subsistere; ita etiam existentia & subsistentia. Si vero vsum peculiarem spectes, quem habent illa vocabula in doctrina Scholasticorum; differunt inter sese tanquam genus & species. Existentia enim est actus, per quem vnumquodque ens existit. Subsistentia vero est actus per quem vnumquodque suppositum, hoc est, substantia singularis completa subsistit. Eaque sub se comprehendit subsistentiam personalem, quæ proprie est actus, per quem persona, hoc est, substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis subsistit.

Existentia & subsistentia differunt in doctrina scholasticorum.

10 *An dentur diuersæ species existentiæ?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1. Quia existentia debet esse proportionata ipsi enti, eiusque essentiæ. Ergo sicut dantur diuersæ species entis & essentiæ: ita necesse est dari quoq; diuersas species existentiæ. Licet enim omnes existentiæ inter se conueniant ratione generis, & quædam etiam inter se maiorem vel minorem habeant similitudinem, non secus ac ipsa entia,

Pro thesi affirmante Rationes.

I.

Fr. Suarez disp. 31. sect. 13. conte: .9.

eorumque essentiæ: tamen vnaquæq; existentia per proprium & peculiarem modum determinatur ad certã speciem, quæ essentialiter ab aliis est distincta. 2, Quia vna
II. existentia est realis, altera rationis, seu imaginaria: vna increata, altera creata: vna absoluta, altera respectiua: vna vniuersalis, altera singularis: vna substantialis, hoc est, substantiæ propria; altera accidentalis, hoc est, accidentis propria, &c. Illæ vero existentiæ omnes, & si quæ eius generis sunt aliæ, differunt inter se specie, diuersisq; specie entibus & essentiis respondent. 3. Quia si diuersæ species
III. existentiæ non dantur, sequitur neq; diuersas species essentiæ dari. Talis enim est existentia, qualis est essentia, quippe quæ ab essentia, tanquam à suo principio pendet. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens.

De duratione Entium,

Capvt V.

1 *Duratio est permansio entis in actu existendi.*

2 *Estque vel æternitas vel tempus. Omne enim ens est vel æternum, vel temporale.*

3 *Æternitas est duratio, à qua ens denominatur æternum.*

4 *Estque vel absoluta, vel limitata.*

5 *Absoluta æternitas est duratio simpliciter infinita & immutabilis entis increati.*

6 *Limitata æternitas, est duratio secundum quid infinita entis creati, quæ principium quidem & successionem habet, sed fine destituitur, siue in sese siue respectu nostri.*

7 *Tempus est duratio simpliciter finita & mutabilis entis creati, à qua illud denominatur, temporale.*

8 *Estque vel momentaneum, vel successiuum.*

9 *Momentaneum est, quod partium successionem secundum prius & posterius excludit.*

10 *Successiuum est, quod partium successionem secundum prius & posterius admittit.*

11 *Eius differentia & quasi partes sunt præsens, præteritum & futurum.*

12 *Vtrumque tempus vel est reale, vel imaginarium.*

13 *Tempus reale est, quod reuera extra intellectũ reperitur.*

14 *Estque vel intrinsecum, vel extrinsecum.*

15 *Intrinsecum tempus est duratio, per quam ens creatum reuera in sua existentia permanet.*

16 *Estque*

16 *Estque vel substantiale, vel accidentale.*

17 *Substantiale tempus est, quod substantiis creatis inest.*

18 *Estque vel hyperphysicum vel physicum.*

19 *Hyperphysicum est, quod proprium est substantiæ spiritualis seu incorporeæ.*

20 *Physicum, quod proprium est substantiæ corporeæ.*

21 *Accidentale est, quod accidentibus inest.*

22 *Extrinsecum tempus est duratio certa ac determinata partim Dei, partim hominum sapientium voluntate & consilio instituta ad mensurandum & notificandum tempus intrinsecum.*

23 *Eius species sunt hora, dies, mensis, annus, lustrum, seculum; item ver, æstas, autumnus, hyems & id genus alia, de quibus agere ex instituto non pertinet ad Metaphysicam.*

24 *Tempus imaginarium est, quod sola mentis cogitatione fingitur, & extra eam nihil est.*

IN CAPVT QVINTVM

PROBLEMA I.

An duratio sit affectio propria entis, quatenus ens est?

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia omne ens sicut habet existentiam, ita etiam durationem: eaque in rebus creatis non pertinet ad perfectionem essentialem entis sed accidentalem. 2, Quia duratio nihil aliud est quam permanentia seu perseuerantia entis in actu existendi. Illud enim proprie dicitur durare, quod in sua existentia permanet seu perseuerat. Iam autem certum est permanentiam entis in actu existendi esse affectionem propriam entis, quatenus ens est. Nullum enim ens est quod non vel semper, vel aliquandiu in sua existentia permaneat. Ergo de duratione quoque negari non potest, quod sit affectio propria entis, quatenus ens est. Quod si quis obiiciat solum ens præsens habere vt existentiam, ita etiam durationem; non vero ens præteritum vel futurum. Ideoque durationem non esse affectionem propriam entis quatenus ens est. Ad hanc obiectionem respondeo, talem esse durationem qualis est existentia. Ac proinde si existentia sit vel præsens, vel præterita, vel futura, durationem quoque esse vel præsentem, vel præteritam, vel futuram. Non igitur solum ens præsens habere existentiam & durationem; sed

Pro thesi affirmante. *I.* *II.* *Obiectio.* *Responsio ad obiectionem.*

etiam ens præteritum & futurum. Vnumquodque vero talem, quæ naturæ suæ sit proportionata.

2 *An duratio differat ab existentia & quomodo?*

Pro thesi affirm. rationes

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1. Quia existentia est actus per quem ens existit. Duratio vero est permansio entis in sua existentia.

I.

2, Quia duratio in rebus creatis naturæ ordine posterior est existentia. Ens enim creatum prius incipit existere quam durare, saltem in primo momento productionis.

II.

3, Quia duratio immediate pendet in rebus creatis à continua conseruatione existentiæ. Existentia vero ab essentia entis.

III.

4, Quia duratio in rebus creatis recipit magis & minus secundum extensionem. Vnum enim ens creatum diutius durat, quam alterum. Existentia autem non itidem.

IV.

5, Quia duratio fundata est in existentia. Quicquid enim durat, id existit, & nisi existeret, non duraret. Non autem vice versa, existentia fundata est in duratione, nisi posterius fundamentum statuatur prioris, quod est absurdum.

V.

Quomodo duratio ab existentia differat.

Proinde concludo durationem differre ab existentia, in ente quidem increato, ratione duntaxat; in ente vero creato realiter. Neque approbandam esse opinionem Fr. Suarez, qui disput 30. sect. 1. context. 5. simpliciter asserit, durationem & existentiam distingui tantum ratione.

Error Fr. Su. taxatur.

3 *An dentur diuersæ species durationis?*

Pro thesi affirmante Rationes.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt. 1, Quia duratio debet esse proportionata existentiæ. Ergo sicut dantur diuersæ existentiæ species, vt P. 10. cap. 4. probatum fuit: ita etiam necesse est dari diuersas species durationis.

I.

2, Quia duratio alia est realis, alia imaginaria; alia increata seu infinita, alia creata seu finita; alia intrinseca, alia extrinseca; alia substantialis, alia accidentalis; alia physica, alia hyperphysica.

II.

3, Quia si omnes durationes specie inter se conuenirent, sequeretur neque existentias specie inter se differre. Talis enim est duratio, qualis est existentia. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens.

III.

4 *An omnis duratio proprie possit dici tempus?*

Sententia aliorum exponitur & improbatur.

SVnt quidam magni nominis Philosophi & Theologi, qui omnem durationem entiū vocant *tempus*: omneque ens, sicut suam existentiam; ita etiam suum tempus in existen-

existentia fundatum habere autumant. Hinc quia ens aliud est infinitum, aliud finitum, statuunt tempus quoque aliud esse infinitum, aliud finitum. Per tempus autem infinitum nihil aliud intelligunt quam ipsam æternitatem Deo creatori competentem. Per tempus finitum, durationem creaturæ propriam. Etsi vero hæc sententia in eo sensu, qui iam explicatus est, nihil absurditatis continet; tamen vt bona doctorum illorum virorum pace dixerim, non videtur esse recipienda & approbanda propter sequentes rationes: *Pro thesi negante Rationes.*
1, Quia vsus communis recte loquentium tot seculis approbatus reclamat, vt voce *temporis* significetur æternitas. Non autem licitum est vni atque alteri viro quamlibet docto, *τὴν κειμένην ὀνομασίαν παραβαίνειν, καὶ τοῖς ἀλλοτρίοις ὀνόμασι τὰ πράγματα προσαγορεύειν*; non minus ac innouare monetam, cuius valor ex communi pacto & consensu hominum dependet. *I. Aristotel. lib. 2. Top. c. 1. & 2.*
2, Quia natura ipsarum rerum voce temporis & æternitatis significatarum repugnat. *II.* Sunt enim æternitas & tempus distinctæ & oppositæ species durationis, quarum illa increata est & infinita; hæc creata & finita. Vnde etiam fit, vt eum in sacris literis, tum in Philosophia æternum semper opponatur temporali; neque vnquam ens temporale proprie & absolute dicatur æternum. Licet enim scriptura sacra alibi faciat mentionem *χρόνων αἰωνίων*, tamen per vocabula illa non intelligit tempora æterna, vt quidam perperam vertunt; sed tempora secularia, hoc est, certis seculis mensurata: seu, vt Zanchius explicat, totum tempus quod à condito orbe vsque in finem mundi fluit. *2. ad Tim. 1. v. 9. Ad Tit. 1. v. 2.* Et certe ipsa vox Græca *αἰών*, modo proprie *æternitatem*, modo improprie *seculum* significat.
3, Quia si omnis duratio proprie dici posset tempus, sequeretur Deum quoque qui ab æterno, in æternum semper existit & durat, non incommode dici posse temporeum seu tempori subiectum. *III.* Sed hoc videtur plane esse absonum non tantum à communi loquendi consuetudine; sed etiam à natura ipsius Dei. Ergo hypothesis antecedens non videtur esse concedenda, quemadmodum infra pluribus demonstrabitur. *IV. Aug. Tom. 2. De ciuitate Dei libro 11. c. 6. Nazian. in orat. in Theophania. Damasc. libr. 2. de æternit. c. 16.*
4 Idem testantur Theologi veteres, præsertim Augustinus, Nazianzenus & Damascenus. Ille enim refutans sententiam eorum, qui ante mundum conditum infinita

temporum ſpatia eſſe contendebant, expreſſe ait, ante mundum conditum nullum fuiſſe tempus, quia nulla erat creatura; ideoque nihil mutationi obnoxium. Hi vero aſſerunt, æternitatem proprie dictam neque eſſe tempus, neque temporis partem, cum non ſit menſurabilis.

5 *An vox æternitatis ſemper vno & eodem modo vſurpetur?*

Vox æternitatis eſt homon.

STatuitur theſis negatiua. Vox enim *æternitatis*, modo proprie, modo improprie vſurpatur. Proprie ſignificat durationem ſimpliciter infinitam & creatam. Et ſic dici poteſt æternitas abſoluta & illimitata. Quo ſenſu ſolus Deus dicitur æternus. Improprie ſignificat 1. durationem finitam & creatam; ſed primo eam quæ ſimpliciter nunquam deſinit ſeu finem habet: tametſi habeat ſuum initium. Quo ſenſu vita & beatitudo qua pii in cælo fruentur, dicitur æterna; & cruciatus, quo impii in inferno affligentur, dicitur pœna ſeu ignis æternus. Secundo, quæ ſecundum quid finem non habet, nempe vel ante interitum mundi, vel ante obitum hominis. Quo ſenſu Fœdus Euangelicum dicitur æternum, quia ſemper durabit & nunquam abrogabitur vſque ad finem mundi. Item amicitia dicitur æterna, quæ tam diu durat quam diu durat vita eorum, inter quos eſt contracta. Tertio, quæ valde longa eſt & diuturna, ita vt eius terminus à nobis percipi & notari non poſſit. Quo ſenſu quod per multa ſecula durat, dicitur *æternum*. Sicut enim quod difficillimum eſt, ſolet dici impoſſibile; & quod eſt ingentis magnitudinis, ſolet dici *immenſum* vel *infinitum*; ita quod longiſſime durat, vocari ſolet *æternum*. 2, Veritatem perpetuam & neceſſariam. Quo ſenſu Ariſtoteles lib. 6. Ethic. cap. 3. & alibi dicit ſcientiam verſari circa res æternas, hoc eſt circa enunciata neceſſaria, quæ ſemper vera ſunt & nunquam falſa. 3, æternum ſumitur pro eo quod ſignificat & præfigurat rem æternam ſeu perpetuam. Quo ſenſu regnum Dauidis & Salomonis in Scriptura dicitur æternum, quia typus erat regni Chriſti in æternum duraturi.

Propria ſignific. — *Impropria ſignif.* — *I.* — *II.* — *III.*

Ex quibus ſignificationibus prima & ſecunda maxime à nobis hoc loco conſiderantur. Vnde in præceptis æternitas duplex ſtatuitur, abſoluta & limitata.

6 *An*

6 *An diuisio durationis in æternitatem & tempus, sit vera & perfecta?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia *Pro thesi af-*
æternitas & tempus sunt species inter se oppositæ, ea- *firmante.*
que cum duratione tanquam genere omnino consenti- *I.*
unt. Omnis enim duratio, aut est increata & infinita, vt
æternitas; aut creata & finita, vt tempus. 2, Quia nulla *II.*
species durationis est, quæ ad alteram partem diuisionis
referri non possit. Sicut enim omne ens aut est æternum
aut temporale; ita etiam duratio entis aut est æternitas
aut tempus At vero contra vtramque rationem à nobis *Obiectio.*
allatam obiici potest. 1, æternitatem esse speciem tempo- *I.*
ris: ideoque æternitatem & tempus inter se non opponi.
2, præter æternitatem & tempus alias esse species dura- *II.*
tionis, nempe æuum & momentum.

Ad primam obiectionem respondeo, æternitatem non *Responsio ad*
esse speciem temporis si proprie & absolute accipiatur, *1. obiectionē.*
vt paret ex P. 4.

Ad alteram respondeo, æuum & momentum proprie *Ad II.*
esse species temporis. Æuum enim proprie significat ætatem longam: Postea vero à Scholasticis detortum fuit illud vocabulum ad significandam durationem ab æternitate absoluta & tempore distinctam, quæ à nobis dicta fuit *æternitas limitata*. Momentum vero est tempus successionis expers, seu, vt alii volunt, pars temporis præsens, qua tanquam vinculo præterita & futura cohærent.

7 *Quid sit æternitas absoluta?*

VAriæ reperiuntur definitiones æternitatis absolutæ *Diuersa def-*
tam apud Philosophos quam apud Theologos. A- *nitiones a-*
liis enim est interminabilis vitæ tota simul & perfecta *ternitatis*
possessio. Aliis duratio absolute necessaria independens *absoluta af-*
& immutabilis. Aliis duratio, quæ nec principium nec fi- *feruntur &*
nem habet, nec habere potest. Aliis duratio, principio, *approbantur.*
successione & fine carens. Aliis, duratio immensurabi- 1.
lis & interminabilis. Omnes autem hæ definitiones, etsi 2.
verborum formula inter se differunt; tamen in sensu 3.
omnino inter se conueniunt; ita vt singulæ naturam 4.
æternitatis proprie dictæ exprimant; vna clarius 5.
& perfectius; altera obscurius & imperfectius. Vnde porro colligitur: 1, Æternum proprie & absolute dici

quod nunquam cœpit, & nunquam desinit esse; sed idem
II. semper permanet cum absoluta essendi necessitate. 2, Ens simpliciter æternum non esse, quo datur aliquid vel prius vel posterius.

8 *An æternitas absoluta per se sit expers omnis successionis?*

Pro thesi affirm. rationes.

STatuitur thesis affirmatiua: Rationes sunt: 1, Quia æternitas absoluta per se expers est principii: Ergo etiam successionis. Nihil enim habet successionem quod
I. non suæ existentiæ habet initium. 2, Quia per se est
II. *ἀμέριστος καὶ ἀμετάβλητος*, hoc est, *expers omnis partitionis & mutationis.* Omnis autem duratio successiua admit-
III. tit partitionem & mutationem. 3, Quia per se est *ἀμέτρητος*, hoc est, *immensurabilis.* Omnis autem duratio successiua est mensurabilis secundum rationem prioris
IV. & posterioris. 4, Quia æternitas absoluta realiter idem est ac ipsa essentia diuina. Ergo sicut essentia diuina per se expers est omnis successionis, sic etiam æternitas absoluta.

Pro thesi negante rationes.

At in contrariam partem ab aliis obiici solent hæc argumenta: 1, Omnis duratio longa includit in se successionem. Est enim illa nihil aliud quam quædam exi-
I. stentiæ continuatio. Vnde Scaliger exercit. 359. sectio. 7. ait: *Duratio est tractus essendi continuatus: Æternitas autem est duratio longa seu potius longissima.* Ergo includit in se successionem prioris & posterioris.

II. 2, Cuius partes habent successionem, id ipsum habet successionem: Atqui æternitatis partes habent successionem: Ergo etiam æternitas. Assumptio probatur. Quia omnia tempora sunt partes, quas æternitas tanquam totum sub se complectitur.

III. 3, Si æternitas absoluta per se expers est omnis successionis, sequitur Deo, qui est ens absolute æternum, non posse vere attribui differentias temporis, præsens, præteritum & futurum. Sed consequens pugnat cum sacris literis. Apocalypsi enim 1. v. 4. *Deus dicitur is qui est, qui erat & qui futurus est.*

IV. 4, Si in æternitate non est aliquo successio, sequitur nec in tempore finito eā esse posse. Ratio est, quia quænis temporis pars dicitur æternitati coexistere. Quare omnes simul existere oportet: quia quod non existit, coexistere

non

non potest. 2, nec præteritum nec futurum quicquam esse, sed omnia perpetuo esse præsentia, quia æternitati, quæ puncti instar indiuisibilis est, coexistunt. 3, Deum ratione æternitatis nihil agere aut incipere aut finire posse: cum in ipso indiuisibili *Nunc* nullæ sint partes, quarum vna respondeat actionis initio, altera fini. 4, Respectu æternitatis nihil reuera oriri vel interire, cum æternitati omnia semper sint præsentia. Sed hæc omnia sunt absurda: Ergo absurdum etiam est in æternitate non dari aliquam successionem. 5, Si æternitas tota simul est, & nunquam non est, omnino sequitur quicquid vllo momento est, id toti æternitati coexistere: quippe quæ singulis momentis coexistit: & sic quicquid vnquam fuit, aut erit, semper esse; quia æternitati coexistit: coexistentia autem necessario præsupponit existentiam. Sed consequens est absurdum; Ergo & antecedens. 6, Si nulla alia ratio est, cur factum non possit fieri infectum, & quod iam est, necessario sit; quam quod contrariæ durationis differentiæ coexistere non possint, sequitur in omni duratione longiore necessario esse præteritum, præsens & futurum, aut saltem prius & posterius. Et sic etiam in æternitate. Sed verum est consequens. Si enim contrariæ durationis differentiæ coexistere possent, tam facile esset Deo factum infectum reddere, quam facile ei est futurum ne fiat, impedire. 7, Si Deo tribuuntur in sacris literis dies & anni, eiusque actiones aliæ præteritæ, aliæ futuræ, aliæ præsentes dicuntur, sequitur in æternitate dari successionem prioris & posterioris. Sed verum est antecedens. Danielis enim 7. v. 33. vocatur *antiquitus dierum.* & Psal. 102. v. 28. *anni ipsius Dei dicuntur non deficere.* Sed verum est consequens: Ergo & antecedens.

V.

VI.

VII.

Vt igitur his argumentis, quæ videntur alicuius esse momenti satisfiat, fundamenti loco aliquot theoremata subiiciemus; quorum primum est, *Ens simpliciter æternum à nobis non posse concipi, prout in se est; sed duntaxat per comparationem ad nostrum tempus, eiusque differentias, cui tempori fingimus illud coexistere.* Ideoque propter nostrum concipiendi modum fieri, vt quandoque illi differentiæ præteriti & futuri attribuantur.

Fundamēta futuræ solutionis sternūtur per certa theoremata.

I. Theor.

Alterum theorema est, *longe alio modo enti simpliciter a-*

II.

terno differentias præteriti ac futuri attribui, ac enti creato. Hoc enim cum dicitur fuisse, indicatur iam non esse, etsi aliquando esse habuerit; Et cum dicitur futurum esse, indicatur nondum esse, etsi aliquando habiturum sit esse. Illud vero dicitur, fuisse vt tamen semper esse intelligatur; & ita futurū esse, vt tamen de nouo nō sit acquisiturū esse; sed in esse, quod iam habet permansurū intelligatur.

III. Tertium theorema est, *successionem aliam esse realem, aliam imaginariam.* Ideoque licet æternitas absoluta non possit habere successionem realem, vt rationes in principio quæstionis allatæ comprobant; tamen sine absurditate ei posse attribui successionem imaginariam, quatenus illam concipimus per comparationem ad tempus creatum, eiusque realem successionem.

IV. Quartum theorema est, *Æternitatem per se neq; esse longam neque breuem: cum longitudo & breuitas sint affectiones entis quanti & mensurabilis;* Æternitas vero neq; sit quanta, neque mensurabilis. Dici tamen posse longam secundum nostrum concipiendi modum.

V. Quintum theorema est, *nullum tempus proprie & per se dici posse partem æternitatis absolutæ, eidemque coexistere,* tum quia Æternitas est ens increatum simpliciter infinitum & immutabile; tempus vero creatum simpliciter finitum, & mutabile; tum, quia æternitas est *ἀμερής*; tempus vero *μεριστόν.*

Respondetur ordine ad arg. His ita præmissis, respondeo ad primū argumentum, propositionem esse veram de duratione proprie & per se longa, qualis non est æternitas, vt docet quartum theorema.

I. Præterea durationem proprie non esse vel continuationem existentiæ, vel tractum essendi continuatum; sed permansionem entis in sua existentia.

II. Ad alterum argumentum respondeo per negationem assumptionis. Tempus enim nullum est pars æternitatis, vt habet theorema quintum.

III. Ad tertium argumentum respondeo, Deo attribui differentias temporis non per se, sed ex nostro concipiendi modo.

IV. V. Ad quartum & quintum argumentum respondeo per inficiationem connexæ propositionis. Ex antecedente enim non necessario inferuntur consequentia: tum, quia neq; vlla pars temporis, neque vllum aliud ens proprie &

per

per se dicitur coexistere æternitati; tum, quia recte dicitur Deus ratione æternitatis nullam actionem, vel incipere vel finire; sed tantum ratione temporis, quod in rebus à se creatis inest; tum, quia neque æternitati neque Deo ipsi æterno omnia entia creata semper sunt præsentia; sed quædam præterita, quædam futura. Alioquin enim conceptio & cognitio Dei non congrueret cum natura ipsarum rerum.

Ad sextum argumentum respondeo, neque contrarias *VI.*
durationis differentias per se inesse ipsi æternitati, neque
æternitatem esse durationem proprie & per se longam.

Ad septimum respondeo, Deo ἀνθρωποπαθῶς attribui *VII.*
dies & annos; neque actiones ipsius internas seu immanentes proprie dici in scriptura vel præteritas vel futuras; sed tantum actiones externas & transeuntes, quæ circa res tempori subiectas occupantur.

9 *An solus Deus absolute sit æternus?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: Quia æter- *Pro thesi af-*
nitas absoluta numeratur inter proprietates Dei es- *firmante Ra-*
sentiales, quæ alii enti, præter Deum sine maxima absur- *tiones.*
ditate attribui non possunt. 2, Quia solus Deus princi- *I.*
pio, successione, & fine caret, seu, quod idem est, neque *II.*
vnquam cœpit esse, neque vnquam desinit esse; sed idem
semper permanet cum absoluta essendi necessitate. 3, *III.*
Quia solus Deus nihil habet se prius, nihil posterius. 4, *IV.*
Quia si aliud quoddam ens præter Deum esset absolute
æternum, quemadmodum quidam de materia prima hoc
audent affirmare, sequeretur. 1, illud esse increatum; sim- *I.*
pliciterque infinitum & immutabile. 2, Deum non esse *II.*
primum principium omnium aliorum, præter se, en-
tium. 3, absolutam æternitatem, infinitatem & immuta- *III.*
bilitatem non esse idiomata essentialia solius Dei, neque
ex his solide Deitatem increatam demonstrari posse. Sed
hæc omnia videntur longe esse absurdissima, vt infra fu-
sius probabitur: Ergo necesse est absurdam etiam esse hy-
pothesin ex qua inferuntur. Vnde porro colligo, intole-
rabilem errorem à F. Suarez committi in disp. 50. sect. 3. *Error F. Sua-*
contex. 5. quando asserit, *non absolute* repugnare duratio- *rez taxatur.*
nem aliquam creatam esse sine principio: cum Deus ab
æterno potuisset vel angelum, vel cœlum creare. Quic-
quid enim ab æterno est, id à nullo & nunquã cœpit esse:

Quicquid autem creatum est, id ab aliquo & aliquando cœpit esse. Proinde manifestam contradictionem implicat, qui aliquod ens ab æterno fuisse à Deo creatum contendit.

10 *Quid sit tempus in genere?*

Opiniones aliorũ de natura tẽporis recẽsentur & examinãtur.

TAnta est dissensio inter Philosophos in explicanda natura temporis, vt non immerito videatur Augustinus exclamare: *In tempore sumus, & quid sit tempus ignoramus.* Aliis enim tempus est æternitas continue fluens; aliis pars æternitatis; aliis momentum seu instans continue fluens, aliis numerus seu mensura motus secundum
1. prius & posterius; aliis id quod numeratur & mensuratur
2. secundũ prius & posterius; aliis duratio motus; aliis ipse
3. motus quatenus secundum partes priores & posteriores
4. numeratur vel mensuratur; aliis denique quantitas con-
5. tinua cuius partes præterita & futura copulantur per
6. intermedium instans seu momentum. Verum omnes hæ
7. definitiones partim omnino falsæ sunt, partim angu-
8. stiores sunt suo definito, partim naturam temporis neque perfecte neque perspicue explicant. Nam tempus neque est æternitas continue fluens, neque pars æternitatis; cum illud sit mutabile & partibile; hæc immutabilis & impartibilis. Neque est momentum continue fluens; cum momentum sit indiuisibile & successionis expers. Neque est affectio solius motus; sed aliorum etiam entium præter motum. Neque vllo respectu est ipse motus; cum hic sit res tempori subiecta. Neque essentia temporis perfecte declaratur, vel per numerum, vel per mensuram, vel per quantitatem continuam, &c. Proinde reiectis omnibus his definitionibus videtur tempus non aliter esse definiendum, quam quod sit *duratio simpliciter finita & mutabilis entis creati.* Rationes sunt: 1, Quia contrariorum est contraria natura: Ergo sicut æternitas absoluta est duratio simpliciter infinita & immutabilis entis increati: ita necesse est tempus esse durationem simpliciter finitam & immutabilem entis creati, 2, Quia omne ens creatum habet essentiam & existentiam simpliciter finitam & mutabilem. Ergo talem etiam habet durationem. Qualis enim est essentia & existentia, talis est duratio. Cum igitur illa duratio non possit dici æternitas; sequitur appellandum esse tempus. Vnde

Definitio vera & perfecta temporis traditur & approbatur.
Ratio.
I.
II.

Vnde porro colligo Franciscum Suarez grauiter errare, quando inter species durationis creatæ quandam numerat, quæ sit permanens, & sua natura immutabilis. Hæc enim assertio cum natura durationis creatæ omnino pugnat, vt patet ex ratione secunda paulo ante adducta. *Error F. Suarez taxatur.*

11 *Quomodo tempus ab æternitate absoluta differat?*

ETsi ex præcedentibus quæstionib. facile intelligi & diiudicari potest quæstio proposita; tamen illustrioris doctrinæ gratia visum est præcipua discrimina hoc loco in medium afferre, quibus tempus ab æternitate absoluta est distinctum, cuiusmodi sunt: 1, Quod æternitas absoluta est proprietas essentialis solius entis increati; Tempus vero solius entis creati. 2, Quod æternitas absoluta à nulla causa, vel producente vel conseruante pendet. Tempus autem contra. 3, Quod æternitas absoluta neque principium, neque finem habet, nec habere potest; Tempus autem & principium & finem habet vel saltem habere potest. 4, Quod æternitas absoluta est simpliciter immutabilis & immensurabilis: Tempus autem simpliciter mutabile & mensurabile. 5, Quod æternitas absoluta omnem successionem realem omnemque rationem prioris & posterioris per se excludit; Tempus vero includit nisi sit momentaneum. *Tempus ab æternitate absoluta differt.* *I.* *II.* *III.* *IV.* *V.*

12 *Quotuplex sit tempus?* *I.*

DIuisimus tempus in genere consideratum primum in momentaneũ & successiuum. Aut enim illud partium successionem excludit, vt momentaneum, aut includit; vt successiuum. Neque obstat quod quidam obiiciunt; 1, Momentum non esse tempus, sed vel partem temporis, vel saltem id, quo partes temporis præterita & futura cohærent. 2, Tempus sine successione neque esse, neq; cogitari posse. Vtrumq; enim verum est, non de tempore in genere; sed de tempore duntaxat successiuo. Deinde vtrumque tempus, tam momentaneum quam successiuum, distinximus in reale & imaginarium. Aut enim tempus à sola mentis cogitatione pendet, vt imaginarium; aut non pendet, sed extra eam reipsa existit, vt reale. Tertio tempus reale diuisimus in intrinsecum & extrinsecum. Aut enim illud inest interne rebus ipsis, tanquam adiunctum inhærens suo subiecto; aut externe ad- *Diuisiones variæ temporis traduntur & explicantur.* *Obiectio.* *Responsio.* *II.* *III.*

IV. hibetur tanquam mensura suo mensurato. Quarto, intrinsecum tempus diuisimus in substantiale tam hyperphysicum quam physicum, & accidentale. Aut enim illud inest substantiis creatis iisque vel incorporeis, vel corporeis, vel accidentibus illarum.

Error Fr. Suarez. Etsi vero Franciscus Suarez disput. 50. sect. 7. videatur nobiscum consentire, quando tempus aliud docet esse corporale, aliud spirituale; tamen si mentem eius spectes, reipsa dissentit. Tempus enim corporale tantum restringit ad motus corporales; sicut spirituale ad motus spirituales. Durationem vero substantiæ incorporeæ non vult esse tempus, sed æuum. Ac cum hæc opinio satis in superioribus quæstionibus fuerit refutata, non opus est diutius in illa refellenda commorari.

13. *An idem numero tempus intrinsecum insit omnibus entibus creatis?*

Pro thesi negante. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia vnumquodque ens creatū sicut habet suam propriam
I. essentiam & existentiam; ita etiam habet suam propriam
II. durationem, quæ illius tempus est intrinsecum. 2, Quia impossibile est idem numero accidens simul inesse diuisis numero subiectis: Ergo cum tempus intrinsecum sit accidens entis creati, non potest idem numero omnibus
III. entibus creatis inesse. 3, Quia si idem numero tempus intrinsecum inesset omnibus entibus creatis, sequeretur inde 1, eandem quoque numero essentiam & existentiam iisdem inesse. 2, Vnius entis durationem non esse maiorem quam alterius. Sed hæc consequentia sunt absurda. Supra enim probatum fuit, diuersas esse tam essentiæ quam existentiæ species diuersis entis speciebus correspondentes. Et experientia ipsa testatur, vnum ens excedere alterum duratione, vel quia cum simul desierit, prius illo cœperit; vel quia cum simul cœperit, post illud
Obiectio. desierit; vel quia prius cœperit & posterius desierit. Quare absurdum etiam est antecedens, ex quo inferūtur. Neque obstat quod vulgo alii vna & eadem numero hora
Responsio. dicuntur nasci, alii mori, alii ridere, alii plorare. Hoc enim intelligendum est de tempore extrinseco, quo tempora intrinseca entium creatorum mensurantur.

Pro thesi negante Ratio-nes. 14 *An idem numero tempus à* DEO *possit reproduci?*

PRo thesi negante afferri solent à quibusdam Scholasticis

sticis hæc argumenta: 1, Quia ad præteritum non est potentia: Ergo tempus quod iam semel fuit, non potest non fuisse; & sic non potest iterum iam esse præsens, cum hæc duo inter se repugnent. 2, Quia impossibile est vt Deus faciat, quin dies præteritus & præsens sint duo dies: Ergo non potest facere vt dies heri præteritus, hodie iterum sit: Alias enim dies hesternus & hodiernus vnus tantum esset. 3, Quia si idem numero tempus à Deo posset reproduci, sequeretur inde 1, tempus præteritum non recte dici *irreuocabile*, & *irrecuparabile*. 2, factum posse fieri infectum. Sed hæc sunt absurda: Ergo & illud. Etsi vero hæc argumenta videntur multum probabilitatis in se habere; nihilominus Franciscus Suarez disput. 50. sect. 9. contex. 14. contrariam thesin defendit, & concedit Deum posse reproducere idem numero tempus quod præteriit. Neque contra hoc obstare putat illud principium: *Ad præteritum non est potentia.* Nam licet Deus reproducat tempus præteritum; tamen non faciet, inquit, vt quod fuit, non fuerit, in quo sensu illud axioma profertur; sed facere vt quod semel fuit, iterum sit, quod non est contra illud axioma. Neque etiam repugnare ait, quod tempus iam præteritum nunc sit præsens, eo scilicet modo, quo tempus potest esse præsens ratione instantis. Idem enim instans quod præteriit, posse nunc esse præsens, & easdem partes continuare. Sed cauendum esse monet æquiuocationem & sophisticam deceptionem, in voce complexa, *Tempus præteritum*, quæ duo significat, scilicet tempus ipsum & præteritionem, quæ constituitur per negationem existentiæ rei, quæ aliquando fuit. Cum ergo dicitur tempus præteritum item fieri præsens, non esse cogitandum inquit, quod illud tempus quasi retrocedat & desinat esse sub priori negatione præteriri & fiat præsens, illud enim inuoluere repugnantiam: sed idem tempus quod semel fuit, & vt sic semper manet præteritum, iterum in rerum natura constitui, & sic fieri præsens. Quod vero dicitur, hesternum & hodiernum diem necessario esse duos dies, id naturaliter quidem verum esse concedit; sed supernaturaliter dicit, esse posse vnum & eundem diem bis repetitum. Atque ex his verbis Suarez etiam sumi potest responsio ad tertium argumentum, vt non opus sit plura addere.

I. II. III.

Responsio Fr. Suar. ad rationes præcedentes.

IV. hibetur tanquam mensura suo mensurato. Quarto, intrinsecum tempus diuisimus in substantiale tam hyperphysicum quam physicum, & accidentale. Aut enim illud inest substantiis creatis iisque vel incorporeis, vel corporeis, vel accidentibus illarum.

Error Fr. Suarez. Etsi vero Franciscus Suarez disput. 50. sect. 7. videatur nobiscum consentire, quando tempus aliud docet esse corporale, aliud spirituale; tamen si mentem eius spectes, reipsa dissentit. Tempus enim corporale tantum restringit ad motus corporales; sicut spirituale ad motus spirituales. Durationem vero substantiæ incorporeæ non vult esse tempus, sed æuum. Ac cum hæc opinio satis in superioribus quæstionibus fuerit refutata, non opus est diutius in illa refellenda commorari.

13. *An idem numero tempus intrinsecum insit omnibus entibus creatis?*

Pro thesi negante. Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: I. 1, Quia vnumquodque ens creatũ sicut habet suam propriam essentiam & existentiam; ita etiam habet suam propriam II. durationem, quæ illius tempus est intrinsecum. 2, Quia impossibile est idem numero accidens simul inesse diuisis numero subiectis: Ergo cum tempus intrinsecum sit accidens entis creati, non potest idem numero omnibus III. entibus creatis inesse. 3, Quia si idem numero tempus intrinsecum inesset omnibus entibus creatis, sequeretur inde 1, eandem quoque numero essentiam & existentiam iisdem inesse. 2, Vnius entis durationem non esse maiorem quam alterius. Sed hæc consequentia sunt absurda. Supra enim probatum fuit, diuersas esse tam essentiæ quam existentiæ species diuersis entis speciebus correspondentes. Et experientia ipsa testatur, vnum ens excedere alterum duratione, vel quia cum simul desierit, prius illo cœperit; vel quia cum simul cœperit, post illud *Obiectio.* desierit; vel quia prius cœperit & posterius desierit. Quare absurdum etiam est antecedens, ex quo inferũtur. Neque obstat quod vulgo alii vna & eadem numero hora *Responsio.* dicuntur nasci, alii mori, alii ridere, alii plorare. Hoc enim intelligendum est de tempore extrinseco, quo tempora intrinseca entium creatorum mensurantur.

14 *An idem numero tempus à* DEO *possit reproduci?*

Pro thesi negante Rationes. PRo thesi negante afferri solent à quibusdam Scholasticis

sticis hæc argumenta: 1. Quia ad præteritum non est potentia: Ergo tempus quod iam semel fuit, non potest non fuisse; & sic non potest iterum iam esse præsens, cum hæc duo inter se repugnent. 2. Quia impossibile est vt Deus faciat, quin dies præteritus & præsens sint duo dies: Ergo non potest facere vt dies heri præteritus, hodie iterum sit: Alias enim dies hesternus & hodiernus vnus tantum esset. 3. Quia si idem numero tempus à Deo posset reproduci, sequeretur inde 1. tempus præteritum non recte dici *irreuocabile, & irrecuparabile.* 2. factum posse fieri infectum. Sed hæc sunt absurda: Ergo & illud. Etsi vero hæc argumenta videntur multum probabilitatis in se habere; nihilominus Franciscus Suarez disput. 50. sect. 9. contex. 14. contrariam thesin defendit, & concedit Deum posse reproducere idem numero tempus quod præteriit. Neque contra hoc obstare putat illud principium: *Ad præteritum non est potentia.* Nam licet Deus reproducat tempus præteritum; tamen non faciet, inquit, vt quod fuit, non fuerit, in quo sensu illud axioma profertur; sed facere vt quod semel fuit, iterum sit, quod non est contra illud axioma. Neque etiam repugnare ait, quod tempus iam præteritum nunc sit præsens, eo scilicet modo, quo tempus potest esse præsens ratione instantis. Idem enim instans quod præteriit, posse nunc esse præsens, & easdem partes continuare. Sed cauendum esse monet æquiuocationem & sophisticam deceptionem, in voce complexa, *Tempus præteritum*, quæ duo significat, scilicet tempus ipsum & præteritionem, quæ constituitur per negationem existentiæ rei, quæ aliquando fuit. Cum ergo dicitur tempus præteritum item fieri præsens, non esse cogitandum inquit, quod illud tempus quasi retrocedat & desinat esse sub priori negatione præteriri & fiat præsens, illud enim inuoluere repugnantiam: sed idem tempus quod semel fuit, & vt sic semper manet præteritum, iterum in rerum natura constitui, & sic fieri præsens. Quod vero dicitur, hesternum & hodiernum diem necessario esse duos dies, id naturaliter quidem verum esse concedit; sed supernaturaliter dicit, esse posse vnum & eundem diem bis repetitum. Atque ex his verbis Suarez etiam sumi potest responsio ad tertium argumentum, vt non opus sit plura addere.

I. *II.* *III.*

Responsio Fr. Suar. ad rationes præcedentes.

15 *Quomodo tempus intrinsecum ab extrinseco differat?*

Tempus intrinsecum ab extrinseco differt.

SVnt multi qui ex ignorantia tempus intrinsecum cum extrinseco confundunt, & propter illam confusionem in inextricabiles errorum labyrinthos sese imprudentes coniiciunt. Ne igitur nobis idem accidat, diligenter notanda sunt discrimina, quibus tempus intrinsecum ab extrinseco differt. Inter quæ præcipua sunt hæc. 1, Illud est adiunctum inhærens entium creatorum; hoc vero adiunctum adhærens. 2, Illud est mensuratum; hoc vero mensura. 3, Illud immediate pendet à continua conseruatione existentiæ cuiusque entis creati propria virtute Dei & naturæ facta. Hoc vero à libera seu voluntaria Dei & hominum sapientium institutione ac ordinatione. 4, Hoc fundatur in motu stellarum; potissimum vero solis & lunæ, vt patet ex cap. 1. Genes. vers. 14. & sequentibus. Illud vero non itidem. 5, Hoc mutari potest salua existentia entium. Illud vero non. Hinc post extremum iudicium tempus intrinsecum quidem angelorum & hominum manebit; extrinsecum vero abolebitur, teste angelo Apocalyps. 10. vers. 6. 6, Hoc est signum notificans; illud vero signatum quod notificatur. Sine enim tempore extrinseco homo non potest cognoscere tempus intrinsecum rerum, eiusque differentias. 7, Hoc tanquam genus diuiditur modo in horam, diem, mensem, annum, seculum; modo in ver, æstatem, autumnum, hyemem; modo in iuuentutem, statum & senectutem; modo in alias species: Illud vero non itidem.

I. II. III. IV. V. VI. VII.

16 *An detur tempus imaginarium, & quomodo à reali differat?*

Tẽpus imaginarium datur.

TEmpus imaginarium dari probatur his rationibus: 1, Quia datur ens rationis, quod habet essentiam & existentiam imaginariam. Ergo cum talis sit duratio entis, qualis est essentia & existentia illius; sequitur dari quoque tempus imaginarium, quod enti rationis conueniat. 2, Quia sicut in corporibus homo fingit & concipit spacium quoddam permanens, & immobile, cuius aliquam partẽ replet quodlibet corpus in loco existens: ita in successione temporum fingit & concipit spatium quoddam necessario fluens & transiens, cuius alicui parti coexistit & respondet omne tempus reale, aut saltem

I. II.

pars

pars aliqua illius. Id quod nihil aliud est quam tempus imaginarium. Hinc igitur patet tempus imaginarium differre à reali, quod illud reuera extra intellectum entibus inest; & semper præsupponit essentiam & existentiam realem. Hoc vero à sola mentis cogitatione & fictione pendet, & extra eam nihil est. *Quomodo tempus imagi. à reali differat.*



METAPHYSICÆ LIBER SECVNDVS;

De attributis coniunctis & absolutis entium.

De perfectione & imperfectione,

CAPVT I.



ANTVM *de attributis simplicibus entium. Sequuntur attributa coniuncta, quæ non omnibus entibus simpliciter, sed cum disiunctione opposita conueniunt.*

2 *Eorum alia sunt absoluta, alia respectiua.*

3 *Absoluta attributa sunt, quæ in se considerari possunt sine respectu ad aliud.*

4 *Eius generis multa ac diuersa sunt species, quæ commode in nouem classes distribui possunt.*

5 *Prima classis sunt, Perfectio & Imperfectio. Omne enim ens aut est perfectum, aut imperfectum.*

6 *Perfectio est actus perfecti, quatenus est perfectum.*

7 *Estque vel increata, vel creata.*

8 *Perfectio increata est, quæ soli primo enti inest. Eaque excludit omnem imperfectionem ac limitationem. Vnde recte dici solet,* Perfectio independens, summa ac illimitata.

9 *Perfectio creata est, quæ enti à primo orto inest. Eaque semper includit aliquam imperfectionem & limitationem. Vnde recte dici solet,* Perfectio dependens, participata & limitata.

10 *Estque vel simplex, vel comparata.*

11 *Simplex perfectio est, per quam vnumquodque ens creatum in suo genere vel specie est perfectum.*

12 *Comparata perfectio est, per quam ens creatum vel secum vel cum alio collatum magis aut minus perfectum dicitur.*

13 *Vtraque vel est essentialis, vel accidentalis.*

14 *Essentialis perfectio est, quæ requiritur vel ad essentiam entis constituendam, vel essentiam entis constitutam necessario & inseparabiliter consequitur.*

15 *Eaque est vel generica, vel specifica.*

16 *Generica est, quam ens cum alio ente eiusdem generis habet communem.*

17 *Specifica est, quæ cuiusque speciei entis est propria.*

18 *Accidentalis perfectio est, quæ enti contingenter & separabiliter inest.*

19 *Eaque est vel innata, vel aduentitia.*

20 *Innata perfectio est, quæ enti à primo sui ortu inest. Ab aliis dicitur* naturalis perfectio.

21 *Aduentitia est, quæ enti post sui ortum demum inesse incipit.*

22 *Vtraque vel est extensiua, vel intensiua.*

23 *Extensiua est, per quam ens secundum quantitatem est perfectum.*

24 *Intensiua est, per quam ens secundum qualitatem est perfectum.*

25 *Imperfectio est, à qua ens denominatur imperfectum.*

26 *Estque vel priuatiua vel negatiua.*

27 *Priuatiua est, defectus perfectionis enti alicui per naturam inesse possibilis vel debita.*

28 *Negatiua, est defectus perfectionis enti alicui per naturam non competentis.*

IN CAPVT PRIMVM

PROBLEMA I.

An vno & eodem modo aliquid dicatur perfectum vel imperfectum?

Perfectũ & imperfectum aliquid dicitur variis modis.

IN genere quidem aliquid dicitur perfectum, cui nihil deest perfectionis; Imperfectum vero, cui aliquid deest. At in specie aliquid dicitur perfectum vel imperfectum, non vno & eodem, sed variis ac diuersis modis. Nam 1, aliquid dicitur vel absolute & summe perfectum sine vlla limitatione, vt ens increatum; vel secundum

I.

quid, seu cum certa limitatione, vt ens creatum. 2, ali-

II.

quid dicitur vel simpliciter perfectum, quod in suo ge-

nere,

here, vel specie est perfectum sine comparatione ad aliud: vel comparate, quod nonnisi per comparationem ad aliud, est vel magis vel minus perfectum. 3, aliquid dicitur vel essentialiter perfectum, cui nulla pars vel proprietas essentialis deest: vel accidentaliter, cui nihil deest de accidente inesse possibili vel debito. Quo sensu definitio perfecta dicitur, cui nulla pars aut proprietas essentialis deest. Homo vero qui ratione bene vti potest, dicitur accidentaliter perfectus. 4, Aliquid dicitur, vel extensiue perfectum, cui nulla particula debitæ magnitudinis deest: vel intensiue cui nihil deest de qualitate seu bonitate debita. Hoc pacto corpus humanum dicitur perfectum, cui nulla pars debitæ vel quantitatis vel qualitatis deest. Et artifex dicitur perfectus, qui ita in aliqua arte excellit, vt secundum eam nihil ei desit: Huc etiam referri potest, 1, quando aliquid dicitur perfectum, quia ad finē est perductum, seu quia finem suum est consecutū. Quo sensu beati homines dicuntur perfecti, quia vltimum finem suæ in hoc mundo peregrinationis sunt adepti. 2, quando per metaphoram dicitur perfectum quod in malis excellit. Quo sensu fur & sycophanta dicitur perfectus, qui in furando & maledicendo excellit.

III. *IV.* *Aristoteles lib. 5. Metaphys. cap. 15. Lib. 7. Phys. cap. 3. Aristoteles ibidem.*

Similiter imperfectum aliquid dicitur vel simpliciter vel comparate; vel essentialiter vel accidentaliter; vel extensiue vel intensiue; vel priuatiue vel negatiue. Sic omnis creatura comparate imperfecta dicitur quatenus confertur cum Deo. Et definitio dicitur imperfecta essentialiter, quatenus ei aliqua pars vel proprietas essentialis deest. Sic corpus dicitur extensiue imperfectum, cui deest aliqua pars magnitudinis debitæ: intensiue vero cui deest qualitas aliqua inesse debita, aut saltem gradus nonnulli qualitatis illius. Denique homo dicitur priuatiue imperfectus, cui deest aliqua perfectio per naturam ei inesse debita, negatiue vero, cui deest aliqua perfectio per naturam ei non competens.

Imperfectum quot modis dicatur.

2 *Quid sit perfectio in genere, & quomodo ab integritate differat?*

Definitio perfectionis à Fons. tradita, examinatur & reiicitur.

FOnseca lib. 4. Metaphys. cap. 2. Q. 7. sect. 6. definit perfectionem in genere, quam vocat *Transcendentem*, seu *communem*, quod sit negatio defectus cuiusque rei in suo genere. Quæ definitio non potest consistere, tum

quia omnis perfectio est aliquid positiuum. Negatio autem tantum abest, vt sit aliquid positiuum, vt nec aliquid quidem omnino vere dici possit; tum quia defectus non debet ingredi definitionem perfectionis; sed potius perfectio, ipsius defectus. Semper enim priuatio definienda & declaranda est per oppositum habitum, non autem contra, habitus per priuationem. Idcirco etiam relecta hac definitione, *Perfectio* à nobis fuit definita quod sit actus perfecti, quatenus est perfectum. Est enim perfectio veluti forma, per quam ens formaliter perficitur, & a qua perfectum denominatur. Quod si quis obiiciat perfectionem esse nihil aliud quam alterationem, qua ex imperfecto fit perfectum: &, per consequens, speciem motus. Respondeo, esse homonymiam in vocabulo perfectionis, quod modo sumitur pro motu, quo communicatur vel acquiritur perfectio, quem Græci proprie vocant πλείωσιν: modo pro perfectione, per motum communicata vel acquisita, quam Græci proprie vocant πλήρωμα. Atque in hac postrema significatione hoc loco vsurpatur, præsertim quando ad ens creatum restringitur. Porro perfectio differt ab integritate proprie dicta, tanquam genus à specie. Omnis enim integritas est perfectio, sed non omnis perfectio est integritas. Est enim Integritas proprie nihil aliud, quam perfectio integri. Integrum autem est totum omnibus suis partibus integrantibus absolutum. Et opponitur mutilo seu manco. Sed postea partim per metaphoram, partim per synecdochen speciei vocabulum integritatis sumitur pro qualibet perfectione: sicut integri pro quolibet perfecto. Vnde integritas alia dicitur naturalis, alia moralis, vt probitas, pietas.

Vera definitio perfectionis exponitur.

Responsio ad obiectionem.

Perfectio quomodo differat ab integritate.

3 *An ens primum sit absolute & summe perfectum?*

Pro thesi affirm. rationes.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia ens primum omnibus aliis entibus, siue iam actu sint, siue esse possint, est perfectius, nullumque habet se prius & perfectius. 2, Quia à nullo alio est, & ex se simul omnem habet perfectionem suæ naturæ competentem. 3, Quia eius perfectio à nullo alio est limitata ac definita ad certum aliquem gradum, sed ex se prorsus est illimitata. 4, Quia est principium primum efficiens omnis perfectionis creatæ. Sicut enim nihil esse potest præter ipsum

I. II. III. IV.

nisi

nisi ab ipso; ita neque perfectionem vllam habere potest nisi ab ipso. 5, Quia omne ens creatum eo magis vel minus est perfectum; quo magis vel minus accedit ad primum ens. Ergo cum in hac rerum inæqualitate non detur processus in infinitum, necesse est vt primum ens statuatur summe perfectum. 6, Quia primum ens est summe necessarium. Prima autem & summa perfectio entis perfectissimi, est absoluta necessitas essendi. 7, Quia primum ens est αὐτάρκιστον, hoc est, sibi sufficiens & nullius alterius indigens. 8, Quia nulla imperfectio vel priuatiua vel negatiua in primum ens cadit. V. VI. VII. VIII.

At in contrariam partem obiici potest: *Quicquid summe est perfectum, id omnes simpliciter in se continet perfectiones possibiles: Atqui primum ens non omnes simpliciter in se continet perfectiones possibiles.* Nulla enim perfectio creata in Deo est vel esse potest; tum, quia omnis in se includit aliquam imperfectionem; tum, quia naturæ primi entis repugnat: *Ergo primum ens non est summe perfectum.* Respondent Scholastici Doctores ad propositionem, *ens summe perfectum in se continere omnes simpliciter perfectiones possibiles aut formaliter aut eminenter.* Ad assumptionem vero, ens primum in se continere omnes simpliciter perfectiones possibiles; increatas quidem formaliter seu essentialiter; creatas vero non formaliter, sed eminenter seu effectiue, quatenus virtutem ex se absolutam habet producendi omnes perfectiones creatas. Atque in hoc sensu explicata & intellecta responsio videtur esse solida, & nullo modo reiicienda, vt infra in doctrina de Deo pluribus dicetur. *Obiectio.* *Responsio.*

4 *An vllum ens creatum possit esse æqualis perfectionis cum ente primo, seu increato?*

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia impossibile est ex communi Philosophorum consensu, duo entia specie distincta esse æqualis perfectionis. Ens autem creatum & increatum specie inter se differunt. 2, Quia nullum ens creatum potest esse à seipso, sed omne ab alio. 3, Quia omne ens creatum habet aliquid se melius à quo fuit productum. Increatum autem minime. 4, Quia omne ens creatum habet limitatam perfectionem, tantamque quantam ab alio accepit. Increatum autem non. 5, Quia omne ens creatum absolute est *Pro thesi negante rationes.* I. II. III. IV. V.

VI. contingens: Increatum autem non. 6, Quia si aliquod ens creatum esset æqualis perfectionis, cum ente increato, sequeretur illud essentia & attributis essentialibus ab eo non differre; adeoque idem esse, ac ipsum ens increatum: Quo nihil absurdius cogitari potest.

5 *An omnis perfectio creata in se includat aliquam imperfectionem?*

Pro thesi affirmante Ratio.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia nulla perfectio creata est simpliciter summa; sed omnis opponitur alteri meliori. 2. Quia nulla à sese, sed omnis ab alio dependet. 3, Quia omnis est limitata & definita ad certum aliquem gradum pro arbitrio primi entis & suæ natura capacitate. 4, Quia si aliqua perfectio creata in se nullam imperfectionem includeret, non differret ab increata, quæ summa est & illimitata, mensuraq; omnis alterius perfectionis. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Idem testatur Fr. Suarez, disput. 30 sect. 1. contex. 11. vbi inquit: *Seclusa omni imperfectione non remanet formalis perfectio creaturæ, vt sic: quia in intrinseca formali ratione & conceptu creatura includitur imperfectio.* Et paulo post: *Nulla perfectio creata est quæ formaliter sumpta non includat imperfectionem.*

I.
II.
III.
IV.

Obiectio. Quod si quis obiiciat, Imperfectionem repugnare perfectioni, & propterea cum ea consistere non posse.

Responsio ad obiectionem. Respondeo, verum hoc est de imperfectione priuatiua, quæ opponitur perfectioni tanquam priuatio habitui; non autem de imperfectione negatiua, quæ cum perfectione creata optime consistere potest. Præterea quando affirmatur, quod omnis perfectio creata includat aliquam imperfectionem, sensus non est, quasi omnis perfectio creata sit imperfectio quædam; sed quod illa comparata cum increata perfectione multis gradibus ea sit inferior & ignobilior.

6 *An perfectio essentialis vnius & eiusdem entis augeri vel minui possit?*

Pro thesi negante, ratio

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia vnaquæque species entis habet suam certam ac definitam perfectionem essentialem, quam sine sui destructione,

I.
II.

neque excedere neque amittere potest. 2, Quia auctio & diminutio competunt entibus tantum respectu quantitatis siue extensiuæ, siue intensiuæ, quæ non cadit in perfectio-

fectionem essentialem. 3, Quia essentia entis non recipit magis & minus, vt lib. 1. cap. 2. probatum fuit. Ergo neque perfectio essentialis. Proinde errant illi qui partim vni & eidem enti modo maiorem, modo minorem perfectionem essentialem attribuunt: partim autumant perfectionem essentialem ab aliquo ente separari & abesse posse, salua ipsius essentia. *Error quorũdam taxatur*

7 *An perfectio recte diuidatur in moralem, naturalem & transcendentem:*

FOnseca lib. 4. Metaphys. cap. 2. Q. 7. sect. 6. triplicem dicit esse perfectionem, moralem, naturalem & transcendentem, siue communem. Quæ diuisio examinata ad regulas logicas, non potest consistere. Nam primum perfectio transcendens seu communis tanquam genus complectitur suo ambitu moralem & naturalem in specie dictam. Deinde communis perfectio etiam recte dici potest naturalis, quatenus vocabulum illud in lata significatione accipitur, neque ad solas res physicas restringitur. Omne enim ens quatenus ens, habet aliquam perfectionem naturalem cum aliis entibus communem, aut saltem analogam. *Thesis negatiua defenditur* *Ratio prima.* *II.*

8 *An vnum & idem ens diuerso respectu possit dici perfectum & imperfectum?*

ETsi nullum ens, eo respectu, quo est perfectum, dici possit imperfectum, & vice versa imperfectum, quo est perfectum: tamen nihil prohibet, quo minus diuerso respectu vnum & idem possit dici perfectum & imperfectum. Et hoc probatur inductione exemplorum. 1, Quia omne ens creatum simpliciter in suo genere & specie est perfectum; & tamen idem quatenus confertur cum ente increato, dicitur imperfectum. 2, Quia vnus & idem homo simul potest esse essentialiter & naturaliter perfectus; & tamen moraliter imperfectus. 3, Quia vnus & idem respectu diuersi temporis potest accidentaliter esse imperfectus & perfectus: imperfectus quidem quatenus est infans adhuc, doctrinæque expers, perfectus vero quatenus est adultus, doctrinæque habitu instructus. Eadem conclusio ex aliis exemplis probari potest. *Thesis affirmatiua defenditur & illustratur inductione exemplorum.* *I.*

9 *An omnis imperfectio sit priuatio?*

SVnt quidam qui putant omnem imperfectionem esse priuationem; cum nihil sit aliud quam defectus perfe- *Opinio aliorum exponitur & reucitur.*

ctionis per naturam enti alicui inesse debitæ. Et hoc etiam probant à definitione Imperfecti, quod ipsis videtur nihil aliud esse, quam id quod perfectione sibi debita est priuatum, seu, cui deest aliqua perfectio debita. At illa opinio est erronea. Omnis enim perfectio creata includit aliquam imperfectionem, vt supra Probl. 5. probatum fuit. Hæc autem assertio non potest intelligi de imperfectione quatenus est priuatio. Alioquin enim sequeretur nullam esse perfectionem creatam, quæ non includeret priuationem aliquam. Id quod implicat contradictionem. Proinde statuendum est duplicem esse imperfectionem, vnam priuatiuam, quæ est defectus perfectionis per naturam alicui enti competentis: alteram negatiuam, quæ est defectus perfectionis per naturam enti alicui non competentis.

Duplex est imperfectio.

10 *An omnis imperfectio arguat malitiam, prauitatem & vitiositatem?*

Thesis negatiua defenditur.

NOn pauci reperiuntur, qui ex eo, quod aliquid est imperfectum, statim concludi arbitrantur, illud esse malum, prauum & vitiosum. Huic igitur opinioni vt occurratur, vtile est notare argumenta aliqua, quæ in contrariam partem afferri possunt, inter quæ præcipua videntur illa: 1, Quia omnis creatura, cum Deo creatore comparata, est imperfecta. Neque tamen inde colligi potest, omnem creaturam esse malam, prauam & vitiosam, siue naturaliter, siue moraliter, siue alio modo intelligas. 2, Quia vera bonitas tam absoluta quam respectiua, tam naturalis, quā moralis, aut artificialis, alia est perfecta, alia imperfecta. Neq; tamen inde concludi potest bonitatem imperfectam esse malam. 3, Quia nihil in rebus creatis secundum vsitatum & ordinarium Naturæ cursum ab ipso Deo sancitum potest fieri, aut esse perfectum, siue naturaliter siue moraliter, siue artificialiter, nisi prius fuerit imperfectū & inchoatum. Imo ipsa imperfectio est quasi gradus ad perfectionem. Qui enim incipit, ille facilius potest perficere aliquid, quam qui nondum incipit. Vnde poeta canit: *Dimidiū facti, qui bene cœpit habet.* Quod si autem omnis imperfectio argueret malitiam, prauitatem & vitiositatem, sequeretur inde, nihil secundum ordinarium Naturæ cursum posse fieri vel esse bonum siue naturaliter, siue moraliter siue artificia-

Ratio I. *II.* *III.*

tificialiter, quin prius fuerit malum, adeoque ipsam malitiam esse quasi gradum ad bonitatem, quod tamen longe est absurdissimum. 4, Quia ipse Deus in creatione ab imperfectioribus ad perfectiora est progressus; neque tamen illa imperfectiora fuerunt mala. 5, Quia βελτίωσις, hoc est, melioratio, quæ est alteratio, qua ex minus bono fit magis bonum, in nullo ente locum habet, nisi præcedat aliqua imperfectio. Et tamen illa imperfectio non arguit malitiam; sed bonitatem tantum minus completam. 6, Quia si omne imperfectum esset malum, melius esset non inchoare aliquid, quam inchoare. Quod enim nondum inchoatum est; id minus potest dici imperfectum. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens.

IV.

V.

VI.

11 *An omne imperfectum sit prius perfecto?*

ARistoteles passim in Physicis asserit, *perfectum esse natura prius imperfecto.* Quæ assertio vera est, quatenus intelligitur. 1, de ordine, quo ens creatum refertur ad ens increatum. Hoc enim sicut summe est perfectum; ita etiam natura prius est omni ente creato, quod cum eo comparatum, est imperfectum. 2, de ordine intentionis Naturæ. Semper enim Natura prius intendit perfectum quam imperfectum. 3, de ordine dignitatis. Semper enim perfectum nobilius & præstantius est imperfecto. Falsa autem est quatenus intelligitur de ordine generationis Naturæ. Hæc enim semper in generandis rebus ab imperfectioribus progreditur ad perfectiora.

Lib. 8. Phys. auscul. c. 9. Lib. 1. de cælo, c. 4. imperfectũ diverso respectu prius & posterius est perfecto.

12 *An cognitio suæ imperfectionis sit vera perfectio?*

EST quidam vir non è multis, qui asserit *hanc esse in omnibus solam perfectionem, suæ imperfectionis cognitionem.* Quæ assertio, nisi cum mica salis intelligatur, videtur esse falsa & absurda. Sicut enim nulla imperfectio quatenus talis, ita neque vlla cognitio imperfectionis potest esse vera perfectio alicuius entis, nisi statuatur vnum oppositum aut saltem eius cognitionem esse vere alterum oppositum. Proinde non alius sensus huius effati esse potest, quam qui est illius dicti Aristotelici, quod habetur libr. 1. De ortu & interitu, cap. 3. *Vnius corruptio est generatio alterius.* Sicut enim vnius corruptio non est

Hieron. in epist. ad Theophontem.

Verus sensus thesis affirm. exponitur.

formaliter generatio alterius; sed tantum ordine antecessionis & consecutionis, quatenus vnius corruptionem antecedentem consequitur generatio alterius; ita etiam cognitio suæ imperfectionis non est formaliter vera perfectio; sed hæc illam antecedentem consequitur. Vnde etiam recte cognitio suæ imperfectionis dicitur gradus primus ad perfectionem; non secus ac cognitio morbi dicitur gradus primus ad sanitatem; ignorantiæ, ad scientiam; vitii, ad virtutem.

De Simplicitate & Compositione,

CAPVT II.

1 *Secunda classis attributa absoluta sunt* Simplicitas & Compositio. *Omne enim ens aut est simplex, aut compositum.*

2 *Simplicitas est actus simplicis, quatenus est simplex.*

3 *Estque vel absoluta vel comparata. Omne enim simplex aut est absolute tale, aut comparate.*

4 *Absoluta simplicitas est immunitas entis increati ab omni prorsus reali ex diuersis compositione.*

5 *Comparata simplicitas, est immunitas entis creati à certa aliqua compositionis realis specie.*

6 *Compositio est actus compositi, quatenus est compositum.*

7 *Estque vel realis, vel rationis.*

8 *Compositio realis est, quæ reuera enti alicui inest, citra mentis cogitationem.*

9 *Estque vel generalis, vel specialis.*

10 *Generalis compositio est, quæ omni enti creato reipsa competit.*

11 *Eius species sunt quatuor, vna, ex ente & essentia; altera, ex genere vniuoco & differentia specifica; tertia, ex subiecto & adiuncto inhærente; quarta, ex actu & potentia passiua.*

12 *Specialis compositio est, quæ non omni enti creato competit; sed tantum illi, quod rationem totius suscipit.*

13 *Eius species principales sunt tres: vna ex partibus subiectiuis, cuiusmodi sunt species generi subiectæ; altera, ex partibus essentialibus, cuiusmodi sunt materia & forma; tertia, ex partibus integralibus.*

14 *Compositio rationis est, quæ enti alicui tribuitur secundum*

dum

dum nostrum concipiendi modum; tametsi ei reipsa non insit.

IN CAPVT SECVNDVM

PROBLEMA I.

Quot modis aliquid dicatur simplex?

SImplex aliquid dicitur vel proprie vel improprie. *Simplex aliquid dicitur variis modis.*
Proprie simplex dicitur. 1, quod est ἀσύνθετον, hoc est, *incompositum.* Et hoc rursus vel est absolute simplex, vel comparate. Absolute simplex est, quod simpliciter est *Proprie.* incompositum, seu, quod expers est omnis compositio- *I.* nis realis, cuiusmodi est solum ens primum & increatum. Comparate simplex est, quod secundum quid est incompositum, seu, quod liberum est à certa aliqua compositionis realis specie; non tamen ab omni. Hoc modo partim creaturæ incorporeæ dicuntur simplices; quia non sunt compositæ ex partibus vel essentialibus vel integralibus, vt corporeæ; partim elementa & corpora cœlestia dicuntur simplicia; quia non constant ex elementis, vt corpora mixta. In summa, quo magis vel minus aliquid est compositum, eo magis vel minus hoc modo dicitur simplex. 2, quod expers est comparationis seu limi- *II.* tationis. Sic argumentum simplex dicitur quod non est *Improprie.* comparatum. Improprie simplex dicitur: 1, quod fa- *I.* tuum, rude & imperitum est. Quo sensu infantes hominesque plebei & indocti dicuntur simplices. 2, quod syn- *II.* cerum est, ἀνυπόκριτον καὶ ἄδολον, hoc est, *expers simulationis* & *doli.* Quo sensu vir syncerus, qui alienus est ab omni simulatione & dolo, dicitur simplex. 3, quod humile *III.* est & expers omnis fastus & ornatus pomposi. Quo sensu homo simplex dicitur, qui non est superbus: oratio *Simplicitatis* simplex, quæ expers est ornatus pomposi: incessus sim- *vox modo* plex, qui non est affectatus. Hinc igitur patet simplicita- *proprie, mo-* tem quoq; à qua aliquid dicitur simplex, modo proprie, *do improprie* modo improprie vsurpari. Proprie quidem pro ἀσυνθεσία, hoc est, si ita loqui licet, *incompositione.* Improprie v. *accipitur.* modo pro fatuitate, ruditate & imperitia opposita versutiæ doctrinæ & peritiæ, modo pro synceritate animi, opposita simulationi, modo pro humilitate opposita fastui & ornatui pomposo. Sed hoc loco vocabulum *simplicitatis*

compositum, sequeretur inde 1. illud non esse summe perfectum. Omnis enim compositio realis arguit imperfectionem aliquam & repugnat summæ perfectioni. Neq; fieri potest vt id quod ex pluribus realiter à seipso distinctis est compositum, sit summe perfectum. 2, illud dependere ab alio. Omne enim compositum dependet à suis componentibus; cum seipsum componere non possit. 3, illud non esse ens primum & summe necessarium. Omne enim compositum est ens secundum & contingens; cum virtuti componentis se prioris sit subiectum. Sed hæc omnia videntur esse longe absurdissima: Ergo absurda etiam est hypothesis ex qua inferuntur.

At in contrariam partem præter alia obiici possunt hæc tria potissimum argumenta. 1, Quicquid habet essentiam, & præter essentiam, multas ac diuersas proprietates essentiales, id non est absolute simplex. Atqui ens primum habet essentiam, & præter essentiam multas ac diuersas proprietates essentiales. Ergo ens primum non est absolute simplex. 2, Quicquid habet certum genus, certamq; differentiam, id non est absolute simplex. Atqui primum ens habet certum genus, certamque differentiam. Ergo, &c. Assumptio probatur: Quia genus primi entis est partim substantia, partim ens, partim aliquid. Differentia vero est ipsa αὐθυπαρξία, hoc est, à seipso existere & à nullo alio dependere. 3, In quod cadit compositio substantialis ex natura & supposito, id non est absolute simplex: Atqui in primum ens cadit compositio substantialis ex natura & supposito. Fides enim Christiana docet cum vnitate naturæ in Deo esse trinitatem personarum: Ergo primum ens non est absolute simplex.

Pro thesi negante. Obiectio. I. II. III.

Vt igitur his argumentis, & si quæ sunt eius generis alia, satis fiat, fundamenti loco suppono sequentia theoremata. 1, Compositionem aliam esse realem, aliam rationis. 2, Compositionem rationis non repugnare absolutæ simplicitati; quemadmodum neq; distinctionem rationis summæ vnitati: propterea quod vtraque sit extrinseca duntaxat denominatio ex nostro concipiendi modo perueniens, vt erudite docet Fr. Suarez disput. 30. sect. 4. context. 29. 3, In ente creato quidem compositionem ex ente & essentia, ex subiecto & proprietatibus

Solutioni substernũtur, fundamenti loco theor. tria. I. II. III.

essentialibus, ex genere & differentia, ex natura & supposito esse realem; cum in eo hæc attributa omnia realiter inter se & ab ipso ente differant: In ente vero increato compositionem illam non esse realem, sed tantum rationis; cum hæc attributa non nisi ratione distinguantur. His ita suppositis, respondeo ad obiectiones. propositionem illarum esse veram de ente creato, non autem increato, in quo neque essentia ab ente, neq; proprietates essentiales vel ab ente vel essentia illius, neque genus & differentia à specie quam arguunt, neque suppositum à natura realiter est distinctum.

Responsio ad obiectiones.

4 *Quid sit Compositio in genere & quotuplex?*

Definitiones aliorum exponuntur & examinãtur.

COmpositio in genere ab aliis definiri solet, modo actus quo ex pluribus fit vnum; modo coniunctio distinctorum ad constituendum compositum; modo constitutio compositi ex pluribus. Quæ definitiones omnes videntur vocabulum *compositionis* sumere pro ipso motu, seu actu transeunte, quo fit compositum; non vero pro actu permanente, per quem compositum est & manet compositum. In qua tamen postrema significatione sola accipitur, quando opponitur simplicitati. Idcirco à nobis definita fuit compositio in genere, quod sit actus compositi quatenus est compositum. Sicut enim à simplicitate aliquid formaliter dicitur simplex; ita à compositione compositum. Quoniam vero compositio non est vniusmodi, sed multiplex; idcirco primum diuisa fuit in præceptis in realem & rationis. Quicquid enim compositum est, aut realiter tale est, aut ratione tantum ex nostro concipiendi modo. Deinde compositio realis distributa fuit in generalem & specialem, quarum illa omni enti creato; hæc vero cuidam tantum conuenit. Et vtriusque species principales sunt enumeratæ. Sed præter has distributiones alias tres repetio in scriptis Philosophorum. Prima est, quod compositio alia sit per se, alia per accidens; ex quarum illa resultat compositum per se; ex hac, compositum per accidens. Altera est, quod compositio alia sit substantialis seu essentialis, alia accidentalis. Cuius diuisionis expressam facit mentionem Fr. Suarez disput. 30. sect. 4. & 5. contextu 1. Ac prioris quidem compositionis quatuor species recenset,

Compositio in genere quid sit.

Compositio non est vniusmodi, sed multiplex.

Tres aliæ diuisiones compositionis præter commemoratas exponuntur.

I.

vnam

vnam ex esse & essentia; alteram, ex natura & supposito; tertiam, ex materia & forma; quartam ex genere & differentia. Posterioris vero duas, vnam quam vocat *compositionem ex substantia & accidente*; alteram, quam vocat *compositionem accidentis cum accidente*. Tertia est, quod *compositio alia sit ex his*, alia *cum his*. Quam diuisionem ponit ac defendit Caietanus in libro de ente & essentia, cap. 5. paulo post quæst. 9. Sed illam impugnat & confictam esse asserit Fr. Suarez disp. 31. sect. 13. cont. 5. Rationes ipsius sunt: 1, Quia omnis compositio vera secundum diuersas habitudines est compositio ex his, & cum his, & huius ad hoc. Nam in ordine ad terminum qui ex compositione resultat, dicitur compositio ex his: quia compositum non componit cum componentibus, sed componitur ex illis. Secundum autem habitudinem componentium inter se dicitur compositio cum his, vel huius ad hoc; quia vnum cum alio componit tertium. 2, Quia impossibile est dari aliquam veram compositionẽ, quin detur aliquid per illam compositum, quod vnitatem aliquam habeat compositione proportionatam. Ergo impossibile est dari veram compositionem, quin sit compositio ex his. Consequens est euidens ex dictis & ex ipsa terminorũ significatione. Quid enim aliud est esse compositionem ex his, nisi compositionem vnius rei constantis ex multis? Antecedens vero patet: quia omnis vera actio, præsertim transiens, habet aliquem adæquatum terminum ad quem terminatur, qui esse non potest nisi compositum. Item, quia omnis compositio fit per vnionem componentium: ex vnione autem resultat vnum non simplex, sed compositum. Etsi vero hæc sententia Suarez vera est de compositione per se & proprie dicta; tamen haud videtur simpliciter esse concedenda de compositione per accidens & improprie dicta, cuiusmodi est compositio entis cum essentia, substantiæ cum accidente, accidentis cum accidente. Hæc enim licet possit improprie & per accidens dici compositio ex his; tamen proprie & per se non potest ita appellari. Non enim ex illa resultat compositum veluti tertium aliquod, quod sit per se vnum, & à componentibus vere ac realiter distinctum, quemadmodum exigunt rationes à Suarez adductæ. Idcirco recte nuncupari potest *compositio cum his*.

II.

III.

Tertia diuisio compositionis impugnatur à Fr. Suar.

Ratio I.

II.

Defenditur tertia diuisio compositionis aduersus Suarez.

5 *An compositio ex esse & essentia sit vera & realis; & quomodo à compositione ex natura & supposito differat?*

Sensus compositionis ex esse & essentia exponitur.

FRequens fit mentio in libris Philosophorum compositionis, quæ est ἐκ τοῦ εἶναι καὶ τῆς οὐσίας, hoc est, *ex esse & essentia.* Intelligunt autem per τὸ εἶναι, alii nihil aliud, quam ipsum ens, hoc est id, quo vnumquodque actu est: sicut per essentiam id per quod vnumquodque est id quod est. Alii vero ipsam ὕπαρξιν, hoc est, *existentiam entis:* quam opinionem sequitur F. Suarez, vt videre est disp. 31. sect. 13. context. 2. 3. 5. & sequentibus. Hinc quia ipse sentit essentiam & existentiam non realiter inter se differre, sed ratione duntaxat; statuit quoque compositionem ex esse & essentia non esse realem; sed rationis.

Disp. 31. sect. 13. cont. 7.

Thesis affir. quæst. probatur aduersus Suarez.

Quod autem hæc opinio Suarez sit falsa, patet ex sequentibus rationibus. 1, Quia omnis compositio quæ constat ex terminis realiter distinctis, est realis. Talis autem est compositio ex esse & essentia, siue per esse intelligas ipsum ens; siue existentiã entis. Supra enim lib. 1. satis demonstratum fuit realiter inter se differre ens, eiusque essentiam & existentiam. 2, Quia nulla compositio rationis est essentialis creaturæ, cum extrinsecus tantum ei adueniat ex rationis conceptione. Compositio autem ex essentia est essentialis creaturæ, quemadmodum ipse Fr. Suar. concedit. Nulla enim creatura est aut esse potest, quæ ex esse & essentia non sit composita. Proinde compositio ex esse & essentia non est compositio rationis, sed realis.

Disp. 30. sect. 4. context. 1. & disp. 31. sect. 13. cont. 8. 9.

Compositio ex esse & essentia differt à compositione ex natura & supposito.

Porro hæc compositio differt à compositione ex natura & supposito, tanquam communius ab angustiore, si modo per *esse* intelligatur ipsum ens. Omnis enim compositio ex natura & supposito est compositio ex essentia & ente; sed non contra, hæc semper est illa: cum ens latius pateat, quam suppositum, quod tantum notat substantiam singularem. Si vero per *esse* intelligatur ipsa existentia, differt tanquam compositio ex causa & effecto à compositione ex abstracto & concreto: Essentia enim est causa efficiens existentiæ, vt supra probatum fuit.

6 *An compositio ex genere & differentia sit realis, & quomodo differat?*

F. Suarez

FRanc. Suarez existimat compositionem ex genere & differentia non esse realem, sed rationis. Etsi vero hæc sententia concedi potest quatenus intelligitur de ente primo & increato, cui genus & differentia non nisi ex nostro concipiendi modo attribuuntur; tamen falsa est quatenus intelligitur de ente creato. Illius enim attributa realia sunt genus & differentia, à quibus etiam realiter differt. Iam autem secundum doctrinam ipsius Suarez compositio realis est, quæ constat ex terminis realiter inter se distinctis; rationis vero, quæ constat ex terminis ratione inter se distinctis. Ergo compositio ex genere & differentia, quatenus enti creato attribuitur, non est compositio rationis, sed realis. Cæterum differt hæc compositio à compositione ex materia & forma, quod illa est generalis, omnique enti creato vniuersali competit, siue materiæ & formæ sit expers, siue particeps: Hæc vero specialis est, solique enti materiato & formato conuenit, siue sit vniuersale siue singulare.

In locis supra citatis & alibi.

Sententia Suarez secundum quid vera est & falsa. Disp. 31. sect. 13. cont. 7.

Compositio ex genere & differentia differt à compositione ex materia & forma.

7 *An omnis creatura sit composita?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1. Quia nullum ens creatum absolute est simplex; cum id soli enti primo & increato competat, vt supra P. 2. probatum fuit. 2. Quia in omni creatura reperitur compositio realis, partim ex ente & essentia: partim ex genere vniuoco & differentia specifica; partim ex subiecto & adiuncto inhærente; partim ex actu & potentia passiua. Omnis enim creatura habet partim essentiam, genus, & differentiam à se realiter distinctam, partim accidentia sibi inhærentia, per quæ vel perficitur vel corrumpitur. Præterea omnis creatura primum actu est id, quod est: deinde potest esse id, quod non est, & desinere esse id quod est. 3. Quia si quædam creatura simpliciter non esset composita, sequeretur, illam æqualis esse cum ente increato perfectionis. Sed consequens est absurdum, vt patet ex P. 4. c. 1. lib. 2. Ergo absurdum etiam est antecedens. Etsi vero simplicitas multis rebus creatis attribui solet; illa tamen non est absoluta, sed comparata. Quod enim minus compositum est, id dicitur simplex respectu eius, quod magis est compositum. Comparata autem simplicitas non omnem excludit compositionem realem, sed cum certa quadam consistere potest.

Pro thesi affirmante Ratio I.

II.

III.

Prolepsis.

8 *An omnis creatura sit composita ex partibus?*

Per distinctionem quæstio deciditur.

DIstinguendum est inter partes proprie & improprie dictas. Hæ enim omni creaturæ competunt, cum nulla sit, cui non vel diuersæ causæ, vel diuersa effecta; vel diuersa subiecta, vel diuersa adiuncta competant. Illæ vero minime. Sunt enim partes proprie dictæ, aliæ subiectiuæ, aliæ essentiales, aliæ integrales. Primi generis partes nullum ens creatum singulare habet, sed tantum vniuersale. Secundi generis partes vel sunt genus & differentia, vel materia & forma. Priores omnis creatura habet: posteriores autem nulla creatura habet, quæ immediate ex nihilo à Deo est producta, cuiusmodi est, partim substantia incorporea, partim materia prima, vt suo loco probabitur. Tertii generis partes competunt omni substantiæ corporeæ tam naturali quam artificiali; sed nulli incorporeæ; cum illa omnis quantitatis extensiuæ per se sit expers.

9 *An omne quod componitur, ab alio componatur: & num omne compositum posterius sit componente?*

Thesis affirmatiua defenditur.

OMne quod componitur, aut componitur à seipso, aut ab alio. Sed à seipso nihil componi potest, nisi statuamus causatum sui ipsius causam esse: quod tamen est absurdum, vt infra *lib. 3. capite de causa & causato* probabitur. Ergo necessario statuendum est, quicquid componitur ab alio componi. Quoniam autem omne causatum secundum absolutam suam essentiam naturæ ordine posterius est sua causa: sequitur, omne compositum eodem modo esse posterius componente.

10 *An omne compositum possit resolui in eadem principia ex quibus constat?*

Thesis affirmat. non est simpliciter vera, sed secundũ quid.

VSitatum & tritum in scholis est axioma, *eadem esse principia resolutionis & compositionis.* Ideoque omne compositum posse resolui in eadem principia, ex quibus constat. Etsi vero hoc dictum verum est partim de resolutione logica & mentali, quæ cogitando peragitur, partim de resolutione sensili totius integralis quod partes habet corporeas & actu seorsum subsistere valentes; tamen falsum est partim de reali resolutione entium, quæ composita sunt ex esse & essentia, subiecto & accidente, actu & potentia, & id genus aliis; partim de physica re-

ea resolutione corporum naturalium in eandem materiam, ex qua essentialiter mutata fuerunt producta. Neque enim corpus humanum potest physice resolui in sperma, neq; caro in sanguinem, sanguis in chylum, chylus in alimenta, ex quibus fuit genitus. Neque pullus potest physice resolui in ouum, ouum in sanguinem gallinæ, sanguis gallinæ in frumentum ex quo ortum suum habet. Ratio est, quia naturaliter non datur regressus à corruptione vnius indiuidui, ad eiusdem generationem. Neque Natura retrorsum vadit in transmutandis rebus; sed semper prorsum: siquidem ex priore semper generat posterius; nō autem ex posteriore vnquam generat prius. Et hoc testatur etiam acutissimus Philosophus *Thomas Erastus* in libro de metallis, vbi chymicam metallorum in se transmutationem refutans; præter alia subiicit hæc verba: *Non potest res naturalis vlla composita in materiam, ex qua transmutata proxime orta est, resolui.* Item, *Nulla vi potest fieri, vt res mista in id dissoluatur, ex quo transmutato proxime genita fuit.*

Denique idem dictum non semper verum est de resolutione corporum artificialium in materiam, ex qua fuerunt facta. Neque enim panis potest resolui in farinam; farina in grana frumenti: Neque olla in argillam, & sic deinceps in aliis exemplis.

11 *An omne sit compositum ex eo, in quod realiter dissoluitur?*

Sententia affirmatiua vniuersaliter accepta est falsa. Non enim necesse est, vt res aliqua ex illis sit constituta in quæ corrumpitur, aut quæ ex ea corrupta generantur. Alias enim multa absurda inde sequerentur, v. g. 1. omnia combustilia esse ex cineribus facta: cum in cineres possint redigi. 2, corpora hominum ex serpentibus aliisq; vermibus esse composita: cum illa in hos corrumpantur, & hi ex illis putrefactis generentur. 3, vinum esse ex aceto, cum in acetum corrumpatur, &c. *Thesis affir. non est simpliciter vera, sed secundum quid.*

De Vnitate & Multiplicitate;

CAPVT III.

THEOREMATA.

1 *Tertia classis attributa absoluta, sunt vnitas & multiplicitas.*

2 *Omne enim ens, aut est vnum, aut multiplex.*

3 *Vnitas est actus vnius, quatenus est vnum.*

4 *Estque vel realis, vel rationis.*

5 *Vnitas realis est, per quam ens realiter est vnum.*

6 *Estque vel essentialis, vel accidentaria.*

7 *Essentialis vnitas est, per quam ens in se est vnum, sine respectu ad aliud.*

8 *Eaque vel est prima, vel à prima orta.*

9 *Prima vnitas est, per quam ens increatum modo simplicissimo & perfectissimo est vnum.*

10 *Eaque principium est non tantum omnis vnitatis secundæ; sed etiam omnis multitudinis, quæ in rebus creatis cernitur.*

11 *A prima orta vnitas est, per quam omne ens creatum in se est vnum.*

12 *Eaque vel enti vniversali tribuitur, vel singulari, cuius respectu, à Philosophis dicitur* vnitas numerica, *seu* indiuidualis.

13 *Vnitas accidentaria est per quam ens cum alio, certo quodam modo ac respectu est vnum.*

14 *Eius multæ & variæ sunt species, quæ docendi gratia ad certos ordines reuocari possunt.*

15 *Primi ordinis sunt, vnitas generica & specifica.*

16 *Vnitas generica est, per quam ens cum alio genere vel vniuoco, vel analogo, vel proximo vel remoto est vnum.*

17 *Vnitas specifica est, per quam ens cū alio specie est vnum.*

18 *Secundi ordinis sunt vnitas causalis & effectiua.*

19 *Vnitas causalis est, per quam ens cum alio, causa aliqua est vnum, siue illa sit efficiens siue materia, siue forma, siue finis.*

20 *Vnitas effectiua est, per quam ens cum alio, effecto aliquo est vnum.*

21 *Tertii ordinis sunt vnitas subiectiua & adiunctiua.*

22 *Vnitas subiectiua est, per quam ens cum alio, subiecto est vnum, siue illud sit recipiens, siue occupans.*

23 *Vnitas adiunctiua est, per quam ens cum alio, adiuncto est vnum, siue illud sit receptum, siue occupatum.*

24 *Vnitas rationis est, per quam ens ratione est vnum.*

25 *Sic de* vnitate. *Restat* multiplicitas, *quæ est actus multiplicis quatenus est multiplex.*

26 *Eaque vel est realis, vel rationis.*

27 *Realis multiplicitas est, per quam ens realiter est multiplex,*

tiplex, siue essentia, siue causa, siue effecto, siue subiecto, siue adiuncto, siue partibus, siue alio quodam modo.

28 *Rationis multiplicitas est, per quam ens ratione est multiplex.*

IN CAPVT TERTIVM

PROBLEMA I.

An vnitas sit attributum positiuum entis?

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia vnitas perfectionem entis arguit. Quo enim ens magis accedit ad vnitatem, eo est perfectius: & quo magis recedit ab vnitate, eo est imperfectius. Vnde Deus omnium entium est perfectissimus, quia maxime vnus est. *Pro thesi affirmante. Ratio I.* 2, Quia omnis vnitas secunda reducitur ad vnitatem primam tanquam principatum ad suum principium, aut riuulus ad suum fontem. Ergo sicut prima vnitas est proprietas Dei positiua; ita necesse est, vt etiam secunda vnitas sit proprietas positiua creaturæ. Absurdum enim est aliquid negatiuum reducere ad primum ens, quod maxime est positiuum, non minus ac imperfectionem aliquam reducere ad primam & summam perfectionem. *II.* 3, Quia vnitas est mensura prima cuiusque generis, & maxime proprie quantitatis, vt tradit Aristot lib. 10. Metaphys. c. 9. *III.* 4. Quia nulla causa efficiens toto genere deterior est suo effectu. Iam autem vnitas est causa efficiens, & quasi fundamentum identitatis & multitudinis. Ergo cum identitas & multitudo sint attributa entium positiua, sequitur etiam vnitatem esse talem. *IV.* 5, Quia vnitas in ente increato fundatur in absoluta illius simplicitate: in ente vero creato oritur ex compositione seu vnione plurium. Cum igitur tam simplicitas absoluta, quam compositio sit attributum positiuum entium, sequitur idem de vnitate negari non posse. *V.* 6, Quia pura negatio quatenus est negatio, non recipit magis & minus. Vnitas autem recipit magis & minus. Nam magis vnum est quod per simplicem essentiam est vnum, quam quod per compositionem plurium. Et tanto magis ab vnitate receditur, quanto compositio maior est. Ergo vnitas non est pura negatio, sed aliquid positiuum. *VI.*

Errant igitur Scholastici, qui vnitatem asserunt esse

Error Scholasticorum taxatur.

passionem entis negatiuam, propterea quod nihil aliud sit, quam indiuisio entis à seipso, quæ indiuisio notat negationem diuisionis. Licet enim indiuisio, per quam vnitas definitur, per modum negationis significetur; tamen reuera non est negatio, sed aliquid positiuum.

2 *Quid sit vnitas in genere?*

Diuersæ definitiones vnius recensentur & examinantur.

AD inuestigandam definitionem vnitatis generaliter acceptæ, vtile est considerare quid sit vnum in genere. Cognitio enim concreti sæpenumero solet hominem deducere in cognitionem abstracti: sicut vice versa, cognitio abstracti, in cognitionem concreti. Definitur igitur vnum à Philosophis modo quod est in se indiuisum, & diuisum à quouis alio: modo quod est à se indistinctum & distinctum à quouis alio: modo quod non est aliud à se; modo quod non est diuisum in hoc, & non hoc; modo, quod quatenus tale non est hoc & non hoc; modo quod secundum certam aliquam rationem est indiuisum. Ex quibus definitionibus priores tres partim sunt angustiores suo definito; cum non omni *Vni* competant, sed tantum vni per se & absolute dicto; partim etiam nonnulla continent, quæ non sunt de essentia Vnius; sed illam consequuntur.

Diuidi enim seu distingui ab alio non est de ratione vnius, sed quid eo posterius, semperque requirit aliquam multitudinem. Imo inde oritur multitudo, quod multa sunt vna, quorum vnum non est aliud. Posteriores vero tres definitiones naturam Vnius sub communissima ratione sumpti declarant: ideoque suo definito sunt adæquatæ. In primis vero vltima, quam etiam passim in suis libris Metaphysicis tradit & inculcat ipse Aristoteles. Nã libr. 5 c. 6. vniuersaliter pronunciat, *quacunque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dici.* Et lib. 10. cap. 1. Vnius essentiam in eo consistere dicit, quod sit indiuisibile. Ad quem locum procul dubio respexit acutissimus Philosophus Scaliger quando exerc. 65. sectio. 2. ait: *Vnius quidditas est essendi indiuisibilitas.* Idem Aristoteles in eodem capite *vnum asserit esse indiuisibile aut simpliciter, aut quatenus vnum:* Cum quo etiam consentit quod cap. 3. eiusdem libri *Vnum* dici ait *quod indiuisibile est aut non diuisum.* Quod si igitur Vnum in genere est, quod est indiuisum seu indistinctum secundum certam aliquam

Ex definitione vnius col-

aliquam rationem, quatenus eſt tale: ſequitur vnitatem eſſe nihil aliud quam indiuiſionem ſeu indiſtinctionem rei ſecundum certam aliquam rationem. Pro qua definitione, quæ videtur intellectu eſſe difficilior, in præceptis dixi, *Vnitatem eſſe actum vnius quatenus eſt vnum*, hoc eſt id, per quod ens formaliter eſt vnum. *Igitur definitio vnitatis in genere.*

3 *Quotuplex ſit vnitas?*

VNitatis tot ſunt ſpecies, quot modis aliquid dicitur vnum. Vt igitur vnitatis ſpecies melius inquirantur & explicentur, ante omnia conſiderandum eſt quot modis aliquid dicatur vnum. Iam autem vnum aliquid dicitur vel realiter, vel ratione. *Vnum realiter* eſt, quod citra mentis noſtræ conceptum reipſa eſt indiuiſum. Ratione vero vnum eſt, quod ſecundũ mentis noſtræ conceptum eſt indiuiſum. Quo ſenſu definitum & definitio nec non attributa diuina ſunt vnũ realiter, tametſi rationes ſunt multa & inter ſe diſtincta. Similiter Punctum in aliquo corpore Phyſico conceptum, eſt vnum ratione, ac indiuiſibile, tametſi realiter eſt multiplex & diuiſibile. 2, *Vnum realiter aliquid* dicitur vel per ſe, vel per accidens, ſeu quod idem valet, vel eſſentialiter, vel accidentaliter, vel ſimpliciter vel ſecundum quid; vel abſolute, vel reſpectiue ſeu comparate. Vnum per ſe eſt, quod à ſeipſo ſecundum propriam ſuam naturam ſimpliciter eſt indiuiſum & indiſtinctum. Vnum per accidens eſt, quod ab alio reſpectu alicuius tertii eſt indiuiſum & indiſtinctũ. Hinc vnumquodque dicitur eſſe vnum ſicut eſt ens, ita vt ſi fuerit ens per ſe; ſit etiam vnum per ſe; ſi vero ens ſit per accidens, ſit etiam vnum per accidens. 3. *Vnum per ſe* aliquid dicitur vel perfectiſſimo & eminentiſſimo quodam modo, vel modo quodam minus perfecto. Priore modo ſolus Deus dicitur per ſe vnus; cum ſit ens abſolute ſimplex; & non tantum in ſe & à ſe ſit indiuiſus, ſed etiam plane indiuiſibilis. Poſteriore modo omnis creatura in ſe conſiderata dicitur vna, ſiue ſit vniuerſalis ſiue ſingularis & vna numero. 4, Vnum per accidens aliquid dicitur vnum vel genere vel ſpecie; vel cauſa vel effecto; vel ſubiecto, vel adiuncto, quatenus ſcilicet ab alio eſt indiuiſum & indiſtinctum ſecundum vel genus, vel ſpeciem, vel cauſam, vel effectum, vel ſubiectum, vel

Vnũ aliquid varijs modis dicitur.

I. (beside "eſt indiuiſum. Quo ſenſu…")
II. (beside "uiſibile, tametſi…")
III. (beside "per accidens, ſit etiam…")
IV. (beside "ue ſingularis…")

adiunctum. Hoc sensu Socrates, Plato, Aristoteles sunt vnum specie; Homo & bestia vnum genere; creaturæ omnes vnum causa prima efficiente & finali; omnia corpora naturalia vnum materia prima, & forma generali: multi trahentes nauim, vnum effecto; sapientia & prudentia vnum subiecto recipiente; coætanei vnum adiuncto recepto, &c. 5, *Vnum adiuncto recipiente aliquid* dicitur vel quantitate vel qualitate, vel motu, vel relatione vnum quatenus scilicet ab alio est indiuisum & indistinctum, vel secundum quantitatem vel secundum qualitatem, vel secundum motum siue actionem siue passionem, vel secundum relationem.

V.

Ex diuersis modis vnius colliguntur diuersæ species vnitatis.

Ex his igitur commemoratis modis quibus aliquid dicitur vnum, facile est colligere quot sint species vnitatis. Nam 1. vnitas alia est realis, alia rationis. 2, Vnitas realis alia per se est, alia per accidens: seu, quod idem est, alia essentialis, alia accidentaria, alia absoluta, alia respectiua seu comparata. 3, Vnitas per se seu essentialis alia est prima, alia à prima orta; seu quod idem est, alia increata, alia creata; alia independens, alia dependens. 4, Vnitas per accidens seu accidentaria alia est generica, alia specifica; alia causalis, alia effectiua; alia subiectiua, alia adiunctiua: quæ rursus sub se continet species secundum varias species adiuncti, cuius respectu duo aut plura entia inter se sunt vnum. Vbi etiam obseruandum est,

Obseruatio. I.

vnum per se interdum in peculiari significatione vsurpari pro vnico & solitario: vt cum Deus dicitur esse vnus, Sol vnus. Et hac ratione excludere consortium alterius, & includere negationem multitudinis. 2, Vnum numero non semper dici id quod est singulare; sed sæpe etiam ea quæ vnam & eandem rem significant: vt sunt ensis, gladius, definitum & definitio, &c.

II.

4 *An ens & vnum sint idem realiter?*

Pro thesi negante.

Ratio I.

STatuitur thesis negatiua, quatenus de ente creato quæstio intelligitur. Rationes sunt: 1, Quia differunt inter se definitione essentiali. Ens enim est aliquid positiuum essentia præditum. Vnum vero est quod est indiuisum secundum certam aliquam rationem. 2, Quia ens denominatur ab essentia: vnum vero ab vnitate. 3, Quia vnum de pluribus prædicatur, quam ens. Non enim tantum ens dicitur vnum; sed etiam essentia & priuatio, quæ

II.

Pro thesi affir. argumenta aliorum.

tamen

tamen ex numero entium excluduntur. 4, Quia ens diuerso respectu potest esse vnum, & non vnum, vt infra probabitur. Cæterum contrariam sententiam non tantum defendunt omnes fere Scholastici; sed etiam nonnulli ex recentioribus Philosophis. Illi enim statuunt ens & vnum realiter esse idem; differre autem ratione. Argumenta ipsorum sunt: 1, Quia Aristoteles lib.4.Metaphys.cap.2. expresse asserit: τὸ ὂν, καὶ τὸ ἓν αὐτὸν καὶ μία φύσις. Et hanc suam assertionem probat lib.10.Metaph.c.2. partim quod ens & vnum æque late patent, & maxime vniuersaliter de omnibus prædicantur; partim quod in prædicatione vnus homo non addit aliquid aliud, quam homo; partim quod vnius esse est cuiusque esse. 2, Quia ens & vnũ non sunt naturæ diuersæ ab vlla re particulari. *I.* *II.*

Responsio ad argumenta. Ad primum argumentum respondeo, Aristotelem lib. 4. Metaph. cap. 2. aut errasse, aut intelligendum esse dictum ipsius de ente & vno duntaxat primo & increato. In rationibus vero quas differt lib.10.cap.2.nihil aliud agere quam vt petat principium, quemadmodum patet ex rationibus supra pro thesi negante allatis. Ad alterum respondeo per simplicem inficiationem: Ens enim & vnum non tantum inter se sunt diuersæ naturæ, quod sufficeret ad probandam nostram sententiam, sed etiam, v. g. ab homine quatenus est homo. Ens enim habet se ad hominem tanquam genus ad speciem: vnum vero tanquam adiunctum generale ad suum subiectum.

5. *An aliquod ens simul possit esse vnum, & non vnum?*

Per distinctionem quæstio deciditur. Diuerso modo ac respectu aliquod ens potest esse vnũ & nõ vnum.

ETsi nullum ens vno ac eodem modo ac respectu simul possit esse vnum & non vnum, ob manifestam contradictionis implicationem; tamen nihil absurdi accidit si aliquod ens statuatur diuerso modo ac respectu simul posse esse vnum & non vnum. Et hoc probatur partim ratione, partim inductione exemplorum. Ratio est, quia quicquid non implicat contradictionem, id potest fieri. Atqui aliquod ens diuerso modo ac respectu esse vnum & non vnum, id non implicat contradictionem: Ergo fieri potest. Exempla sunt: 1, Quia diuina attributa sunt vnum realiter; & non vnum, sed multa ratione. 2, Quia ens creatum, quod per se & simpliciter est vnum, per accidens & secundum quid non est vnum, sed

multiplex vel causa, vel effecto, vel subiecto, vel adiuncto. 3, Quia quod vnum est genere, non est vnum specie; & quod vnum est specie, id non est vnum numero seu indiuiduo, &c.

6 *An ex duobus entibus in actu perfecto possit fieri vnum per se?*

Thesis affirmatiua non est simpliciter vera.

COmmunis opinio Philosophorum videtur esse pro parte negante vniuersaliter accepta. Sed respondendum iudico ex duobus entibus in actu perfecto non posse fieri vnum per se, nisi vnum induat rationem generis vel materiæ, alterum rationem differentiæ vel formæ specificæ. Necesse enim est vt vnum illorum semper sit determinans & alterum determinatum: v. g. Ex corpore organico & anima rationali, quæ sunt entia in se perfecta, non potest fieri vnus per se homo, nisi illud materiæ; hoc formæ specificæ rationem suscipiat. Similiter ex animali & rationali non potest constitui vnus per se homo, nisi animal induat rationem generis; hoc differentiæ. Non igitur simpliciter & vniuersaliter verum est pronuntiatum illud Philosophorum: *Ex duobus entibus in actu perfecto non posse fieri vnum per se.*

7 *An omne ens sit simpliciter vnum?*

Omne ens incomplexum est simpliciter vnum, complexum autem non. Rationes.

DIstinguendum est inter *ens incomplexum* & *complexum*, seu, vt alibi loquitur Aristoteles, & cum eo alii Philosophi, inter *ens per se*, & *ens per accidens*. De priore enim vera est thesis affirmatiua vniuersaliter accepta. De posteriore autem non itidem. Rationes sunt: 1, Quia omne ens incomplexum, tam simplex, quam compositum est in se, & à se indiuisum & indistinctum, neque fieri potest, vt sit aliud à seipso. Ens vero complexum licet secundum quid sit vnum, tamen simpliciter est multiplex & à seipso diuisum & distinctum. 2, Quia omne ens incomplexum sicut habet vnam absolutam & specificam essentiam; ita etiam vnam propriam & essentialem definitionem, qua essentia illa explicatur. Ens autem complexum non itidem 3, Quia ens incomplexum quod non est simpliciter vnum, ne est quidem, vt videtur innuere Scaliger exercit. 310. sect. 2.

I. II. III.

Testim. Suar. idem Suarez. disp. 4. sect. 4. context.

Idem testatur Fr. Suarez disput. 4. sect. 3. cont. 1. dum inquit, *vnum per se esse simpliciter vnum: per accidens vero vnum secundum quid.* Vnumquodque enim est vnum sicut est

est ens, ita vt si fuerit ens per se, sit etiam vnum per se; si vero ens sit per accidens, sit etiam vnum per accidens. At in contrariam partem à quibusdam obiici solet solum primum ens esse simpliciter vnum, cum nihil sit proprie in ipso, quod non sit ipsum. Ideoque hoc attributum omni enti incomplexo non competere. Respondeo, esse ambiguitatem in phrasi illa, *esse vnum simpliciter.* Illam enim duobus modis intelligi posse: primum quatenus vnum simpliciter idem est ac summe ac perfectissime vnum. Et sic soli Deo attribui: Deinde quatenus idem est, ac per se & essentialiter esse vnum, sine respectu ad aliud. Et sic omni enti incomplexo competere. *Obiectio.* *Responsio.*

8 *An vnitas sit primum principium, primaque mensura omnis multitudinis?*

STatuitur thesis affirmatiua in vtraque parte quæstionis, sed cum distinctione quadam. Vnitas enim alia est prima, & independens, alia à prima orta & dependens. Et primum principium aliud est essendi, vt efficiens, materiale, formale & finale, aliud cognoscendi. Vnitas igitur prima & independens, quæ est solius Dei propria, & ab essentia diuina non nisi ratione differt, est primum principium multitudinis partim efficiens, partim finale. Tota enim entium creatorum multitudo à Deo vno existit, & ad Deum vnum refertur. Vnitas vero à prima orta & dependens partim est primum principium materiale multitudinis; partim primum principium cognoscendi illam. Multitudo enim ex vnitatibus primo resultat & per vnitatem primo cognoscitur. Vnde etiam Aristoteles libr. 10. Metaphys. cap. 2. numerum definit πλῆθος μονάδων, hoc est, *multitudinem ex vnitatibus collectam*, ibidemque asserit vnum esse principium numeri, quatenus est numerus, omnemque numerum vno cognosci. Ac quoniam mensura prima cuiusque generis est primum entis principium vt passim in Metaphysicis docet Aristoteles; hinc recte concluditur, vnitatem, sicut est principium, sic etiam esse primam mensuram multitudinis. *Thesis affirmatiua defenditur cum distinctione.*

9 *An vnitas conseruet res, multitudo vero destruat?*

VTilissima est hæc quæstio, & digna quæ diligenter à nobis excutiatur & consideretur. Est autem in ea vera sententia affirmatiua propter sequentes rationes: 1. Quia DEVS est prima vnitas, à qua omnes res *Thesis affirmatiua defenditur.* *Ratio 1*

vt existunt, ita conseruantur. Et quo magis ens accedit ad illam vnitatem, eo magis conseruatur: & quo magis recedit ab illa vnitate, eo magis vergit ad corruptionem.

II. 2. Quia esse cuiuslibet rei consistit in diuisione, seu vnitate. Et vnumquodque sicut custodit suum esse; ita etiam

III. suam vnitatem. 3. Quia omnia corpora naturalia tamdiu conseruantur, quamdiu salua manet vnitas illorum ex vnione materiæ & formæ resultans: illa vero destru-

IV. cta, necesse est ea quoque corrumpi. 4. Quia temperamenta tam elementaria quam vitalia corporum naturalium non tantum ex miscibilium in vnum coalitu oriuntur; sed etiam tam diu in sua naturali bonitate conseruantur, quamdiu naturalem vnitatem ex crasi resultantem retinent. Quamprimum vero ab illa vnitate re-

V. cedunt, amittunt suam naturalem bonitatem. 5. Quia nulla societas humana siue ecclesiastica, siue politica, siue œconomica consistere potest, nisi aliquo vnitatis vinculo constringatur & confirmetur. Et quo maior in ea cernitur vnitas, eo est durabilior. Quo vero minor, eo citius corruit. Vnde etiam ipsum veritatis os Christus, Matth. 12. inquit: *Omne regnum quod diuisum est aduersus seipsum, vastatur: & omnis domus, ciuitas, aut domus quæ di-*

VI. *uisa est aduersus seipsam, non stabit.* 6. Quia vnitas est fons omnis æqualitatis, similitudinis, concordiæ, pacis & amicitiæ. Multitudo vero est origo omnis inæqualitatis, dissimilitudinis, discordiæ, omniumque litium, bello-

VII. rum, inimicitiarum, schismatum & hæresum. 7. Quia totum corpus humanum tamdiu immune est ab omni dolore, quamdiu partes inter se naturalem suam vnitatem obtinent. Quamprimum vero vnitas illa naturalis soluitur vel per sectionem, vel per fracturam aut rupturam, vel per punctionem, contusionem, compressionem, aut distensionem violentam, aut alio quodam modo, statim necesse est oriri dolores & cruciatus. Vnde etiam Medici causam efficientem doloris, qui tactu percipitur, statuunt esse violẽtam solutionem, siue in temperamento naturali, siue in partibus corporis, quæ per naturam debent esse continuæ vel contiguæ.

Quæstio deciditur per distinctionem.

10 *An omnis vnitas in rebus creatis oriatur à prima vnitate?*

DIstinguendum est inter vnitates quæ rebus creatis insunt.

insunt. Alia enim est essentialis seu absoluta; alia accidentalis seu respectiua. De priore vniuersaliter verum est, quod à prima vnitate ortum suum habeat, De posteriore autem non itidem. Hæc enim aut est naturalis, aut aduentitia. Aduentitia vel intellectualis, vel voluntaria. Voluntaria aut est corporalis, aut spiritualis: Et rursus eadem vel est in rebus bonis, vel in rebus malis. Licet igitur tam naturalis quam aduentitia vnitas, quatenus est in rebus bonis, recte statuatur à prima vnitate oriri, cum sit bona: tamen quatenus est in rebus malis, nullo modo ortum suum ab eadem ducit; sed quoniam est mala, à causa etiam mala existit. Hinc vnitas assensuum circa dogmata falsa, itemque vnitas voluntatum & studiorum circa res improbas & impias, quia est mala, non à prima vnitate promanat, sed à vitiositate naturæ intelligentis & proæreticæ.

11 *An ens recte diuidatur in vnum & multa?*

VSitata est apud Scholasticos diuisio entis in vnum & multa, quam etiam Soncinas & alii primam diuisionem entis nuncupare non erubescunt. Non igitur immerito quæritur, *vtrum ens recte diuidatur in vnum & multa?* Ac pro thesi quidem negante faciunt hæ rationes: 1, Quia vnitas est adæquata passio entis. Ideoque cum eo conuertitur, ita vt omne ens sit vnum, & omne vnum sit ens. Diuisio autem entis in vnum & multa repugnat adæquationi vnius & entis. 2, Quia multa, quatenus sunt multa, reuera non sunt ens, sed entia: Ideoque ens non potest diuidi in multa.

Soncinas 10. Metaph. Q. 1.

Pro thesi negante. Ratio I.

II.

Pro thesi autem affirmante adduci solent hæc argumenta: 1, Quia id quod vno modo est indiuisum, alio modo est diuisum; & quod sub vna ratione est multa, sub alia potest esse vnum. Et hac ratione ens diuiditur per vnum & multa, tanquam per vnum simpliciter, & multa secundum quid, vt Thomas docet 1. parte, Q. 11. art. 1. Idem enim ens quod est vnum simpliciter & actu, id est multa secundum quid seu potentia.

Pro thesi affirmante Ratio. I.

2 Quia multa simpliciter non diuidunt ens, nisi quatenus sunt vnum secundum quid, vt ita sensus diuisionis sit, Ens aliud esse vnum simpliciter, aliud vnum secundum quid.

II.

Cæterum in hac quæstione thesis negatiua potius est

Thesis negatiua approbatur.

vera, quam affirmatiua. Impossibile enim est, vt ens vllo respectu proprie & absque tropo sit multa. Quæcunque enim sunt multa, illa non sunt ens, sed entia, vt recte asserit ratio secunda pro thesi negante allata. Interim libenter concedimus, *Ens diuerso respectu & modo posse esse vnum & multiplex.* Quod enim vnum est simpliciter, potest esse multiplex secundum quid. Et vice versa quod est multiplex secundum quid, potest esse vnum simpliciter. Et in hoc sensu intellectum dictum Thomæ, est verum: *Id quod vno modo est indiuisum, alio modo potest esse diuisum.* Et, *Quod sub vna ratione est multa, hoc est, multiplex, sub alia potest esse vnum.* Quod autem vnitas vulgo passio adæquata entis statuitur, id simpliciter non est verum. Licet enim omne ens sub certa ratione sit vnum; tamen nihil prohibet, quo minus sub alia non sit vnum, sed multiplex, vt antea dictum fuit. Præterea non omne quod est vnum, statim est ens, nisi velimus essentiam & priuationē inter entia numerare quibus vnitas attribuitur: quod tamen est absurdum, vt patet ex p. 2. lib. 1.

Non omne quod est vnū est ens.

12 *Quomodo vnum & multa opponantur?*

Vnū & multa opponuntur non priuatiue sed aduerse.

Communis opinio Scholasticorum est, *vnum opponi multis priuatiue:* cum multa dicantur, quæ sunt diuisa aut diuisibilia: vnum vero quod est indiuisum, seu indiuisibile. Verum probabilior est sententia eorum, qui statuunt vnum & multa opponi contrarie, seu, vt alii loquuntur, aduerse. Sicut enim vnum multis: ita multa vni affirmate & ex diametro opponuntur. Neq; obstat, quod vnum est indiuisum; multa vero diuisa. Indiuisio enim in definitionibus non significat priuationem, sed puram negationem diuisionis. Ideoque cum ens perfectius sit quo magis est indiuisum; imperfectius vero quo magis est diuisum; sequitur indiuisionem perfectionem potius, quam imperfectionem in ente arguere.

Prolepsis.

De Infinitate & Finitate,

CAPVT IV.

THEOREMATA.

1 *Quarta classis attributa absoluta sunt* Infinitas, & Finitas; *Omne enim ens, aut est infinitum aut finitum.*

2 *Infinitas est actus infiniti, quatenus est infinitum.*

3 *Estque vel absoluta, vel restricta.*

4 *Abso-*

4 *Absoluta infinitas est, per quam ens simpliciter est infinitum.*

5 *Eaque omnem limitationis, terminationis, & dimensionis, tam actum quam potentiam passiuam ab ente, cui inest, excludit.*

6 *Neque consistit in extensione aliqua interminata entis secundum quantitatem, vel in negatione consummata perfectionis: sed potius in excellentia summa perfectionis.*

7 *Restricta infinitas est, per quam ens secundum quid est infinitum.*

8 *Eaque solum actum limitationis, terminationis & dimensionis ab ente, cui inest, excludit, non quidem in se, sed respectu nostri sensus, seu intellectus, aut alterius circumstantia.*

9 *Finitas est actus finiti, quatenus est finitum.*

10 *Eaque tam potentiam passiuam quam actum limitationis, & terminationis simpliciter includit.*

1 *Quot modis aliquid dicatur Infinitum aut Finitum?*

NOn vno & eodem, sed diuersis modis aliquid dicitur infinitum & finitum, tam apud Philosophos, quam in vulgata loquendi consuetudine. Nam 1, infinitum & finitum dicuntur de eo, quod habet extensionem seu quantitatem molis. Illud enim dicitur infinitum, quod nullum habet extensionis suæ terminum, vltra quem non extendatur. Finitum vero, quod aliquem habet extensionis suæ terminum vltra quem extendatur. Et in hac significatione Aristoteles infinitum asserit esse per se affectionem magnitudinis & numeri: libr. 3. Phys. auscul. c. 5. Et ibidem ἄπειρον definit τὸ ἀπεράντως διεστηκός, hoc est, *Infinitum esse quod sine termino extensum est secundum dimensionem.* Et cap. 6. *Infinitum hoc esse*, ait, *cuius semper aliquid extra licet accipere.* 2, Infinitum dicitur quod imperfectum est, & nondum ad finem perductum. Finitum vero, quod perfectum est & ad finem perductum. 3, Infinitum dicitur, quod terminis alterius corporis ambientis non circumscribitur. Finitum vero contra. Quo sensu cœlum supremum dicitur infinitum; quia nullum aliud supra se habet corpus, cuius terminis circumscribatur. 4, Infinitum dicitur, quod ad aliquid certum non est determinatum, seu quod definitum est indefinite, hoc est, sine certi termini præfinitione. Finitum vero contra.

Infinitum & finitum aliquid dicitur multis modis.

Lib. 3. Phys. auscul. cap. 4.

I.

Ibid. cap. 5.

II.

III.

IV.

Quo sensu materia prima à quibusdam Philosophis dicitur *infinita*, quia ad nullam certam formam sua natura
V. est determinata, sed ad omnes æque indifferens. 5, Infinitum dicitur quod nullam habet causam finalem pro-
VI. pter quam est. Finitum vero contra. 6, Infinitum dicitur, quod à nullo & nunquam est definitum. Finitum ve-
VII. ro, quod ab aliquo & aliquando est definitum. 7, Infinitum dicitur quod neque initium neq; finem suæ existentiæ habet. Finitum vero quod & initium & finem habet.
VIII. 8, Infinitum dicitur quod nullis suæ substantiæ terminis
IX. continetur & terminatur. Finitum contra. 9, Infinitum dicitur in quantitate perfectionis, quod perfectionem summam habet, & illimitatam. Finitum vero quod perfectionem habet limitatam.

Infinitũ præterea aliquid dicitur quatuor modis, Sed præter hos modos iam enumeratos, adhuc alii sunt quibus aliquid dicitur infinitum. Nam 1, infinitum aliquid dicitur vel negatiue, vel priuatiue. Negatiue infinitum est, quod neque terminum actu habet, neque
I. per naturam habere potest. Priuatiue infinitum est, quod quidem per naturam terminum habere potest, sed ta-
II. men actu vel nunquam vel difficulter habet. 2, Infini-
Lib. 3. Phys. ausc. c. 4. sub finem. tum aliquid dicitur, vel actu vel potentia. Et sic Aristoteles lib. 3. Phys. auscul. cap. 6. asserit, *infinitum in rerum natura actu non dari, sed potentia.* Loquitur autem de re-
Ibid. cap. 6. bus sensilibus. 3, Infinitum aliquid dicitur vel additio-
III. ne vel diuisione. Quo sensu Aristoteles magnitudinem
Ibid. cap. 6. ait esse infinitam non additione, sed diuisione: nume-
IV. rum vero contra esse infinitum, non diuisione; sed additione. 4, Infinitum aliquid dicitur vel absolute, seu simpliciter, vel restricte seu secundum quid. Illud est quod nullo respectu limitationis, terminationis ac dimensionis est capax. Hoc vero quod sua natura quidem semper est finitum; sed tamen dicitur infinitũ vel respectu nostri sensus seu intellectus, qui eius terminum reipsa attingere & comprehendere nequit: vel respectu alterius circumstantiæ, v.g. quia à nullo corpore extrinsecus ambiente comprehenditur. Quo sensu mare dicitur infinitum, cuius profunditas à nobis non potest inuestigari. Similiter stellæ fixæ dicuntur infinitæ, quia earum numerus à nobis non potest cognosci. Denique Mundus dicitur infinitus, quia alterius corporis superficie extrinsecus

ſecus non clauditur, neque ad eius terminum actu per-
uenire poſſumus.

2 *An ens recte & ſufficienter diuidatur in infinitum & finitum?*

PRo theſi negante adduci poſſunt argumenta: 1, Quia nihil eſt infinitum, aut finitum niſi ſit quantum: Non omne autem ens eſt quantum: Ergo non omne ens eſt vel infinitum vel finitum. Propoſitio probatur. Quia infinitum & finitum, ſunt propria affectio coniuncta quanti, vt tradit Ariſtoteles lib. 3. Phyſ. auſcult. c. 4. & 5. Hinc etiam Scotus quodlib. 5. in ſolut. vlt. argumenti, primum ens diuidendum eſſe docet in quantum & non quantum: Deinde quantum in infinitum & finitum. Aſſumptio probatur, quia nulla ſubſtantia incorporea, adeoque nihil indiuiſibile eſt quantum. 2, Quia datur medium inter infinitum & finitum, quod neque eſt infinitum, neque finitum, v g. ens non quantum. Hinc Ariſtot. ſub initium c. 4. lib. 3. Phyſ. expreſſe ait, *Μὴ πᾶν ἐστὶν ἄπειρον ἢ πεπερασμένον οἷον πάθος ἢ στιγμή*, hoc eſt, *Non omne eſt infinitum aut finitum, vt affectus & punctum.* Et Scholaſtici nonnulli, vt videre eſt apud Fr. Suarez diſput. 28 ſect. 2. ſtatuunt relationes diuinas neque ſimpliciter eſſe infinitas, cum inter ſe opponantur, diſtinguantur & multiplicentur; neque ſimpliciter finitas, cum hoc repugnet perfectioni diuinæ.

Pro theſi negante. Ratio I. *II.*

At pro theſi affirmante, quæ ſola vera eſt, faciunt hæ rationes: 1, Quia diuiſio entis in infinitum & finitum ſecundum ſenſum æquipollet diuiſionibus illis, quibus ſub diuerſis nominibus & conceptibus ens diuiditur in ens à ſe, & ens ab alio; ens neceſſarium & contingens; ens per eſſentiam & per participationem; ens primum & à primo ortum; ens increatum & creatum. Ergo ſicut illæ diuiſiones ſunt legitimæ & adæquatæ ſuo diuiſo; ita etiam hæc. 2, Quia hæc diuiſio eſt bimembris, & membra diuidentia maxime inter ſe diſtant ac diſſentiunt.

Pro theſi affirmante. Ratio I. *II.*

Quod igitur ad argumenta attinet pro theſi negante allata, reſpondeo propoſitionem veram eſſe quatenus infinitum & finitum ſumuntur vel pro attributis entis, quod ſecundum quantitatem molis duntaxat eſt extenſum; vel pro attributis entis, quod habet quantitatem vel molis vel perfectionis. Aſſumptionem autem par-

Solutio argumen. pro theſi negante allatorum. I.

tim verã esse de quanto extensiuo duntaxat intellectam; partim falsam, quatenus quantum in genere sumitur pro eo, quod habet quantitatem vel molis vel perfectionis; vel vtramque simul. Sic enim omne ens est quantum, si non quantitate molis, saltem quantitate perfectionis.

II. In secundo argumento concedo dari medium inter infinitum & finitum, quatenus infinitum & finitum sunt affectiones quanti extensiui. Et sic Aristoteles accipit illa vocabula in loco citato. Nego autem quatenus sunt attributa quanti perfectiui. Nullum enim ens est, quod non habeat perfectionem quantitatis, & secundum suam perfectionem essentialem non sit aut infinitum aut finitum. Ad exemplum vero ductum à relationibus diuinis, respondeo cum Fr. Suarez, illas relationes esse quidem infinitas simpliciter & in genere entis ratione essentiæ quam includunt: Ideoque sub hac ratione non multiplicari, sed esse vnum ens; secundum proprias autem rationes, in quibus opponuntur, esse infinitas tantum in genere, seu specie relationis. Et sic non repugnare infinitum multiplicari.

Disput. 28. sect. 2. cont. 9.

3 *An ens primum & increatum simpliciter sit infinitum?*

Thesis affirmatiua defenditur.

Ratio I. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1. Quia ens primum & increatum est summe & absolute perfectum, quod omnem essendi perfectionem possibilem aut formaliter aut eminenter seu virtualiter in se continet. Ideoque cum absoluta infinitas quoque sit perfectio & quidem summa, sequitur illam quoque enti primo esse tribuendam.

II. 2. Quia est ens absolute necessarium, à seipso existens & à nullo alio dependens. Non igitur in se habet diminutam & limitatam essendi rationem Nihil enim habet limitatam essendi rationem, nisi habeat causam à qua limitetur ad certum perfectionis gradum.

III. 3. Quia est absolute simplex expers omnis compositionis realis.

IV. 4. Quia neque initium neque finem habet suæ existentiæ.

V. 5. Quia nullis suæ substantiæ terminis continetur ac terminatur.

VI. 6. Quia infinitam habet virtutem agendi, infinitoque modo agit & operatur, vt patet ex creatione & conseruatione omnium rerum. Qualis autem est virtus & modus agendi, talis est essentia entis. Nulla enim virtus infinita potest esse in ente finito;

finito; neque virtus finita in ente infinito. Et modus agendi semper sequitur & arguit modum essendi. 7. Quia est vbique & nullius loci terminis circumscri- VII.
bi aut comprehendi potest. 8, Quia est primum o- VIII.
mnium entium principium, quod alia omnia limitat & definit ad certum genus & gradum perfectionis: cum ipsum à nullo limitari & definiri possit. Hinc Aristoteles libro 3. Physic.ausc. cap. 4. inquit: ἅπαντα ἢ ἀρχὴ ἢ ἐξ ἀρχῆς, τοῦ δ᾽ ἀπείρου οὐκ ἔστιν ἀρχή, εἴη γὰρ ἂν αὐτοῦ πέρας, hoc est, *Omne quod est aut est principium, aut est ex principio. Infiniti autem non est principium. Esset enim ipsius finis seu terminus.* At in contrariam partem adduci possunt hæc ar- *Argumenta*
gumenta: 1, Omne attributum primi entis est aliquid *pro thesi ne-*
positiuum. Infinitas autem non est aliquod positiuum: *gante.*
I.
quia notat aut priuationem aut saltem negationem aliquam: Ergo infinitas non est attributum primi entis.
2, Omne infinitum est quantum. Primum ens non est II.
quantũ: quia est spiritus purissimus, expers omnis quantitatis extensiuæ. Ergo, &c. 3, Quicquid includit im- III.
perfectionem aliquam, id non potest primo enti attribui. Atqui infinitas includit imperfectionem aliquam. Ergo, &c. Assumptio probatur: Quia infinitum concipitur & apprehenditur, vt quid confusum & indeterminatum & nunquam satis perfectum. 4, Quicquid infini- IV.
tum est ratione essentiæ, id habet essentiam incertam & vagam, nec ad certam speciem, nedum indiuiduum restrictam. Atqui primum ens non habet essentiam incertam & vagam, sed essentiam certam & indiuiduam, & ab omnibus aliis distinctam. Ergo primum ens non est infinitum ratione essentiæ; licet respectu nostri & comparate possit dici infinitum, hoc est, ineffabiliter magnum. 5, Quicquid est in certo loco, id non est simpli- V.
citer infinitum: Atqui primum ens est in certo loco, nimirum in suprema mundi parte seu cœlo empyræo. Ergo, &c. 6, Quicquid ex se habet essentiam sine alia cau- VI.
sa limitatam ad certum genus perfectionis, id non est simpliciter infinitum: Atqui primum ens habet essentiam ex se, & sine alia causa limitatam ad certum genus perfectionis: Ergo non est simpliciter infinitum. 7, Quic- VII.
quid habet potentiam finitam, id simpliciter non est infinitum: Atqui primum ens habet potentiam infinitam;

tum, quia ad impoſſibilia ſeſe non extendit; tum, quia nullum effectum infinitum reuera producere poteſt; ſed alicubi conſiſtere eam oportet. Ergo, &c. 8, Quod angeli & beati homines in cœlo iam vident, aut aliquando viſuri ſunt, id non eſt ſimpliciter infinitum. Quod enim ſimpliciter infinitum eſt, id nullo vnquam ſenſu apprehendi poteſt: quia proportio nulla eſt inter obiectum percipiendum & rem percipientem: Atqui primum ens, angeli & beati homines in cœlo vident, aut aliquando viſuri ſunt. Ergo, &c. 9, Si datur vnum ens actu infinitum ſimpliciter, non poteſt intelligi quomodo alia entia dari poſſint ab illo diſtincta, eo quod infinitum ens omnia alia entia complectitur. Sicut ſi eſſet vnum aliquod corpus ſimpliciter infinitæ magnitudinis, non poſſet extra illud aliud corpus intelligi, eo quod omne ſpatium locale repleret. Ergo ſicut ex eo quod vnum corpus eſt extra locum alterius, intelligitur illud eſſe finitum; ita ex eo quod primum ens eſt extra eſſentiam alterius, intelligitur eſſe finitum.

VIII. *IX.* *Fr. S. diſp. 30. ſect. 2. contex. 24.*

Refutantur argumenta pro theſi negante allata.

Cæterum cum in hac quæſtione non niſi theſis affirmatiua ſit vera & approbanda, neceſſe eſt, vt argumenta pro contraria ſententia adducta ſoluantur & refutentur. Ad primum igitur reſpondeo, aſſumptionem eſſe falſam. Infinitas enim prout in primo ente eſt, licet à nobis per modum negationis ſignificetur & explicetur; tamen non eſt aliquid negatiuum, ſed poſitiuum. Ratio eſt, quia nos non poſſumus ſingulas perfectiones & proprietates primi entis, prout in ipſo ſunt, ſub poſitiuis cōceptibus apprehendere, & per verba poſitiua explicare. Ideoque interdum cogimur eas per negationem ſeu remotionem alicuius imperfectionis, quæ in ente creato reperitur, concipere & ſignificare.

I.

II. Ad alterum reſpondeo, propoſitionem ſimpliciter eſſe veram de quanto perfectiuo, non autem extenſiuo. Et ſic primum quoque ens eſſe quantum, nō quidem quantitate molis, ſed quantitate perfectionis. Ideoque aſſumptionem quoque non eſſe ſimpliciter veram. Ad tertium reſpondeo, aſſumptionem eſſe falſam de infinitate prout primo enti tribuitur. Illa enim, vt Suarez docet, non dicit negationem conſummatæ perfectionis; quomodo res inchoata & nondum perfecta; dicitur non

III.

finita:

finita: Hæc enim magna imperfectio est: Sed dicit negationem limitationis seu termini limitantis rem. Rursus hæc non est infinitas quantitatis, quæ est per modum extẽsionis aut multitudinis, in qua carere termino, est quasi carere intrinseco complemento; & ideo non intelligitur sine imperfectione & confusione quadam seu indeterminatione: sed est infinitas perfectionis omnino indiuisibilis, quæ in se est summe actualis & completa. Ideoque imperfectionem nullam arguit. Ad quartum respondeo, propositionem esse falsam de infinitate essentiæ, prout primo enti tribuitur. Ac licet proprie neque ad certam speciem generis vniuoci; neque ad certum indiuiduum alicuius speciei vniuocæ per differentiam essentialem à seipso realiter distinctam, restringi possit; tamen inde non sequitur, quod essentiam habeat vagam & incertam. Est enim primum ens omnium entium perfectissimum & excellentissimum, quod maxime à cæteris distat, minusque cum illis conuenit quam ipsa inter se. Ad quintum argumentum respondeo, propositionem esse veram de eo, quod proprie est & dicitur esse in certo loco. Sed primum ens hoc modo non est in loco, vt in sequenti capite probabitur. Ad sextum argumentum respondeo, assumptionem esse falsam; tum, quia enti in se absolute necessario summeq; perfecto repugnat; tum, quia nulla ratio vel causa dari potest, ob quam ens absolute necessarium potius limitetur ad hoc genus perfectionis, quam ad aliud, & ad hunc gradum, quam ad meliorem. Ad septimum argumentum respondeo, assumptionem esse falsam; Potentia enim finita ex ea parte qua limitata, imperfecta est. Ideoque repugnat summæ perfectioni primi entis. Licet vero primum ens non possit facere simpliciter impossibilia, neque effectum infinitum producere; tamen inde non sequitur, potentiam, ipsius non esse infinitam. Omnipotentia enim diuina versatur non circa impossibilia; sed circa possibilia, hoc est, ea quæ non contradictionem implicant; neque naturæ diuinæ repugnant, vt infra pluribus dicetur.

IV. *V.* *VI.* *VII.*

Ad octauum argumentum respondeo, propositionem esse veram de visione proprie dicta, quæ fit per oculos corporis. Sed ita assumptionem non posse intelligi. Per visionem enim Dei, in qua beatitudo angelorum & ho- *VIII.*

minum sanctorum dicitur consistere, intelligitur in scriptura, partim cognitio Dei plena & perfecta, quæ fit per oculos mentis; partim peculiaris maiestatis diuinæ in cœlo parefactio.

IX. Ad nonum & vltimum respondeo, propositionẽ connexam esse falsam. Licet enim ens actu infinitum simpliciter cætera omnia entia quodam modo quasi complectatur, quatenus omnium perfectiones virtualiter & effectiue in se habet, & in omnibus per essentiam inest; tamen non est de ratione illius, vt sit omnia entia formaliter & identice. Et infinitas ipsius sicut non tollit vnitatem ipsius; ita neque impedit distinctionem eius à quolibet alio ente, quod ad illam perfectionem non pertinet. Exemplum autem ex corporibus sumptum, plane est dissimile. Ideo enim corpus actu infinitum si daretur, excluderet alia omnia corpora, quia omnia spatia localia repleret, ita vt aliis corporibus locus non daretur. Ens vero actu infinitum simpliciter, cum sit purissimus spiritus & expers omnis quantitatis extensiuæ, idcirco nullũ spacium locale proprie replet, neque alia entia finita & à se distincta excludit. Neque dicitur aliquid finitum, quia est hoc vnum & non aliud; sed quia vel terminatur ad aliud, vel est propter aliud, vel perficitur ab alio, vt Alens. docet 1. parte, quæst. 6. memb. 1. ad 9.

4 *An præter primum ens adhuc alia dentur entia simpliciter infinita vel actu, vel potentia?*

Actu non dantur plura infinita simpliciter. Rationes.

IN præcedente quæstione probauimus, primum ens esse simpliciter infinitum. Nunc igitur non sine causa quæritur, *Vtrum præter primum ens adhuc alia dentur entia simpliciter infinita, vel actu, vel potentia?* Ac quod actu non dentur, hoc probant sequentes rationes. 1, Quia absoluta infinitas est proprietas essentialis solius primi entis.
I. Ideoque aliis entibus à primo ente realiter distinctis non
II. inest. 2, Quia ens summe perfectum & necessarium à seipso existens, & à nullo alio dependens, principiique & finis expers, non est nisi vnum numero. Tale autem est solum ens primum.
III. 3, Quia primum principium efficiens & finale omnium aliorum extra se entium non est nisi vnum numero. Tale autem est solùm ens primum.
IV. 4, Quia si aliud, præter primum ens, esset simpliciter infinitum, illud vel esse increatum, vel creatum. Sed increatum esse non

non potest: Quia potissima excellentia primi entis in eo consistit, quod est increatum. Ideoque alii enti à primo realiter distincto attribui nequit. Neque etiam potest esse ens creatum: illud enim simpliciter est finitum: Ideoque ei repugnat simpliciter esse infinitum.

Porro quod neque potentia plura entia simpliciter infinita, præter primum, dari possint, id demonstratur his rationibus: 1, Quia nullum ens à primo realiter distinctum potest ei vllo modo & respectu esse æquale. Ideoque neque simpliciter infinitum esse potest. Hinc Scaliger exerc. 359 sect. 3. inquit: *Nihil infinito æquale esse potest.* Est enim æqualitas certa ratio mensuræ. Infiniti autem nulla est mensura. 2, Quia si aliquod ens præter primum esse posset simpliciter infinitum, illud vel à seipso existere posset, vel ab alio. Si prius: iam æquale esset primo enti ratione *αὐθυπαρξίας*; Et quia omnia attributa essentialia primi entis à se inuicem sunt inseparabilia, ita vt cui vnum competit, etiam reliqua competere necesse sit; sequeretur nihil de primo ente, prædicari posse, quod non etiã illi recte attribui possit. Quo nihil absurdius cogitari potest. Sin posterius; illud vel effici posset à primo ente vel ab alio, quod à primo ente ortum est. Sed à primo ente effici non potest. Hoc enim nullum, extra se effectum sibi vllo modo & respectu æqualem producere potest; tum, quia manifesta fit implicatio contradictionis; tum, quia nullum ens, extra Deum, per naturam capax est eiusmodi æqualitatis: Quod si ergo à primo ente, quod infinitã habet virtutem operandi, non potest ens simpliciter infinitum produci; multo minus ab alio ente, quod à primo ente ortum est, præsertim, cum eius potentia simpliciter sit finita & limitata. Proinde verissimum est pronunciatum illud acutissimi Philosophi Goclenii, quod habetur in ipsius Metaphysica, cap. 17. *Duo infinita, neque in natura, neque extra naturam esse possunt.* Sed audio mihi insusurrari duas potissimum obiectiones. 1, Magnitudinem, numerum, tempus & motum cœli ab Aristotele statui esse infinita cum alibi, tum l. 3 Phys. ausc. c. 4. & sequentib. 2, Causam infinitæ virtutis posse producere effectum infinitum. Primum autem ens esse causam infinitæ virtutis.

Potentia non dantur plura infinita simpliciter. rationes.

I.

II.

Obiectio.

I.

II.

Respondeo ad primã obiectionem, Aristotelem non asserere magnitudinem, numerum, tempus & motum,

Responsio ad 1. obiect.

cœli esse infinita actu. Negat enim expresse in citato loco dari in rebus sensibilibus aliquod ens actu infinitum. Sed interim concedit, dari infinitum potentia, quatenus magnitudo in infinitum potest diuidi; numerus in infinitum multiplicari; tempus vero & motus cœli nullum terminum suæ durationis habent. Hoc autem non idem est, ac esse simpliciter infinitum potentia. Nam etiam id, quod in se simpliciter finitum est, secundum quid potest dici infinitum.

II. Ad alteram obiectionem respondeo, propositionem esse falsam. Causa enim infinitæ virtutis non potest producere id, quod apertam inuoluit repugnantiam cum in sua natura, tum in ipso effectu illius. Esse autem simpliciter infinitum, & tamen à primo ente produci tanquam effectum à causa efficiente, apertam inuoluit repugnantiam, cum in natura primi entis, tum in effectu illius. Omne enim ens simpliciter infinitum à seipso existit, & à nullo alio dependet. Quicquid autem à primo ente producitur, id ab alio existit & dependet, &, per consequens, est finitum.

5 *An detur progressus in infinitum in vllo entium genere?*

Pro thesi affirmat. argumenta. PRo thesi affirmante adduci possunt hæc argumenta: 1, Quia diuisio magnitudinis in infinitum extenditur. Non enim in diuidendo corpore aliquo peruenire

I. possumus ad partem aliquam illius minimam, quæ non

II. sit quanta, neque vlterius diuisibilis. 2, Quia additio seu multiplicatio numeri in infinitum progreditur. Non enim dari potest numerus maximus, quo nullus maior

III. dari possit. 3, Quia in causis per accidens subordinatis & sibi inuicem succedentibus datur progressus in infinitum. Vni enim effecto accidere possunt per modum suc-

Thesis negatiua defenditur. Ratio cessionis infinitæ causæ per accidens. Nihilominus progressus in infinitum videtur nullo modo concedendus; sed tanquam simpliciter ἀδύνατον explodendus in omni

I. entium genere & ordine. Rationes sunt: 1, Quia omne ens finitum & compositum constat suis primis & simpli-

II. cibus principiis. 2, Quia progressus in infinitum impedit & tollit perfectā scientiam rerum, quæ esse non potest nisi res in prima principia, ex quibus constanr, mentis conceptione resoluantur. Et hoc etiam Theophrastus in

suis

ſuis Metaphyſicis teſtatur: *ἡ εἰς τὸ ἄπειρον ὁδὸς ἐν ἀμφοῖν* (*τοῖς* ſcilicet *νοητοῖς καὶ αἰσθητοῖς*) *ἀλλοτρία καὶ ἀναιροῦσα τὸ φρονεῖν*: hoc eſt, *Progreſſus in infinitum in vtriſque ſcilicet tam intelligibilibus quam ſenſibilibus eſt aliena & intelligentiam aufert.*

Solutio arg: pro theſi affirm.

Reſtat Igitur vt ad argumenta ſuperius allata breuiter reſpondeamus. In primo nego diuiſionem magnitudinis in infinitum ſimpliciter extendi. Licet enim homo in diuidendo ſeu ſecando aliquo corpore non poſſit per- *I.* uenire ad partem minimam, quæ non ſit quanta & amplius diuiſibilis; tamen inde non ſequitur, illam diuiſionem ſimpliciter in infinitum extendi; cum Deus ſua virtute quantum poſſit tranſmutare in non quantum, corpus in non corpus. Sed tantum hoc ſequitur, illam reſpectu noſtri, qui finem eius attingere non poſſumus, & ſic ſecundum quid in infinitum extendi. Præterea omnes Mathematici magnitudinis primum principium ſtatuunt punctum indiuiſibile: Ergo licet per diuiſionem Phyſicam alicuius corporis ad illud punctum peruenire non poſſimus; tamen per diuiſionem Logicam ſeu mentalem optime eo vſque peruenire licet. In altero argu- *II.* mento ſimiliter non eſt ſimpliciter verum, additionem ſeu multiplicationem numeri in infinitum progredi poſſe. Licet enim hoc verum ſit de additione & multiplicatione mentali numeri; tamen de reali eſt falſum. Deus enim omnia creauit in certo pondere, numero & menſura, certuſque ac definitus eſt entium numerus; tametſi nobis videatur eſſe incertus & infinitus. In tertio argu- *III.* mento concedo quidem vni effecto accidere poſſe cauſas multas per accidens, quæ reſpectu noſtræ apprehenſionis ſint infinitæ: ſed tamen illas in ſe eſſe finitas; ideoque in illarum genere dari non poſſe proceſſum in infinitum ſimpliciter.

6 *An omne ens creatum ſit ſimpliciter finitum?*

Pro theſi affirmante Rationes.

STatuitur theſis affirmatiua vniuerſaliter vera. Rationes ſunt: 1, quia omne ens creatum eſt ens per participationem, quod ab alio principio extrinſeco exiſtit & dependet. 2, Quia omne ad certum ac definitum gradum *I.* perfectionis eſſentialis eſt limitatum, partim ex libero *II.* arbitrio entis primi à quo fuit productum, partim ex naturæ ſuæ ad recipiendum capacitate. Ideoque tantum

habet perfectionis essentialis, quantum à primo ente accepit, vel accipere aptū est 3. Quia omne internis suæ substantiæ terminis est circūscriptū 4. Quia oē initiū & finē suæ existentiæ habet, aut saltem habere potest. 5. Quia oē est realiter cōpositū. 6. Quia omne potētiam seu virtutē habet finitā, finitoq; modo operatur. 7. Quia oē est in loco. 8. Quia nullū simpliciter est infinitū, neq; esse potest.

III. *IV.* *V.* *VI.* *VII.* *VIII.*

Test. Dam. & Ambrosii. Idem testantur omnes saniores Philosophi & Theologi. Hinc Damascenus lib. 2. orthodoxæ fidei inquit: πᾶν κτίσμα ὑπὸ τοῦ κτίσαντος αὐτὸ Θεοῦ ὁρίζεται, hoc est, *Omne creatum à Deo qui illud creauit, finitur.* Et Ambrosius Tom. 2. lib. 1. cap. 2. ait: *Omnis creatura certis sua natura limitibus est circumscripta.* Et Goclenius c. 17. suæ Metaph. asserit: *omnes substantias finitas esse, excepto Deo, & quidem finitas esse essentia, potentia, actione, numero & magnitudine.*

Testim. Goclenii.

7 *An vnum & idem ens diuersa modo ac respectu possit esse finitum & infinitum?*

Thesis affirmatiua defenditur. STatuitur thesis affirmatiua. Infinitū enim aliquid dicitur vel simpliciter vel secundum quid. Licet igitur vnum & idem ens nō possit simul esse simpliciter finitum & simpliciter infinitum; tamen potest esse simul simpliciter finitū & secundum quid infinitum. Sic cœlum supremum & mare in se simpliciter sunt finita, sed tamē vtrumque dici solet secundum quid infinitum, quatenus illud alterius corporis extrinsecus ambientis terminis non est circumscriptum: hoc vero profunditatem habet sensui hominis imperscrutabilem. Atq; hoc etiā testatur Thomas in part 1. S. T. Q. 2. art. 2. dum inquit; *solus Deus per essentiam simpliciter est infinitus: alia autem omnia finita sunt simpliciter; infinita vero secundum quid.* Item: *Aliquid præter Deum potest esse infinitum secundum quid; sed non simpliciter.*

Testim. Thomæ.

8 *An inter ens simpliciter infinitum & finitum detur proportio?*

Thesis affir. non est simpliciter vera. VSitatum & tritum in scholis est axioma. *Inter infinitum & finitū nullam dari proportionem.* Quod dictum simpliciter nō potest esse verum ob sequentes rationes: 1. Quia inter Deum, qui est ens simpliciter infinitū & creatura, quæ est ens simpliciter finitū, datur analogia quædam, qualis esse solet inter principiū & principiatum, causam & effectū. Creatura enim participat & aliquo modo imitatur esse Dei, & quatenus habet esse, pendet à Deo. 2. Quia nisi aliqua analogia esset inter Deum infinitum & crea-

Rationes I.

& creaturam finitam, non possent creaturæ esse principia cognoscendi Deum; neq; ex creaturis aliquid de Deo demonstrari posset. Sed cõsequens est falsum: Ergo & antecedens. Proinde quando negatur inter infinitum & finitum dari aliquam proportionem, hoc tantum intelligendum est de proportione Mathematica, quæ spectatur in rebus infinitæ secundũ quantitatem à se inuicẽ distantibus; non autem de proportione seu analogia in genere.

De Illocalitate & Localitate, Cap. V.

1 *Quinta classis attributa absoluta sunt illocalitas & localitas. Omne enim ens, aut est illocale, aut locale.*

2 *Illocalitas est immunitas entis primi & increati, ab omni prorsus loci realis & proprie dicti, in quo existat, indigentia & necessitate.*

3 *Alio nomine dicitur* vbiquitas & omnipræsentia, *quia per hanc primum ens est vbique & omnipræsens.*

4 *Localitas est qualitas, per quam ens creatum non tantum aptum est locari, sed etiam actu semper & necessario in vno aliquo loco existit.*

5 *Porro locus in genere, est receptaculum locati.*

6 *Estque vel realis, vel imaginarius.*

7 *Locus realis est, qui citra mentis cogitationem reipsa in natura reperitur.*

8 *Estque vel substantialis, vel accidentalis.*

9 *Locus substantialis, est receptaculum substantiæ.*

10 *Estque vel spiritualis, vel corporalis.*

11 *Locus spiritualis est, in quo substantia incorporea & finita existit.*

12 *Locus corporalis est, in quo substantia corporea existit.*

13 *Locus accidentalis, est receptaculum accidentis.*

14 *Locus imaginarius est, qui à mente nostra fingitur & alicui enti tribuitur.*

1 An ens recte diuidatur in illocale & locale?

SVnt quidam non vulgaris doctrinæ viri, qui hanc diuisionem omnino reiiciunt, existimantes, omne ens esse locale, & nullum illocale. Rationes ipsorũ præcipuæ sunt: 1, Quia locus est attributum generale cuiusque entis, existentiam illius necessario consequens, non secus, ac tempus. Omne enim ens reuera existens aliquando & alicubi est. Quod vero nunquam & nusquam est, id nihil est. *Sententia aliorum exponitur.* *Ratio I.*

II. 2. Quia omne ens aut eſt infinitum, aut finitum. Infinitum autem eſt in loco infinito, ſicut finitum in loco finito, vt ita proportio ſit inter locum & locatum. Cæterum

Solutio rationum. hæ rationes tanti momenti nō ſunt, vt propterea à communi & recepta Philoſophorum ſententia ſit recedendum.

I. Nam neq; tempus & locus omni enti conueniunt; ſed tantum enti creato & finito. Neque exiſtentia in genere eſt cauſa, cur neceſſario ens ſit aliquando & alicubi; ſed tantum exiſtentia creata & finita. Neque ſtatim nihil eſt, quicquid nunquam & nuſpiam, hoc eſt, in nullo tempore & loco exiſtit; cum primum ens omnium ſit perfectiſſimum, neque tamen vel in tempore vel in loco proprie exiſtat, vt partim antea in libro 1. partim paulo poſt probabitur. Quod vero de loco infinito affertur, id falſum eſſe patet ex præcedentis capitis Pr. 4. vbi oſtenſum fuit, præter primum ens, non dari plura entia ſimpliciter infinita.

2 *An primum ens proprie dicatur eſſe in loco?*

Pro theſi negante rationes. Statuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1. Quia omnis locus proprie dictus eſt finitus: Ideoque non niſi finitum capere poteſt. Deus autem non eſt finitus, ſed

I. infinitus. 2. Quia localitas eſt idioma eſſentiale ſolius

II. entis creati; Ideoque primo enti proprie attribui non po-

III. teſt. 3. Quia illocalitas, quæ proprium eſt primi entis attributum, omnino pugnat cum localitate, eamq; exclu-

IV. dit. 4. Quia ſi primum ens proprie eſſet in loco, eſſet finitum & non infinitum. Neque enim fieri poteſt vt ens in-

V. finitum ad locum finitum limitetur. 5. Quia primum ens eſt *αὐταρκέστατον*, hoc eſt, ex ſe ſibi per omnia ſufficiens. Ideoque non indiget loco aliquo in quo recipiatur & contineatur. Hoc enim magnam arguit imperfectionem, quæ abſolute illius perfectioni repugnat.

2. Reg 8. v. 27. His rationibus adiungi poſſunt præter teſtimonia Scripturæ ſacræ, quæ negant Deum proprie eſſe in loco

Eſaiæ 66. v. 1. aliquo, teſtimonia Patrum. Hilarius enim in Pſalm. 118. inquit: *Non corporalibus locis Deus continetur, neque finibus,*

Act. 7. v. 48. *aut ſpatiis diuinæ virtutis immenſitas coarctatur.* Damaſce-

Teſtimonia Patrum. nus vero lib 1. orthod. fid. c. 13. ait: *ὁ μὲν θεὸς ἄϋλος ὢν καὶ ἀπερίγραπτος ἐν τόπῳ οὐκ ἔστιν. αὐτὸς γὰρ ἑαυτοῦ τόπος ἐστὶ τὰ πάντα πληρῶν. καὶ ὑπὲρ τὰ πάντα ὤν, καὶ αὐτὸς συνέχων τὰ πάντα*, h. e.

Deus

Deus quidem cum sit immateriatus & incircumscriptus in loco non est. Ipse enim sibi locus est omnia implens & super omnia existens, & ipse omnia continens. Sic Augustinus 8. Gen. ad literam, cap. 26. dicit *Deum esse sine tempore & loco.* Et libro de essentia diuina vocat *Deum illocalem*, quod veluti declarans sermone 8. de verbis Domini ait, *Deum non contineri loco.* At vero contra hanc sententiam obiici possunt hæc argumenta.

1. Quicunque dicitur habitare in cœlo, tanquam in domicilio suo, ille proprie dicitur esse in loco: Arqui Deus dicitur habitare in cœlo tanquam in domicilio suo: Ergo Deus proprie dicitur esse in loco. Assumptio probatur nō tantum ex apertis Scripturæ locis, quæ testantur Deum in cœlo parasse sedem suam, seu cœlum esse thronum & supremum habitaculum Dei; sed etiam ex Aristot. Is enim in libro 1. De cælo, cap. 3. expresse testatur omnes homines tam barbaros quam Græcos supremum mundi locum Deo attribuere, propterea quod enti incorruptibili conueniat habitaculum incorruptibile. Idem in libro De mundo, cap. 6. inquit, *Deum supremam & primam sedem sortitum esse:* ideoq; etiam dici supremum & secundum Poetam extremo cœli verrici insidere. Ibidem asserit Deo maxime conuenire, vt in cœlo resideat, & inde omnibus salutem afferat. Et hoc probat exemplo regis aut ducis humani, quem dicit non per seipsum omnibus locis aut negotiis interesse; sed in vno loco sedere, & inde omnibus salutem afferre. Ibidem denique ait, omnes homines Deo supremam regionem assignare; cum preces concepturi manus sursum ad cœlum extendant. *Pro thesi affirmante Rationes.* *I.*

2. Quicunq; in omnibus locis est præsens, ille proprie dicitur esse in loco: Atqui Deus in omnibus locis est præsens, cum sit vbique. Vbiquitas enim nihil aliud est, quam præsentia in omnibus locis, sicut ex antithesi apparet, cum aliquid vel alicubi tantum, vel nullibi esse dicitur; hoc est, vel in aliquo, vel in nullo loco. Et videtur esse contradictio, *Deum esse vbique, nec tamen esse in loco:* Ergo Deus proprie dicitur esse in loco. *II.*

3. Cuicunque tribuitur motus localis, ille proprie dicitur esse in loco: Atqui Deo tribuitur motus localis. Dicitur enim in Scriptura modo ascendere, modo descendere; modo accedere, modo recedere; modo conuerti ad aliquem, ad modo *III.*

IV. ab eodem auerti. 4, Si Deus proprie non est in loco, erit nullibi seu nusquam, &, per consequens, nec erit. Omne enim ens est alicubi, & quod est non ens, id nullibi est, vt docet Aristoteles lib. 4. Phys. ausc. c. 1. ab initio. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. 5, Si Deus pro-
V. prie non est in loco, sequitur falsum esse vsitatum illud Scholasticorum dogma de triplici modo existendi in loco, quorum primus dicitur *repletiuus*, alter *definitiuus*, tertius *circumscriptiuus*. Primus enim modus ab illis Deo attribuitur.

Solutio rat. pro thes. affir.

I. Ad primum argumentum respondeo, propositionem esse veram de eo, quod proprie dicitur in cœlo, tanquam in domicilio suo habitare: falsam vero de eo, quod improprie & tropice, quemadmodum in assumptione de Deo affirmatur. Is enim dicitur habitare in cœlo tanquam in domicilio suo non proprie, quasi cœli ambitu circumscribatur seu comprehendatur, & extra cœlum in terra secundum essentiam suam non existat: sed improprie & tropice, partim quod suam diuinam maiestatem perfectius & excellentius in cœlo exerat & è cœlo patefaciat, quam in aliis mundi partibus; partim vt nos à rebus terrenis ad considerationem rerum cœlestium reuocemur. Et hoc sensu necesse est, vt intelligantur etiam dicta illa ex Aristotele citata: aut statuendũ est Philosophum illum crassas & carnales de Deo habuisse cogitationes.

Quomodo Deus dicatur habitare in cœlo & cur.

II. Ad alterum argumentum respondeo, propositionem esse veram de eo, quod præsens est in omnibus locis, tanquam adiunctum in suis subiectis recipientibus. Sed in assumptione Deum dici præsentem in omnibus locis, non tanquam adiunctum in suis subiectis recipientibus: sed tanquam ens infinitum in omnibus entibus finitis, vel tanquam causa efficiens prima & vniuersalis, in omnibus suis effectis. Ideoque ex præsentia Dei in omnibus locis non probari posse Deum proprie esse in loco, præsertim cum etiam *Omnia loca*, sumantur non improprie pro omnibus entibus, seu pro aduerbio, *vbique*, quod omnem entis primi ad certum ac definitum locum limitationem excludit.

III. Ad tertium argumentum respondeo, propositionem esse veram de eo, cui proprie absq; tropo motus localis attribuitur: falsam vero de eo, cui improprie & per metaphoram seu ἀνθρωποπάθειαν, quem-

quemadmodum in assumptione de Deo affirmatur. Deus enim proprie neque ascendit, neque descendit; neque accedit, neq; recedit; neq; conuertit se ad aliquem, neq; auertit se ab aliquo, cum ipse sit ens infinitum, & propter infinitatem nullam in loco existentium & motionem habeat, vel habere possit. Sed quando Scriptura ita de Deo loquitur, tunc omnia illa dicta metaphorice sunt intelligenda de prouidentiæ, gratiæ & iræ diuinæ effectis tam internis quam externis, quæ in entibus creatis cernuntur. Ad quartum argumentum respondeo, esse æquiuocationem in vocabulo *nullibi* seu *nuspiam*, quod quandoque indicat negationem loci, quandoque negationem vbiquitatis. In priore modo concedo Deum esse nullibi seu nuspiam; quia proprie est in nullo loco. Et sic etiam Chrysost. homil 5. ad Colos. dicit *Deum nusquam esse, licet sit vbique*. Et Augustin. lib. 83. quæstionum, Q. 20. inquit, *Deus non alicubi est*. Quod enim alicubi est, continetur loco. Sed nego inde sequi, Deum non esse. Quia dictum Aristotelis tantum verum est de ente creato & finito; non autem de ente increato & infinito. In posteriore modo nego ex hypothesi antecedente sequi, *Deum esse nusquam seu nullibi*, quia proprie est vbique, vt in sequenti quæstione probabitur. Ad quintum argumentum respondeo per concessionem propositionis connexæ. Dogma enim Scholasticorum de triplici modo existendi in loco multis vitiis scatet: siquidem primus modus tantum abest, vt Deo proprie competat, vt soli etiam substantiæ corporeæ conueniat. Alter modus, si vocabulum spectes, æque substantiæ corporeæ, ac incorporeæ competit, cum vtraque sit finita, & sic definitiue in loco. Tertius modus non omni substantiæ corporeæ competit; sed tantum illi, quæ cœlo supremo est subiecta: quatenus scilicet circumscriptiue esse in loco idem significat ac termino alterius corporis ambientis circumscribi ac comprehendi, vt infra fusius à nobis explicabitur. *IV.* *V.*

3 *An primum ens sit vbique?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia primum ens est absolute infinitum & immensum tam secundum essentiam quam secundum virtutem agendi. Quicquid autem est tale, illud est vbique. 2, Quia nullo *Pro thesi affirmante. Ratio I. II.*

loco circumscribi & comprehendi potest, sed plane est
III. incircumscriptum & incomprehensibile. 3, Quia non tantum in mundo & extra mundum est, sed etiam in omnibus entibus creatis mundi ambitu comprehensis secundum essentiam & virtutem existit, ita tamen vt in
IV. nullo sit inclusum & à nullo exclusum. 4, Quia est primum mouens, à quo omnia secunda mouentia secundum rationem tam essendi quam causandi pendent & conseruantur; omnibusque rebus generalem influxum
V. præstat. 5, Quia omnes cogitationes & actiones nostras
VI. tam internas quam externas præsens intuetur. 6, Quia si primum ens non esset vbique, sequeretur neque esse infinitum simpliciter. Tantus enim & tam indissolubilis est nexus inter absolutam infinitatem & vbiquitatem, vt vna ab altera separari non minus possit, ac vna proprietas essentialis ab altera eiusdem entis; aut etiam causa efficiens proxima, à suo effecto. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. His rationibus præter dicta Scripturæ, quæ testantur Deum cœlum & terram implere, & non procul esse ab vno quoque nostrum, sed omnia in omnibus operari, omniaque habere exposita oculis suis, subiici possunt testimonia Ethnicorum, qui testantur partim Deum omnia videre, omnibusque rebus adesse, partim Dei omnia esse plena. In primis vero memorabile est, quod Hermes Trismegistus Deum comparat sphæræ perfectæ, cuius centrum est vbique & circumferentia nusquam. Nec immerito Arist. lib. 1. De partibus animaliũ, cap. 5. laudat Heraclitum Philosophum, quod cum in furnaria casa caloris gratia sederet, ingredi amicos iussit, dicens, *Quoniam ne huic quidem loco Dii desunt immortales.*

Ierem. 23. Actor. 25. Psalm. 139. Esaia 66. Heb. 4. Vide Clem. Alexand. lib. 5. Stromat. Lactant. l. 1. instit. diuin. c. 5. Cyrill. Alex. lib. 1. contra Iulianum.

Pro thesi negante. Argumenta.

At in contrariam partem obiici possunt hæc argumẽta:
I. 1, Quicquid est vbique, id infinitam habet extensionem: Atqui primum ens non habet infinitam extensionem. Hæc enim absolutæ ipsius simplicitati repugnat:
II. Ergo primum ens non est vbique. 2, Quicquid maiestati diuinæ est indecorum & inconueniens, id ei non est tribuendum: Atqui esse vbique maiestati diuinæ est indecorum & inconueniens: Ergo ei non est tribuendum. Assumptio probatur 1. autoritate Aristotelis, qui libro De mundo, c. 5 præstantius esse censet Deoq; tum decentius, tum

tum conuenientius, ita de eo opinari, vt dicamus, illum instar gubernatoris in cœlo sedem suam habere, & inde salutem & incolumitatem omnibus rebus præstare, etiam iis, quæ longissime ab eo remotæ sunt, ab absurdo: Quia concessa vbiquitate, concedendũ quoq; est Deum in antro scarabæi aliisque locis fœdis substantialiter existere, quod diuinam maiestatem non leuiter obscuraret. 3. Nullum ens finitum est capax infiniti: Atqui mundus cum omnibus suis partibus & entibus, quæ suo complexu continet, est ens finitum: Ergo mundus non est capax entis infiniti; & per consequens, primum ens non est vbique. 4, Si Deus ante creationem mundi fuit ens absolute infinitum, neque tamen vbique; cum extra mundum hunc creatum nullum fuerit, neq; sit ens, præter Deum; sequitur vbiquitatem non esse essentialem proprietatem Dei, neque eum absoluta infinitate ipsius necessario cohærere: Sed verum est antecedens: Ergo & consequens.

III.

IV.

Vt igitur hæc argumenta rectius soluantur, obseruandæ sunt aliquot hypotheses. 1, Deum dici vbique nõ tantum secundum virtutem, & modum infinitum operandi extra sese, sed etiam secundum essentiam suam infinitam. 2, Deum ab æterno semper fuisse, esse, & fore in seipso vbique, tametsi non semper fuerit actu vbique in entibus extra se creatis. 3, Ab vbiquitate Dei remouendum esse omnem prorsus modum carnalem & mundanum inessendi, qui creaturæ competere potest; solum autem modum spiritualem ac diuinum ei attribuendum. Ideoque neque locationem aliquam, neque inclusionem in aliquo loco, vel exclusionem, neque extensionem aut repletionem aliquam infinitam, neque totalitatem, neque diuisionem, aut separationem aliquam partium, neque efficacitatem aliquam operandi extra sese ab essentia diuina procul remotam in ea concipienda nobis imaginandam esse.

Pro solutione arg. notandæ sunt aliquot hypot.

I.

II.

III.

His ita positis, respondeo ad primum argumentum, propositionem esse falsam. Vbiquitas enim Dei omnem extensionem excludit, quippe quæ tantum competit enti, habenti quantitatem molis. Ad alterum respondeo, assumptionem esse falsam: Magis enim est decorum & conueniens maiestati diuinæ, vt secundum essentiam suam sit vbique seu omnipræsens, quam vt ad certum ali-

Responsio ad I. arg.

II.

quem locum sit definita ac limitata, & sic alicubi sit; alicubi non sit substantialiter. Hoc enim arguit magnam imperfectionem, quæ cum summa & absoluta perfectione Dei non potest consistere. Ideoque grauiter errat Aristoteles, quando Deum sibi imaginatur, vt regem & gubernatorem terrenum, qui cum propter essentiæ suæ finitatem non possit præsens esse in omnib locis suæ ditionis, seu regni, idcirco in aula sua regia commoratur, & inde per suos præfectos ac ministros omnia administrat. Deus enim non est rex & gubernator finitæ, sed infinitæ tam essentiæ, quam virtutis. Neq; metuendum est si Deus concederetur existere substantialiter in antro scarabæi, aliisq; locis fœdis, ne inquinetur purissima ipsius substantia. Nihil enim proprie per cōtactum substantialē potest inquinari, nisi sit corpus: Deus autem est substantia incorporea & spiritualis.

III. Ad tertium argumentum respondeo, esse æquiuocationem in vocabulis infinitum & capax, tam in propositione quam in conclusione. Quatenus enim infinitum intelligitur de eo quod extensum est in infinitum secundum quantitatem molis; & capax de eo, quod aptum est suo ambitu comprehendere aliquid, sic propositio & conclusio est verissima. Quatenus vero infinitum sumitur de eo, quod perfectionem habet illimitatam sine quantitate molis; & capax idem significat, ac in se habere aliquid sine continentia ac inclusione; sic & propositio & conclusio est falsa. Neque inde inferri potest Deum non esse vbique.

IV. Ad quartum argumentum respondeo, antecedens ex parte esse falsum. Deus enim ante creationem mundi fuit etiam vbique, non quidem in entibus extra se creatis, sed in ipso, vt testatur etiam Fran. Suar. disp. 30. sect. 7. cont. 36.

4 *An vlla creatura possit esse vbique?*

Pro thesi negante Ratio.

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: *I.* 1, Quia vbiquitas est proprietas essentialis solius Dei. Ideoque nulli creaturæ communicari potest. *II.* 2, Quia nulla creatura potest esse absolute infinita & immensa. Nihil autem est vbique, nisi sit absolute infinitum & immensum, vt patet ex præcedente quæstione. *III.* 3, Quia nulla creatura potest existere in mundo & extra mundum; omnibusque entibus creatis substantialiter inesse & adesse. *IV.* 4, Quia omnis creatura est finita, & ad aliquem locum determina-

minatur, ita vt alicubi sit, alicubi non sit tam secundum virtutem, quam essentiam suam. 5, Quia absolute impossibile est 1, vt creatura sit creatura, hoc est . essentiam suam cum omnibus proprietatibus essentialibus retineat, & tamen sit illocalis seu vbique. 2, vt creatura sit Deus. Esset autem Deus, si vllam proprietatem essentialem Dei haberet sibi realiter communicatam. Cui enim vna proprietas essentialis realiter communicatur, illi reliquas omnes, adeoque ipsam essentiam diuinam communicari necesse est; siquidem illæ in Deo, neq; inter se, neque ab essentia diuina realiter differunt, vt omnes sani & Philosophi & Theologi vnanimo consensu testantur. V.

Valeant igitur distinctiones illæ & limitationes quorundam, alioquin non indoctorum virorum, qui asserunt creaturam aliquam posse esse vbique non per se, sed per accidens, non modo naturali, sed modo supernaturali; non proprietate suæ naturæ, sed ex vi vnionis hypostaticæ. Illæ enim omnes distinctiones & limitationes sunt nihil aliud quam latibula grauissimorum errorum, & χρηστοφύγετα hominum, lucem veritatis apertis mentis oculis aspicere non valentium; aut saltem nolentium. Si enim aliqua creatura non potest esse vbiq; per se, modo naturali, & ex proprietate suæ naturæ, sequitur illam necessario per se, modo naturali, & ex proprietate suæ naturæ esse localem, seu in certo loco, ita vt alibi non sit. Rursus si aliqua creatura potest esse vbique per accidens modo supernaturali & ex vi vnionis hypostaticæ, sequitur irrefragabiliter, eandem eodem modo & eandem ob causam posse esse absolute infinitam, simplicem, æternam, adeoque ipsum Deum. Quod quam absurdissimum sit, nemo non videt, nisi qui in luce meridiana sponte vult cæcutire. *Refutantur alior. distin. & limitationes.*

5 *An omnis creatura sit in loco?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia omnis creatura est finita, & certis naturæ suæ limitibus circumscripta. Finitudo autem est causa efficiens proxima localitatis. *Pro thesi affirmante Rationes.* I.
2, Quia localitas est idioma essentiale omnis creaturæ; ideoque à nulla abesse potest. II.
3, Quia omnis creatura alicubi existit & operatur, alicubi non. III.
4, Quia nulla creatura siue inuisibilis & incorporea, IV.
siue visibilis & corporea dari potest, quæ non sit in loco. V.

5, Quia nulla creatura est vbique, vt in præcedente quæstione demonstratum fuit. Quicquid autem non est vbique, id est in loco: cum non detur medium inter localitatem & vbiquitatem.

VI. 6, Quia si aliqua creatura non esset in loco, non esset finita, & consequenter, non esset creatura. Quicquid enim finitum est, id aliquando & alicubi est: Et quicquid non est finitum, id neque creatura est.

Pro thesi neg. Argum. At in cõtrariam partem obiici possunt hæc argumenta:

I. 1, Quicquid in loco est, id habet situm & ordinem partium. Atqui creatura incorporea non habet situm & ordinem partium, cum sit expers omnis quantitatis extensiuæ & *ἀμερείας*: Ergo creatura incorporea non est in loco.

II. 2, Quicquid est in loco, id termino alterius corporis ambientis circumscribitur & comprehenditur: Atqui non omnis creatura corporea termino alterius corporis ambientis circumscribitur & comprehenditur: Ergo non omnis creatura corporea est in loco. Propositio est ipsius Aristotelis in lib. 4. Phys. ausc. 1. ca. 5. ab initio, & probatur ex definitione loci sub finem cap. 4. tradita, vbi locus dicitur *terminus corporis continentis immobilis primò.* Assumptio probatur exemplo cœli supremi, quod supra se non habet aliud corpus, cuius termino claudatur.

III. 3, Quia Aristoteles in citato libro capite 5. expresse asserit, *οὐ πᾶν τὸ ὂν ἐν τόπῳ, ἀλλὰ τὸ κινητὸν σῶμα*, h. e. *non omne ens est in loco, sed corpus mobile.* Et cap. 1. eiusdem libri ait: *Si omne ens est in loco, manifestum est etiam loci esse locum, & sic progressum dari in infinitum.*

Non omnis creatura eodem modo est in loco. Pro solutione meliore harum obiectionum notandum est, non omnem creaturam eodem modo esse in loco; sed incorpoream quidem esse in loco, modo spirituali, hoc est, sine extensione, occupatione & repletione certi alicuius spatii, cum omnis quantitatis extensiuæ sit expers: Corpoream vero esse in loco, modo corporali, hoc est, cum extensione, occupatione & repletione certi alicuius spatii. Et hanc rursus vel circumscriptiue esse in loco, vel incircumscriptiue, quatenus ex alterius corporis extrinsecus ambientis terminis comprehenditur; vel non comprehenditur.

Responsio ad obiectionem. Hinc igitur patet propositionem in prioribus duabus obiectionibus non esse simpliciter veram, sed tantum de creatura corporea, à qua etiam extrinseca circumscriptio

ptio facta à terminis alterius corporis separari & abesse potest, salua manente essentia illius, vt patet in cœlo supremo. Quod vero ad dictum Arist. attinet, illud verum est non simpliciter, sed tantum de modo existendi in loco corporaliter & circumscriptiue.

6 *An vlla creatura simul possit esse actu in duobus vel pluribus locis?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1. Quia omnis creatura est finita, & certis essentiæ suæ terminis circumscripta. Ideoque si in vno aliquo loco existit, extra illum alibi simul actu existere nequit. 2, Quia omnis creatura est essentialiter vna, & quatenus vna, à seipsa non potest localiter seiungi: Siquidem vnum, quatenus vnum, à seipso est indiuisum, neque potest esse multa. Si autem esset simul actu in pluribus locis, necessario illa à seipsa localiter seiungeretur, adeoque non esset vna, sed multæ: siquidem quatenus est in vno loco, seiuncta esset ab eadem, quatenus est in alio loco. 3, Quia omnis creatura per motum localem deserit vnum locum, vt acquirat alium; neque potest vno & eodem tempore ab vno termino à quo, localiter moueri ad plures terminos ad quos; multo minus simul in termino à quo & termino ad quem quiescere. 4, Quia nulla creatura potest simul in vno loco esse sursum, in altero deorsum; in vno moueri, in altero quiescere; in vno esse propinqua terræ, in altero remota à terra; cum hæc omnia implicent contradictionem. 5, Quia omnis creatura vel est incorporea, vel corporea. Sed neutra potest simul actu esse in duobus aut pluribus locis, quemadmodum testantur non tantum rationes supra allatæ; sed etiam testimonia grauissimorum autorum. Damascenus enim libro 1. orthodoxæ fidei, cap. 17. ait non posse Angelum secundum idem, in diuersis locis operari. Et libr. 2. cap. 3. Angelos, quando in cœlo sunt, non esse in terris & quando à Deo in terram mittuntur, non permanere in cœlo. Similiter Thomas p. 1 5. T. Q. 52. art. 2. asserit, Angelum esse virtutis & essentiæ finitæ: ideoq; non esse vbique aut in pluribus locis, sed in vno tantum loco. Quod si ergo πολυτοπία Angelis non potest attribui, qui sunt substantiæ incorporeæ & quantitatis expertes; multo minus cōpetit substantiæ corporeæ certam ac determinatam tam quanti-

Pro thesi negante.

Ratio I.

II.

III.

IV.

V.

Obiectio aduers. refutatur. tatem quam essentiam habenti. Neque valet effugium illud, quo aduersarii vtuntur, per virtutem & potentiam Dei fieri posse, vt vna creatura quæ naturaliter est μονότοπος, supernaturaliter sit πολύτοπος. Nam vt idem Thomas testatur p. 1. S. T. Q. 25. art. 3. & 4. ea quæ contradictionem implicant, sub diuina potentia non continentur; ideoque neque πολυτοπία vnius creaturæ: cum illa è diametro pugnet cum proprietatib. ipsius essentialibus, cuiusmodi sunt, vnitas, finitudo, μονοτοπία & similes.

I.

II. 2. Multo minus quicquam valent ad confirmandam πολυτοπίαν creaturæ exempla à Bellarmino allata, quorū primum sumptum est ab anima, quæ vulgo statuitur esse tota in singulis corporis partibus: alterum à diuina essentia quæ in tribus personis reipsa distinctis subsistit; tertium à persona Christi, quæ in duabus naturis subsistit. Nam primum falsum est, quod anima sicut tota est in toto corpore, ita etiam tota sit in qualibet parte corporis. Licet enim multi Philosophi & Theologi id statuant: tamen nondum ab illis video id esse probatum. Et cum ex illa opinione πολυτοπίας absurditas sequatur, teste etiam Thoma, qui Q. 52. art. 2. animam dicit esse simul in pluribus locis, quia tota est in qualibet parte corporis, merito à nobis reiicitur. Deinde quod ad reliqua exempla attinet, illa plane sunt dissimilia & nihil ad præsens institutum faciunt. Nam neque diuina essentia in tribus personis; neque persona Christi in duabus naturis tanquam in loco existit.

7 *Quid sit locus in genere?*

Locus non est ens absolutū, sed relatum. LOcus non est ex ordine entium absolutorum, sed relatorum. Omnis enim locus est locati locus, & omne locatum in loco est locatum. Ac relatio quidem, quæ est loci ad locatum, dicitur locatio, seu quod idem est, receptio actiua. Subiectum vero illius locationis actiuæ est ens aliquod absolutum, quod ab ea denominatur. Fundamentum, cuius beneficio locatio actiua inhæret suo subiecto, partim est naturalis capacitas seu aptitudo ad recipiendum locatum, partim ipsa actualis applicatio ad recipiendum. Terminus est aliud ens absolutum, quod à locatione passiua, quæ est relatio locati ad locum, denominatur. Hinc igitur patet locum secundum essentiam suam respectiuam in genere nihil aliud esse, quam rece-

Definitio generalis traditur ac probatur.

receptaculum locati. Illa enim definitio est essentialis, cõstans ex genere proximo & differentia specifica. Genus proximum, est receptaculũ, quod non minus, ac ipse locus, est ens relatum. Differentia specifica, quia genus restringitur ad certam speciem, est ipsum locatum, quod loco tanquam correlatum suo relato respondet. Non enim omne receptaculum est locus: sed tantum id, quod locati est receptaculũ. Materiatum n. recipit & habet in se materiam, formatum, formam, totum, partes; neq; tamen materiatum dicitur locus materiæ; formatum formæ; totum, partium: Præterea illa definitio loci est adæquata suo definito; siquidem omni loco competit siue sit realis, siue imaginarius, siue substantialis, siue accidentalis, siue spiritualis, siue corporalis.

8 *Quotuplex sit locus?*

Locus non est vnius generis, sed diuersi. Nam 1. locus alius est realis, alius imaginarius. Aut enim ille reuera locato attribuitur citra mentis nostræ cogitationem, aut non nisi per imaginationem seu fictionem mentis. Eiusmodi locus imaginarius non tantum is est, qui enti rationis competit, sed etiam spatium illud infinitum, in quo Deus fingitur à quibusdam ante mundum conditum ab æterno extitisse, & cuius partem certam iam mundus vniuersus, & omnia quæ in mundo sunt, occupare finguntur. 2. Locus alius est substantialis, alius accidentalis. Non enim tantum substantia creata est in loco, sed etiam accidens; siquidem illud in suo subiecto recipiente tanquam locatum in loco existit, & extra illud alibi non reperitur. 3. Locus substantialis, alius est spiritualis, alius corporalis, seu, vt alij loquuntur, alius hyperphysicus, alius physicus. Non enim tantum substantia creata corporea est in loco; sed etiam incorporea & spiritualis. Ac licet substantia corporea frequenter sit locus substantiæ spiritualis & incorporeæ, vt videre est cum in angelis, qui modo sunt in cœlo, modo in aere, modo in terra, tanquam in loco; tum in anima rationali, quæ est in corpore humano, tanquam incola in suo domicilio; tamen locus ille non dicitur corporalis, sed spiritualis; quia in eo locatum non est modo corporali, sed modo spirituali, hoc est, sine extensione, occupatione & repletione proprie dicta certi alicuius spatii realis.

Diuisio loci.
I.
II.
III.

9 *An sit discrimen inter locum & localitatem?*

Thesis affirmatiua defenditur.

SVnt multi qui confundunt inter se locum & localitatem, cum tamen realiter inter se distinguantur. Nam 1. localitas est affectio propria entis creati, eique inseparabiliter inest. Locus autē non. 2, Localitas est, per quam ens creatum non tantum sua natura aptum est existere in loco, sed etiam actu in eo existit. Locus vero est id, in quo locatum existit. 3, Locus habet se ad locatum tanquam relatum ad suum correlatum: Localitas autem habet se ad ens creatum, cui inest, tanquam adiunctum inhærens ad suum subiectum. 4, Locus est receptaculum locati. Localitas autem non itidem. Cum igitur tot modis locus & localitas inter se differant, cauendum est ne locum cum localitate confundamus, & sic cum aliis in eundem errorem incidamus.

10 *Vtrum ad veram præsentiam entis semper & necessario requiratur localis eiusdem propinquitas?*

Sententia aliorum exponitur.

REperiuntur nonnulli, qui putant nihil vere esse præsens nisi quod ei, cui præsens est, loco sit propinquum: Ideoq; quod loci distātia ab aliquo est remotum, id illi non vere præsens, sed absens esse statuunt. Vt igitur falsitas huius opinionis appareat, vtile esse arbitror hoc loco demonstrare, ad veram præsentiam entis non semper & necessario localem eiusdem propinquitatem requiri.

Thesis negatiua defenditur.

Argumenta probationis sunt: 1, Quia illa nobis sunt præsentia, quæ sunt præ sensibus nostris vel exterioribus vel interioribus, ab iisque percipiuntur & cognoscuntur, etiamsi locorum interuallo à nobis sint remota, vt docet Augustinus & Thomas Aquinas.

I.

II. 2, Quia causa efficiens proxima præsentiæ respectu nostri non est localis entis propinquitas; sed eiusdem communicatio seu obuersatio circa sensus nostros vel exteriores, vel interiores. Quicquid enim obuersatur circa sensus nostros, iisque se cognoscendum communicat, id vere est præsens. Hinc concionator in templo, professor in Schola, quando se videndum & audiendum communicat suis auditoribus, dicitur illis vere præsens, tametsi loci distantia ab iisdem sit remotus.

III. 3, Quia præsentia respectu nostri alia est corporalis, alia spiritualis, quarum illa pendet ab obuersatione entis circa sensus nostros exterio-

res;

tes; hæc circa interiores. Vtraque autem non requirit localem entis propinquitatem. Sol enim quando oculis nostris obuersatur, corporaliter est nobis præsens, tametsi longissimo locorum interuallo à nobis sit dissitus. Similiter omne ens quod imaginationi & cogitationi nostræ obiicitur, dicitur nobis spiritualiter præsens, etiam si loco à nobis distet. 4, Quia si nullum ens nobis vere esset præsens, nisi quod loco esset propinquum, sequeretur inde, 1, Deum nobis non esse vere præsentem, quia localis propinquitas in ipsum non cadit. 2, Solem non esse præsentem, sed absentem, etiam tunc, cum oculis nostris sese conspiciendum præbet: quoniam loco nobis non est propinquus. Sed hæc omnia sunt absurda: Ergo absurda etiam hypothesis, ex qua illa inferuntur. Interim tamen non negamus, præsentiam entium sæpe cum locali eorundem propinquitate esse coniunctam; sed hoc duntaxat asserimus, non semper & necessario ad veram præsentiam entis requiri localem eiusdem propinquitatem. IV.

De Necessitate & Contingentia.

Capvt VI.

Theoremata.

1 *Sexta classis attributa absoluta sunt necessitas & contingentia.*

2 *Omne enim ens, aut est necessarium, aut contingens.*

3 *Necessitas est actus necessarii, quatenus est necessarium, seu, vt clarius loquar,* est qualitas, per quam ens aliter se habere non potest,

4 *Estque vel absoluta, vel hypothetica seu conditionata. Quicquid enim necessarium est, aut est absolute tale, aut ex hypothesi.*

5 *Absoluta necessitas est, per quam ens simpliciter secundum naturam suam est immutabile, hoc est, secundum omnes temporis differentias aliter se habere non potest.*

6 *Eaque omnem prorsus contingentiam excludit, nec cum ea simul consistere potest. Et talis necessitas pendet vel ab ipsa essentia entis, vel à causa aliqua illius intrinseca, siue materia, siue forma, vel à proprietate aliqua essentiali, vel ab accidente quodam communi & inseparabili.*

7 *Hypothetica necessitas est, per quam ens ex suppositione certa conditionis non potest aliter sese habere.*

8 *Eaque non omnem prorsus contingentiam excludit, sed semper aliquam includit.*

9 *Et talis necessitas pendet à causa aliqua extrinseca, siue efficiente, siue fine, vel à manifesta absurditate & contradictionis implicatione, quæ ex contraria affirmatione aut negatione sequitur.*

10 *Contingentia est actus contingentis, quatenus est contingens, seu vt clarius loquar, est qualitas, per quam ens aliter se habere potest.*

11 *Eaque pendet vel ab ipsa essentia entis, vel à causa aliqua illius intrinseca, siue materia siue forma, vel à proprietate aliqua essentiali, vel denique à principii extrinseci ad causandum indifferentia & indeterminatione.*

IN CAPVT SEXTVM

PROBLEMA I.

An necessitas & contingentia recte numerentur inter affectiones generales entis?

Pro thesi affirmante Ratio I. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia omne ens siue sit incomplexum, siue complexum, vt enunciatum, siue absolutum, siue respectiuum, vt causa & effectum, aut est necessarium, aut contingens. *II.* 2, Quia si necessitas & contingentia excluderentur ex numero affectionum generalium entis, sequeretur ens sub communi ratione non recte diuidi in necessarium & contingens; quod tamen est absurdum, & pugnat non tantum cum sacra Scriptura, & recta ratione, sed etiam cum communi hominum sensu & experientia. *Aliorum opinio exponitur & paucis refellitur.* At huic sententiæ reclamant illi, qui omnem contingentiam è rebus tollunt, omniaque statuunt necessario fieri, vel propter prouidentiam Dei, vel propter influxum stellarum, vel propter necessariam causarum naturalium cum effectis connexionem. Quorum opinio à nobis infra in doctrina de causis refutabitur. Ideoque iam nihil aliud respondemus, quam hoc, nempe neque prouidentiam Dei, neque stellarum influxum, neque aliud quippiam contingentiam rerum tollere. Imo qui negant contingentiam, & clamant omnia necessario fieri, illos ex consilio Scoti lib. 1. Sententiarum, distinct. 39. tormentis esse exponendos, & tam diu cruciandos, donec concedant possibile esse, eos non torqueri.

2 Quid

2 *Quid sit necessitas & quotuplex?*

HVius quæstionis veritas non aliunde melius perspici potest, quam si cõsideremus, quid sit necessarium & quotuplex. Dicitur autem proprie necessarium quod aliter se habere non potest, siue sit ens incomplexum, siue complexum. Ideoque vel est absolute necessarium, vel ex hypothesi, vt Aristoteles docet lib. 2. Phys auscult. cap. 9. sub initium. Absolute necessarium est, quod semper vno & eodem modo sese habet, & simpliciter non potest aliter sese habere. Ex hypothesi necessarium est, quod quidem secundum naturam suam absolute consideratum, est variabile & mutabile; sed tamen ex certa suppositione aliter se habere non potest. Vnde etiam ab aliis dicitur *necessarium secundum quid.* Hinc igitur patet necessitatem in genere, recte definiri actum necessarii quatenus est necessarium, seu quod idem est, qualitatem, per quam ens aliter se habere non potest. Eandemque recte diuidi in absolutam & hypotheticam, seu conditionatam.

Necessarii in genere quid sit, & quotuplex.

Necessitas in genere quid sit & quotuplex.

Verum contra hanc sententiam duo potissimum obiici possunt, 1, Aristotelem lib 5. Metaph. cap. 5. quatuor genera necessariorum recensere, ac primum quidem necessarium appellare id, quod tametsi non sit causa rei, ita tamen rem comitatur, vt res sine eo esse non possit. Secundo id, sine quo nec bonum comparari, aut conseruari, nec malum abiici, aut vitari potest. Tertio id, quod violentum est & coactum. Quarto id, quod aliter se habere non potest. Ideoque non recte à nobis duo tantum necessariorum genera constitui. 2, Non tantum duas species necessitatis apud auctores reperiri, nempe absolutam & hypotheticam: sed præter has etiam alias, vt sunt necessitas physica, necessitas definitionis, necessitas consequentiæ, necessitas immutabilitatis, necessitas coactionis, &c. Ad primam obiectionem respondeo, Aristotelem quidem quatuor genera necessarii enumerare; sed tamen eodem in loco mox priora tria ad posterius tanquam ad caput & genus reuocare, ita vt non tantum id dicatur necessarium, quod simpliciter aliter se habere non potest; sed etiam id, quod secundum quid aliter se habere nequit, nempe ex certa hypothesi vel finis vel causæ alicuius efficientis externæ, cuiusmodi sunt priora

Obiectiones. I.

II.

Responsio ad 1. obiect.

tria genera necessaria. Respiratio enim & nutritio sunt necessaria animali non absolute, sed ex hypothesi, si vult viuere vitam naturalem. Medicamenta sunt necessaria ægroto non absolute, sed ex hypothesi, si vult morbum depellere & sanitatem recuperare. Motus lapidis sursum est necessarius non absolute, sed ex hypothesi causæ proiicientis, quæ impellit lapidem sursum contra naturalem ipsius propensionem & inclinationem.

Ad 2. obiect. Omnis necessitas qualiscunque sit, potest reduci vel ad abso. vel ad hyp.

Ad alteram obiectionem respondeo, nullam necessitatem esse aut excogitari posse, quæ non ad absolutam, vel hypotheticam reuocari possit. *Necessitas* enim *Physica* dicitur illa, quæ in rebus vel enunciatis physicis inest; eaque modo est absoluta, modo hypothetica, cuiusmodi etiam est illa, quæ inest enti secundum vsitatum Naturæ ordinem à Deo sancitum. *Necessitas definitionis* dicitur illa, quæ est inter entia, eorumque attributa essentialia, eaque semper est absoluta. Necessitas consequentiæ proprie dicitur illa, quæ syllogismo inest, orta vel ex materia vel ex forma illius. Eaque modo est absoluta, modo hypothetica *Necessitas immutabilitatis* dicitur, quæ inest rebus, vel simpliciter vel secundum quid immutabilib. Ideoque alia est absoluta, alia hypothetica. *Necessitas coactionis* est violentia, quæ alicui enti à causa extrinsecus cogente infertur contra naturalem vel proæreticam inclinationem. Eaque est hypothetica. Vbi etiam obseruandum est præter nominatas species necessitatis, adhuc alias reperiri apud autores, vt cum *necessitas* alia dicitur *naturalis*, alia *præternaturalis*: alia *intrinseca*, alia *extrinseca*: Sed illæ quoque non minus, ac præcedentes, reuocari possunt ad generalem distributionem necessitatis in absolutam & hypotheticam. Omnis enim necessitas absoluta est naturalis & intrinseca. Hypothetica vero alia est naturalis & intrinseca, alia præternaturalis & extrinseca, prout pendet à principio vel intrinseco, vel extrinseco: & enti vel secundum, vel contra propensionem naturalem aut proæreticam inest.

Aristot. l. 2. Poster. analyt. c. 11. Fr. Suar. disput. 28. sect. 1. contex. 11.

3 *An inter entia incomplexa solum primum ens in se sit absolute necessarium?*

Prothesis affirmatiua Ratio I.

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia solum primum ens à seipso & per seipsum existit, & à nullo alio dependet. Quicquid autem tale est, id absolute

ſolute eſt neceſſarium, cum ei ſimpliciter repugnet non eſſe. 2, Quia ſolum omnium entium eſt perfectiſſimum. *II.*
Inter perfectiones autem ſummas entis numeratur etiam abſoluta eſſendi neceſſitas. Ideoque primo enti detrahi non poteſt, multo minus alii præter primum enti attribui. 3, Quia ſolum eſt abſolute ſimplex. Quicquid *III.*
autem tale eſt, id abſolute eſt neceſſarium, cum ex vi abſolutæ ſimplicitatis nullo modo poſſit ſeſe aliter habere. Et hoc teſtatur etiam Ariſtoteles lib. 5. Metaph. cap. 5. dum inquit: *τὸ πρῶτον καὶ κυρίως ἀναγκαῖον τὸ ἁπλοῦν ἐστι. τοῦτο γὰρ οὐκ ἐνδέχεται πλεοναχῶς ἔχειν ὥστ' οὐδὲ ἄλλως καὶ ἄλλως*: hoc eſt, *primum ac præcipuum neceſſarium eſt ens ſimplex. Hoc enim pluribus modis ſe habere nequit, ideoque neque aliter, atque aliter.* Super quem locum Fonſeca ſic commentatur: **Id ſolum** quod omnino ſimplex eſt, non poteſt vlla ex parte aliter atque aliter ſeſe habere, quod quidem eſt, eſſe omni ex parte neceſſarium. Quicquid enim aliquo modo compoſitum eſt, aliquo etiam modo aliter atque aliter ſe habere poteſt, vel ſecundum eſſentiam, vel ſecundum aliquod accidens. 4, Quia ſolum primum ens eſt abſolute immutabile. Ideoque neque potentiam vllam paſſiuam habet ad ſuſcipiendum in ſe mutationem, neque vel à ſe, vel ab vlla alia cauſa actu vnquam mutari poteſt, ita vt vel deſinat eſſe id quod eſt, & incipiat eſſe id quod non eſt: vel plus minuſve iam habeat perfectionis quam antea habuit. 5, Quia ſolum ab æterno in æternum idem *IV.* *V.*
permanet expers principii, ſucceſſionis & finis. Ideoque abſolute impoſſibile eſt, vt vel non ſit, vel non ſit ſemper tale ens quale fuit. 6, Quia ſi ſolum primum ens non eſſet *VI.*
abſolute neceſſarium, ſequeretur illud inter entia incomplexa neque ſolum eſſe ens à ſe, neque abſolute & ſumme vel perfectum, vel ſimplex, vel immutabile, vel æternum. Sed hæc omnia ſunt abſurda, & pugnant cum principiis Metaphyſicis ſupra probatis: Ergo abſurda etiam eſt hypotheſis, ex qua inferuntur.

Verum contra hanc aſſertionem obiici poſſunt duo argumenta. 1, Quodcunque eſt liberrimum agens, id non eſt abſolute neceſſarium. Atqui primum ens eſt liberrimum agens: Ergo primum ens non eſt abſolute neceſſarium. 2, Cum in Scriptura ſæpe eiuſmodi vocabula attribuuntur, quæ mutationem quandam ex propria & natiua *Pro theſi negante, obiectio.* *I.* *II.*

vi significandi important, id non est absolute necessarium seu immutabile: Atqui primo enti eiusmodi vocabula attribuuntur, &c. Ergo, &c.

Responsio ad obiect.

I. Respondeo ad primam obiectionem, primum ens esse liberrimum agens, quatenus est causa prima efficiens omnium extra se entium. Illud enim non tantum ab æterno liberrime decreuit omnia facere, quæ iam in tempore facit; sed etiam quicquid iam facit, id liberrime facit, secundum formulam decreti à se ab æterno facti, sine vlla necessitate absoluta vel coactione. Sed inde non sequitur, primum ens in se extra rationem causandi consideratum, quatenus est ens primum, non esse absolute

II. necessarium. Ad alteram obiectionem respondeo, verum quidem esse, quod primo enti in Scriptura sæpe eiusmodi vocabula attribuantur, quæ mutationem quandam ex propria & natiua vi significandi important. Nihilominus quia illa vocabula non proprie, sed metaphorice de primo ente sunt intelligenda, inde nihil contra absolutam illius necessitatem & immutabilitatem concludi posse.

4 *An in entibus complexis locum habeat necessitas absoluta?*

Sententia aliorum exponitur, & explicatur per distinct. Thesis affirmatiua defenditur.

SVnt nonnulli qui putant nullum ens esse capax absolutæ necessitatis, nisi solum primum ens. Id tametsi verum est in ordine entium incomplexorum, vt in præcedente quæstione probatum fuit; tamen in ordine entium complexorum est falsum. Non enim tantum illa effata, in quibus attributa essentialia de primo ente affirmantur, & quæ his opposita sunt negantur, absolute sunt necessaria; sed etiam illa enunciata, in quibus de entibus creatis vel attributa essentialia siue à priore, siue à posteriore affirmantur, vel ea quæ his repugnant, negantur, quemadmodum in logicis vberius tradi ac doceri solet. Ratio huius assertionis est, quia huiusmodi entia complexa semper vno & eodem modo sese habent & simplic[iter] non possunt sese aliter habere, sine manifesta contradictionis implicatione. Neque obstat quod

Obiectio.

I. aduersæ partis authores obiiciunt. 1. Nullum ens incomplexum, præter Deum, esse absolute necessarium, sed omne esse contingens, quod esse & non esse possit. Idcoque ea quæ de illo enunciantur, nō posse ei absolute

esse

esse necessaria. 2, Prædicata essentialia non posse semper affirmari de subiectis, quæ non semper in rerum natura existunt. Ideoque non posse constitui enunciatum absolute necessarium. 3, Deum omnipotentia sua posse separare proprietates essentiales à suis subiectis. Ideoque non semper illas de subiectis esse veras. *II.* *III.*

Ad priora enim duo obiecta respondeo per negationem consequentiæ. Non enim requiritur ad constitutionem axiomatis absolute necessarii, vt subiectum sit ens absolute necessarium, semperque actu existat; sed satis est, si sit necessaria & perpetua inter subiectum & prædicatum consensio vel dissensio, seu, si prædicatum de subiecto semper vere & necessario affirmetur aut negetur, secundum omnes temporis differentias, nempe præsens, præteritum & futurum. Hinc quidam distinguunt inter necessitatem absolutam rerum & connexionis rerum enunciatiuæ: ac priorem quidem soli Deo attribuunt; posteriorem vero propositionibus illis in quibus attributa essentialia de ente siue increato siue creato prædicantur: siquidem in iis connexio rerum, subiecti nimirum & prædicati est simpliciter necessaria. Ad tertium obiectum respondeo, falsum esse quod Deus omnipotentia sua possit proprietates essentiales à subiectis suis separare. Id enim implicat contradictionem, ideoq; sub omnipotentiam Dei non cadit, vt infra pluribus suo loco demonstrabitur. ***Responsio ad obiect. 1. & 2.*** ***Necessitas alia rerū, alia connexionis rerum.*** *III.*

5 *An omne ens sit capax necessitatis hypotheticæ?*

DE ente incomplexo non est dubium. Nam ipse etiam Deus tametsi quatenus Deus, sit ens absolute necessarium, & quatenus causa prima, liberrimū agens; tamen capax est aliquo modo necessitatis hypotheticæ, quatenus omnia necessario facit secundum formulam decreti liberrime à se ab æterno facti. Hinc ortum est axioma illud Philosophorum: *Omne quod est, quando est, necesse est esse.* Sed de ente complexo non simpliciter est verum. Nullum enim ens complexū absolute necessarium admittit necessitatem hypotheticam, sed tantū id quod est contingens. Ratio est, quia necessitas absoluta in ente complexo excludit omnem contingentiam: Hypothetica autem minime. ***Quæstio deciditur per dist. entis.***

6 *An omne ens necessarium habeat causam suæ necessitatis, & quanam illa sit?*

Sententia aliorum exponitur, & declaratur per distinct.

Communis sententia philosophorum est, entia necessaria tam incomplexa, quam complexa quædam habere causam suæ necessitatis, quædam vero non. Et hoc probant exemplo partim primi entis, quod absolute est necessarium, neque tamen causam habet suæ necessitatis, cum à seipso existat, & à nullo alio dependeat: partim exemplo primorũ principiorum complexorum, quæ absolute quidem necessaria sunt, neque tamen causam habent suæ necessitatis, per quam à priori demonstrari possint. Vnde etiam à Philosopho dicuntur *principia immediata & indemonstrabilia*. Etsi vero hæc sententia vera est, quatenus vocabulum causæ proprie sumitur pro principio essendi, quod ad causatum refertur, ab eoque realiter est distinctum: tamen quatenus vocabulum causæ accipitur non tantum proprie, sed etiam improprie pro ratione qualicunque, qua probari ac notificari potest necessitas alicuius entis, hoc respectu omne ens necessarium habet aliquam causam suæ necessitatis. Dico igitur causam necessitatis absolutæ semper esse aliquod intrinsecum, siue sit essentia entis, siue materia, siue forma, siue adiunctum aliquod essentiale & inseparabile, vel proprium, vel commune. Hypotheticæ vero necessitatis causam esse semper, vel principium aliquod extrinsecum, siue sit efficiens, siue finis, vel accidens quoddam entis separabile, vel implicationem contradictionis ex oppositi affirmatione seu negatione resultantem. Hinc absolute necessarium est: 1, vt homo sit animal rationale, quia hoc requirit ipsius essentia specifica. 2, vt homo habeat facultatem naturalem sentiendi, quia hoc requirit essentia ipsius generica, quam habet quatenus est animal. 3, vt homo sit extensiue quantus, quia hoc requirit materia ipsius. 4, vt homo sit risibilis & capax disciplinæ, quia hoc requirit forma ipsius. 5, vt homo sit localis, quia hoc requirit finitudo ipsius. 6, vt homo per se sit visibilis, quia hoc requirit color ipsius. Rursus ex hypothesi necessarium est; 1, fieri resurrectionem mortuorum; quia Deus ita decreuit. 2, quosdam homines saluari, quosdam damnari, quia quidam vere credunt in Christum, quidam non. 3, homines credere in Christum

Quæ sit causa necessitatis tam absoluta quam hypoth.

si ve-

si velint salutem æternam consequi. 4, homines discere, si velint docti euadere. 5, homines à Deo puniri, quia quotidie peccant. In summa, omne quod est, quando est, necesse est esse, quia alias fieret implicatio contradictionis.

7 *Quot modis aliquid dicatur contingens?*

NOn semper vno & eodem modo vsurpatur vocabulum contingens. Quandoque enim sumitur pro eo, quod casu & fortuito fit ac præter intentionem agentis. Quandoque pro eo, quod medium est inter necessarium & impossibile, hoc est, quod potest aliter se habere, seu, quod potest esse vel non esse. Atque in hac postrema significatione vsurpatur à nobis in hoc præsenti capite. Estque vel incomplexum, vel complexum. Contingens incomplexum est, quod potest aliter se habere, siue ipsius productionem, siue existentiam, siue operationem, siue accidentia separabilia spectes: Estque respectu motus vel actiuum vel passiuum. Contingens actiuum est, quod potest agere, vel nō agere. Contingens passiuum est, quod potest fieri, vel non fieri, pati vel non pati. Vtrumque rursus vel est naturale, vel voluntarium. Contingens naturale est, quod per se plerumque eodem modo sese habet, tametsi quandoque per accidens varietur. Contingens voluntarium est, quod per se ad vtrumque oppositum æque est indifferens. Contingens complexum est, quod secundum veritatem aliter se habere potest. Vnde patet contingentiam in hoc capite sumi, non pro euentu rei casuali & fortuito, sed pro qualitate, per quam ens aliter se habere potest. Et sic aliam esse entis incomplexi, aliam complexi. Et rursus, contingentiam entis incomplexi, aliam esse actiuam, aliam passiuam; aliam in rebus naturalibus, aliam in voluntariis.

Quot modis aliquid dicatur contingens.

Contingētia quid sit & quotuplex.

8 *An libertas sit species contingentiæ?*

VT hæc quæstio recte intelligatur, necesse est, vt homonymia vocabuli *libertatis* excutiatur. Sumitur enim libertas modo pro immunitate à iugo seruitutis; modo pro licentia seu potestate faciendi quiduis; modo pro confidentia faciendi aliquid; modo pro immunitate à necessitate tū absoluta, tum coactionis; modo denique pro indifferentia entis ad agendū vel patiendum hoc vel illud, aut eius oppositum. In prioribus tribus signifi-

Vox libertatis est æquiuoca.

In qua significatione libertas sit species contingentiæ. catis libertas non est species contingentiæ. In reliquis autem duobus rectè inter species contingentiæ numeratur; tum, quia definitio contingentiæ eiusmodi libertati competit; tum, quia omne, quod his modis est liberum, est contingens, hoc est, ita comparatum, vt aliter se habere possit. Hinc homo libere iudicare dicitur de rebus libereque eligere res iudicatas, quia id facit non ex absoluta quadā necessitate neq; coacte, sed cōtingenter.

9 *An libertas omnem necessitatem excludat?*

Thesis negatiua defenditur. REperiuntur nonnulli, qui existimant nihil posse vere dici liberum, nisi quod omni prorsus necessitate vacat. Sed illorum sententia non simpliciter est vera. Licet enim libertas excludat omnem necessitatem tum absolutam, tum coactionis; tamen non excludit omnem prorsus necessitatem hypotheticam. Vnum enim & idem potest esse liberum & necessarium. Sic bona opera sunt libera effecta, quatenus proficiscuntur à causa libera; & tamen eadem sunt necessaria exhypothesi, quatenus à Deo sunt præcepta; & quatenus sine his nec licet salutem æternam consequi, nec damnationem æternam euitare. Sic omnia quæ Deus extra se in tempore facit, libere facit, & tamen eadem necessario facit ex hypothesi decreti, à se ab æterno facti, cum contra suum ipsius decretum nihil possit facere.

10 *An omnis creatura sit ens sua natura contingens?*

Pro thesi affirmante Ratio STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia nullum ens incomplexum præter Deum est absolute necessarium, vt supra Probl. 3. probatum fuit. 2, Quia
I. omnis creatura ab alio recipit suum esse per veram cau-
II. salitatem, & ab alio conseruatur in esse. 3, Quia omnis
III. creatura est aliquo modo realiter cōposita, & ex vi compositionis aliter se habere potest vel secundum substan-
VI. tiam, vel secundum accidens. 4, Quia omnis creatura plus minusve perfectionis accidentalis habere potest
V. quam habet. 5, Quia omnis creatura sua natura est mutabilis, h. e. potentiam passiuam habet ad recipiendā muta-
VI. tionem tam secundum essentiam quam accidens. 6, Quia omnis creatura potentiæ actiuæ Dei est subiecta, ita vt quemadmodum à Deo fuit producta, vel per creationem vel per generationem, ita etiam ab eodem destrui
VII. possit. 7, Quia omnis creatura est temporalis, Ideoque sicut

ficut habuit initium suæ existentiæ; ita etiam sua natura potest habere finem. His rationibus addi potest insigne testimonium Damasceni, quod habetur lib. 2 orthodoxæ fidei, cap. 3. πᾶν κτιστὸν, καὶ τρεπτόν, μόνον γὰρ ἄκτιστον ἄτρεπτον, hoc est, *Omne creatum est mutabile, solum vero ens increatum est immutabile.* Quod si quis obiciat, angelos & animas rationales, quibus ab omnibus solet immortalitas attribui; respondendum est, immortale aliquid dici duobus modis: vel simpliciter quatenus neque actu vnquam moritur, neque potentiam vllam habet ad moriendum: vel secundum quid, quatenus actu quidem nunquam moritur ob peculiare gratiæ diuinæ priuilegium sibi concessum, sed tamen nihilominus per naturam suam habet capacitatem seu potentiam passiuam ad mortem recipiendum. Priori modo solus Deus est immortalis. Vnde à Paulo dicitur, *solus habere immortalitatem.* Posteriore modo angeli & animæ rationales sunt immortales. Vnde Damascenus ait, *Angelos esse immortales, non natura, sed gratia.* Eodem modo beati homines post resurrectionem & extremum iudicium erunt immortales.

Testim. Damasc.

Obiectio mouetur & soluitur.

1. ad Tim. 6. v. 16.

11 *An idem ens diuerso respectu possit esse contingens & necessarium?*

DIstinguendum inter ens quod est absolute necessarium; & quod necessarium duntaxat est ex hypothesi. Illud enim nullo modo secundum essentiam absolutam est contingens. Hoc vero diuerso respectu est necessarium & contingens. Necessarium quidem, quatenus cum sua hypothesi consideratur: Contingens vero, quatenus sine hypothesi absolute in se consideratur. Sic v.g. idem homo & necessario & contingenter bene vel male agit. Necessario, quatenus virtutis vel vitii habitum contraxit, eundemque semper retinet: Contingenter, quatenus facultatem naturalem habet acquirendi, & non acquirendi; abiiciendi vel non abiiciendi virtutis, vel vitii habitum. Vnde etiam recte dicitur à Scholasticis: *Quod ex hypothesi necessario agit, id sublata hypothesi contingenter agit* Item, *nihil est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat.*

Thesis affirmatiua defenditur cum limitat. & distinct.

12 *Quæ sit causa contingentiæ?*

DE hac quæst. diuersæ sunt Philosophorũ opiniones:

Diuersæ aliorum opiniones recensentur.

Scotus 1. sent. distinct. 1. Q. 2. 11 distinct. 8. Q. 5.

Alii enim causam contingentiæ, præsertim illius, quæ est in rebus naturalibus, referunt ad libertatem voluntatis diuinæ: ideoque asserunt res quasdam esse contingentes, quia in libero Dei arbitrio positum fuit & est, illas producere, & non producere, conseruare, & non conseruare. Alii, eam referunt ad efficaciam voluntatis diuinæ, quia Deus voluit quasdam res in mundo esse necessarias, quasdam contingentes. Alii, ad commixtionem non entis cum entibus. Alii ad perfectionem mundi, quæ requirit, vt aliæ res sint necessariæ, aliæ contingentes. Alii eandem referunt partim ad voluntatem Dei, qui vult alias res semper esse, easque semper conseruat; alias autem vult ad tempus existere, & aliquando deficere: partim ad materiam quæ potentiam habet contradictionis ad esse & non esse; partim ad contrarium principium impediens & destruens entia: partim denique ad ipsam naturam entium. Sed nos omissa longiore discussione & examinatione, harum opinionum, quæ apud Peretium fusius tractatæ reperiuntur lib. 9. de communibus rerum naturalium principiis & affectionibus, cap. 14. & 15. nostram sententiam breuiter exponemus. Dicimus igitur causam contingentiæ vel esse in ipsis entibus, vel extra entia. In ipsis entibus partim esse ipsam essentiam entis, quod aliter creari non potuit nisi contingens; partim materiam vel formam entis, quæ semper existere non possunt; sed aliquando deficiunt: partim accidens aliquod, cuiusmodi est indeterminatio entis ad hoc vel illud agendum aut patiendum. Extra entia partim esse primam & vniuersalem causam, nempe liberam voluntatem Dei creantis & conseruantis, partim secundam & particularem causam, quæ sua natura vel est indifferens & indeterminata ad hunc vel illum effectum producendum, vel alias causas entium in operando impedit, aut plane corrumpit & destruit.

Propria sententia exponitur.

13 *An sit discrimen cum inter necessitatem & immutabilitatem, tum inter contingentiam & mutabilitatem?*

ETsi vocabula ipsa inter se differant; tamen in re ipsa non videtur esse discrimen statuendum, cum inter necessitatem & immutabilitatem, tum inter contingentiam & mutabilitatem. Rationes sunt: 1. Quia eodem modo

modo definiuntur. Est enim immutabilitas qualitas, per quam ens aliter se habere non potest, non secus ac necessitas. Mutabilitas vero est qualitas, per quam ens se aliter habere potest, non secus ac contingentia. 2, Quia eodem modo diuiduntur. Sicut enim necessitas alia est absoluta, alia hypothetica, seu inabsoluta; ita immutabilitas alia est absoluta, alia hypothetica, seu inabsoluta, quarum illa non tantum omnem actum mutationis; sed etiam omnem potentiam passiuam ad mutationem recipiendam excludit. Hæc vero non ipsam potentiam, sed solum mutationis actum ex certa hypothesi excludit. 3, Quia concreta eorum ita inter se conueniunt, vt vnum sæpe pro altero sumatur. Omne enim necessarium est immutabile, & omne contingens mutabile, & vice versa. Vnde etiam definitio necessarii competit immutabili, & contingentis, mutabili. Non igitur necesse est vtilla attributa ad diuersa classes referantur.

14 *An omne quod mutabile est, necesse sit actu etiam aliquando mutari?*

STatuitur thesis negatiua. 1, Quia potentia nō est proxima causa actus, sed remota. Vnde ortum est illud in Scholis tritum: *A posse ad esse non valet consequentia.* 2, Quia multa impedimenta & obstacula interuenire possunt tam intrinsecus quam extrinsecus, cur id, quod potentiam habet ad aliquam mutationem, actu nunquam mutetur. 3, Quia angeli & animæ rationales secundum essentiam suam sunt mutabiles, & tamen actu nunquam eo modo mutantur, propterea quod Deus vult illas substantias in perpetuum in suo esse conseruari. Neque tamen inde sequitur potentiam illam vanam & otiosam esse, si nunquam traducetur in actum. Non enim omnis potentia à Deo, vel natura data est propter ipsum actum, tanquam finem, sed quædam propter actum, quædam propter necessariam & inseparabilem illius cum essentia entis concomitantiam.

Pro thesi negante. Ratio I. *II.* *III.* *Prolepsis.*

15 *Vtrum recte res necessariæ & contingentes à Zabarella fuerint definitæ* Lib. 1. de Natura Logicæ, c. 2.

INuestigaturus Zabarella diuersa disciplinarum genera, diuidit primū omnes res, circa quas disciplinæ versantur, in duo genera; quorum vnum dicit esse rerum necessariarum, alterum rerum contingentium. Deinde

Sententia Zabarellæ exponitur & reiicitur.

desinit res necessarias & contingentes, & illas quidem docet esse, quæ vel semper sunt & nunquam fiunt; vel fiunt quidem, non tamen à voluntate nostra, sed à natura per certas causas operante: has vero quæ ab hominis voluntate pendent, ita vt eas facere & non facere in arbitrio nostro sit positum. Etsi vero libenter concedimus Zabarellæ res, quæ in disciplinis considerantur, ita sua natura esse comparatas, vt aliæ ab homine libere operante fieri vel non fieri possint; aliæ vero ab eo nullo modo fieri possint; tamen non immerito dubitatur, *vtrum hæ recte dici debeant necessaria, & illa contingentes.* Nam vt supra docuimus omnes res incomplexæ, præter Deū, sunt contingentes siue à libera hominis voluntate pendeant, siue non. Et ex rebus complexis aliæ sunt necessariæ, aliæ contingentes, quod vel semper veræ sunt & nunquam falsæ; vel modo veræ, modo falsæ. Proinde si hæc doctrina est vera, statuendum est, aut in noua plane & peculiari significatione res à Zabarella dici *alias necessarias, alias contingentes,* aut male ab eodem res tam necessarias quam contingentes esse definitas. Neque est quod autoritate Aristotelis se conatur defendere. Ille enim lib. 6. Ethic. per res necessarias non intellexit entia incomplexa, vt Zabarella putat, sed complexa, nempe enunciata necessaria circa quæ habitus illi tres intellectuales, nempe scientia, mens, & sapientia versantur. Per res vero contingentes in specie intelligit entia incomplexa, quæ ab homine fieri & non fieri possunt, & circa quæ reliqui duo habitus intellectuales, nempe prudentia & ars extrinsecus quo ad vsum & exercitium sunt occupatæ.

Prolepsis. Quid Arist. per res necess. & côting. intelligat 6. Ethicor.

De Possibilitate & Impossibilitate.

Caput VII.

Theoremata.

1 *Septima classis attributa sunt possibilitas & impossibilitas.*

2 *Omne enim intelligibile est possibile, aut impossibile.*

3 *Possibilitas est actus possibilis, quatenus est possibilis, seu est id, per quod aliquid est possibile, hoc est tale, vt possit actu esse sine repugnantia & contradictionis implicatione.*

4 Im-

4 *Impossibilitas est actus impossibilis, quatenus est impossibilis, seu est id, per quod aliquid est impossibile, hoc est tale, vt non possit actu esse sine repugnantia & contradictionis implicatione.*

5 *Estque vel absoluta vel limitata. Quicquid enim est impossibile aut est simpliciter tale, aut secundum quid.*

6 *Absoluta impossibilitas est per quam aliquid simpliciter est impossibile, hoc est tale, vt nullo modo & respectu possit esse possibile.*

7 *Limitata impossibilitas est, per quam aliquid, quod per se possibile est, tamen impossibile dicitur secundum quid.*

1 *Quid sit possibile & impossibile in genere?*

IN definiendo possibili & impossibili Philosophi inter se non omnino consentiunt. Aliis enim *possibile est id, quod actu non est, esse tamen potest: Impossibile vero, quod neque actu est, neque esse potest.* Aliis possibile est, *quod non inuoluit aliquid repugnans rationi entis:* Impossibile vero, *quod inuoluit aliquid destruens rationem entis.* Aliis possibile est, *quicquid non implicat contradictionem:* Impossibile vero, *quicquid implicat contradictionem.* Etsi vero hæ definitiones verbis inter se dissentiunt; tamen in vero & genuino sensu inter se conueniunt. Quicquid enim implicat contradictionem, id inuoluit aliquid destruens rationem entis. Ideoque non potest esse; & sic est impossibile. Contra, quicquid non implicat contradictionem, id non inuoluit aliquid repugnans rationi entis. Ideoque potest esse, & sic est possibile. Hinc possibile à nobis fuit definitum, quod potest esse sine repugnantia & contradictionis implicatione: Impossibile vero, quod nō potest esse sine repugnantia & contradictionis implicatione. Cæterum ad meliorē intelligentiā harum definitionum, necesse est, vt clarius explicetur, quid vere dicatur *implicare cōtradictionem.* In eo enim nō omnes Philosophi inter se conueniunt. Alii enim putant id tantum implicare contradictionem, quod directe & immediate pugnat cum ratione seu essentia entis. Alii vero præterea addunt, id etiam implicare contradictionem, quod pugnat cum iis, quæ cum essentia entis necessario & inseparabiliter cohærent, cuiusmodi sunt proprietates essentiales. Hoc enim licet non directe & immediate; ta-

Zabarella in tabulis in lib. de interpr. Aristot.

Fr. Suar. disp. 30. sect. 7. cont. 12.

Diuersæ definition. possibilis & impossibilis inter se conciliantur.

Quid vere dicatur implicare contradictionem.

men indirecte & immediate pugnat cum ratione seu essentia entis, ob necessariam & inseparabilem proprietatum essentialium cum essentia entis connexionem & coexistentiam. Atque hæc sententia priore longe est verior, quemadmodum etiam testatur vulgatum illud Philosophorum & Theologorum axioma: *Qui tollit proprietates, tollit naturam.* A qua sententia non dissentiunt illi, qui statuunt id implicare contradictionem, quod duo contradictorie opposita vni & eidem eodem modo & respectu attribuit. Id enim manifeste & ex diametro pugnat cum primo illo & generalissimo omnis veritatis principio; *Quodlibet est aut non est:* seu: *Impossibile est aliquid simul esse & non esse, seruatis scilicet omnibus legibus contradictionis.* Et hoc etiam innuit Thomas 1. part. 5. T. Q. 24. artic. 3. dum inquit: *Quod implicat contradictionem non est possibile vllo modo: quia ponit esse & non esse simul, & proinde si illud fieret, fieret aliquid, cuius esse esset non esse.*

2. *Quotuplex sit possibile & impossibile?*

Impossibile quot modis aliquid dicatur.

IMpossibile in genere sumptum diuidi solet à Philosophis in simpliciter & secundum quid impossibile. *Simpliciter impossibile est*, quod nullo modo & respectu est possibile, hoc est, neque ab ente increato, neque creato fieri potest propter summam & absolutam repugnantiam. Eius generis sunt, Deum esse iniustum; creaturam vbique; ens finitum sine essentia; corpus sine quantitate; accidens sine subiecto inhærentiæ; causatum sine causa, &c. *Secundum quid impossibile* est, quod per se quidem est possibile; tamen impossibile dicitur certo modo ac respectu. Eius generis sunt; 1, ea quæ effectiue ab vno ente fieri possunt, ab altero vero nō. 2, quæ in vno ente subiectiue esse possunt, in altero vero non. 3, quæ ab vno & eodem ente per se fieri possunt; tamen non possunt fieri ex certa hypothesi. Sic in numero secundum quid impossibilium sunt; 1, creatio; Quia illa effectiue à Deo fieri potest: à creatura autem non. 2, perpetratio peccati moralis, quatenus est peccatum. Quia illa effectiue à creatura intelligente fieri potest: à Deo autē non. 3. motus physici, cuiusmodi sunt genetatio, corruptio, diminutio, alteratio & motio localis: Quia illi subiectiue in corporibus naturalibus esse possunt; in Deo autem minime, cum eius naturæ repugnent. 4, doctrinæ & virtutis acquisitio.

Illa

Jlla enim per se homini est possibilis tam effectiue quam subiectiue; sed tamen eidem dicitur impossibilis ex certa hypothesi, quatenus media negligit & omittit, quæ ad doctrinam & virtutem acquirendam sunt necessaria.

At contra diuisionem illam Impossibilis in simpliciter & secundum quid impossibile, obiici potest hoc argumentum; *Quicquid implicat contradictionem, id simpliciter est impossibile: Atqui omne impossibile implicat contradictionem*, vt patet ex definitione illius generali in probl. præcedente tradita: *Ergo omne impossibile est simpliciter impossibile.* Respondeo, propositionem esse falsam, quatenus simpliciter impossibile proprie sumitur pro eo, quod nullo modo & respectu est possibile; hoc est, neque ab ente increato, neque creato fieri potest. Multa enim implicant contradictionem, quæ tamen hoc modo non sunt simpliciter impossibilia. Quod si vero simpliciter impossibile sumatur improprie pro eo quod ab hoc vel illo ente nullo modo & respectu fieri potest, hac ratione propositio quidem est vera; sed conclusio diuisioni supra traditæ non opponitur & aduersatur. *Obiectio contra diuisionẽ impossib.* *Responsio ad obiectionem.*

Proinde adhuc verum manet, impossibile aliud esse simpliciter tale, aliud secundum quid. Vtrum autem etiam possibile eodem modo diuidi possit in simpliciter & secundum quid possibile, de eo non immerito dubitatur. Videtur enim nullum dari simpliciter possibile, quod scilicet nullo modo & respectu possit dici impossibile, nisi forte velimus ens simpliciter necessarium appellare simpliciter possibile. In quo sensu Zabarella in Tabulis suis quas scripsit in librum Arist. De interpretatione, inquit; *Possibile dupliciter sumitur. Quandoque enim dicitur id quod actu est: & est vel necessarium simpliciter, quod in rebus tantum æternis locum habet, vt possibile est, Deum esse, quia iam Deus est, & est necessarium Deum esse: vel necessarium ex suppositione, quod habet locum in rebus caducis: Possunt enim esse, & non esse: sed supposito quod actu sint, necessarium est eas esse, vt possibile est me legere, dum actu lego, & est necessarium me legere dum lego, quæ dicitur necessitas ex suppositione. Quandoque dicitur id quod non est actu, esse tamen potest, vt si me non legente dicam possibile esse me legere. Et hac propria acceptio est ipsius possibilis, sicut vox ipsa indi-*

cat. Hactenus Zabarella. Quoniam vero vocabulum *Possibile* propriedicitur de eo, quod non est, esse tamen

Obiectio.

potest; Improprie vero transfertur ad id quod iam actu est, & quidem absolute necessarium, vt ipse Zabarella in loco citato testatur: idcirco melius esse videtur vt statuamus nullum propriedari simpliciter possibile; sed omne quod proprie est possibile, dici possibile secundum quid, nimirum vel respectu certi entis vel ex certa hypothesi. Vbi tamen obseruandum etiam est tam possibile quam impossibile aliud esse incomplexum, aliud complexum, seu vt alii loquuntur, aliud reale, aliud Logicum seu enunciatiuum.

3 *An ab homine semper certo cognosci possit vtrum aliquid sit possibile vel impossibile?*

Pro thesi negante. Ratio I.

HÆc quæstio in vtramque partem disputari potest. Pro thesi enim negante adduci possunt hæc argumenta: 1, Quia homo multa iudicat esse possibilia vel impossibilia, quæ tamen reuera non sunt possibilia vel

II.

impossibilia. 2, Quia homo imperfecte cognoscit ens, tam increatum, quam creatum. Ideoque sæpe multa ipsi videntur conuenire, vel pugnare cum natura huius, vel illius entis, quæ tamen reuera non conueniunt vel pu-

III.

gnant. 3, Quia multa fiunt, aut saltem possunt à Deo fieri præter & supra naturam ac rationem, quæ homo secu-

Pro thesi affir. Ratio I.

tus lumen rationis suæ non putaret posse fieri. Contra pro thesi affirmante videntur facere hæc argumenta: 1, Quia homo certo definire potest quid sit possibile, vel

II.

impossibile; vt patet ex Problemate 2. huius capitis. Ergo etiam certo cognoscere. 2, Quia nisi homo semper certo posset cognoscere vtrum aliquid sit possibile vel impossibile, sequeretur inde, non omnia certo probari posse per demonstrationem ad impossibile ducentem: Sed consequens est absurdum, & pugnat nō tantum cum natura illius demonstrationis, sed etiam cum communi Philosophorum decreto: Ergo absurdum etiam est antecedens.

Quæst. deciditur per certas distinct. & conclus. Distinct. I.

Pro decisione quæstionis distinguendum est inter lumen naturale & supernaturale intellectus nostri, quorum illud pendet a reuelatione naturali; hoc à supernaturali. 2, Inter lumen naturale intellectus generale & speciale,

II.

quo-

quorum illud in omnibus hominibus reperitur secundum magis & minus; hoc vero tantum in iis qui per studium Philosophiæ sanioris intelligendi & iudicandi habitum sibi compararunt. 3, Inter certam possibilium & *III.* impossibilium cognitionem generalem & specialem; seu, vt alii loquuntur, confusam & distinctam, imperfectam & perfectam.

Hinc infero duas conclusiones; 1, Non semper certo, *Conclusio. I,* & quidem in specie cognosci ab homine posse solo lumine naturali intellectus & quidem generali, vtrum aliquid sit possibile vel impossibile. Et in hoc sensu recte inquit Fr. Suar. disp. 30. sect. 17. cont. 13. Non potest naturale lumen intellectus nostri esse regula obiecti possibilis vel repugnantis omnipotentiæ Dei. Item euidens est, non posse lumen nostrum naturale esse regulam eorum, quæ in reipsa veram repugnantiam includunt aut non includunt. 2, Semper certo ab homine cognosci posse in ge- *II.* nere partim naturali & speciali, partim supernaturali lumine intellectus, vtrum aliquid sit possibile, vel impossibile. In specie vero tum demum, quatenus natura entium homini probe est cognita & perspecta, siue ex naturali, siue ex supernaturali reuelatione. Secundum priorem igitur conclusionem thesis negatiua quæstionis est vera cum suis argumentis. Secundum posteriorem vero thesis affirmatiua.

4 *An aliquid sit possibile, quod tamen nunquam fuit vel erit?*

SEntentiam affirmantem defendit Aristoteles libro 9. *Thesis affirmat. defend.* Metaphys. cap. 4. dum inquit: οὐδὲν κωλύει δυνατόν τι ὂν εἶναι ἢ γενέσθαι μὴ εἶναι δὲ μηδὲ ἔσεσθαι, hoc est, *nihil prohibet* *Vide Iauel. libr. 9. Met. Q. 10.* *aliquid, quod possibile est esse vel fieri, non esse nec fore.* Rationes huius assertionis sunt: 1, Quia a posse ad esse non est necessaria consequentia. 2, Quia si nihil esset pos- *Ratio I.* sibile nisi quod aliquando futurum est, sequeretur o- *II.* mnia possibilia & futura necessario fieri, etiam respectu causarum secundarum, & sic nullam esse causam libere & indifferenter agentem, Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. At in contrariam partem ab A- *Pro thesi negante obiectio Auerroes.* uerroe obiicitur hoc argumentum. Si aliquod possibile nunquam erit, sequitur aliquod possibile semper est non ens, &, per consequens, impossibile. Quicquid

enim ſemper eſt non ens, id eſt impoſſibile: ſicut omne quod ſemper eſt ens, eſt neceſſarium. Sed conſequens eſt abſurdum: Ergo & antecedens. Reſpondeo, dupliciter aliquid dici *ſemper non ens*; vel quod nunquam habet eſſe, neque poteſt habere eſſe propter repugnantiam; & omne tale ſemper non ens, eſt impoſſibile, vel quod quidem nunquam habet eſſe, propter defectum cauſæ impeditæ, aut propter cauſam liberam & indeterminatam, vel propter concurſum contrariæ cauſæ; eſſe tamen per naturam poteſt. Et tale non ens, non eſt impoſſibile.

Reſponſio ad obiectionem.

6 *An idem ſit poſſibile, & ens potentia?*

Theſis negat. defenditur.

STatuitur theſis negatiua. Licet enim omne ens potentia ſit poſſibile, tamen non omne, quod poſſibile eſt, eſt ens potentia. Nam etiam ea quæ non ſunt entia, cuiuſmodi ſunt priuatio & eſſentia, ſunt in numero poſſibilium. Niſi enim cæcitas, ſurditas ſimileſque priuationes eſſent poſſibiles, actu nunquam fierent & ineſſent creaturis. Ab eſſe enim ad poſſe, neceſſaria eſt conſequentia, præſertim in reb. creatis. Similiter niſi rerum eſſentiæ eſſent poſſibiles, nunquam illis actu vere poſſent attribui. Proinde concludo non idem prorſus eſſe poſſibile & ens potentia, ſicut neque ens quod in ſe habet potentiam, ſiue eſſendi, ſiue mouendi.

7 *An idem ſit falſum & impoſſibile?*

Theſis negatiua defend.

SEntentiam negantem defendit Ariſt. lib. 1. De cœlo, c. 12. Sic enim ait: τὸ ἀδύνατον καὶ τὸ ψεῦδος οὐ ταὐτὸ σημαίνει. *Impoſſibile & falſum non idem ſignificant.* Item: Οὐ ταὐτὸ ἐστι ψεῦδός τι κεῖναι ἁπλῶς καὶ ἀδύνατον ἁπλῶς: *Non idem eſt falſum aliquid eſſe ſimpliciter & ſimpliciter impoſſibile.* Argumenta probationis ſunt: 1, Quia tam impoſſibile quam poſſibile verum & falſum eſt ex ſuppoſitione. 2, Quia multa ſunt falſa quæ tamen non ſunt impoſſibilia, v. g. falſum eſt te non ſtantem dicere ſtare, & tamen non eſt impoſſibile ſimpliciter, cum poſſis & ſtare & non ſtare. Similiter falſum eſt dicere eum qui citharam pulſat, & tamen non cantat, cantare; ſed non eſt ſimpliciter impoſſibile, cum poſſit ſimul citharam pulſare & cantare.

Ratio I.
II.

8 *An idem poſſit ſimul eſſe poſſibile & impoſſibile, diuerſo reſpectu?*

Statui-

Statuitur thesis affirmatiua. Nam primum respectu diuersorum entium fieri potest, vt id quod vni est impossibile, alteri sit possibile. Sic Deo possibile est creare aliquid ex nihilo; creaturæ autem est impossibile. Contra creaturæ, puta homini, est possibile edere, bibere, nutriri, augeri: Deo autem est impossibile: siquidem cum natura ipsius pugnat. Deinde respectu vnius & eiusdem entis fieri potest, vt id quod alicui enti impossibile est ex certa hypothesi, sit tamen possibile, quatenus idem in se absolute sine eiusmodi hypothesi consideratur. Sic assecutio finis est impossibilis & possibilis vni & eidem homini diuerso respectu; Impossibilis quidem, si media à Deo & natura ad finem illum ordinata negligat; possibilis vero si media illa apprehendat & persequatur. Sic cognitio solida veritatis cœlestis vni & eidem homini est impossibilis & possibilis; impossibilis quatenus est homo carnalis mundanis opinionibus, cupiditatibus & affectibus deditus: Possibilis, quatenus est homo spiritualis, mediaque ad eiusmodi cognitionem comparandam à Deo ordinata serio & ex animo complectitur. *Thesis affir. defend.*

9 An idem sit non posse, ac non habere potentiam naturalem?

Videtur in hac quæstione parum momenti esse situm, si quis eam secundum externum duntaxat verborum corticem consideret. Sed si penitius in medullam eius introspiciatur, multum profecto ponderis in ea est positum. Sunt enim multi, qui ex ignorantia huius quæstionis grauiter in diiudicanda rerum veritate hallucinantur, dum ex non posse colligunt negationem potentiæ naturalis; seu, quod idem est, impotentiam naturalem. Sciendum igitur est *non posse* latius patere, quam *non habere potentiam naturalem*. Licet enim omne, quod non habet potentiam naturalem, recte dicatur *non posse*; tamen non omne, quod non potest, recte dicitur non habere potentiam naturalem. Siquidem *non posse* non semper in se includit negationem potentiæ naturalis; sed sæpe duntaxat negationem ipsius actus, quemadmodum patet ex inductione exemplorum. Cum enim homo in tenebris dicitur non posse videre, non negatur de eo ipsa facultas naturalis videndi, sed duntaxat ipse actus videndi, qui *Thesis negatiua defenditur. Non posse latius patet quam non habere potentiam naturalem. Non posse nō semper includit negationē pot. sed sæpe solius actus.*

exerceri non poteſt, niſi medium διαφανὲς ſit illuminatum. Sic cum diſcipulus aliquis ignauus & inobediens in Schola à præceptore dicitur non poſſe fieri doctus & probus, non negatur potentia naturalis capeſſendi doctrinam & probitatem; ſed duntaxat ipſa doctrina & probitas, quæ ſine diligentia & diſcendi cupiditate ac prompta obedientia acquiri non poteſt.

10 *Quomodo poſſibile & impoſſibile differant à neceſſario & contingente?*

Duo diſcrimina ex Zab. adducuntur.

Zabarella inter hæc quatuor attributa hoc affert diſcrimen in Tabulis ſuis; quas ſcripſit in librum Ariſtotelis De interpretatione. *Id quod non eſt, ſi eſſe poteſt; vocatur poſſibile: ſi non eſſe poteſt, vocatur impoſſibile. Id quod eſt, ſi poteſt non eſſe, vocatur contingens: ſi non poteſt non eſſe, vocatur neceſſarium.* Atque hoc diſcrimen non eſt reiiciendum quatenus poſſibile proprie ſumitur pro eo, quod poteſt eſſe: contingens pro eo, quod poteſt non eſſe. Quatenus vero contingens & poſſibile in alia ſignificatione accipiuntur, pro eo, quod poteſt eſſe & non eſſe: hac ratione inter ſe coincidunt. Et ſic recte inquit Fr. S. diſp. 30. ſect. 16. cont. 22. *Contingens opponi neceſſario & impoſſibili, quia includit poſſe eſſe, & poſſe non eſſe.* Sed idem Zabarella, ibidem aliud diſcrimen affert, quod etiam Auerroes ante ipſum approbauit. *Neceſſarium eſt, quod ſemper eſt: Impoſſibile quod nunquam eſt. Poſſibile & contingens, quod quandoq; eſt, quandoq; non eſt.* Atque hoc etiam diſcrimen a veritate non diſcrepat, quatenus primum impoſſibile ſumitur pro eo, quod ſimpliciter eſt impoſſibile. Licet enim non omne quod nunquam eſt, ſit impoſſibile ſimpliciter, vt ſupra P. 5. probatum fuit; tamen omne quod ſimpliciter eſt impoſſibile, nunquam eſt. Deinde quatenus contingens & poſſibile in lata ſignificatione vſurpantur.

De Veritate & Falſitate, Cap. VIII.

Theoremata.

1 *Octaua claſſis attributa abſoluta; ſunt veritas & falſitas.*

2 *Omne enim ens aut eſt verum, aut falſum.*

3 *Veritas eſt conformitas entis, cum ſuo archetypo.*

4 *Estque vel rei, vel signi.*

5 *Veritas rei est congruentia illius, cum sua natura.*

6 *Estque vel incomplexa, vel complexa.*

7 *Veritas incomplexa est, per quam ens incomplexum dicitur verum.*

8 *Estque vel prima, vel à prima orta.*

9 *Veritas prima est, quæ ab æterno in ipso Deo creatore existit.*

10 *Veritas à prima orta est, quæ in ipsis creaturis existit.*

11 *Veritas complexa est, per quam ens complexum dicitur verum.*

12 *Vtraque veritas tam incomplexa, quam complexa, vel est necessaria, vel contingens.*

13 *Veritas necessaria est, per quam ens necessario est verum; siue simpliciter, siue secundum quid.*

14 *Veritas contingens est, per quam ens contingenter est verum.*

15 *Sic de veritate rei. Sequitur veritas signi, quæ est congruentia illius, cum re signata.*

16 *Eius species sunt veritas conceptus, & vocis.*

17 *Veritas conceptus, est conformitas illius cum re, quam repræsentat.*

18 *Veritas vocis, est congruentia illius cum re, quam significat*

19 *Estque vel sermonis vel scripturæ; quarum prior est per quam sermo, posterior, per quam scriptura dicitur vera.*

20 *Porro falsitas est incongruentia entis cum suo archetypo.*

21 *Estque similiter vel rei, vel signi; vel incomplexa vel complexa; vel necessaria vel contingens.*

IN CAPVT OCTAVVM.

PROBLEMA I.

An vox veritatis semper vno & eodem modo vsurpetur?

Thesis negat. defenditur.

IN vestibulo doctrinæ de veritate ante omnia consideranda est ipsa vox *veritatis*: ac cum illa sit ambigua, excutienda sunt diuersa illius significata, vt sciatur, in qua significatione deinceps sit accipienda, ne imprudentes in errorem incidamus. Sciendum igitur est vocabulum veritatis quandoque sumi pro veracitate quæ est virtus moralis, per quam sermo naturæ intelligentis ita

Diuersa sign. vocab. veritatis recensentur.

I.

II.

III.

informatur, vt nihil mendacii in eo reperiatur: quandoque pro synceritate, quæ est virtus moralis, per quam actiones naturæ intelligentis ita informantur, vt nihil in iis sit fictum, simulatum & fallax: quandoque pro veriloquio opposito falsiloquio, quandoque pro cognitione veritatis, quandoque pro re typo adumbrata & significata; quandoque pro re opposita fictioni seu apparentiæ. Hinc etiam verum sæpe opponitur ficto seu apparenti. Frequentissime autem pro attributo entis opposito falsitati proprie dictæ: Atq; in hac postrema significatione deinceps à nobis in hoc præsenti capite vsurpabitur.

2 An veritatis consideratio pertineat ad Metaphysicam, & quomodo?

Diuersa Phil. opiniones recensentur.

IN hac quæstione non est eadem Philosophorum opinio. Quidam enim cum videant in Logicis tradi rationem discernendi verum à falso, simulque explicari quid sit enunciatio vera & falsa, inde concludunt veritatis cōsiderationem solius Logicæ esse propriam. Quidem vero, cum sciant, nullam disciplinam & artem esse, quæ non veritatem rerum, quas tractat, contempletur, hinc colligunt veritatis considerationem nullius disciplinæ esse propriam, sed ad omnes simul pertinere. Quidam denique cum intelligant, veritatem esse attributum generale entis, quatenus est ens, idcirco asserunt Metaphysici officium esse de veritate pertractare.

Decisio quæst. secundum F. Suar.

Cæterum ad decidendam hanc controuersiam Fr. Su. in proœmio disp. 8. de veritate duas affert distinctiones. Prima distinctio est duplicem esse veritatis contemplationem. Vnam, quasi materialem, quæ fit cognoscendo res & proprietates earum: Et hoc modo omnes scientias, etiam practicas considerare veritatem; magis autem per se & proprie speculatiuas: cum illæ propter operationē; hæ propter cognitionem, eandem considerent. Alteram, quasi formalem, quæ fit inquirendo, quidnam ipsa veritas in rebus sit & quotuplex, & quomodo ad ens comparetur. Et sic Metaphysicam considerare veritatem. Altera distinctio est, veritatem esse triplicem; Vnam in significando, alteram in cognoscendo, tertiam in essendo. Ac primæ quidem, quæ proprie reperitur in vocibus, vel scripturis, vel etiam in conceptibus, considerationem

perti-

pertinere ad Dialecticam. Secundæ, quæ est in intellectu cognoscente res, seu in cognitione ipsarum rerum ad Physicum, quatenus de anima eiusque functionibus agit. Tertiæ proprie ad Metaphysicam, quæ tractat de ente in quantum ens, & de passionibus entis. Etsi vero prima distinctio concedi omninò potest, quatenus illius sensus est, omnes quidem artes & disciplinas considerare veritatem materialiter prout rebus suis, quas tractant, insunt: solam vero Metaphysicam eandem considerare non tantum materialiter, sed etiam formaliter explicando illius naturam, causas, proprietates & species; tamen altera distinctio nullo modo est approbanda; quatenus ad propriam Metaphysicæ considerationem solam veritatem in essendo refert, & ab ea veritatem in significando & cognoscendo excludit. Cum enim veritas sit generale attributum entis, necesse est vt Metaphysica non tantum doceat quid sit veritas in genere, sed etiam quotuplex sit, & quomodo vna species ab altera sit legitime discernenda. Et hoc etiam ipse Suarez in citato loco veritatis vi coactus testatur, ac postea in tota illa disputatione de veritate reipsa comprobat, dum non tantum agit de veritate in essendo, sed etiam in cognoscendo & significando. *Decisio Suar. examinatur.*

§ *Quid sit veritas in genere?*

MAgna est Philosophorum dissensio in assignanda definitione veritatis, vt non sine causa dicatur in profundo quasi puteo latere & difficulter à nobis posse cognosci. Etsi enim ex communi fere omnium consensu veritas definitur quod sit adæquatio seu conformitas rei & intellectus, vt testatur Suarez disput. 8. in proœmio, & sect. 7. cont. 3. tamen quando postea illa definitio est explicanda, tunc aliis veritas est conformitas rei cum intellectu; aliis conformitas intellectus cum re; aliis conformitas rei cum intellectu seu idea diuina; aliis ipsa entitas, prout est conformis intellectui. Præterea alii reperiuntur, qui non habito respectu ad præcedentes definitiones, veritatem dicunt esse, vel rectitudinem sola mente perceptibilem, vel proprium esse vniuscuiusque rei, quod stabilitum est ei, vel formam verorum. *Definitiones aliorum recensentur & reiiciuntur.*

At vero hæ omnes iam enumeratæ definitiones, quate-

nus de veritate in genere considerata intelliguntur, partim angustiores, partim latiores sunt suo definito, partim etiam falsæ, aut saltem obscuræ. Ideo à nobis veritas in genere fuit d-finita quod sit conformitas, hoc est, congruentia entis cũ suo archetypo. Per archetypum autem intelligo omne id, cui ens per se conforme est, siue sit intellectus seu idea diuina, siue ipsa natura entis, siue aliud quippiam extra illud ens in natura ex-stens. Nec male etiam alio modo veritas in genere posset definiri, quod sit actus veri, quatenus est verum, seu perfectio, à qua ens denominatur verum.

Definitio legitima veritatis assignatur.

4 *An veritas sit attributum entis reale & absolutum, ab eoque realiter distinctum?*

Pro thesi affirm. Ratio

PRo thesi affirmante faciunt hæ rationes: I. Quia veritas inest enti citra mentis cogitationem, & fictionem: Ergo est aliquid reale. 2. Quia veritas est qualitas & perfectio absoluta entis. 3, Quia veritas neque est relatio, neque aliquid à relatione denominatum, quemadmodum patet ex veritate quæ est in Deo, & magna est illius perfectio. 4, Quia veritas denominat ens, eique inest, tanquam adiunctum suo subiecto. Denominans autem realiter differt à denominato in entibus creatis, quemadmodum etiam adiunctum à suo subiecto.

I. II. III. IV.

Pro thesi negante. Ratio

Pro thesi autem negante adduci solent à Scholasticis quibusdam hæc argumenta: I. Quia veritas extra intellectum in rebus ipsis non inuenitur. 2, Quia non est in aliquo genere accidentis absoluti. 3, Quia veritas nihil aliud est quam conformitas siue rei ad intellectum, siue intellectus ad rem. Conformitas autem est relatio: Ergo & veritas. 4, Quia veritas nihil addit ad ens, cui attribuitur, quod ab eo realiter sit distinctum.

I. II. III. IV.

Thesis affir. approb. Soluuntur argumenta pro thesi neg. allata.

Cæterum videtur sententia affirmatiua quæstionis longe propius ad veritatem accedere quam negatiua, præsertim si intelligatur de veritate, quæ enti reali & creato inest. Nam quod ad argumenta attinet, quæ in contrariam partem fuerunt adducta, ex illis primum, secundum & vltimum nihil probant, sed tantum principium petunt. Tertium vero est alicuius momenti. Sed responderi potest, conformitatem hoc loco non sumi proprie pro similitudine, quæ est inter res conformes;

sed

ſed pro qualitate, per quam ens aliquod dicitur congruere vel ſecum, hoc eſt, cum ſua natura, vel cum alio.

5 *An veritas inſit enti tam incomplexo, quam complexo?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1. Quia veritas eſt affectio adæquata entis quatenus ens eſt. Nullum enim ens quatenus ens, eſt falſum, ſed omne eo reſpectu eſt verum. 2. Quia conformitas cum ſuo archetypo tam enti incomplexo, quam complexo competit. Illa autem nihil aliud eſt quam ipſa veritas. 3. Quia ſecundum communem loquendi morem omne ens incomplexum quod ita eſt, vt videtur, dicitur verum; quod vero non ita eſt, vt videtur, dicitur falſum. Sic aurum aliud dicitur verum aurum, aliud falſum, vt aurichalcum: homo, alius verus homo, alius falſus, vt pictus. Similiter conceptus entis ſimplicis alius verus, alius falſus quatenus vel congruit, vel non congruit cum ente quod repræſentat. 4. Quia contradictio non tantum locum habet in entibus complexis, ſed etiam incomplexis, vt docet Ariſtoteles in Poſtprædicamentis, cap. de oppoſitis. 5. Idem teſtatur vulgatum illud Ariſtotelis axioma quod habetur lib. 2 Metaphyſicæ, cap. 1. ſub finem, ἕκαστον ὡς ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας, hoc eſt, *Vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita etiam ad veritatem.* Quod dictum ab aliis ita effertur, *Quantum vnumquodque habet de eſſe, tantum etiam de veritate.* Item, *Vt vnumquodque eſt, ita & verum eſt.* Item, *Qualis eſt res, talis eſt eius veritas.* Hinc igitur colligitur in vnoquoque ente iuxta modum ſuæ naturæ veritatem reperiri. 6. Quia ſi nulla veritas ineſſet enti incomplexo, ſequeretur inde 1. In Deo non eſſe veritatem, cum ſit ens ſimpliciſſimum: 2. nullum conceptum ſimplicem eſſe verum: 3. nullam cognitionem ſiue ſenſitiuam, ſiue intellectualem entis incomplexi eſſe veram. Sed conſequens eſt abſurdum: Ergo & antecedens.

Pro theſi affirmante Ratio. I. II. III. IV. V. VI.

At in contrariam partem adduci ſolent ſequentia argumenta: 1. Quia veritas eſt affectio propria propoſitionis ſeu enunciationis, quæ eſt ens complexum. 2. Quia veritas oritur ex legitima cõpoſitione componendorum, & diuiſione diuidendorum. Eiuſmodi autem compoſitio & diuiſio locum habet tantum in ente complexo, non

Pro theſi neg. argum. I. II.

III. vero incomplexo. 3, Quia secundum communem sentiendi & loquendi consuetudinem tunc aliquid censetur & dicitur verum, quando ita est, vel non est, sicut est, vel non est. Id quod non potest fieri, nisi componendo & diuidendo. 4, Idem comprobant manifesti textus Aristotelis, in quibus negat veritatem inesse entibus incomplexis. In libro enim Categoriarum, c.2. & 8. inquit: ὅλως τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν οὐδὲν οὔτε ἀληθές ἐστι, οὔτε ψεῦδος. Et in lib. De interpr. cap. 1. περὶ σύνθεσιν καὶ διαίρεσίν ἐστι τὸ ψεῦδός τε, καὶ τὸ ἀληθές. Idem in lib.3. De anima, c.6. *simplicem mentis apprehensionem versari circa ea in quibus non est veritas & falsitas.* Vnde Thomas lect. 11. dum explicat hunc locum, colligit intelligibile incomplexum, neque verum, neque falsum esse.

Responsio ad argumenta. Respondendum autem videtur ad singula argumenta per distinctionem veritatis in simplicem seu incomplexam & complexam. Illa enim sunt vera, quatenus intelliguntur de veritate complexa; falsa vero, quatenus intelliguntur de veritate incomplexa, quemadmodum patet ex rationibus, supra pro thesi aiente adductis.

6 *Quotuplex sit veritas?*

Distributiones variæ veritatis recensentur. MVltæ & variæ veritatis distributiones apud Philosophos, præsertim Scholasticos, reperiuntur, quas breuiter hoc loco placet examinare & explicare. Prima distributio est, quod *veritas* alia sit *realis*, alia *rationis*. Eaque potest consistere, si per veritatem intelligatur ea, quæ enti reali inest; per rationis vero veritatem ea, quæ enti rationis inest, non autem veritas signi, vt vult Suarez. *F.S.disp.8.in proœm.*

I. II. Altera distributio est, quod veritas, alia sit simplex seu incomplexa, alia complexa. Eiusque in præceptis supra de veritate traditis à nobis facta est mentio. *Idem sect. 3. cont.9.*

III. Tertia est, quod veritas alia sit increata, alia creata. Illa congruit cum nostra, qua veritatem aliam diximus esse primam, aliam à prima ortam.

IV. Quarta est, quod veritas alia sit formalis, alia materialis. Formalem vocant, quæ absolute ratione suæ essentiæ consideratur. Materialem, quæ ratione diuersi duntaxat subiecti, in quo inest, consideratur.

V. Quinta est, quod veritas alia sit in essendo, alia in significando, alia in cognoscendo, seu quod idem est, alia rei, alia signi, alia cognitionis. Ex quibus prima dicitur illa, quæ in rebus extra intellectum inest, *Idem in proœmio.*

est; altera, quæ in vocibus, scripturis, & conceptibus reperitur, tertia, quæ in intellectu cognoscente res seu in cognitione ipsarum rerum inest. Sed videtur veritas cognitionis optime posse comprehendi sub veritate rei, si per *rem* non tantum intelligatur res extra intellectum existens, quæ obiectum est cognitionis; sed etiam res in intellectu seu mente vere citra fictionem illius existens. Sexta est, quod veritas alia sit fundamentalis, seu radicalis, seu realis, alia repræsentatiua. Eaq; coincidit vel cum illa trimembri, quod veritas alia sit rerum, alia conceptuum, alia verborum; vel cum illa bimembri, quæ veritas alia sit rerum, alia signorum; eaq; vel conceptuum vel verborum. Veritas enim rerum est quasi fundamentum & radix veritatis, quæ est in conceptibus & verbis, tanquam in signis. Ex eo enim, quod res est vel non est, tam conceptus quam sermo dicitur vel verus vel falsus. Ideoque recte *veritas rerum* dicitur *fundamentalis, radicalis,* seu *realis: Veritas* autem *conceptuum* & *verborum repræsentatiua.* **VI.**

Septima distributio est, quod veritas alia sit *primaria*, vt veritas ipsarum rerum, alia secundaria. Eaque vel in mente, vt veritas apprehensionis, ratiocinationis, & scientiæ, vel in mentis interprete, vt veritas sermonis & scripti, seu linguæ & calami. Et hæc distributio recte intellecta, videtur cum præcedente plane conuenire. **VII.** *Casman. in epist. nuncup. quã præfixit Somatologiæ.*

Octaua est, quod veritas alia sit rei cognitæ, alia cognitionis. Eaque non est mala: præsertim si de veritate non in genere, sed in specie de veritate rei intelligatur. **VIII.** *Fr. Su disp. 8. sect. 7. cont. 26.*

Nona est, quod veritas alia sit necessaria, alia contingens; seu, vt alii loquuntur, alia *immutabilis*, alia *mutabilis*. Quicquid enim est verum, id aut necessario & immutabiliter est verum, aut contingenter & mutabiliter. **IX.**

Decima est, quod veritas alia sit absoluta, alia restricta seu hypothetica. Quicquid enim verum est, id aut simpliciter est verum sine vlla limitatione & conditione, aut secundum quid est verum, nempe cum certa limitatione & conditione. Et hæc in sensu reipsa coincidit cum præcedente, sicut etiam cum hac, qua veritas à quibusdam alia dicitur per se, alia per accidens; alia essentialis, alia accidentalis. **X.**

Vndecima est, quod veritas alia sit mensuræ, alia mensurati. Et hæc coincidit cum sexta & septima, quatenus per veritatem mensuræ intelligitur *veritas rerum*; **XI.**

per veritatem mensurati *veritas conceptuum & verborum.* Illa enim haber rationem mensuræ; hæc, mensurati.

XII. Duodecima est, quod veritas alia sit generalis & transcendentalis, alia specialis. Et hæc concedi potest quatenus per illam intelligatur veritas rei, seu in essendo, quæ omni enti, quatenus ens, competit: per hanc vero veritas vel signi, vel cognitionis.

XIII. Tredecima est, quod veritas alia sit intellectualis, alia moralis. Et hæc non est nisi æquiuoci in sua æquiuocata distinctio. Per veritatem enim intellectualem, intelligitur veritas cognitionis seu scientia: Per moralem vero ipsa veracitas, quæ est virtus moralis, per quam homo bene disponitur ad vera semper & ex animo loquendum & scribendum.

7 *An veritas alia sit Philosophica, alia Theologica?*

Triplex sensus quæstion. exponitur. Sensus huius quæstionis est triplex potissimum. Primus est, *utrum veritas absolute ratione essentia sua considerata, alia sit in rebus Philosophicis, alia in rebus Theologicis?* Secundus est, *utrum veritas ratione sui subiecti in quo inest, alia sit Philosophica, alia Theologica.* Tertius est, *utrum aliquid in Philosophia sit verum, quod tamen in Theologia sit falsum & vice versa.* In primo sensu thesis negatiua est vera. Eadem siquidem definitio essentialis est veritatis, siue illa sit in rebus Philosophicis, siue Theologicis. In secundo sensu thesis affirmatiua est vera; quia res, in quibus inest veritas, aliæ sunt Philosophicæ, aliæ Theologicæ. In tertio sensu thesis affirmatiua est falsa.

Contra sententiā affir. in tertio sensu. Ratio I. Rationes sunt: 1, Quia Philosophia per se non est contraria Theologiæ, neque Theologia Philosophiæ.

II. 2, Quia diuersitas disciplinarum non mutat naturam rerum, neque veritatem illarum in falsitatem transformat.

III. 3, Quia Deus, qui autor est omnis veritatis, eodem modo omnes res ab æterno in æternum concipit: neq; in compositione & diuisione rerum a se constituta sibi vnquam est contrarius.

IV. 4, Quia verum vero semper consonat; sicut falsum à vero dissonat, vt docet Arist. lib. 1. Prior. analyt. c. 23. & lib. 1. Ethic. c. 8.

V. 5, Quia nulla esset certitudo disciplinarum, si ea, quæ in vna disciplina sunt vera, in altera essent falsa.

Obiection. I. Sed contra nonnulli obiiciunt: 1, Philosophiam esse matrem hæresium: Ideoq; scripturam mone-

monere Christianos, vt ab ea sibi caueant. 2. In Philosophia vera esse hæc axiomata: *Ex nihilo nihil fit. Omnis homo nascitur ex coniunctione maris & fœmina. Quodcunque semel interiit, id nunquam idem numero renasci.* In Theologia autem hæc eadem axiomata esse falsa, vtpote quæ statuunt *ex nihilo aliquid fieri; quendam hominem natum esse sine coniunctione maris & fœmina; omnes homines mortuos aliquando resurrecturos.* II.

Ad primam igitur obiectionem respondeo, distinguendum esse inter Philosophiam veram & falsam, simulque inter vsum & abusum veræ Philosophiæ. Non enim vera Philosophia, sed falsa est mater hæresium: nequescriptura dehortatur Christianos ab vsu veræ Philosophiæ, sed ab eius abusu. Ad alteram obiectionem respondeo, videri quidem in illis axiomatibus allatis esse contradictionem aliquam. sed reuera non esse. Axiomata enim Philosophica intelliguntur naturaliter, & secundum vsitatum Naturæ ordinem; Theologica vero supernaturaliter, & de virtute primæ causæ. Ideoque tam illa quam hæc sunt vera. *Ex nihilo enim nihil fit,* si naturalem productionem & virtutem secundarum causarum respicias. *Omnis homo nascitur ex coniunctione maris & fœmina,* si Physicam generationem spectes. Interim si generationem & creationem hyperphysicam spectes, quidam etiam natus fuit sine coniunctione maris & fœminæ, vt Adam, Eua & Christus. Eodem modo, quod *semel interiit, id nunquam potest idem numero renasci,* si scilicet virtutem causarum secundarum spectes; sed supernaturaliter potest, si virtutem primæ causæ respicias.

Responsio ad 1. obiect.

II.

8 *Quid sit causa efficiens veritatis?*

CVm veritas sit affectio entis, necesse est vt habeat causam efficientem, cuius vi subiecto suo inhæret. Illa autem alia est prima, alia secunda. Prima est ipse Deus. Is enim sicut autor est omnis entis, quaten⁹ ens est; ita etiam est principium primũ omnis veritatis. Secunda est diuersa, pro diuersa veritatis specie seu differentia. Veritas enim rerum pro causa efficiente habet partim ipsam naturam rerum, partim legitimam rerum inter se compositionem & diuisionem, cuiusmodi est illa, quæ *Causa effic. veritatis rea.*

vel ab ipso Deo, vel à natura, vel à certa institutione & ordinatione hominum & id genus aliis causis, in rebus est sancita & constituta. Vnde enim res habent vt sint, inde etiam habent, vt sint veræ. Veritas autem conceptuum & verborum pro causa efficiente habet ipsam veritatem rerum recte apprehensam, diiudicatam & enunciatam. Eatenus enim conceptus & verba sunt vera, quatenus res, quas repræsentant & significant, sunt veræ. Et hoc etiam passim testatur Aristoteles in suis scriptis. In lib. enim 6. Metaph. c. 10. ait: *Verum quidem concipit, qui id quod est diuisum & compositum, existimat diuidi & componi.* Falsum vero concipit qui contrarium sentit. idem in lib. Categoriarum, c. 9. inquit: *Vera oratio nunquam est causa, vt res sit, sed res quodammodo est causa, vt oratio sit vera. Eo enim quod res est, aut non est, oratio dicitur vera vel falsa.* Quem locum Zabarel. in Tabulis sic interpretatur: *Veritas rei est causa veritatis quæ est in oratione: non autem veritas orationis est causa veritatis in re.* Denique in libro De interpretatione, c. 10. ait: *Orationes perinde vera sunt ac res.*

Errant igitur illi qui veritatem adimunt rebus, eamq; vel in sola apparentia & opinione hominum positam esse asserunt; vt Prothagoras & Anaxagoras olim existimarunt, teste Aristot. libr. 10. Metaph. c. 6. quorum ille dicebat talia esse entia, qualia existimantur; hic vero hominem esse omnium rerum mensuram, & quod vnicuique videatur id esse verum. Vel à sola compositione & diuisione intellectus humani pendere statuunt. In qua opinione videntur esse omnes illi Metaphysici, tam veteres quam recentiores, qui veritatem rerum putant esse conformitatem illarum cum intellectu creato, eiusque mensuram esse veritatem cognitionis, nec ipsis rebus proprie inesse, sed tantum per denominationem quandam extrinsecam, quam accipiunt à veritate cognitionis, quam ideirco etiam priorem statuunt veritate rerum, vt videre est apud Franc. Suar. in disp. 8. de veritate, præsertim in sectionibus illis *de veritate cognitionis & veritate rei.*

9 An veritas sit inuicta & perpetua?

Pro thesi affirmante. SEntentia affirmatiua est vera, quatenus intelligitur de veritate rerũ, & quidẽ necessaria ac essentiali. Rationes

nes sunt: 1, Quia veritas rerum per naturam inest rebus, neque vllo modo ab opinione & iudicio hominum pendet. 2, Quia simpliciter impossibile est, vt veritas in falsitatem transmutetur. 3, Quia licet vt falsarum opinionum & praeiudiciorum prauarumque cupiditatum, quae mentem hominis fascinant & excaecant, premi & obscurari possit, nunquam tamen opprimi & extingui potest. 4, Quia per se est sufficiens ad defendendum sese contra omnes hostium suorum conatus & machinationes, neque aliorum praesidiis indiget. 5, Quia est immutabilis. *Ratio I. II. III. IV. V.*

10 ***An veritas primo enti insit in summo perfectionis gradu?***

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia primum ens semper & ex absoluta essendi necessitate est id quod est. 2, Quia quicquid cognoscit, id verissime & certissime cognoscit, ita vt nunquam erret, neque errare possit. 3, Quia quicquid dicit, id verissimum est, & simpliciter impossibile est, vt vel falsum, vel mendacium dicat. 4, Quia veritas primi entis est prima veritas ab alio independens. 5, Quia est exemplar, causa efficiens & mensura omnis veritatis secundae, quae enti creato inest. Hinc recte Fr. Suarez disput. 8. de veritate, sect. 2. cont. 17. asserit, perfectionem summam veritatis triplici modo Deo tribui, *ratione essentiae, intellectus & voluntatis*. Ideoque his tribus modis Deum dici primam veritatem in essendo, in intelligendo & in dicendo. *Pro thesi affirm. Ratio I. II. III. IV. V.*

11 ***An falsitas proprie insit rebus extra intellectum, & quidem secundum naturam?***

FRanciscus Suarez disput. 9. sect. 1. contex. 6. dicit in rebus extra intellectum, non esse propriam falsitatem; sed vocari res falsas per quandam metaphoram & extrinsecam denominationem. Quae sententia non videtur esse approbanda. Rationes sunt: 1, Quia sicut veritas est conformitas seu congruentia entis cum suo archetypo, & in rebus extra intellectum proprie inest: ita falsitas est difformitas & incongruentia entis cum suo archetypo, & non minus proprie ac veritas, rebus extra intellectum inest. 2, Quia res extra intellectum secundum id quod est, proprie dicitur vera, & secundum id quod non est, dicitur falsa. 3, Quia res tam incom- *Sentētia Suarez refutatur I. II. III.*

plexa, quam complexa alia proprie dicitur vera, alia falsa. Hinc Goclenius cap. 5. suæ Metaphysicæ falsitatem aliam statuit esse rei, aliam propositionis. Et secundum illam falsum dici id, quod est supposititium, corruptum, deprauatum, fucatum, laruatum, adulterinum, fictitium, &c. Etsi vero falsitas proprie inest rebus extra intellectum; tamen iisdem non inest secundum naturam.

Falsitas non inest rebus secundum naturam. Ratio

Rationes sunt: 1, Quia nulla prauitas & vitiositas secundum naturam inest rebus. Falsitas autem & quædam prauitas & vitiositas.

I. 2, Quia falsitas pugnat cum natura ipsarum rerum, ac naturali earundem compositione & diuisione ab ipso Deo & natura introducta.

II. 3, Quia falsitas rerum oritur ex vitio creaturæ intelligentis, quæ iudicat id, quod non est, esse, & quod est, non esse; seu, quæ coniungit ea, quæ secundum naturam sunt separata, & separat, quæ secundum naturam sunt coniuncta.

III.

IV. 4, Quia si falsitas secundum naturam inesset rebus, sequeretur, illam à Deo habere suam originem; quod tamen est absurdum, & aduersatur naturæ Dei, à quo, ceu fonte omnis veritas promanat.

12 *An sit discrimen inter falsiloquium & mendacium?*

Pro thesi affir. Ratio

I. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia falsiloquium habet se ad mendacium, tanquam genus ad speciem. Licet enim omne mendacium sit falsiloquium, tamen non omne falsiloquium est mendacium. Est enim falsiloquium in genere nihil aliud quam oratio ab ipsis rebus discrepans. Mendacium vero est falsiloquium, ab homine scienter & volenter cum animo fallendi & nocendi prolatum.

II. 2, Quia non omnis qui falsa loquitur, est mendax.

III. 3, Quia falsiloquium quandoque potest cadere in virum bonum, mendacium autem nunquam.

13 *An ex principio falso verum dogma per se possit exstrui?*

Pro parte negante rationes.

PRo parte negante afferri possunt hæc argumenta: 1, Quia contrariorum per se sunt contraria effecta. Falsum autem & verum sunt contraria.

I. 2, Quia vnum contrarium per se non potest esse causa efficiens alterius contrarii: Ergo neque principium falsum dogmatis veri.

II.

III. 3, Quia ex vero non potest per se exstrui falsum: Ergo neque

neque ex falſo verum. 4, Quia ſi ex principio falſo poſſet exſtrui per ſe verum, ſequeretur omnem probationem διὰ τοῦ ἀδυνάτου eſſe vanam: ſiquidem fundamentum illius in eo conſiſtit, quod ex vero per ſe ſemper ſequatur verum, & nunquam falſum. Ex falſo autem per ſe ſemper ſequatur falſum & nunquam verum. Sed conſequens eſt abſurdum, cum probatio διὰ τοῦ ἀδυνάτου ſit eximium inſtrumentum Logicum diiudicandi verum & falſum: Ergo abſurdum etiam eſt antecedens. At contra obiici poſſunt hæc duo potiſſimum argumenta: 1, *Si ex præmiſſis falſis poteſt inferri vera concluſio, ſequitur etiam ex principio falſo verum dogma poſſe exſtrui. Sed verum prius: Ergo & poſterius.* Aſſumptio prolixe probatur ab Ariſtotele libr. 2. Prior. analytic. cap. 2. cuius doctrinæ ſumma eſt: *Si concluſio falſa eſt, neceſſe eſt vel ambas præmiſſas, vel alterutram eſſe falſam: cum falſum ex veris concludi non poſſit. At ſi concluſio eſt vera, non neceſſe eſt aut ambas præmiſſas, aut alterutram eſſe veram; cum liceat etiam ex falſis colligere verum.* 2, *Si ex principio falſo verum dogma non poteſt exſtrui, ſequitur omnia dogmata Mathematicorum eſſe falſa, quæ ex hypotheſibus falſis eliciuntur. Sed conſequens eſt abſurdum, & pugnat cum communi experientia & conſenſu Philoſophorum. Ergo & antecedens.* Ad primum argumentum tum reſpondeo per diſtinctionem: Ex præmiſſis enim falſis poteſt inferri vera concluſio, non per ſe ratione rerum, quibus conſtat, ſed per accidens ratione diſpoſitionis ſyllogiſticæ. Ideoque committi in eo partim fallaciam accidentis, partim fallaciam ignorationis elenchi. Ad alterum argumentum reſpondeo per inficiationem connexæ propoſitionis. Licet enim ex principio falſo verum dogma per ſe non poſſit exſtrui; tamen inde non ſequitur, ex hypotheſibus falſis Mathematicos non poſſe per accidens elicere dogmata vera. Copernicus enim ex ſua hypotheſi, qua terram ſtatuit ſemper circulariter moueri, non minus demonſtrat phænomena ſua aſtrologica, quam alii ex motu circulari cœli. Ratio eſt, quia cœlum & terra ſemper manent in ſuo centro, & ab eo prorſus non recedunt. Ideoque etiamſi cœlum ponatur immobile & terra mobilis, tamen veritas rationum, quibus phænomena demonſtrantur, ſemper manet vera.

IV.

Obiectio. I.

II.

Reſponſio ad obiectionem.

14 *An contradictoria possint simul esse vera?*

Thesis negatiua defenditur.

ETsi hoc principium sua natura ita certum est & notum, vt nemo sanæ mentis de eo iustam dubitandi causam habeat; tamen cum nonnulli reperiantur, qui aut proteruo & malitioso contradicendi studio contra internum propriæ conscientiæ testimonium oretenus illud impugnent, aut saltem sophistarum captionibus & strophis constricti inter disputandum hæsitent, eiusque veritatem defendere nequeant; Idcirco Aristoteles lib. 4. Metaph. cap. 4. & sequentibus non tantum docet, quomodo aduersarii sint redarguendi; sed etiam quomodo fallaces ipsorum captiunculæ sint refutandæ. Ac licet illa argumenta ἐλεγκτικὰ Philosophi non habeant vim demonstrandi à priori, propterea quod impossibile sit principium illud contradictionis à priori demonstrari, vel διὰ τοῦ ἀδυνάτου, cum eo suapte natura nihil sit prius & notius; neque eius opposito maius absurdum dari possit; tamen quia ex iis sumuntur, quæ etiam aduersarii non negare, sed concedere coguntur, nisi cum ratione insanire velint, aut propter stupiditatem plantæ vel bestiæ similes videri; ob id non paruam vim redarguendi habent. Ac primum quidem argumentum sumitur à certa ac definita verborum significatione. Si enim certa est ac definita verborum significatio, neque fieri potest, vt idem vocabulum synonymum certam rem significet, & non certam rem significet; nisi velimus omnem sermonis vsum ex hominum consortio tollere, & statuere vnumquodque vocabulum non magis vnam rem quam aliam, nec magis ens, quam non ens significare: necesse est vt concedatur, contradictoria non posse simul esse vera.

Argumentũ I.

II. Alterum argumentum ducitur à modo prædicandi in enunciationibus. Si enim contradictoria simul essent vera, tunc omnia prædicata essent accidentalia & nullum essentiale. In eo enim differt prædicatum essentiale ab accidentali, quod illud semper inest, & impossibile est vt à re, cui inest, absit. Hoc vero non semper inest, sed quandoque inest, quandoque non inest.

III. Tertium argumentum sumitur à distinctione rerum, quam tollit contraria sententia. Si enim contradictoria simul essent vera, tunc nulla esset distinctio rerum: Siquidem nihil vlli rei esset proprium, sed omnia omnibus essent com-

communia, omniaque de quolibet vere prædicarentur: Et per consequens, homo æque esset homo & non homo, hoc est, planta, seu bestia, sol æque lucidus ac non lucidus, &c. Quartum argumentum ducitur à discrimine veri & falsi, boni & mali, quod per contrariam sententiam tollitur. Si enim de quauis re, vtrumque contradictorium est verum, tunc seruatis omnibus legibus contradictionis, idem pronuntiatum simul est verum, & non verum; falsum & non falsum; idem ens simul bonum, & non bonum; malum & non malum; & per consequens, idem homo simul verum dicit, & non verum; simulque aliquid appetit, & non appetit, auersatur & non auersatur. Sed hæc omnia simpliciter pugnant cum natura rerum & communi hominum experientia. Quintum argumentum sumitur à comparatione contrariarum opinionum cum contradictoriis. Si enim impossibile est, vt idem homo sine errore mentis concipiat & approbet de vna & eadem re simul duas contrarias opiniones, sequitur etiam de vna & eadem re non posse vtramuis partem contradictionis esse veram: Sed prius negari non potest. Contraria enim non possunt simul eidem inesse, vt docet Aristoteles lib. 4. Metaph. cap. 6. & alibi: Ergo & posterius.

IV.

V.

His argumentis Aristotelis addi etiam possunt duo alia, quorum vnum ducitur ab absurdis, quæ aduersarium ipsum petunt & attingunt. Si enim contradictoria simul sunt vera, sequitur aduersarium, dum loquitur, simul non loqui, & dum suam thesin statuit esse veram, simul affirmare illam non esse veram, sed falsam. Alterum sumitur à communi omnium hominum, præsertim Philosophorum recte iudicantium, consensu, qui pro regula immota veritatis habent hæc axiomata, quatenus secundum omnes leges veræ contradictionis intelliguntur: *Quodlibet est, aut non est. De quolibet vera est affirmatio aut negatio: Necesse est contradictionis partem vnam esse veram, alteram falsam: Impossibile idem simul esse & non esse: Impossibile idem simul eidem inesse & non inesse. Contradictoria non possunt simul esse vera.* Hinc etiam Aristoteles lib. 4. Metaph. cap. 3. & 4. asserit primum ac communissimum principium complexum totius Metaphysicæ, & omnium aliarum disciplinarum, esse illud axioma:

I.

II.

Principium contradictionis est primũ principium complexũ omniũ artiũ.

Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; ſeu, quod idem va-
Ratio ler, *Contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera.* Idque pro-
I. bat tribus potiſſimum rationibus. 1, Quia omnium eſt
firmiſſimum & certiſſimum, circa quod fieri non poteſt,
II. vt quiſpiam fallatur ſeu erret. 2, Quia naturaliter eſt o-
mnium notiſſimũ & euidentiſſimum, &, per conſequens,
III. αὐτόπιστον. 3 Quia ab illo tanquam baſi & fundamento cæ-
tera omnia principia pendent, & in id vltimo reſoluun-
IV. tur. Quibus etiam addi poſſunt adhuc. 4, aliæ 1, quia ſine
hoc principio, non modo poſſibile non eſt philoſopha-
ri, ſed ne diſputare quidem, & ratiocinari, vt teſtatur A-
V. uerroes lib. 4. Metaphyſ. cap 3. 2, Quia nullum aliud ha-
bet ſe prius principium complexum, à quo demonſtrari
VI. poſſit. 3, Quia per hoc principium non tantum conclu-
ſiones, ſed etiam principia cætera omnium diſciplina-
rum à priori demonſtrari poſſunt, non quidem oſtenſi-
VII. uè, ſed deductione ad impoſſibile ſeu abſurdum. 4, Quia
eius oppoſitum eſt falſiſſimum, & nemini ſanæ mentis
Obiectiones homini perſuaderi poteſt, vt credatur. Cæterum vt veri-
contra prin- tas principii negatiui ſupra probati illuſtrior reddatur,
cipium con- age deſpiciemus, quid contra illud obiici poſſit. Prima i-
tradictionis. gitur obiectio eſt: *Si veritas pendet ex apparentia, opinione*
I. *& iudicio hominum, ſequitur contradictoria ſimul poſſe eſſe ve-
ra. Sed verum prius. Ergo & poſterius.* Ratio connexæ pro-
poſitionis eſt: Quia non idem eſt hominum de rebus iu-
dicium, & quod vni videtur verum, alteri non videtur ve-
rum. Aſſumptio probatur; quia veritas nihil aliud eſt,
quam adæquatio ſeu congruentia rerum cum intellectu
II. & iudicio. Altera obiectio eſt: *Si magna eſt inconſtantia
& mutabilitas rerum ſenſibilium, ſequitur nihil certum ac
definitum de vlla re dici poſſe*, &, per conſequens, *contradi-
ctoria ſimul eſſe vera. Sed verum prius. Ergo & poſterius.* Ra-
tio connexi eſt, quia inconſtantia rerum non permittit,
III. vt idem poſſit ſemper manere verum. Tertia obiectio
eſt: *Si contraria ſimul poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, ſequitur
etiam contradictoria de eodem poſſe eſſe vera: Sed verum prius.
Ergo & poſterius.* Ratio connexi eſt, quia vnum contra-
rium ſemper includit negationem alterius contrarii. Aſ-
ſumptio probatur. Quia videmus ex eadem re fieri con-
traria. Neceſſe igitur eſt contraria eidem ſimul ineſſe,
IV. cum ex non ente non poſſit fieri ens. Quarta obiectio eſt:

Si

Si contradictio non semper diuidit verum à falso, sequitur contradictoria posse simul esse vera; Sed verum prius: Ergo & posterius. Assumptio probatur; quia inter duas propositiones vniuersales, quarum vna est affirmatiua, alia negatiua, est contradictio: & tamen in materia contingenti vtraque potest esse falsa, vt cum dico: *Omnis homo saluatur: Nullus homo saluatur.* Ad primam obiectionem respondeo per inficiationem assumptionis. Illa enim falsa est, sicut eiusdem probatio, quæ definitione falsa veritatis nititur, vt ex superiori doctrina manifestum est. Ad alteram obiectionem respondeo per negationem connexi. Licet enim magna sit mutabilitas, & inconstantia rerum sensibilium, inde tamen non sequitur, quod simul eodem tempore sint & non sint, aut quid simul eidem insint aut non insint: Et, per consequens, neque inde inferri potest, contradictoria simul esse vera. Ad tertiam obiectionem respondeo per inficiationem assumptionis. Contraria enim per se, seruatis omnibus legibus oppositionis, simul in eodem subiecto inesse non possunt; sed tantum successiue: neque ex vna & eadem re tanquam materia contraria fiunt, nisi aliter atque aliter illa sit disposita, neque eodem simul tempore. Ad quartam obiectionem respondeo, assumptionem esse falsam. Oppositio enim, quæ est inter duas propositiones vniuersales, vnam affirmantem, alteram negantem, non est contradictio proprie dicta, sed *contrarietas*, vt testatur Aristoteles lib. de interpretat. cap. 6. 7. & sequent. Ac licet vulgus non accurate discernat inter *contradictionem* & *contrarietatem*; & inter *contradicere* & *contrariari*; tamen non est videndum, quid vulgus faciat, sed potius considerandum est, quomodo à peritis artificibus in sua cuiusque arte vocabula vsurpentur.

Responsio ad obiect. *I.* *II.* *III.* *IV.* *Prolepsis.*

15 *An in omni contradictione vna pars sit determinate vera, & altera falsa?*

Distinguendum est inter contradictionem, quæ est in rebus necessariis & quæ est in rebus contingentibus. In illa enim semper necesse est vnam partem distincte & determinate esse veram, & alteram falsam, propter necessariam & immutabilem rerum inter se connexionem. In hac vero non semper; sed duntaxat quatenus

Quæst. deciditur per dist.

res contingentes cum tempore præsenti & præterito considerantur. In futuris enim contingentibus indistincte & indeterminate vna pars contradictionis est vera & altera falsa. Licet enim semper necesse sit in his etiā vnam partem contradictionis esse veram, & alteram falsam; tamen propter rerum futurarum contingentiam non magis hæc quam illa, nec magis illa quam hæc vera & falsa esse potest. Vbi tamen obseruandum est, Deum per omni scientiam suam determinate præscire, etiā in futuris contingentibus, quæ pars contradictionis sit vera, quæ falsa; neque tamen præscientiam illam Dei ipsis rebus vllam necessitatem inferre vel absolutam, vel coactionis; sed tantum necessitatem infallibilitatis, seu consequentiæ.

16 *An veritas recte dicatur simplex, falsitas vero multiplex?*

Thesis affirmatiua non simpliciter, sed secundū quid est vera.

VIdetur veritas non minus, ac falsitas esse multiplex, cum illius multæ sint species. Sed dicendum est, veritatem dici simplicem; falsitatem vero multiplicem respectu vnius & eiusdem rei seu quæstionis. In singulis enim rebus & quæstionibus, vt ait Suar. disp. 9. sect. 3. contex. 13. veritas vna est, falsitas autem multiplex: quia multis modis à veritate recedi potest, multaque possunt habere apparentem similitudinem alicuius rei, quæ reuera non sunt. Et inde etiam fit, vt veritatis inuentio difficilis sit, lapsus autem in falsitatem facilior atque frequentior, vt in sequenti Probl. clarius docebitur.

17 *An difficile sit veritatem cognoscere, & vnde illa difficultas oriatur?*

Difficile est veritatem nosse.

CVm tanta sit opinionum controuersarum & inter se dissentientium varietas; tantaque hominum veritatem recte & solide perspicientium paucitas, negari certe non potest, nisi quis in luce meridiana velit cæcutire, difficile esse veritatem cognoscere. Illa autem difficultas causam habet vel in ipsis rebus cognoscendis, vel in homine cognoscente. In ipsis rebus cognoscendis difficultas oritur ex eo, quod quædam res vel prorsus per se sunt insensiles, vt res incorporeæ & spirituales; ideoque species sensiles & intelligibiles ex se producere nequeūt, quarum ope ab homine cognoscantur vel per sensum, vel per intellectum; vel sensiles quidem, sed tamen minus sensiles, quam aliæ, propter imperfectionem suam:

Difficultas est in rebus. I.

Ideoque etiam debilius species sensiles organis sensuum imprimunt: vel denique minus cum per se sensilibus coniunctæ. In homine cognoscente difficultas oritur ex mala rerum apprehensione, hoc est, defectu & errore intellectus, quem affert partim error sensus; partim ignorantia linguarum & artium, inprimis Logicæ; partim præiudiciorum & opinionum præconceptarum falsitas; partim affectuum peruersitas, vt sunt amor, odium, inuidia, &c. partim denique vitiorum obstacula, vt sunt curiositas, φιλαυτία, seu δοξοσοφία, φιλονεικία, φιλοδοξία, negligentia & socordia in considerandis rebus adhibita. Quod si quis obiiciat autoritatem Aristotelis, qui lib. 2. Metaphys. cap. 1. causam difficultatis non in res, sed in nos transferre, qui intellectum habemus ad res sua natura manifestissimas cæcutientem, perinde ac noctuæ oculos habent ad lumen diei cæcutientes; ad id respondeo primum, Aristotelem non asseueranter, sed dubitanter eo in loco dicere causam difficultatis non esse in rebus, sed in nobis. Sic enim inquit: *Cum difficultas* (sc. cognoscendi veritatem) *duobus modis fiat, fortassis causa eius non in rebus, sed in nobis est.* Deinde etiamsi hoc dixisset asseueranter; tamen verba eius adhuc in bonum sensum trahi possent, vt intelligantur de causa principali illius difficultatis, quæ certe non in rebus ipsis quærenda est, præsertim si satis sint patefactæ nobis, vel in libro Naturæ, vel in libro Scripturæ sacræ; sed in nobis ipsis, qui res ipsas non eo modo, quo docet, apprehendimus & diiudicamus.

II. In homine cognosc.

De Bonitate & Malitia, CAP. IX.

THEOREMATA.

1 *Nona classis attributa absoluta sunt bonitas & malitia. Omne enim ens aut est bonum aut malum.*

2 *Bonitas est actus boni, quatenus est bonum, seu est qualitas, à qua ens denominatur bonum.*

3 *Eaque vel est apponens, vel vera.*

4 *Apparens bonitas est qualitas imaginaria, per quam ens videtur bonum, quod reuera bonum non est.*

5 *Vera bonitas, est qualitas realis, per quam ens reuera, vti videtur, est bonum.*

6 *Eaque vel est absoluta, vel respectiua.*

7 *Bonitas absoluta est, per quam ens vere in se est bonum, sine respectu ad aliud.*

8 *Estque vel infinita, vel finita; seu quod sensu idem est;* vel prima, vel à prima orta.

9 *Infinita bonitas est, quæ soli enti increato inest. Eaque fons est omnis bonitatis finitæ.*

10 *Finita bonitas est, quæ enti creato inest, tanquam imago bonitatis diuinæ per participationem eidem impressa.*

11 *Estque vel naturalis, vel moralis, vel artificialis.*

12 *Naturalis bonitas, est conuenientia entis cum regula creationis, seu Naturæ generantis.*

13 *Estque vel essentialis, vel accidentalis.*

14 *Essentialis bonitas est, quæ enti creato necessario & immutabiliter inest.*

15 *Estque vel vniuersalis, vel particularis.*

16 *Vniuersalis bonitas est, quæ enti creato in genere, quatenus ens, inest.*

17 *Particularis est, quæ enti creato in specie, quatenus est tale ens, inest.*

18 *Accidentalis bonitas est, quæ enti creato contingenter & mutabiliter inest.*

19 *Moralis bonitas est conuenientia entis cum lege morali, siue naturali, siue positiua.*

20 *Eaque vel est generalis, vel specialis.*

21 *Generalis est, quæ in Ethnicos etiam vera religionis ignaros cadit. Et vno nomine dicitur probitas.*

22 *Specialis est, quæ non nisi in homines vere Christianos cadit, cuiusmodi est vera pietas & sanctitas.*

23 *Vtraque vel est habitualis, vel actualis; seu, vt alii loquuntur,* permanens *vel* transiens.

24 *Habitualis bonitas est quæ ipsi creaturæ intelligenti inest, eamque perficit & disponit ad bene agendum.*

25 *Actualis bonitas est, quæ ipsis actionibus moralibus creaturæ intelligentis inest, easque laudabiles reddit.*

26 *Artificialis bonitas, est conuenientia entis cum regula artis.*

27 *Eaque similiter vel est habitualis, vel actualis quarum illa, creaturæ intelligenti; hæc, actionib. vel operib. illius inest.*

28 *Sic de bonitate absoluta. Sequitur bonitas respectiua, quæ est qualitas, per quam ens alteri est vere bonum.*

29 *Estque vel honestas, vel vtilitas, vel iucunditas.*

30 *Ho-*

30 *Honestas est bonitas respectiua, per quam ens alteri est honorificum.*

31 *Vtilitas est bonitas respectiua, per quam ens alteri est vtile & commodum.*

32 *Iucunditas, est bonitas respectiua, per quam ens alteri est iucundum & delectabile.*

33 *Porro malitia est defectus bonitatis, à quo ens denominatur malum.*

34 *Estque vel apparens vel vera.*

35 *Apparens malitia est, per quam ens videtur malum, quod reuera malum non est.*

36 *Vera malitia est, per quam ens vere est malum.*

37 *Estque vel absoluta, vel respectiua.*

38 *Absoluta malitia est, per quam ens vere in se est malum sine respectu ad aliud.*

39 *Estque vel naturalis, vel moralis, vel artificialis.*

40 *Naturalis malitia est discrepantia entis à regula creationis, seu natura generantis.*

41 *Moralis malitia, est discrepantia entis à lege morali siue naturali, siue positiua.*

42 *Estque vel generalis, vt improbitas; vel specialis, vt impietas.*

43 *Vtraque vel est habitualis, vt vitium morale; vel actualis, vt illa quæ in actione consistit.*

44 *Artificialis malitia, est discrepantia entis à regula artis.*

45 *Sic de malitia absoluta. Sequitur respectiua, per quam ens alteri vere est malum.*

46 *Estque vel turpitudo, vel inutilitas, vel iucunditas.*

47 *Turpitudo est malitia respectiua, per quam ens alteri est turpe seu dedecorum.*

48 *Inutilitas, est malitia respectiua, per quam ens alteri est inutile seu noxium.*

49 *Iniucunditas, est malitia respectiua, per quam ens alteri est iniucundum seu molestum.*

IN CAPVT NONVM
PROBLEMA I.
An bonitas & bonum realiter sint idem?

ETsi in ente primo & increato bonitas & bonum realiter inter se non differunt, sed idem sunt; tamen in ente creato proprie loquendo longe aliter se habent. Sicut enim in illo realiter inter se differunt abstractum & concretum; qualitas & quale; denominans & deno-

minatum; ita etiam bonitas & bonum. Illa siquidem habet rationem abstracti, qualitatis & denominantis; hoc vero, concreti, qualis & denominati. Hinc bonitas recte dicitur perfectio, quæ enti inest, idque informat & denominat bonum. Bonum vero ens, quod à bonitate informatur & denominatur. Ac quod de bonitate & bono dixi, idem etiam suo modo intelligendum de malitia & malo. Illa enim nón minus ac bonitas est abstractum, & ens cui inest, malum denominat. Hoc vero non minus ac bonum est concretum, & à malitia denominatur. Interim libenter concedimus, *Bonum & malum* frequentissime à Philosophis & Theologis sumi improprie, pro ipsa bonitate & malitia.

2 *Quid sit bonitas in genere?*

DIuersæ definitiones bonitatis in genere sumptæ passim apud autores reperiuntur. Aliis enim est perfectio entis; aliis conuenientia entis cum appetitu; aliis qualitas, per quam ens est appetibile; aliis qualitas, à qua ens denominatur bonum. Ex quibus definitionibus prima latior est suo definito. Licet enim omnis bonitas est perfectio entis; tamen non omnis perfectio entis est bonitas; cum perfectio habeat se ad bonitatem, tanquam genus ad speciem, vt patet ex cap. 1. huius libri. Neque obstat quod ex communi Philosophorum, præsertim Scholasticorum consensu bonum idem esse dicitur, quod perfectum. Licet enim omne bonum sit perfectum, ramen non omne perfectum secundum eandem rationem qua est perfectum, est etiam bonum, nisi fortassis per accidens, propter inseparabilem bonitatis & perfectionis in eodem ente coniunctionem. Altera vero definitio non videtur posse consistere; tum, quia bonitas prius inest enti, quam illud obiiciatur appetitui; tum, quia appetitus, qui posterior est bonitate entis, non potest esse illius mensura. Posteriores autem definitiones, licet non sint omnino perfectæ; tamen nihil falsitatis continent. Cum quibus etiam nostra consentit, qua bonitas dicitur actus boni, quatenus est bonum.

Thomas 1. p. S. T. Q. 5. art. 5.

3 *An omne bonum sit appetibile & retro?*

Pro thesi affir. Ratio I. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia proprietas essentialis boni est appetibilitas. 2, Quia
II. causa efficiens appetibilitatis nulla alia est, quam bonitas

tas quæ enti ineſt, aut ſaltem videtur ineſſe. 3, Quia vulgo definitur bonum à poſteriore, quod omnia appetunt, ſeu quod dignum eſt, vt ab omnibus appetatur, vt docet Ariſtoteles 1. Ethic. 1. 4, Quia omne malum eſt inappetibile, & retro. Ergo cum contrariorum ſint contraria adiuncta, ſequitur omne bonum eſſe appetibile, & omne appetibile eſſe bonum. Verum in contrariam partem obiici poteſt hoc argumentum; Si multi homines repeRiuntur, qui bona auerſantur, & mala appetunt, ſequitur falſum eſſe omne bonum eſſe appetibile: Sed verū prius. Ergo & poſterius. Aſſumptio probatur inductione exemplorum. 1, quia quidam homines appetunt priuationem vitæ, tam ſuæ quam alienæ, quæ tamen per ſe eſt mala. 2, quia multi homines delectantur vitiis & peccatis, quæ tamen per ſe non ſunt bona; v. g. fur appetit furtum, adulter adulterium, auarus pleonexiam, &c. Contra quidam non appetunt, ſed auerſantur virtutes & actiones virtutum. 3, Quia flagitioſi homines vellent nullum eſſe Deum, aut ſaltem nullam in Deo iuſtitiam, per quam punirentur. Reſpondeo ad hoc argumentum: 1, per negationem connexi. Ex antecedente enim non recte infertur conſequens. Aliud enim eſt *eſſe appetibile*, aliud *appeti*. Ac licet omne bonum ſit appetibile, & omne malum inappetibile, tamen inde non ſequitur, omne bonum ſemper appeti, & omne malum reſpui; cum fieri poſſit vt homo ex libero voluntatis arbitrio malum quandoque appetat & bonum auerſetur. 2, per diſtinctionem reſpondeo ad aſſumptionem. Nullum enim bonum, quatenus bonum homines auerſantur, ſed quatenus induit rationem mali; & nullum malum, quatenus malum homines appetūt, ſed quatenus induit rationem boni. Quod igitur ad exempla adducta attinet, reſpondeo priuationem vitæ, vitia & ſcelera appeti, quādoque ab hominibus, non quatenus ſunt mala, ſed quatenus ipſis bona videntur, aut etiam quatenus boni alicuius conſecutionem ſibi adiunctam habent, aut habere videntur.

III. *IV.* *Reſponſio ad obiectionem.*

4 *An omne bonum ſit communicatiuum ſui?*

Theſis affirmatiua defēditur. Arg. I.

STatuitur theſis affirmatiua, ſi quæſtio de vero bono intelligatur. Eſt enim proprium verbi boni ſeipſum aliis communicare, & quo aliquid eſt melius, eo etiam

largius sese communicat. Vnde recte dicunt Philosophi: Omne verum bonum non tantum in se esse bonum; sed etiam bonum esse aliis. Et hoc etiam probari potest inductione boni, tam creati quam increati. Deus enim cum sit infinite bonus, idcirco etiam infinitis modis sese suamque bonitatem creaturis cõmunicat, & adhuc quotidie & indesinenter vnicuique communicat, quemadmodum testantur non tantum opera creationis, gubernationis & conseruationis omnium rerum; sed etiam specialiter ac præcipue opera redemptionis & sanctificationis. Idem in aliis rerum generibus videre est. Stellæ enim nobis communicant suam lucem, & quo vna est sua natura lucidior, eo magis cõmunicat. Sic homines communicant suam bonitatem aliis; & quo quis est melior in sese, eo liberalius riuulos suæ bonitatis in alios deriuat. Vnde etiam Philosophi signũ perfectionis esse statuunt, si aliquod ens possit sibi simile producere; eoque perfectius esse ens, quo magis possit sibi simile procreare. Sed occurrit hoc loco dubitatio: 1, Quomodo Deus possit suam bonitatem aliis communicare, cum illa sit nihil aliud quam ipsa essentia diuina, quæ creaturis reipsa plane est incommunicabilis. 2, Quomodo creaturæ bonitatem sibi inhærentem communicare possint aliis; cum impossibilis sit transitus accidentis de vno subiecto in aliud. Respondeo, verbum *communicare*, non semper significare eandem numero rem, aut saltem partem illius alteri dare & tribuere; sed plerumq; idẽ significat, ac simile quippiam in aliis producere & efficere. Sic Deus dicitur cõmunicare suam bonitatẽ creaturis, quatenus similem quandam bonitatem in iis efficit, seu quatenus simulachrum & imaginem suæ bonitatis in iis exprimit. Sic sol lucem suam, præceptor doctrinã suam dicitur aliis communicare, quatenus similem qualitatem in iis excitat.

Dubitatio. I. *II.*

5 *An bonitas alia sit vera, alia apparens?*

Thesis affirmatiua asseritur & prob.

VSitata est in Schola Philosophorum diuisio boni in verum & apparens. Cum enim omne ens aut reuera tale sit, quale videtur, aut videatur quidem tale, cum reipsa tale non sit, vt exemplorum inductione probat Aristoteles lib. 1. Sophistic. elenchorum, cap. 1. idcirco mirum non est bonum aliud dici verum bonum, aliud apparens bonum. Nam, vt Fr. Suarez docet, disp. 10. de bonitate,

nitate, sect. 2. cont. 1. *Verum bonum dicitur, quod tale est, quale existimatur & cognoscitur. Apparens vero, quod existimatur, non tamen est in re*, seu, vt ibidem loquitur, *quod tale existimatur, quale solet esse verum bonum, quamuis reuera tale non sit.* Conuenit ergo bonum apparens cum vero bono, 1. in eo, quod illud æque fere, ac hoc, interuenien- te cognitione & existimatione appetitum mouet, eoque magis, quo magis existimatur seu iudicatur bonum. 2. in eo, quod tot sunt species boni apparentis, quot sunt veri boni; cum in omni bonorũ genere error, & falsa existimatio reperiri possit, teste eodẽ Suarez in citato loco. *Quid sit verum bonũ & apparens.* *In quo conueniat bonum apparens cũ vero.*

Differt autem bonum apparens à vero bono: 1. in eo, quod illud in se & per se est malũ, quamuis specie externa boni sit indutum; hoc vero minime. 2. quod illud pendet ex opinione & iudicio deprauato hominum. Hoc vero non nisi ex natura ipsarum rerum. Sicut autem bonum in concreto sumptum aliud est verum, aliud apparens; ita etiam bonitas non male videtur diuidi in veram & apparentem. Quod si quis obiiciat 1. bonitatem vniuscuiusque rei quodammodo in veritate fundari, nullamq; rem esse posse in sua specie bonam, nisi prius in eadem sit vera. Ideoque bonitatem non recte diuidi in veram & apparentem. Respondeo, antecedens esse verum de bonitate non in genere, sed de bonitate vera. Illa enim in ente cui inest præsupponit veritatem, & sine ea esse non potest. Sed alia ratio est bonitatis apparentis, quæ ex errore iudicii enti alicui attribuitur seu inesse putatur. *In quo idem differat.* *Obiectio.* *Responsio ad obiectionem.*

6 *An bonitas vera alia sit absoluta, alia respectiua?*

ARistoteles lib. 3. Topic. cap. 1. duplex bonum constituit: Vnum τὸ ἁπλῶς ἀγαθὸν, alterum τὸ τινὶ ἀγαθὸν. Ad cuius imitationem cum alii Philosophi tum ex modernis Franciscus Suarez disput. 10. sect. 1. cont. 6. dupliciter ens aliquod dici bonum asserit; Vno modo absolute & in se, sc. quia in se bonum est; alio modo, quia alteri bonum est. Idem sect. 1. cont. 6. bonum diuidi posse ait, quod in se bonum est, & quod est alicui alteri bonum. Hinc igitur bonitas vera recte statuitur alia absoluta, alia respectiua, quemadmodũ etiam ipse Suarez expressis verbis loquitur in citata disput. sect. 2. cont. 22. & sect. 3. cont. 17. At contra hanc diuisionem duo obiici possunt: 1. omnem bonitatẽ veram esse qualitatem; omnẽ autem *Thesis affir. defend.* *Obiectio.*

qualitatem eſſe ens abſolutum. Ideoque bonitatem veram non recte diuidi in abſolutam & reſpectiuam, cum poſterius membrum diuiſionis repugnet naturæ diuiſi.

II. 2, omne quod alteri bonum eſt, eſſe etiam in ſe bonum: ſeu, quod idem eſt, nihil eſſe alteri bonum, quod in ſe bonum non ſit. Ideoque membra diuiſionis inter ſe non diſſentire.

Reſponſio ad obiectionem. I. Reſpondeo ad primam obiectionem, verum quidem eſſe quod omnis bonitas vera ſit qualitas, omniſque qualitas ens abſolutum; nihilominus tamen vnam qualitatem non incommode dici poſſe abſolutam, quatenus ab ea ens in ſe bonum denominatur, aliam vero reſpectiuam, quatenus ab ea ens alteri bonum dicitur. Non enim quilibet reſpectus efficit, vt ens abſolutum prorſus amittat rationem abſoluti, & induat rationem reſpectiui, ſiue relati proprie ſic dicti. Alioquin etiam id quod abſolute bonum eſt, dicendū eſſet reſpectiue bonum, cum reſpectu ſui dicatur bonum, non reſpectu alterius.

II. Ad alteram obiectionem reſpondeo, antecedens quidem verum eſſe de eo, quod vere & proprie alteri bonum eſt. Illud enim ſemper etiam in ſe bonum eſt; ſed non eodem modo & reſpectu, neque in eodem bonitatis genere. Idem enim ens dicitur in ſe bonum reſpectu bonitatis abſolutæ & immanentis; alteri vero bonum reſpectu bonitatis reſpectiuæ & tranſeuntis. Ideoque inde non ſequitur bonitatem abſolutam & reſpectiuam inter ſe non diſſentire.

7 *Quid ſit vera & abſoluta bonitas creata tam in genere quam in ſpecie?*

Definitio vera & abſoluta bonitatis creata traditur.

NOn eodem plane modo vera & abſoluta bonitas creata apud autores ſolet definiri in genere. Alii enim illam dicunt eſſe ſimilitudinem quandam participatam bonitatis diuinæ; alii imaginem bonitatis diuinæ in creaturis expreſſam; alii conuenientiam ſeu congruentiam creaturæ cum Deo creatore. Etſi vero nulla ex his ſimpliciter eſt reiicienda; tamen poſterior omnium maxime videtur eſſentiam definiti explicare. Conſtat enim ex genere vero & proximo, & differentia ſpecifica, ſumpta partim à ſubiecto, partim à forma illius exemplari. Genus, eſt conuenientia ſeu congruentia. Subiectū eſt creatura ſeu ens creatū. Forma exemplaris, eſt Deus creator. Non enim quælibet conuenientia & congruentia cum hoc vel illo eſt vera & abſoluta bonitas creaturæ;

ſed

ſed illa duntaxat, quæ Deum creatorem reſpicit. Sicut enim Deus dicitur in ſe abſolute bonus, quatenus ſecum conuenit & congruit: Ita creaturæ dicuntur abſolute bonæ, quatenus conueniunt & congruunt cum Deo creatore; ſeu, quod idem eſt, cum diuina bonitate. Eoque magis minuſque ſunt bonæ, quatenus plus minuſque cum diuina bonitate congruunt. Eſt enim Deus primum & ſummum bonum, & non tantum cauſa efficiens & finalis omnis bonitatis creatæ; ſed etiam primũ illius exemplar. Ac ſicut diuina veritas eſt regula & norma omnis veritatis creatæ; ita diuina bonitas eſt regula & norma omnis bonitatis creatæ. Proinde errant illi, qui abſolutam bonitatem creaturæ definiunt non ex ordine ad Deum; ſed ex ordine ad creaturas: quaſi illa nihil aliud ſit quam conuenientia entis creati cum hac vel illa creatura. Videmus enim vnum & idem huic conuenire & alteri non conuenire. Quod ſi igitur bonitas creaturæ nihil aliud eſſet quam conuenientia entis cum alia creatura, tunc idem ſimul reſpectu diuerſarum creaturarum eſſet bonum & malum: quod quidem de bonitate reſpectiua creaturæ concedi poteſt; ſed de bonitate abſoluta, de qua quæſtio propoſita loquitur, plane eſt falſum. Porro cum tribus modis creatura poſſit cum Deo creatore ſeu bonitate diuina congruere. 1. Quatenus cõgruit cum regula creationis & Naturæ generantis à Deo ipſo ſancita. 2. quatenus congruit cum lege Dei morali ſiue naturali, ſiue poſitiua. 3. quatenus congruit cum regula artis Dei beneficio in vſum hominum inuentæ: hinc fit vt tres ſpecies veræ & abſolutæ bonitatis creatæ à nobis fuerint conſtitutæ; quarum vna dicitur naturalis, altera moralis, tertia artificialis. Ac naturalis quidem bonitas nihil aliud eſt quam congruentia entis creati cum regula creationis & Naturæ generantis. Deus enim in principio creauit ſingulas rerum ſpecies in ſuo genere valde bonas: & poſtea Naturæ generanti vim indidit propagandi hanc bonitatem naturalem in eos, in quibus locum habet naturalis generatio. Bonitas autem moralis eſt congruentia entis creati cum lege Dei morali, ſiue naturali, ſiue poſitiua. Per *legem naturalem* intelligo ſecundum omnes Philoſophos, rectam rationem dictantem nobis, quid ſit honeſtum, quid turpe,

Creatura trib. modis cum Deo creatore poteſt congruere.

I.

II.

III.

Diuiſio veræ & abſol. bonitatis creatæ.

Naturalis bonitas quid.

Bonitas moralis quid.

quid iustum, quid iniustum. Per *legem positiuam* intelligo omne præceptum morale, expressis verbis à Deo traditum, vel immediate vel mediate. Quicquid igitur congruit cum lege Dei morali, siue naturali, siue positiua, id moraliter est bonum: quicquid autem ab illa discrepat, id moraliter est malum. Bonitas deniq; artificialis est cōgruentia entis creati cum regula artis. Per *regulam artis* intelligo omne verum præceptum artis. Per ipsam autem *artem* intelligo non tantum systema verorum præceptorum; sed etiam virtutem intellectualem. Quicquid igitur congruit cum regula artis vel in agendo, vel in fiendo, id dicitur *artificialiter bonum*: quicquid autem ab illa discrepat, id dicitur *artificialiter malum*.

Bonitas artificialis quid.

8 *Quomodo differant inter se bonitas naturalis, moralis & artificialis?*

Discrimen I. inter bonitatem natur. moral. & artif.

ETsi huius quæstionis decisio ex præcedente maxima ex parte colligi potest; tamen melioris intelligentiæ gratia placet eam hoc loco vberius declarare. Primum igitur differunt inter se bonitas naturalis, moralis & artificialis definitionibus essentialibus, quæ in superiore quæstione sunt traditæ & explicatæ.
II. Secundo differunt subiectis proximis. Nam 1. bonitas naturalis per se inest omni creaturæ Dei, quatenus est creatura, siue illa sit substantia siue accidens, siue incorporea, siue corporea, siue rationis compos, siue rationis expers. Bonitas autem moralis & artificialis non insunt nisi creaturæ intelligenti, eiusque actionibus & operibus. 2, Bonitas naturalis cadit etiam in infantes; moralis autem & artificialis minime, 3. Bonitas naturalis & artificialis communis est probis & improbis. Bonitas autem moralis
III. propria est hominum proborum possessio. Tertio differunt adiunctis propriis. Bonitas enim naturalis alia est separabilis à suo subiecto cui inest, vt sanitas, pulchritudo, &c. alia inseparabilis, vt bonitas essentialis: Bonitas autem moralis & artificialis ita est comparata, vt omnis à subiecto, cui inest, separari possit, salua manente essen-
IV. tia subiecti. Quarto differunt causis efficientibus proximis. Bonitas enim naturalis oritur partim ex creatione, partim ex principiis naturalib. quatenus sunt naturales, cuiusmodi sunt generatio & alteratio Physica. Bonitas autem

autem ,.oralis & artificialis oritur ex principiis moralibus & artificialibus, cuiusmodi sunt libera proæresis, μάθησις, assuefactio, & id genus alia. Hinc acutissimus ille Philosophus & Theologus Nemesius in libro de Natura hominis, cap. 41. multis verbis disputat & asserit, nullum habitum nobis esse insitum, sed omnem aduenticium, acquisitum scilicet à nobis per liberam præelectionem, μάθησιν & assuefactionem. Et hoc etiam indicant vulgata illa Philosophorum axiomata: *Nemo nascitur artifex. Nemo natura probus est, sed proæresi.* Ad quorum imitationem etiam Hieronymus & Tertullian. dicunt. *Christianos non nasci, sed fieri.*

9 *Quotuplex sit bonitas tam naturalis quam moralis & artificialis?*

ETsi proprium Metaphysicæ munus non est agere de singulis speciebus bonitatis tam naturalis quam moralis & artificialis, sed hæc doctrina ad alias particulares disciplinas pertinet; tamen cum hæc ars sit generalissima, non omnino alienum ab ipsius natura videtur generales illarum diuisiones breuiter attingere & explicare. Bonitas igitur *naturalis* alia est *essentialis*, alia *accidentalis*. *Essentialis* dicitur illa, quæ enti simpliciter est necessaria, & ab eo salua essentia separari ac abesse non potest. Eaque vel est *vniuersalis*, quæ enti creato in genere, quatenus est ens, inest; vel *particularis*, quæ enti creato in specie, quatenus tale ens inest. Bonitas autem *moralis* alia est generalis, quæ omnibus hominibus quatenus viuunt & agunt secundum præscriptum rectæ rationis & doctrinæ Ethicæ ac Politicæ, competit, vt probitas: vel *specialis*, quæ iis duntaxat hominibus competit, qui viuunt & agunt secundum præcepta Euangelii seu regulam Christianæ religionis, vt pietas. Vtraque rursus vel est *habitualis* quæ inest ipsi creaturæ rationali tanquam subiecto; vel *actualis* quæ inest actionibus illius. Denique bonitas artificialis tot habet species, quot sunt species artis. Vnaquæque enim ars habet suas regulas, cum quibus quicquid consentit & congruit, id dicitur artificialiter bonum. Hinc bonus pictor dicitur, qui pingit secundum regulas artis pictoriæ; bonus Logicus, qui disserit secundum regulas artis Logicæ; bonus sutor,

Generales species bonitatis tã naturalis quam mor. & artif. exponuntur.

qui calceos efficit secundum regulas artis sutoriæ & sic deinceps. Sed quemadmodum bonitas moralis, alia est habitualis, alia actualis; ita etiam bonitas artificialis alia est habitualis, quæ inest ipsi artifici, alia actualis, quæ inest illius actionibus vel operibus. Quod si quæras, quonam sit referenda virtus seu bonitas intellectualis? respondeo illam pertinere ad bonitatem artificialem, tanquam speciem ad genus. Illa enim efficit, vt homo sit sapiens & prudens, actionesque sapientes & prudentes ex se edat.

10 *An bonitas respectiua recte diuidatur in honestatem, vtilitatem & iucunditatem?*

Thesis affirmatiua defenditur.

VSitata est apud Philosophos diuisio boni in honestum, vtile & delectabile. *Bonum honestum* proprie vocant, quod per se & ex se naturæ rationali est conueniens & decorum, sine respectu ad vtilitatem & iucunditatem. *Bonum vtile*, quod alteri est conueniens propter bonum, quod per illud obtineri potest sine respectu ad honestatem & iucunditatem. *Bonum delectabile*, quod alteri est conueniens propter iucunditatem quam affert sine respectu ad honestatem & vtilitatem. Etsi vero hæc tria genera bonorum sæpe in vno & eodem subiecto concurrunt, ita vt idem ens diuerso respectu simul sit honestum, vtile & iucundum; tamen inde non sequitur illa secundum formales suas rationes considerata inter se reipsa non distingui, quemadmodum ea de re copiose differit Fr. Suarez disp. 10. sect. 2. cont. 3. & sequentibus, quo lectorem remitto. Vbi tamen etiam notandum est male ab eodem Suarez in citato loco, *Bonum honestum* diuidi in morale & naturale. Omne enim bonum honestum est morale, & nullum naturale, quod à morali sit distinctum. Ideoque alterum membrum plane est superfluum, adeoq; pugnat cum natura diuisi, quatenus statuit aliquod bonum honestum esse naturale, quod tamen non sit morale. Sicut autem bonum respectiue sumptum aliud est honestum, aliud vtile, aliud delectabile seu iucundum; ita etiam bonitas respectiua ex natura & vi coniugatorum recte diuiditur in honestatem, vtilitatem & iucunditatem.

Bonum honestum male à Suar. diuiditur in morale & naturale.

11 *An præter supra nominatas dentur adhuc aliæ diuisiones bonorum?*

Statui-

Statuitur thesis affirmatiua. Nam primum Bonum aliud dicitur simpliciter bonum, aliud secundum quid. Quæ diuisio variis modis intelligi potest, vt tradit Fr. Suarez disp. 10. sect. 2. context. 33. Nam 1, bonum simpliciter dici potest id quod est honestum; secundum quid vero, quod est vtile & delectabile. 2, bonum simpliciter dici potest, quod bonitatem habet summam & illimitatam. Secundum quid vero, quod bonitatem habet ad certum genus limitatam. Quo sensu solus Deus est simpliciter bonus, vt ipse etiam Christus testatur Marci 10. dum ait: *Nemo bonus nisi solus Deus:* omnis vero creatura est bona tantum secundum quid. Et sic diuisio coincidit cum alia, qua bonum aliud dicitur esse bonum per essentiam, aliud per participationem. 3, bonum simpliciter dici potest, quod habet omnem perfectionem sibi debitam in suo genere & ordine. Secundum quid vero, quod aliquid perfectionis debitæ habet, & aliquid non habet. Quo sensu omnis substantia creata non est bona simpliciter, nisi sit debitis accidentibus affecta; neque accidens est simpliciter bonum, nisi habeat intensionem debitam, vel aliam similem perfectionem.

Thesis affir. defend.

I. Diuisio boni.

Quot modis aliquid dicatur vel simpliciter, vel secundū quid bonum.

II. Deinde Bonum aliud dicitur per se, aliud per accidens. *Bonum per se* est, quod sua natura bonum est: Ideoque ex se expetendum. *Bonum per accidens* est, quod licet per se & sua natura non sit bonum; tamen boni rationem accipit, vel ex opinione hominum, vel ex alio quodam respectu extraneo & aduentitio.

III. Tertio bonum aliquid dicitur absolute bonum, hoc est, sine comparatione ad aliud: aliud vero comparate, hoc est, cum comparatione ad aliud. Quo sensu inter duo mala, id quod minus est malum, dicitur comparate bonum respectu eius quod magis est malum.

IV. Quarto, bonum aliud dicitur bonum propter se, aliud bonum propter aliud. Illud habet rationem finis: hoc, medii ad finem ordinati.

V. Quinto bonum aliud est intrinsecum seu in homine, aliud extrinsecum, seu extra hominem. Illud vel est bonum corporis, vel bonum animi. Hoc, *Bonum fortunæ* appellari solet.

VI. Sexto denique Bonum aliud est naturale, aliud supernaturale; seu quod idē est, aliud corporale, aliud spirituale, aliud terrenum, aliud cœleste. Illud competit homini quatenus est naturalis & terrenus; hoc, quatenus est spiritualis & cœlestis,

Cæterum omnes hæ distributiones bonorum facile reuocari possunt ad illas, quarum supra in præceptis facta est mentio. Ideoque non est, cur illæ insufficientiæ accusentur.

12 *An idem proprie & reipsa sit bonum & pulchrum?*

Thesis negat. defenditur. REperiuntur nonnulli, qui idem reipsa esse statuunt bonum & pulchrum; ideoque bonum & pulchrum inter se conuerti arbitrantur. Quæ sententia etsi concedi posset, si *pulchrum* metaphorice vel synecdochice pro quolibet bono sumatur; tamen si idem vocabulum in propria significatione accipiatur, concedi nullo modo potest. *Pulchritudo quid sit proprie.* Est enim pulchritudo nihil aliud quam *figura apta membrorum cum coloris suauitate seu elegantia coniuncta*, vt Cicero lib. 3. Tuscul. quæst. definit. Vnde patet 1, pulchritudinem oriri ex dispositione concinna & proportionata corporis, secundum quantitatem & colorem: Ideoque non inesse nisi substantiis corporeis. 2, pulchritudinem esse qualitatem visibilem; ideoque sine sensu oculorum percipi & diiudicari non posse. 3, pulchrum dici omne corpus quod figuram aptam membrorum habet cum coloris suauitate coniunctam. *Quomodo pulchrum & bonum differant.* Ex quo vlterius sequitur, pulchritudinem proprie esse speciem bonitatis partim naturalis, partim artificialis. Ideoque pulchrum habere se ad bonum tanquam speciem ad genus. Licet enim omne pulchrum sit bonum, tamen non omne bonum esse pulchrum.

13 *An omne verum bonum habeat rationem finis?*

Pro thesi negante. Ratio I. STatuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, Quia illud tantum verum bonum habet rationem finis, cuius gratia aliquid fit, aut fieri intenditur: *II.* 2, Quia omnia vera bona, quatenus numerantur inter media ad finem conducentia, eatenus non habent rationem finis. *III.* 3, Quia non omnis finis habet rationem veri boni, cum homines improbi & flagitiosi sæpe aliquid facere intendant eius gratia, quod in se reuera est malum, licet ab ipsis sub ratione boni apprehendatur.

14 *An omne ens sit bonum & retro?*

Pro thesi affir. Ratio I. PRo thesi affirmante adduci possunt hæc arg. 1, Quia bonitas est affectio entis propria & adæquata, quæ naturam illius necessario consequitur. Vnde etiam Arist. lib.

lib. 1. Eth. c. 6. & alibi bonum æque late patere ait, ac ens. 2, Quia omne ens suam originem habet à Deo & cum eo similitudinem quandam obtinet. 3, Quia nullum ens est, quod alteri non sit conueniens. Quicquid autem alteri est conueniens, id est bonum; cum bonitas sit conuenientia entis cum alio. At pro thesi negante valent sequentia argumenta. 1, Quia ens diuiditur in bonum & malum, vt patet ex primo præcepto huius capitis. Illa autem diuisio esset vitiosa, si omne ens esset bonum. 2, Quia relationes sunt entia, neque tamen sunt bonæ, cum nullam perfectionem habeant. 3, Quia res Mathematicæ sunt vera entia, & tamen teste Aristot. libro 3. Metaphys. cap. 2. non sunt bona. 4, Quia materia prima est aliquo modo ens, & tamen bona non est, cum perfectionem non habeat. 5, Quia multæ res sunt, quæ carent modo, specie, & ordine debito naturę suæ: Ideoque bonæ dici non possunt: cum bonum consistat in modo, specie, & ordine, vt Augustin. in libr. De natura boni, cap. 3. & 4. docet. 6, Quia non omnia entia omnibus sunt bona, sed alia aliis sunt bona, aliis mala. 7, Quia bonum non tantum de entibus, sed etiam de non entibus dici potest. Quomodo Matth. 26. de Iuda dicitur, *bonum ei esse non natum esse*, quatenus illud ad maiora mala impedienda conueniens esse poterat. Sic in moralibus non solum implere præceptum, sed etiam non agere prohibitum bonum censetur & conueniens homini: Ergo bonum non potest conuerti cum ente, cum eo latius pateat.

[Margin: II. / III. / *Pro thesi neg. argum.* / I. / II. / III. / IV. / V. / VI. / VII.]

Pro decisione quæstionis obseruandæ sunt aliquot conclusiones: 1, Omne ens esse bonum vel vere, vel apparenter. 2, Omne ens, quatenus ens, siue in genere siue in specie esse vere, absolute, naturaliter, & essentialiter bonum. Vnde omnis creatura dicitur esse bona. 1. ad Timoth. 4. Et Augustinus lib. 83. quæst. 24. inquit: *Omne quod est, in quantum est, bonum est.* Item libro 1. de Christiana religione: *In quantum sumus, boni sumus.* q. dicat: Omnis homo, quatenus est ens & creatura Dei, est bonus. Sic Thomas 1. p. quæst. 5. art. 3. ait: *Nullum ens dicitur malum; quatenus ens, sed in quantum caret quodam esse.* Et Fonseca libro 4. Metaphys. cap. 2. Q. 7. sect. 6. *Res omnes creatæ, quatenus entia sunt, ita sunt bona vt mala non sint.* 3, Omne ens respectiue esse bonum, quatenus alicui

[Margin: *Pro decisione quæst. notanda sunt aliquot conclus.* / I. / II. / III.]

IV. vere est conueniens. 4. Non omne ens esse bonum, neque naturaliter, si accidentariam bonitatem spectes: neque vel moraliter, vel artificialiter; sed quoddam bonum, quoddam malum. Hinc homines sani dicuntur naturaliter boni; ægroti, naturaliter mali. Rursus homines probi & pii dicuntur moraliter boni; improbi & impii, moraliter mali. Similiter artifex peritus dicitur artifi-
V. cialiter bonus; imperitus, artificialiter malus. 5. Non ens non esse vere per se & absolute bonum quatenus est non ens; sed vel per accidens, quatenus includit rationem
VI. aliquam entis, vel comparate. 6. Omne bonum, quod vere per se & absolute bonum est, conuerti cum ente; tum, quia semper supponit vel includit ens, in eoq; quasi fundatur; tum, quia perfectionem in se habet quæ non potest existere absque ente.

Exam. argu. His conclusionibus obseruatis facile est perspicere quid veritatis insit in argumentis pro vtraque parte quæstionis allatis. Nam quod ad illa attinet, quibus thesis affirmatiua vniuersaliter astruitur, priora sunt vera de ente, quatenus est ens, vt habet conclusio 1. Posterius verò de eo, quod vere vel apparenter est bonum, vt habet conclusio 1. & 3. Quod vero ad reliqua attinet, quibus thesis negatiua confirmatur, primum verum est de ente, non quatenus est ens, sed quatenus indefinite, ac sine vlla certa limitatione intelligitur. Secundum vero tertiumque & quartum sunt falsa. Nulla enim ratio solida afferri potest, cur relationes, res Mathematicæ, & materia prima, quatenus sunt entia, in numero rerum bonarum non sint habendæ, vt videre est apud Fr. Suar. disput. 10. sect. 3. context. 11. & sequentibus. Ad quintum dico, non omne bonum æstimari ex modo, specie, & ordine: ideoque non sequi si aliquid his tribus destituatur, illud propterea simpliciter nō esse bonum, vt idem Suar. docet in citato loco conr. 27. Ad sextum dico, verum quidem esse quod non omnia entia omnibus sint bona: sed inde non sequi falsum esse, *Omne ens alicui esse bonum*, vt habet conclusio 3. Ad septimum respondeo ex 6 concl. bonum de non ente dici, non nisi per accidens, aut comparate. Sic non nasci vere per se & absolute, non est bonum; sed tantum per accidens, quatenus includit impeditionem maioris mali. Similiter in moralibus, non facere malum

malum, non est bonum, nisi per accidens, quatenus includit positiuam voluntatem non faciendi malum.

15 *An vllum ens possit dici vere, proprie & per se bonum bonitate aliena?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia bonitas est actus seu forma, à qua ens denominatur bonum. Omnem autem actum & formam necesse est inesse ei, cuius est actus & forma. 2, Quia omne ens, quatenus vere, proprie & per se bonum est, eatenus est perfectum. Nulla autem res vere, proprie & per se perficitur sola extrinseca denominatione ab aliena perfectione. 3, Quia non minus absurdum est & repugnans aliquid vere, proprie, & per se esse bonum bonitate aliena, ac esse ens aliena essentia, sapientem aliena sapientia, scientem aliena scientia, videntem alieno visu, intelligentem aliena intelligentia, &c. At in contrariam partem obiici potest. 1, Omnia entia creata esse bona bonitate diuina. 2, media ad finem ordinata esse bona bonitate extrinseca finis. Respondeo, aliquid dici posse bonum bonitate aliena, nō formaliter & subiectiue, sed effectiue. Et in hoc sensu vera esse ea, quæ obiiciuntur. Bonitas enim diuina est causa efficiens omnis bonitatis, quæ entibus creatis inest. Similiter bonitas finis est causa efficiens quodammodo bonitatis, non quidem absolutæ, sed respectiuæ, quæ mediis ad finem illum ordinatis inest. Sed inde non potest concludi, aliquid proprie, vere, per se, & absolute esse bonum bonitate aliena.

Pro thesi negante. Ratio I. II. III.

Obiectio. I. II.

Responsio ad obiectionem.

16 *An idem ens diuerso respectu possit esse bonum, & malum?*

STatuitur thesis affirmatiua, eaque probatur per singula bonorum & malorum genera. Nam primum idem ens potest esse vere bonum vel malum; & tamen ex deprauato iudicio hominum esse apparenter malum, vel bonum. Sic sobrietas est vere bona; & tamen ebrioso videtur esse mala. Contra, ebrietas est vere mala; & tamen ebrioso videtur bona. 2, Idem ens potest esse absolute bonum, vel malum; & tamen respectiue esse malum vel bonum. Sic vinum est absolute bonum; & tamen respectu febricitantis, est malum. Sic mors temporalis piorum est absolute mala; & tamen respectu vitæ æternæ, ad quam aditus fit per eam, est bona. 3, Idem ens potest

Thesis affir. defend. & probatur exemplis. I. II. III.

esse naturaliter bonum, & moraliter malum; & contra moraliter bonum, & naturaliter malum. Sic diabolus est naturaliter bonus, & moraliter malus. Homo pius est moraliter bonus; & tamen simul eodem tempore potest esse naturaliter malus, vt si sit deformis, ægrotus, &c. Similiter idem ens potest esse artificialiter bonum, & moraliter malum; contra moraliter bonum, & artificialiter malum. Sic homo aliquis potest esse simul bonus artifex, & vir malus. Contra, potest esse simul vir bonus, & malus artifex.

IV. 4. Idem ens potest vni esse honestum, & alteri turpe; vni vtile, & alteri inutile; vni iucundum, alteri iniucundum v. g. Honestum est iuueni ducere iuuenculam; sed seni est turpe. Honestum est puero erubescere; sed seni turpe. Hinc recte dici solet: *Duo cum faciunt idem, non est idem.* Sic vnum & idem alimentum vni homini est vtile, alteri inutile; vni iucundum, alteri iniucundum.

Obiectio. Quod si quis obiiciat, bonum & malum esse contraria: ideoque vni & eidem subiecto inesse non posse. *Responsio ad obiect.* Respondeo 1, non omne bonum esse contrarium malo; sed *I.* tantum id, quod in vnoquoque genere, & ordine alteri opponitur. v. g. Contraria sunt bonum moraliter, & malum moraliter; non autem bonum moraliter, & malum *II.* naturaliter. 2. contraria vni & eidem subiecto inesse non posse, seruatis omnibus legibus oppositionis; sed diuerso respectu nihil obstat, quo minus vnum & idem simul possit esse bonum & malum.

17 *Quid sit malitia in genere?*

Differunt inter se proprie malitia & malum.

IN principio huius quæstionis diligenter notandum est, malitiam & malum proprie loquendo inter se differre, tanquam abstractum & concretum, denominans & denominatum. *Malitia* enim est id, quod subiectum suum, cui inest, malum denominat, seu à quo ens malum denominatur. *Malum* vero proprie est id, quod à malitia sibi inhærente denominatur. Ac quia hoc discrimen à multis tam Philosophis quam Theologis inter disputandum non semper obseruatur; sed sæpe vnum cum altero confunditur; hinc fit vt dissertationes ipsorum de malo institutæ partim obscuræ sint, partim multis difficultatibus, ne dicam erroribus, intricatæ. Et hæc

etiam

etiam est causa cur à nobis in præsenti non quæratur, *quid sit malum in genere*, sed *quid sit malitia*. Ita enim longe facilior & dilucidior erit huius quæstionis tractatio & explicatio. Cæterum diuersæ definitiones malitiæ hinc inde apud autores reperiuntur. Aliis enim est priuatio boni; aliis priuatio perfectionis debitæ inesse; aliis priuatio seu carentia debitæ rectitudinis; aliis defectus bonitatis in ente, cui per naturam inesse potest vel debet; aliis id, à quo ens denominatur malum; aliis id, quod male afficit subiectum cui inest; aliis corruptio modi, vel speciei, vel ordinis naturalis; aliis disconuenientia entis vel secum, vel cum alio. *Diuersæ def. malitiæ recensentur.* I. II. III. IV. V. VI.

Etsi vero hæ definitiones verbis inter se discrepant, earumque vna est perfectiore altera; tamen in vero sensu conueniunt, omnesq; indicant malitiam in genere nihil esse aliud quam priuationem bonitatis, enti alicui per naturam inesse possibilis, vel debitæ. Atq; hæc sententia etiam est verissima & probari potest sequentibus argumentis: 1, Quia malitia vel est nihil vel aliquid. Sed nihil non est: quia illud non est in subiecto, vt malitia: Ergo est aliquid. Si est aliquid, aut est positiuum aliquid, aut negatiuum. Sed positiuum aliquid non est, tum quia neque est ens, neque essentia entis; tum quia omne positiuum, quatenus positiuum est vere & per se bonum: Ergo est aliquid negatiuum. Illud autem nihil aliud est quam priuatio. Hinc etiam Iustinus quæst 46. & 73. ad Gentes: *Malum ait nihil aliud esse, præter boni corruptionem & deprauationem ac priuationem.* Et in priori quæstione ex professo probat; non esse rem positiuam; in posteriori autem egregie confirmat, non esse solam seu puram negationem. 2, Quia nullum ens dicitur proprie & formaliter malum, vel propter puram negationem bonitatis, quæ per naturam sibi neque inesse potest, neque debet: Alioqui omnis creatura mala esset, eo quod non habeat perfectionem creatoris; Vel propter positiuam aliquam formam, qualitatē & perfectionem, quam habet, quatenus est ens. Hoc enim respectu omne ens est bonum. Ergo necessario sequitur illud dici proprie & formaliter malum, propter solam priuationem sibi adiunctam; quæ nihil aliud est quam ipsa malitia. Et hoc etiā innuit Thom. 1. p. q 5. art 3. dum inquit: *Nullum* VII. VIII. *Definitio vera malitiæ assign. & prob.* *Ratio I.* II.

ens dici malum in quantum est ens; sed in quantum caret quodam esse. Item August. libro 12. de ciuit. a principio & in Enchir. cap. 11. *Res in quantum quadam natura sunt,*
III. *mala esse non possunt.* 3, Quia omne malum proportionate priuationem includit, siue sit absolute, siue respectiue malum; seu, quod idem est, siue in se malum, siue alteri malum. Nam quod est in se malum, includit carentiam bonitatis sibi debitæ; quod vero est alteri malum, includit carentiam bonitatis illi debitæ, cui est malum.
IV. 4, Quia sicut bonitas in genere est conuenientia entis vel secum, vel cum alio; ita malitia est disconuenientia entis, vel secum, vel cum alio. Disconuenientia autem
V. notat priuationem conuenientiæ. 5, Quia in omni malo id, quod est positiuum, est quasi materiale; priuatio vero est quasi formale constituens rationem mali, vt testatur Suarez disp. 11. sect. 1. cont. 16. Illa autem priuatio est nihil aliud quam ipsa malitia. Proinde concludo omnem malitiam esse priuationem non cuiuslibet rei, sed bonitatis oppositæ, quæ enti alicui per naturam inesse potest vel debet.

Obiectio. Vt autem veritas huius conclusionis illustrior fiat, considerandæ sunt nonnullæ obiectiones, quæ contra
I. illam moueri possunt. Prima obiectio est, si malum est aliquid positiuum, etiam malitia. Coniugatorum enim est eadem ratio: Sed verum prius Ergo & posterius. Assumptio probatur, quia malum est ens, à malitia denominatum. Omne autem ens est aliquid positiuum:
II. Altera est, si quoddam vitium tam corporis, quam animi est, quod non est priuatio; sed aliquid positiuum, sequitur falsum esse omnem malitiam esse priuationem. Sed verum prius: Ergo & posterius. Assumptio probatur. 1, Quia omnis morbus proprie dictus est vitium corporis; neque tamen est priuatio, sed aliquid positiuum: quemadmodum patet ex definitione illius, qua dicitur à Medicis *esse affectus præternaturalis corporis viuentis, primo & per se lædens functiones organorum.* 2, Quia omnis habitus præternaturalis, siue intellectualis, siue moralis, est vitium animi; neque tamen est priuatio, sed aliquid positiuum; cum definiatur esse qualitas permanens
III. vitiosis actionibus comparata. Tertio obiectio est: Si quoddam malum opponitur bono, non priuatiue, sed

cor-

contrarie seu aduerse; sequitur quandam etiam malitiam non opponi bonitati, tanquam priuationem habitui; sed tanquam aduersum alteri aduerso: Sed verum prius; Ergo & posterius. Assumptio probatur in naturalibus, exemplo doloris & voluptatis, mali inutilis & boni vtilis; in moralibus, exemplo actionis bonæ & malæ, iustæ & iniustæ, &c.

Responsio ad obiect. Ad primam obiectionem respondeo, assumptionem non esse simpliciter veram. Nullum enim malum dicitur malum sub ea ratione qua est positiuum aliquid, I. seu ens: sed quatenus est priuatū bonitate aliqua sibi per naturam debita, vt supra dictum fuit. Ad alteram obiectionem respondeo, II. vitium modo proprie sumi pro ipsa vitiositate seu prauitate, modo vero pro qualitate, seu dispositione vitiosa & praua. In priori significatione omne vitium, siue corporis, siue animi, est mera priuatio, & non aliquid positiuum. In posteriore vero est aliquid positiuum vitiositate & prauitate informatum, seu potius destitutum aliqua bonitate debita. Et sic morbus à Medicis consideratur, quando definitur *affectus seu dispositio præternaturalis*. Itemque à Philosophis, *vitium intellectuale & morale*, quando definitur per qualitatem, dispositionem seu habitum. Ad tertiam III. obiectionem respondeo, Malum quandoq; opponi bono contrarie seu aduerse, ratione actus positiui, quem includit, non vero ratione priuationis, quæ est formale constitutum mali, quatenus est malum. Sic enim seruatis omnibus legibus oppositionis, semper priuatiue opponitur bono. Sicut omne bonum est, quod bonitatem debitam habet, ita malum est quod bonitate debita caret, seu destituitur. Et hoc etiam docet Thomas 3. contra Gentes cap. 9. *Malum non repugnat bono positiue, nisi ratione alicuius bonitatis.*

18 *Quotuplex sit malitia?*

Diuisio m. I. NOn aptior & conuenientior est via indagandi & cognoscendi quotuplex sit malitia, quam si consideremus, quot modis aliquid dicatur malum. Concreti enim cognitio sæpe ducit nos in cognitionem abstracti. Malū igitur dicitur aliud vere, aliud apparenter malum. Illud est quod reuera, vti videtur, malum est. Hoc est,

quod videtur quidem malum, ſed tamen reuera non eſt.
II. 2, malum aliud dicitur abſolute, aliud reſpectiue malum. Illud eſt, quod in ſe malum eſt; hoc quod eſt malum
III. alteri. 3, malum abſolute, aliud dicitur naturaliter, aliud moraliter, aliud artificialiter malum. Quia diſcrepat à norma ſeu regula, vel Naturæ, vel morum, vel ar-
IV. tis. 4, reſpectiue malum aliud dicitur turpe, aliud inutile, ſeu noxium, aliud iniucundum ſeu moleſtum. Quia aut per ſe homini eſt indecorum, aut inconueniens ad bonum aliquod obtinendum, aut dolorificum. Hinc igitur ſecundum quadruplicem illam mali diuiſionem quadruplex etiam ipſius malitiæ diuiſio inſtitui poteſt, vt 1, alia dicatur vera, alia apparens. 2, alia abſoluta, alia reſpectiua. 3, abſoluta alia naturalis, alia moralis, alia artificialis. 4, reſpectiua alia turpitudo, alia inutilitas, alia iniucunditas.

Ex mali diuiſionibus colliguntur diuiſiones malitiæ.

Aliæ diuiſiones mali recenſentur.

Cæterum præter quatuor illas diuiſiones mali, quas ſupra attigimus, adhuc aliæ apud autores reperiuntur. Nam 1, malum aliud dicitur abſolute, hoc eſt, ſine com-
I. paratione malum, aliud comparate. Hoc ſenſu inter duo bona id, quod eſt minus bonum, dicitur malum re-
II. ſpectu maioris boni. 2, Malum aliud dicitur ſimpliciter malum, aliud ſecundum quid. Simpliciter malum, non ſemper vno modo definitur & intelligitur. Quandoque enim ſimpliciter malum dicitur, quod abſolute ſine comparatione eſt malum. Quandoq; ſimpliciter malum dicitur quod pure malum eſt, nihilque habet admixtum boni; ſeu, quod ita malum eſt, vt nullo reſpectu poſſit eſſe bonum. Et ſic nullum ens eſt malum ſimpliciter,
III. cum omne malum ſit fundatum in aliquo bono. 3, Malum aliud dicitur per ſe malum, aliud per accidens. Illud eſt, quod ſua natura eſt malum: Ideoque per ſe non expetendum: Hoc eſt, quod ſua natura quidem bonum eſt; ſed tamen rationem mali accipit vel ex opinione & erro-
IV. re iudicii, vel ex aliquo extrinſeco reſpectu. 4, Malum aliud eſt formaliter, aliud materialiter malum. Illud eſt, quod conſideratur, quatenus eſt malum; hoc, quod conſideratur ſecundum naturam ſuam poſitiuam, ſine mali-
V. tia quam ſibi habet adiunctam. 5, Malum aliud eſt externum, vt malum fortunæ, aliud internum, vt malum corporis & animi.

19 *Quomodo malitia naturalis à morali & artificiali differat?*

CVm malitia naturalis, moralis, & artificialis sint distinctæ species malitiæ absolutæ, vtile est scire quomodo inter se sint distinguendæ. Primum igitur differunt definitionibus essentialibus. Malitia enim naturalis est priuatio bonitatis naturalis, ex Naturæ ordinatione enti inesse debitæ. Moralis, est priuatio bonitatis moralis, ex legis diuinæ ordinatione enti inesse debitæ. Artificialis, est priuatio bonitatis artificialis, ex artis præscriptione enti inesse debitæ. Secundo differunt subiectis proximis. Naturalis enim malitia inest enti, quatenus est naturale, hoc est, naturam suam habet ab ipso Deo, vel per creationem, vel per generationem naturalem. Moralis vero inest enti, quatenus est intelligens & libere contra legem Dei agens, aut à natura intelligente & libere agente proficiscitur. Et hoc testatur etiam Fr. Suarez disp. 11. de malo, sect. 2. contex. 2. vbi malum diuidit in naturale, & morale. Et illud dicit inueniri in omnibus rebus ratione carentibus, & sese etiam extendere ad res intellectuales, quatenus propriam naturam habent, & naturalem aliquam perfectionem requirunt, qua priuari possunt sine suo consensu vel cooperatione libera. Hoc vero sc. malum morale solum in natura libera reperiri, vt libera est; cum mores proprie in liberis actionibus consistant. Vnde etiam fieri asserit, quod malum morale licet sit disconueniens naturæ rationali, vt rationalis est, & in hoc possit conuenire cum aliquo naturali malo; tamen sit disconueniens tali naturæ, prout habet peculiarem operandi modum scilicet cum libertate; & in hoc differat à naturali malo. Artificialis autem malitia conuenit enti, quatenus à regula artis aberrat. Denique differunt inter se malitia naturalis, moralis & artificialis causis efficientibus proximis. Naturalis enim oritur ex causis naturalibus, quatenus sunt naturales, & à regula Naturæ aberrant. Moralis à causis moralibus, quatenus sunt morales, & à regula morum seu lege Dei aberrant. Artificialis, à causis artificialibus, quatenus à regula artis aberrant.

Differunt inter se bonitas nat. moral. & artific.

I. *Definition.*

II. *Subiectis.*

III.

20 *An malitia naturalis perinde ac bonitas possit diuidi in essentialem, & accidentalem, vniuersalem, & particularem?*

Pro thesi negante. Ratio I.

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia nullum ens est essentialiter malum, sed omne quod malum est, tantum accidentaliter est malum. Licet enim olim Manichæi & Priscillianistæ ad exemplum Pythagoricorum duo prima entium principia finxerint, vnum summe bonum, à quo omnia alia bona suam habuerint originem, alterum summe malum, à quo omnia alia mala extiterint; ille tamen error iam dudum est ex Scholis, imo ex orbe Christiano profligatus; cum scriptura sacra expresse testatur vnum esse tantum primum rerum principium summe bonum, à quo omnia entia facta sint bona, ac vnumquodque in suo genere. 2, Quia omne ens siue in genere siue in specie consideratum, est essentialiter bonum. Vnde recte dictum est à Thoma 1. 2. q. 18. art. 1. *Tantum habet vnaquæque res de bonitate quantum habet de esse.* Seu, vt alii loquuntur, *Vnumquodque quantum habet de esse, tantum habet de bonitate.* 3, Quia nulla datur malitia naturalis, quæ omni enti insit, quemadmodum bonitas vniuersalis. Proinde neque malitia naturalis, perinde ac bonitas potest diuidi, vel in essentialem & accidentalem, vel in vniuersalem & particularem, cum omnis eiusmodi malitia tantum sit accidentalis & particularis.

II. *III.*

21 *An malum recte diuidatur in malum culpæ & malum pœnæ?*

CElebris & vulgata apud Theologos est diuisio *mali in malum culpæ & malum pœnæ*, quæ etiam traditur à Thoma p. 1. quæst. 48 art. 5. & 6. & Franc. Suarez disput. 11. sect. 2. context. 3. Vt autem rectius diiudicari possit, necesse est vt ante omnia sciatur, quid per *malum culpæ & malum pœnæ* intelligatur. Ac Suarez quidem in citato loco interpretans locum Thomæ dicit malum culpæ consistere in defectu actionis liberæ, quatenus est libera; siue ille defectus sit carentia liberæ actionis debitæ secundum legē seu rectam rationem, siue sit carentia honestatis seu rectitudinis tali actioni debitæ; id est, siue sit omissio actionis debitæ, siue sit actio carens rectitudine debi-

Malum culpæ quid sit.

debita. Quæ sententia etsi vera est; tamen non plene malum culpæ explicat. Non enim tantum per malum culpæ intelligitur defectus actionis liberæ, quatenus est libera, hoc est, malitia moralis, actualis; sed etiam præterea partim malitia habitualis, quæ per actualem culpam seu peccatum actuale acquiritur; partim ipsa culpa actualis, seu peccatum actuale, hoc est, actio culpabilis, cui malitia moralis inest.

Per *malum* autem *pœnæ* intelligit idem Suarez quamlibet aliam carentiam boni debiti contractam seu inflictam ob culpam, seu omne malum rationalis naturæ, quod est extra actionem liberam. Sed hæc sententia non simpliciter est vera; tum quia non omne malum pœnæ ob culpam inflictum est carentia boni debiti; tum, quia dari potest malum aliquod rationalis naturæ, quod est extra actionem liberam, neque tamen est malum pœnæ, cuiusmodi est malum mere naturale, v. g. cæcitas natiua illius hominis, de qua Christus testatur Ioh. 9. v. 3. quod neque culpa propria ipsius cæci, neque culpa parentum eius fuerit contracta. *Malum pœnæ quid sit.*

Proinde melius sentiunt illi, qui per malum pœnæ intelligunt partim reatum, hoc est, obligationem peccantis ad pœnam lege sancitam; partim ipsam pœnam actualem, quæ ob culpam alicui secundum iustitiæ decretum infligitur. Ex qua doctrina colligo sequentia consectaria: 1, diuisionem mali in malum culpæ, & malum pœnæ non esse generis vniuoci in species, sed vocabuli æquiuoci in sua æquiuocata; tum, quia malum culpæ est in genere malorum moralium; malum autem pœnæ minime; tum, quia malum culpæ vel est ipsa iniustitia, vel aliquid ab iniustitia profectum; malum autem pœnæ est aliquid à iustitia ipsa profectum & secundum eius decretum institutum & factum; tum, quia Deus est autor mali pœnæ; non autem mali culpæ. 2, malum culpæ esse originem mali pœnæ, & causam eius non physicam, sed moralem, vt testatur Suarez in loco prius citato, vbi etiam addit hoc axioma: *Sicut meritum est causa præmii; ita culpa est causa pœnæ.* Quod an simpliciter verum sit, aliis iudicandum relinquo. 3, longe maius esse malum culpæ quam malum pœnæ; tum, quia illud vere ex se & per se est malum, adeoque naturæ rationali inhonestum & *Consecta. I. II. III.*

indecorum; hoc vero non: tum, quia illud cedit in offensionem & iniuriam Dei; hoc vero tantum in detrimentum aliquod creaturæ rationalis. Offensa autem Dei maius malum est, quam quodlibet aliud detrimentum. Ideoque quodlibet malum pœnæ potius sustinendum est quam malum culpæ admittendum. 4. Malum culpæ nunquã proprie per se sub ea ratione, qua est malũ culpæ, posse simul esse malum pœnæ; tum, quia hæc duo sunt opposita: tum, quia malum pœnæ à Deo oritur; malum autem culpæ minime. 5, Inter malum culpæ & malum pœnæ posse dari medium, nimirum malum mere naturale; idque respectu tã creaturæ intelligentis, quam rationis & vitæ expertis. Ideoque diuisionem illam mali in malum culpæ & malum pœnæ, seu, quod idem est, in culpam, & à culpa ortum, in peccatum & pœnam peccati, non esse adæquatam suo diuiso, etiam si restringatur ad malum creaturæ intelligentis, nisi illa consideretur quatenus est libera seu libertatem suam exercet in actibus moralibus. Ita enim malum ipsius est primum culpa, deinde pœna quæ respectum habet ad culpam propter quam infligitur.

Fr. S. disp. 11. sect. 1. cont. 4.
IV.
V.

22 *An omne malum culpa sit perfecte malum?*

Pro thesi negante.
Ratio

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia non omnia mala culpæ per se & inter se sunt æqualia; sed vnum magis, aliud minus. 2, Quia malitia moralis tam habitualis, quam actualis potest suscipere diuersos intensionis & remissionis gradus. 3, Quia non omnibus peccatis æquales pœnæ à legislatoribus sunt constitutæ: Inæqualitas autem pœnarum ex se & per se arguit inæqualitatem peccatorum. 4, Quia opinio Stoicorum asserentium omnia peccata esse æqualia, ab omnibus sani iudicii hominibus tanquam falsa & absurda reiicitur. Ergo neque illorum sententia simpliciter est admittenda, qui putant omne malum culpæ esse perfecte malum: siquidem hæc cum Stoicorum dogmate plane consentit.

I.
II.
III.
IV.

23 *An detur summum malum?*

Aliorum sententia reiicitur.

Communis opinio Philosophorum est, summum malum non dari, neque dari posse. Ratio est, quia summum malum excludit omnem simpliciter bonitatem. Iam autem nullum malum dati potest quin sit in subiecto aliquo bono. Vnde Aristoteles in Metaphysicis ait:

Omne

Omne malum esse in aliquo bono. Et Augustinus in Enchiridio cap. 14. expresse pronunciat, *mala omnino sine bonis, & nisi in bonis esse non posse:* quamuis bona sine malis esse possint. Idem alibi ait: *Si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset:* quia non modo vbi consisteret, sed vnde oriretur corruptio, non haberet. His addi potest illud Goclenii quod habetur cap. 7. Metaphys. *Bonum non tantum materialiter vt ens est, sed etiam formaliter, vt bonum est, est subiectum mali.* Malum igitur penitus tollere bonum non potest. Sed huic opinioni videtur obstare axioma illud tritum: *Si vnum oppositorum datur, necesse est etiam dari alterum.* Ideoque cum summum bonum detur, nimirum Deus, vt infra libr. 4. in capite de Deo probabitur, necesse est etiam dari summum malum. Pro resolutione quæstionis distinguendum esse iudico inter summum malum culpæ, & summum malum pœnæ. 2. inter summum malum culpæ, quatenus in abstracto sumitur, pro summa malitia, & quatenus in concreto sumitur pro ente summe malo. In primo sensu mors æterna est summum malum pœnæ: sicut vita æterna summum bonum præmii. In secundo sensu extrema malitia moralis in comparatione cum aliis est summum malum; inprimis vero ea quæ inest homini in Spiritum sanctum peccanti. Licet enim illa sit in subiecto naturaliter bono; tamen in se nihil bonitatis moralis sibi habet admixtum.

Obiectio contra aliorum sent.

Deciditur P. per dist.

24 *An malum habeat causam aliquam sui efficientem?*

De hac quæstione discrepantes sunt doctorum virorum sententiæ. Alii enim simpliciter negant malum habere causam aliquam sui efficientem proprie dictam; tum, quia malum est non ens, quod proprie non est effectibile: tum, quia omne efficiens proprie efficit ens: tum. quia mali causa, deficiens potius est, quam efficiens. Alii vero cõcedunt quidẽ malũ habere causam aliquam sui efficientem; sed distinguunt inter causam efficientem per se & per accidens: & hanc quidem attribuunt malo; illam vero derogant; tum, quia nullum ens, quatenus ens, per se efficit malum, cum sit per se bonum: tum, quia malũ ad efficientiã entis, quatenus est ens, consequitur vel propter defectũ virtutis causatiuæ, vel propter im-

Diuersa aliorum sententia recensentur.

I.

Dionysius c. 4. de diuinis nom.

August. libr. 12. de ciuit. Dei, cap. 7.

II.

Fr. S. disp. 11. sect. 3. cont.

pedimentum interiectum, vel propter aliam causam extrinsecam & aduenticiam.

III. Alii vero statuunt malum non tantum habere causam sui efficientem per accidens; sed etiam per se; tum, quia nullum effectum est quod non possit reduci ad aliquam causam per se; tum, quia defectus effect. per se pendet à defectu causæ.

Examen sententiæ I. Cæterum ex his tribus sententiis postrema videtur maxime veritatem attingere. Nam quod ad primam attinet, illa non potest consistere. Siue enim per malum intelligis ipsam malitiam, siue ens malum, quatenus malum, necesse est illud cum non semper fuerit, sed aliquando cœperit esse, vel a se esse, vel ab alio. Sed a se esse nullo modo potest: Ergo est ab alio. Quod si est ab alio, necesse est, illud habere causam efficientem, proprie dictam, quæ est principium, à quo effectum dependet. Neq; obstant rationes pro illa sententia adductæ. Licet enim id, quod simpliciter est non ens, non sit effectibile, neque causam efficientem habeat: tamen id quod secundum quid est non ens (euiusmodi est omnis priuatio, & omne priuatum, quatenus priuatum) est effectibile, causamque efficientem habet. Huc accedit, quod neque in Metaphysica, neque in Logica, vbi agitur de causis, earumq; numerus perfecte traditur, fit mentio vllius causæ deficientis, quæ vel ab efficiente, vel ab aliis causæ generibus sit distincta. Et sane illi, qui causam deficientem distinguunt realiter ab efficiente, non minus frustra multiplicant numerum causarum, ac illi qui efficienti, materiæ, formæ, & fini, addunt causam sine qua non.

Examen secundæ sententiæ. Quod vero ad alteram sententiam attinet, illa vera quidem est, quatenus causam efficientem per accidens attribuit malo; falsa vero, quatenus adimit causam per se. Licet enim nullum ens, quatenus ens, sit causa efficiens mali per se, sed per accidens; tamen inde non sequitur, malum quatenus malum, nullam prorsus habere causam efficientem per se. Sicut enim perfectio effectus per se tribuitur perfectioni causæ, ita imperfectio seu defectus eiusdem, imperfectioni & defectui causæ. Ex causa siquidem defectiua, sequitur per se effectum defectuosum, vt ex sequentibus clarius patebit.

25 *Quæ sit causa efficiens mali quatenus est malum?*

SEnsus huius quæstionis reipsa coincidit cum alia, qua quæri-

quæritur quæ sit causa efficiens ipsius malitiæ, seu prauitatis, quæ enti alicui inest, aut inesse videtur. Vt autem rectius explicari queat, primum in genere docebimus, vnde malum vel per accidens, vel per se oriatur: Deinde illam doctrinam ad diuersa mali genera applicabimus. Causa igitur efficiens per accidens mali, est omne ens seu agens, quatenus vel ad efficientiam ipsius perfectam & positiuam, præter primariam ipsius intentionem consequitur malum, vel ei præter naturam accidit aliqua imperfectio, seu defectus, seu carentia perfectionis aut actionis, aut saltem impedimentum aliquod extrinsecum obiicitur, ortum vel ex defectu instrumenti, aut aliunde. Causa vero per se efficiens mali est omne ens seu agens, quatenus in efficiendo deficit, vel ob virtutis imperfectionem, vel ob actionis debitæ suspensionem seu omissionem & carentiam. Seu, vt clarius loquar, causa efficiens per se mali est defectus, seu malitia ipsius causæ. Cũ enim à causa bona, qua bona est, non possit per se procedere nisi effectũ bonum, necessario sequitur effectum malum per se oriri à causa quatenus est mala. Vnde autem ipsa malitia causæ oriatur, in sequenti quæstione docebitur. Sic ergo in genere puto satis esse explicatum, vnde malum vel per se, vel per accidens oriatur. Cæterum pro diuersis mali generibus diuersæ etiam sunt illius causæ per se efficientes. Malum enim apparens oritur ex falsa creaturæ intelligentis de rebus opinione & iudicio. Malum verum ex alteratione praua & corruptiua, qua ex ente bono fit malum. Malum naturale ex alteratione naturali, quatenus à Naturæ regula exorbitat. Ita enim ex bono naturali fit malum naturale. Malum morale, partim ex prauo & corrupto creaturæ intelligentis de bono vere morali iudicio; partim ex libera virium naturalium ad malum determinatione, partim etiam ex habitu vitioso contracto. Denique malum artificiale existit, partim ex praua perceptione præceptorum artis; partim ex eorundem violatione, partim denique ex habitu artis male contracto.

De causa efficiente mali in genere.

De causa efficiente mali in specie.

26 *An malum ex bono per se oriri possit?*

ETsi hæc quæstio ex præcedenti facillime diiudicari possit: tamen vt illius veritas adhuc illustrior euadat, volui hanc adiungere. Ac thesis quidem illius nega-

Thesis negat. defenditur.

Ratio tiua, quæ vera est, probatur sequentibus rationibus. 1,
I. Quia omne bonum, quatenus est bonum, per se non nisi bonum procreat. Vnde etiam dici solet: *Qualibet causa*
II. *agit sibi simile vel proportionatum.* 2, Quia omne malum, quatenus malum per se, non nisi à malo prouenit. Vnde Scholastici dicunt, *malitiā effectus supponere malitiā causæ.*
III. 3, Quia omne malum oritur ex bono, non quatenus est bonum; sed quatenus vel in agendo deficit, vel ab alio quodam extrinseco principio impeditur, quo minus secundum totam suam perfectionem agat, vel quatenus ab alio extrinseco principio præter naturam & intentionem suam, ad aliquod bonum dirigitur, vel alio quodam modo, vt in superiore Probl. dictum fuit. Ergo non per se, sed per accidens tantum, malum ex bono oritur. Verum contra hanc sententiam obiici potest.

Obiectio. 1, Si in naturalibus causa per se efficiens prima mali,
I. est δυνάμις ἀντιφάσεως, hoc est, potentia contradictionis ad esse & non esse, seu mutabilitas creaturæ, qua ex bona potest fieri mala; in moralibus verò ipsa libertas creaturæ intelligentis: sequitur malum ex bono per se oriri posse. Vtraque enim tam potentia contradictionis, quam libertas in suo genere est adiunctum naturale & inseparabile creaturæ ex principio naturæ necessario resultans. Ideoque naturaliter bonum: Sed verum est prius, vt Philosophi saniores testantur: Ergo & antecedens.
II. 2, Si nullum malum ex bono per se oritur; sed tantum per accidens; sequitur in inquirendis causis efficientibus mali, aut progrediendum esse in infinitum, (semper enim vnum malum erit causa per se efficiens alterius mali) aut tandem subsistendum esse in aliquo primo malo, quod ex se sit tale, & à nullo alio originem habeat, & causa sit malorum omnium. Sed consequens est absurdum; tum quia in nullo causatum genere datur progressus in infinitum; sed necesse est tandem peruenire ad vnam aliquam primam causam, qua nō detur alia prior: tum, quia Manichæorum error est, statuere aliquod primum malum ex se tale existens, & à nullo alio habens originem, quod sit per se prima causa cæterorū malorum omnium.

Responsio ad obiect. Ad primam obiectionem respondeo per inficiationem assumptionis. Nam neque in naturalibus potentia con-
I. tradictionis est causa per se efficiens prima mali, neque in mora-

in moralibus ipsa libertas creaturæ intelligentis; tum, quia vtraque est bonum naturale, vt in ipsa obiectione conceditur; tum, quia vtraque non est nisi causa per accidens mali. Nihil enim, v.g. propterea actu malum facit, quia potest facere, & non facere malum; tametsi actu non faceret malum, nisi posset facere. Similiter nihil propterea suas vires actu determinat ad malum, quia sua natura est indifferens, & indeterminatum tam ad bonum, quam ad malum; sed aliam causam interuenire oportet, à qua oriatur illa determinatio ad malum. Ad alteram obiectionem responderi potest ex hypothesi antecedente non necessario inferri consequens. Satis enim esse ad vitandum progressum in infinitum, in inquirendis causis efficientibus mali, tandem nos peruenire ad ens seu bonum aliquod creatum, quod per accidens sit prima causa mali. Sic in inquirendis causis malorum culpæ, quæ in homine reperiuntur, satis esse nos peruenire ad liberum arbitrium, quod à Deo in creatione prima homini inditum est. Illud enim quatenus est indifferens & indeterminatum, tam ad bonum, quam ad malum morale, eatenus est per accidens, quasi prima causa malorum culpæ. Sed in hac responsione adhuc grauis occurrit difficultas, quæ omnino est expedienda. Cum enim primum malum in homine, prout à Deo est conditus, sit determinatio actualis & spontanea liberi arbitrii ad malum. Illa vero non proxime & immediate oriatur ex ipsa natura liberi arbitrii; idcirco quæritur, ad quam causam efficientem proximam sit referenda? Videtur autem illa causa non esse quærenda inter causas morales, quæ sunt in homine; sed potius inter causas intellectuales, cuiusmodi est error iudicii. Ab eo enim immediate pendet error in voluntate, adeoque determinatio actualis & spontanea liberi arbitrii ad malum morale. Prout enim homo iudicat de aliqua re sibi obiecta; ita etiam vel appetit vel auersatur. Si iudicat id quod in se malum est, sibi esse bonum, appetit. Contra, si iudicat id, quod in se bonum est, sibi esse malum, auersatur.

II. — *Difficultas quædam grauis expeditur.*

27 *Vtrum Deus sit causa efficiens vllius mali?*

Quæstio explicatur per certas distin. & concl

VT hæc quæstio rectius explicetur, notanda sunt aliquot distinctiones: 1, causa efficiens alia est per se, alia per accidens. 2, malum aliud est apparens, aliud

I. Distinct.

III. verum. 3, malum aliud est naturale, aliud morale. 4, ma-
IV. lum aliud est culpæ, aliud pœnæ. 5, malum culpæ vel abs-
V. tracte consideratur, vel concrete. Et hoc rursus, vel qua-
Conclusio tenus est ens, vel quatenus est malum. His ita positis,
I. subiicio conclusiones. 1, *Deum per se esse causam efficientem mali apparentis.*
II. 2, *Deum per se esse causam efficientem omnis mali pœnæ, quatenus est malum pœnæ, & ipsius iustitiæ conforme.*
III. 3, *Deum per se non esse causam efficientem mali moralis, seu mali culpæ, neque abstracte neque concrete, quatenus est malum considerati; sed tantum per accidens, quatenus in concreto consideratur ut ens.*
IV. 4, *Deum per accidens esse causam efficientem mali naturalis, quatenus absolute ut naturale consideratur.*

Probatio prima conclus. Prima conclusio probatur hoc modo: *Quodcunque sua natura est bonum, eius causa efficiens per se est Deus: Atqui omne malum apparens sua natura est bonum. Ergo*, &c.
II. Altera conclusio probatur sic: *Quodcunque est opus iustitiæ, & à lege ipsa morali sancitum ac ordinatum, eius causa efficiens per se est Deus: Atqui omne malum pœnæ quatenus vere tale est, est opus iustitiæ & à lege ipsa morali sancitum & ordinatum: Ergo*, &c. Hinc etiam Amos 3. dicitur: *Non est malum in ciuitate quod non fecit Dominus.*

Probatio tertia conclus. Tertia conclusio probatur his rationibus:
Ratio I. 1, Quia Deus est summum bonum; ideoque ab eo per se, non nisi verum bonum proficisci potest. Nullum autem malum culpæ, quatenus tale, rationem aliquam veri boni habet.
II. 2, Quia omne malum culpæ, quatenus est tale, pugnat cum lege Dei & regula immota iustitiæ diuinæ. Ideoque eius causa efficiens per se, non potest esse ipse Deus.
III. 3, Quia omne malum culpæ, quatenus in abstracto sumitur pro malitia seu prauitate morali, nihil aliud est quam priuatio boni moralis enti alicui inesse debiti. Eiusmodi autem priuatio à Deo per se non habet originem, sicut neq; ipsum ens tali priuatione præditum, quatenus est tale, cuiusmodi est malum culpæ in concreto quatenus malum culpæ, consideratum.
IV. 4, Quia malum à Deo non alio respectu dicitur existere vel oriri nisi. 1, quatenus malum culpæ in concreto consideratur ut ens, &, per cōsequens, naturaliter bonum. 2, quatenus Deus partim essentiam, partim virtutem positiuam causandi secundis causis largitur & conseruat. 3, quatenus propter bonum aliquod, malum

Quomodo Deus dicatur per accidens causa mali.

malum culpæ à creatura intelligente & libere agente fieri permittit. 4, quatenus in malo culpæ concrete considerato; id quod rationem veri boni habet per concursum cum secundis causis causatur, ergo Deus tantum per accidens est causa efficiens mali culpæ. Quarta conclusio inde probatur, quod causa efficiens per se mali naturalis, quatenus absolute, vt naturale consideratur, semper sit ens aliquod in agendo seu causando deficiens, & exorbitans à norma rectitudinis naturalis. Cum igitur in Deum nullus defectus seu error cadat, sequitur Deum non per se, sed tantum per accidens, eo modo quo supra explicaui, esse causam efficientem mali naturalis, quatenus est tale. *Probatio quartæ conclus.*

28 *An malum habeat causam aliquam finalem?*

DE hac etiam quæstione non eadem est Philosophorum sententia. Alii enim simpliciter negant malum habere causam finalem, cum illa non sit, nisi bonum aliquod. Alii vero concedunt quidem, malum habere causam finalem per accidens; sed per se negant. Alii denique vtrumque defendunt. Sed vt veritas quæstionis intelligatur, sciendum est primum bonum non tantum apparens, sed etiam verum quandoque esse causam finalem alicuius mali. Sic furtum modo fit propter pecuniæ acquisitionem, modo propter famis depulsionem, adulterium, modo propter voluptatis venereæ fruitionem, modo propter sobolis procreationem. Sic ebrietas contrahitur modo propter curarum molestarum obliuionẽ, modo propter liberalem amicorũ tractationem, modo propter solam voluptatis, quæ ex potu percipitur, fruitionem. Deinde distinguendum est inter malum culpæ, & malum pœnæ. Malum enim culpæ, quatenus est tale per se, nõ habet causam aliquam finalem, sed tantum per accidens, nempe vel ex prauo iudicio peruersaque intentione extrinseca ipsius operantis, vel ex directione externa præter intentionẽ operantis, ab alia causa institutæ. Sic peccata moralia fiunt partim propter pulchritudinem & varietatẽ totius vniuersi, partim propter gloriam Dei, partim propter agnitionem humanæ infirmitatis; partim propter alios fines. Sed fiunt ita non per se; sed per accidens ex directione arcana ipsius Dei, qui etiam ex malis si fiant nouit elicere bona. Malum autem *Diuersæ Philosophorum sententiæ recensentur.* *Vera sententia exponitur.* *Malum culpæ nullum habet per se finem.*

Malum pœnæ per se habet finem. pœnæ, quatenus est vere tale, per se habet causam aliquam finalem, v. g. iustam culpæ vindictam. Quod vero ad mala naturalia attinet, quatenus absolute vt naturalia considerantur, illa per se nullam habent causam finalem, sed tantum per accidens, quatenus vel ad maius malum impediendum, seu vitandum, vel ad bonum aliquod verum acquirendum conducunt. Sic sæpe abscissio brachii aut alterius membri est malum naturale, & tamen quandoque in medico procuratur propter vitæ conseruationem. Similiter pharmacum purgans, totum corpus perturbans & debilitans est malum naturale, saltem apparens: Et tamen à medico propinatur & ab ægroto sumitur ad præcauendum aut tollendum maius malum.

29 *An malum habeat causam materialem & formalem?*

Thesis negatiua defenditur. FRanciscus Suarez disput. 11. de malo, sect. 3. sententiam affirmantem defendit. In contex. enim 4. dicit, malum, quatenus malum est, habere materialem causam quæ semper sit aliquod bonum. In contex. vero 10. asserit, malum non habere propriam & extrinsecam causam formalem, præter seipsum seu suam malitiam: habere autem posse causam formalem, quodammodo remotam & extrinsecam. Sed hæc sententia non videtur *Ratio I.* esse approbanda, ob sequentes rationes. 1, Quia causa materialis est causa ex qua materiatum est: Malum autem non habet causam ex qua tanquam materiatum sit. *II.* 2, Quia subiectum in quo malitia inhæret, à Suarez confunditur cum causa materiali, quæ distinctas argumentorum species constituunt, vt patet ex ipsarum defini- *III.* tionibus. 3, Quia nulla priuatio proprie induit rationem causæ formalis, respectu eius quod priuatum est, sed tantum improprie & analogice. Ideoque neque ma- *IV.* litia. 4, Quia nulla datur causa formalis proprie dicta, quæ sit extrinseca; sed omnis est intrinseca, quippe, quæ essentiam formati ingreditur.

30 *An omne malum sit in bono, tanquam in subiecto?*

Thesis affir. defenditur QVæstio intelligenda est non de malo in concreto, sed in abstracto, nempe de ipsa malitia. Ac pro thesi *Ratio I.* quidem affirmante faciunt hæc argumenta: 1, Quia malitia est priuatio debitæ bonitatis: Ergo requirit subiectum;

iectum, cui insit, & cui eiusmodi bonitas per naturam debeatur. Illud autem subiectum non potest esse nisi ens, & consequenter, aliquod bonum. 2, Quia si malitia non esset in bono tanquam in subiecto; sequeretur illam aut simpliciter nihil esse, aut omni subiecto inhærentiæ destitui; aut saltem esse in eo, quod simpliciter non ens, seu nihil est: Sed hæc omnia sunt absurda: Ergo & antecedens. 3, Idem testatur Augustinus in Enchiridio, cap. 14. dum inquit: *Mala omnino sine bonis, & nisi in bonis esse non possunt, quamuis bona sine malis esse possunt.* Item alibi: *si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset.* Cæterum in contrariam partem obiici possunt hæc argumenta: 1. *Quicquid est in bono tanquam subiecto, id est ens: Atqui malum non est ens: Ergo malum non est in bono, tanquam subiecto.* 2, *Quicquid destruit bonum, id non est in bono: Atqui malum destruit bonum: Ergo malum non est in bono.* 3, *Nullum oppositum est in opposito tanquam in subiecto: Atqui malum & bonum sunt opposita: Ergo malum non est in bono, tanquam in subiecto.* 4, Si omne malum est in bono tanquam in subiecto, sequitur neque mortem, neque vllum alium interitum essentialem esse vere malum; quia non est in bono aliquo tanquam subiecto; cum neque sit in re quæ interiit, neque in eo quod post corruptionem alterius manet: Sed consequens est contra communem omnium sensum.

[Margin: II. — III. — *Obiectio.* I. — II. — III. — IV.]

Ad primam obiectionem respondeo, propositionem non esse simpliciter veram, sed secundum quid, nempe de eo quod est in bono tanquam subiecto positiue. Malitia autem est in bono, tanquam subiecto non positiue, sed priuatiue, non secus ac cæcitas dicitur esse in oculo: quod esse non significat, ponere aliquid in oculo; sed potius remouere. Et tale esse sufficit ad veritatem propositionis. Ad alteram obiectionem respondeo, vtramque præmissam tantum secundū quid esse veram. Quicquid enim destruit bonum, id non est in bono illo, quod destruit tanquam in subiecto. Malum autē destruit bonum, nō id, in quo inest; sed id, cuius est priuatio. Ergo malum potest esse in bono, nimirum in illo, quod malo tanquam priuationi est substratum. Quod si quis obiiciat, malum nō solū tollere oppositā bonitatem, sed sæpe etiā minuere habilitatem subiecti ad talē bonitatem recipiendam,

[Margin: *Responsio ad obiection.* I. — II. — *Obiectio contra respons. eiusque solut.*]

quæ habilitas est quædam eius perfectio & bonitas. Ideoque malum illud si multum augeatur vel multiplicetur, fieri posse vt omnino destruat bonitatem subiecti. Ad id respondeo, habilitatem subiecti ad bonum, aliam esse accidentariam, cuiusmodi est partim conueniens temperamentum, partim habitus; aliam essentialem. Ac priorem quidem per malum minui aut etiam plane tolli posse, posteriorem autem minime. Si enim habilitas essentialis per malum destrueretur, necesse esset simul destrui essentialiter subiectum cui inest. Sed malum nunquam destruit essentialiter subiectum suum, quam diu ei inest. Quod si interdum per accidens illud ad corruptionem disponat, consequenter etiam disponit ad sui ipsius destructionem, ita vt nunquam maneat sine subiecto

III. bono. Ad tertiam obiectionem respondeo, non omne malum esse oppositum cuilibet bono: Ideoque licet malum non possit esse in bono illo, cuius est priuatio tanquam in subiecto; tamen potest esse in alio bono, quod

IV. ipsi tanquam priuationi est substratum. Ad quartam obiectionem respondeo, mortem, adeoque quemlibet interitum essentialem, quatenus consideratur vt priuatio vitæ seu bonitatis tam essentialis quam accidentalis,

disp.11.sect.3. cont.9. esse vere malum, non tantum in fieri, vt vult Suarez, quatenus subiectum illius paulatim moritur & corrumpitur per alterationes & dispositiones, quæ antecedunt instans mortis & interitus; sed etiam in ipso instanti, quo illud plane destruitur. At illud malum simul cum ipso subiecto desinit esse.

31 *An malum bono opponatur, & quomodo?*

Quæstio explicatur per distinct.

Videtur malum bono non opponi; tum, quia consentiunt inter se vt subiectum & adiunctum, vt patet ex præcedente Problemate, in quo probauimus, omne malum esse in bono tanquam in subiecto; tum, quia nullum oppositum est subiectum alterius oppositi. Sed dicendum est bonum non semper opponi malo; sed tum demum, quando vtrumque in eodem genere consideratur, & quidem secundum omnes leges rectæ oppositio-

Quomodo bonū & malum opponantur.

nis. Alias enim vnum & idem ens diuerso respectu potest esse bonum & malum, vt supra probatum fuit.

Porro de modo, quo opponuntur inter se bonū & malum, magna est inter Philosophos cōtrouersia. Alii enim

statuunt

statuunt malum opponi bono contrarie, seu aduerse; alii priuatiue. Et rursus ex his alii immediate, alii mediate. Sed omissa longiore disputatione, dico, malum quatenus malum, opponi bono, non nisi priuatiue; tum, quia malitia non est aliquid positiuum, sed mera priuatio; tũ, quia nullũ ens dicitur malum quatenus ens, sed quatenus bonitate aliqua debita est priuatum. 2, malum quatenus consideratur secundũ id, quod in eo est positiuum, quandoque contrarie seu aduerse opponi bono. 3, Distinguo inter media quæ statuuntur esse inter opposita. Aliud enim est medium per participationem vtriusque extremi, aliud per negationem vtriusque extremi. Prius non datur inter bonum & malum. Et hoc respectu bonum malo recte dicitur immediate opponi. Posterius vero datur in omni bonorum & malorum genere. In genere enim naturali reperiuntur quædam entia, quæ neque pulchra sunt, neque deformia, neque sana, neque ægrota. In genere morali, quæ neque proba sunt, neque improba, neque iusta, neque iniusta, neque pia, neque impia. Vnde Arist. libr. 1. Metaphys. cap. 22. inquit: οὐ πᾶς ἀγαθὸς, ἢ κακὸς ἢ δίκαιος ἢ ἄδικος, ἀλλὰ καὶ τὸ μεταξύ. Item in libro Categor. cap. de Oppositis: τοῦ φαύλου καὶ τοῦ σπουδαίου μέσον ἐστὶ τὸ μήτε φαῦλον, μήτε σπουδαῖον εἶναι. Denique in genere artificiali quædam entia reperiuntur, quæ neque sunt sapientia, neque insipientia, neque prudentia, neque imprudentia, neque scientia, neque ignorantia. Hoc igitur respectu bonum dicitur malo mediate opponi.



METAPHYSICÆ
LIBER TERTIVS;
De attributis coniunctis & respectiuis entium, De Principio & Principiato, CAPVT I.

THEOREMATA.

1 *Hactenus dictum fuit de attributis coniunctis & absolutis entium. Sequuntur respectiua, quæ consistunt in relatione & habitudine ad aliud.*

2 *Eius generis variæ sunt species, quæ commode in septem classes distribui possunt.*

3 *Prima classis sunt principium & principiatum. Omne enim ens aut est principium, aut principiatum.*

4 *Principium est id, vnde principiatum dependet.*

5 *Estque vel imaginarium, vel reale.*

6 *Principium imaginarium est, quod alicui non nisi secundum nostrum concipiendi modum competit.*

7 *Principium reale est, quod alicui reipsa competit citra mentis nostræ conceptionem.*

8 *Estque vel per se, vel per accidens.*

9 *Principium reale per se est, quod sua propria vi & natura ad principiatum refertur.*

10 *Estque aliud essendi, aliud cognoscendi.*

11 *Principium essendi est, vnde principiatum originē habet.*

12 *Estque vel primum, vel à primo dependens.*

13 *Principium essendi primū est, vnde aliquid primo existit.*

14 *Estque vel simpliciter primum, vel secundum quid.*

15 *Simpliciter primum est, quod nullum habet se prius principium.*

16 *Secundum quid primum est, quod habet aliud se prius principium.*

17 *Principium à primo dependens est, quod primo est subordinatum.*

18 *Vtrumque vel est extrinsecum, vel intrinsecum; vel transiens vel permanens.*

19 *Principiū cognoscendi est, vnde principiatū cognoscitur.*

20 *Estque vel incomplexum, vel complexum.*

21 *Incomplexum est terminus simplex integram sententiam non absoluens.*

22 *Complexum est integra propositio, ex qua conclusio deducitur ac probatur.*

23 *Estque vel immediatum, vel mediatum.*

24 *Immediatum est, quod non habet aliud medium seu principium, per quod à priori δεικτικῶς demonstrari possit. Mediatum, quod contrario modo sese habet.*

25 *Vtrumque vel est commune, vel proprium.*

26 *Commune est, cuius vsum multæ artes sibi vendicant.*

27 *Propriū est, cuius vsus ad vnā duntaxat artem pertinet.*

28 *Sic de principio reali per se. Sequitur principium reale per accidens, quod ad principiatum refertur ex respectu quodam*

dam

dam extrinſeco & accidentario.

29 *Porro principiatum eſt id, quod à principio dependet.*

30 *Eſtque vel imaginarium, vel reale, vel incomplexum, vel complexum.*

IN CAPVT PRIMVM
PROBLEMA I.

Quot modis vocabulum principii *vſurpetur?*

VOcabulum principii ſecundum analogiam quandam variis rebus accommodari ſolet. Nam 1, in omni motu ſeu negotio illud, vnde inchoatur, dicitur principium, ſiue id fiat caſu, ſiue ex arbitrio operantis, ſiue ex conuenientia quadam ipſi rei debita, ſiue ex conditione operantis. Atque hoc modo in ordine doctrinæ exquiſitæ, id quod eſt generalius, & facit ad ſequentium meliorem cognitionem, dicitur principium doctrinæ, quia inde conuenienter inchoatur. 2, in ſucceſſione ſeu ordine temporis aurora dicitur principium diei, Ianuarius principium anni; quia inde incipit dies ſeu annus. 3, in ordine loci, qui primus ſedet vel ſtat, dicitur principium cæterorum. 4, in ordine dignitatis, qui reliquis præeſt ſeu præſtat, dicitur principium. Sic rex dicitur principium ſuorum ſubditorum. 5, quicquid alteri præſupponitur, dici ſolet principium eius. Sic fundamentũ dicitur principium domus, vnitas principium numeri. Et in omni re, quæ extenſionem aliquam habet, vel latitudinem, prima pars, aut primum extremum, quod aliis ſupponitur, dici poteſt principium totius, vel reliquarum partium. 6, quælibet cauſa dicitur principium ſui cauſati. 7, omne ens ſiue incomplexum, ſiue complexum, à quo pẽdet cognitio alterius, dicitur principium cognitionis. Ex quibus omnibus patet aliquid dici principium, aut ſolum ratione ordinis, & cuiuſcunque connexionis, ſeu conſecutionis vnius ad aliud, aut ratione cauſalitatis.

Fr. S. diſp. 12. ſect. 1. cont. 3. Principium variis modis aliquid dicitur.

2 *Quid ſit principium in genere acceptum?*

PRincipium non eſt abſolutum aliquid, ſed reſpectiuum. Ideoque ad intelligendã naturam ipſius, neceſſe eſt conſiderari: 1, id quod denominatur principium, quod poteſt eſſe non tantum ens, ſed etiam non ens. 2, relationem ſeu habitudinem illius ad principium, 3, fun-

Principium eſt aliquid reſpectiuum.

damentum relationis, quod est consecutio vnius ad aliud, seu connexio vnius cum alio. Tres autem potissimum principii definitiones apud Aristotelem reperiuntur. Prima habetur in libro de arte Poetica, cap. 7. ἀρχὴ ἐστὶν ὃ αὐτὸ μὲν ἐξ ἀνάγκης μὴ μετ᾽ ἄλλο ἐστί, μετ᾽ ἐκεῖνο δ᾽ ἕτερον πέφυκεν εἶναι ἢ γίνεσθαι, hoc est, *Principium est, quod ipsum quidem post aliud necessario non est; sed post illud, aliud natum est esse, aut fieri.* Altera in libro De generatione animalium, cap. 7. τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸ ἀρχὴν εἶναι, τὸ αὐτὴν μὲν αἰτίαν εἶναι πολλῶν, ταύτης δ᾽ ἄλλο ἄνωθεν μηδέν. Hoc est, *principium esse vt ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.* Tertia, in lib 5. Metaph, c. 1. πασῶν κοινὸν τῶν ἀρχῶν τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἢ ἐστιν, ἢ γίνεται, ἢ γινώσκεται. *Omnibus principiis commune est esse primum id, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Sed ex his tribus definitionibus sola vltima est simpliciter generalis, quemadmodum ipse Philosophus indicat. Per τὸ πρῶτον enim vt Fonseca explicat, Aristoteles intelligit omne id, quod vel simpliciter, vel à certo aliquo non præceditur, siue sit primum primitate temporis, siue loci, siue naturæ & originis, siue ordinis, siue cognitionis. Per τὸ ὅθεν, intelligit omnes essendi, fiendi & cognoscendi modos, quales sunt, post quod, à quo, ex quo, per quod, ad quod & propter quod, & si quæ alia est eius particulæ significatio. Per cæteras particulas denotat, vt idem Fonseca ait, tria principiorum genera, quorum vnum dicitur *essendi*, alterum *fiendi*, tertium *cognoscendi*. Reliquæ vero duæ definitiones sunt speciales, neque omni simpliciter principio competunt. Prima enim tantum vera est de principio, quod competit enti, initium, medium & finem habenti, quodque medio & fini seu extremo opponitur, vt præcedentia & consequentia verba Aristotelis in citato capite demonstrant. Altera tantum vera est de principio, quod causa alterius est, vel simpliciter, vel secundum quid prima. Cæterum cum tertia definitione Aristotelis plane congruit ea, quæ supra in præceptis huius capitis est tradita, nempe *Principium est, vnde principiatum dependet.* Definitio autem Thomæ qua *principium dicitur esse id, à quo aliquid procedit quocunque modo*, ab eadem videtur dissentire. Neque enim omnino est generalis sed specialis, propter particulam A QVO, quæ omnes modos essendi fiendi & cogno-

Definitiones tres principii ex Aristot.

I.

II.

III.

Ex genere definitionum trium.

Collatio aliarum definit. cũ vlt Arist.

1 p. 5. T. q. 33. art. 1.

cognoscendi, quorum paulo ante in explicatione definitionis Aristotelicæ facta fuit mentio, commode in se non comprehendit & includit.

3 *An principium vere & sufficienter diuidatur in principium essendi & cognoscendi?*

VSitata est & trita apud Philosophos diuisio principii in principium essendi & cognoscendi; seu, quod idem est, in *principium rei, & principium cognitionis.* De illa igitur non immerito quæritur, *vtrum sit vera & sufficiens?* Videtur enim quod impugnari possit his rationibus: *Pro thesi negante. Ratio*

1, Quia membra illius inter se non dissentiunt. Omne enim principium essendi est etiam principium cognoscendi, tametsi non omne principium cognoscendi, sit principium essendi. *I.*

2, Quia non adæquata est suo diuiso. Nam præter principium essendi & cognoscendi primum datur principium fiendi, quod neque ad constitutionem, neque ad cognitionem, sed ad productionem sui principiati requiritur. Et hoc etiam indicant Scholastici, quando asserunt principia productionis non semper esse principia rei productæ. Deinde datur principium operandi, siue simpliciter, siue cum determinatione, bene vel male; quod neq; ad constitutionem, neq; ad cognitionem, neque ad productionem, sed ad operationem pertinet. *II.*

Cæterum vt veritas quæstionis propositæ illustrior fiat, simulque rationibus contrariis satisfiat, obseruanda sunt aliquot theoremata: *Veritas quæst. explicatur per certa theor.*

1, Principium essendi modo late sumitur, pro quolibet principio tam extrinseco, quam intrinseco, vnde principiatū in esse suo pendet, siue fiat, siue factum sit; modo stricte, pro principio intrinseco, quod principiati constitutionem ingreditur, & in eo iam cōstituto permanet. In priore significatione principium essendi includit in se principium fiendi & operandi. Et hoc etiam inde patet, quod principium rei à quibusdam aliud dicitur esse effectionis, aliud constitutionis rei; seu, quod idem est, aliud *productionis*, aliud *rei productæ.* Idem testatur axioma illud vsitatum: *Vnde res habet, vt sit, inde habet vt operetur.* In posteriore vero significatione principium essendi angustius patet, ac principium fiendi. Licet enim omne principium essendi sit etiam principium fiendi; tamen non omne principium fiendi *I.*

est etiam secundum alteram significationem principium essendi. 2, Principium cognoscendi aliud est principium cognitionis distinctæ & perfectæ, aliud cognitionis confusæ & imperfectæ. Prius si est incomplexum, est simul principium essendi, seu rei cognitæ; si vero complexum, minime. Hinc causæ recte dicuntur tum principia essendi suorum causatorum, tum principia distincte cognoscendi ea. Vnde enim res habet vt sit, inde etiam habet, vt cognoscatur scilicet perfecte. Præmissæ vero in syllogismo sunt quidem principia cognoscendi conclusiones, sed non sunt principia essendi. Posterius siue sit incomplexum, siue complexum, nunquã est principium essendi seu rei cognitæ. Sic effecta sunt principia confuse cognoscendi causas; sed nunquam possunt esse principia ipsarum causarum, quæ cognoscũtur. 3, Principium essendi & principium cognoscendi semper inter se dissentiunt, quatenus vnumquodque secundum propriam suam rationem consideratur. Nullum enim principium essendi sub ea ratione qua est tale, simul est principium cognoscendi, & vice versa; tametsi vnum & idem ens sub diuersa ratione simul possit esse principium essendi & cognoscendi respectu eiusdem principiari. Proinde concludo diuisionem illam principii in essendi & cognoscendi principium esse veram & sufficientem.

II.

III.

4 *An omne ens creatum à principio aliquo pendeat, & quodnam illud sit?*

Omne ens creatum habet principiũ. Principium entis creati quotuplex in genere.

CVm nullum ens creatum in tota mundi vniuersitate reperiatur quod à seipso extiterit, necessario sequitur omne ens creatum à principio aliquo extitisse. Illud autem principium vel est primum, vel secundum. Primum, est solus Deus æternus & omnipotens. Secundum principium partim est Natura, partim Ars. Per naturam hoc loco intelligo omnem creaturam, quatenus ex vi naturæ sibi insitæ agit, siue sit incorporea, siue corporea; siue intelligens, siue intelligentiæ expers; in primis vero causas physicas, quæ sæpe ab Aristotele nomine *Natura* denotantur, vt cum Deum & Naturam nihil frustra facere asserit. Per *Artem* similiter intelligo quamlibet creaturam intelligentem, quatenus ex habitu virtutis vel intellectualis vel moralis agit, seu efficit aliquid.

Illud

Illud autem ſecundum principium à primo pendet, quatuor potiſſimum modis: 1, ratione ordinis. Non enim fieri poteſt, vt ſecundum ſit abſque primo. 2, ratione eſſentiæ. Quia ſecundum à primo habet, vt ſit ens. 3, ratione conſeruationis. Quia ſecundum principium ne ad momentum quidem ſubſiſtere & durare poteſt, niſi à primo conſeruetur. 4, ratione cauſandi: Quia ſecundum vim cauſandi à primo accipit, & ſine eo nullum ens producere poteſt.

Principium ſecundum quot modis pendeat à primo.
I.
II.
III.
IV.

5 *An Deus ſit principium ſimpliciter primum omnium extra ſe entium?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, Quia Deus eſt ens primum & increatum, vt ſupra lib. 1. c. 5. p. 13. probatum fuit. 2, Quia nullum habet principium ſeprius. Vnde etiam rectè dicitur *ἄναρχος*. 3, Quia omnia alia extra Deum principia à Deo conſtituta & ordinata ſunt, omnemque vim cauſandi accipiunt. 4, Quia nullum ens extra Deum eſt, quod à Deo ſuam non habeat originem & ad Deum vltimo non referatur. Vnde non immerito comparari ſolet, modo cum centro; à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ exeunt, & ad quod viciſſim redeunt; modo cum oceano, ex quo omnes fluuii exeunt, & ad quem viciſſim tedeunt; modo cum vnitate, à qua omnis multitudo oritur, & in quam vltimo reſoluitur. Et hoc etiam paſſim in ſuis libris teſtatur ipſe Ariſtoteles. In libro enim octauo Phyſicæ auſcultationis aliquoties Deum vocat *primum mouens*, ſeu, *primum motorem*. In libro vero de Mundo, cap. 5. ait: *ex Deo eſſe omnia, & per Deum omnia conſtare, neque vllam naturam ſibi eſſe per ſe ſufficientem, ſi diuino conſeruationis adminiculo deſtituatur.* Item lib. 1. Metaph. dicit, *Deum omnibus eſſe cauſam & principium quoddam.* Porro notandum eſt, Deum tribus potiſſimum modis dici primum omnium extra ſe entium principium; 1, quatenus eſt primum efficiens; 2, quatenus eſt primus & vltimus finis. 3, quatenus eſt prima forma exemplaris. Sicut enim opera artificum efformantur ſecundum ideas, quas ipſi in mente conceperunt: Ita etiam omnia entia creata, quatenus ſunt entia, ad ſimilitudinem & imitationem idearum, quas ab æterno Deus in mente ſua habuit, in tempore efformantur & exprimuntur.

Pro theſi affirm. Ratio I.
II.
III.
IV.
Teſtimon. Ariſt.
Trib. modis Deus dicitur primum principium.

6 *An principium prius sit principiato?*

Pro thesi affirmante

SEntentiam affirmantem defendit Franciscus Suarez disput. 12. sect. 1. & cum eo omnes fere alii Metaphys. Doctores. *Si enim*, inquit context. 8. *commune est omni principio, vt sit aliquo modo prius principiato*; Item cont. 10. *In vniuersum verum est, omne principium esse aliquo modo prius eo, cuius est principium.* Ratio huius assertionis est: 1, Quia principium est primum id, vnde aliquid est, fit, & cognoscitur. Ideoque semper à principiato præsupponitur. 2, Quia inter principium & principiatum datur ordo aliquis, qui sine ratione prioris & posterioris, neque esse, neque cogitari potest. At pro contraria sententia obiici potest: *Quæ natura simul sunt, illorum vnum non est prius altero: Atqui principium & principiatum sunt simul natura.* Sunt enim relata, quorum proprietas essentialis est esse simul natura: *Ergo principium non est prius principiato.* 2, *Si quoddam principium posterius est principiato, sequitur falsum esse omne principium esse prius principiato: Sed verum est antecedens: Ergo & consequens.* Assumptio probatur, quia effecta sunt principia cognoscendi causas, & tamen his posteriora. Sic creaturæ sunt principia cognoscendi Deum creatorem; & tamen illo posteriores.

Ratio I.

II.

Pro thesi negante. Ratio I.

II.

Quæst. decid. per certa Theor.

Pro decisione igitur quæstionis notanda sunt aliquot Theoremata: 1, Principium & principiatum quatenus relate considerantur, semper esse simul natura respectiua; quatenus vero absolute considerantur, non itidem. 2, principiatum, quatenus est principiatum, supponere quidem principium, sed non præsupponere; cum natura simul sit cum eo. 3, Inter principium & principiatum in rebus creatis dari ordinem aliquem non quatenus relate, sed quatenus absolute, sine relatione illa cōsiderantur. 4, Nullum principium siue essendi, siue cognoscendi, quatenus est principium, posterius esse eo, cuius est principium. Ideoque neque effecta suis causis; neque creaturas, creatore, quatenus nimirum vt principia cognitionis considerantur.

I. *II.* *III.* *IV.*

7 *An principium recte dicatur dimidium rei faciendæ, aut etiam plus quam dimidium?*

Thesis affir. defend.

SEntentiam affirmantem statuit non tantum Plato in dialogo 6. De legibus, sed etiam ipse Aristoteles. Nam lib.

lib.1 Ethic.cap.7.ait: *δοκεῖ πλεῖον, ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχή* hoc est, *videtur principium plus quam dimidium esse totius.* Et lib.2 Sophist.Elench.cap.vlt. inquit: *μέγιστον ἴσως ἀρχὴ παντὸς ὥσπερ λέγεται*, hoc est, *Principium fortassis est maxima pars, vt dicitur totius.* Cum quibus Philosophis consentit etiam illud Poetæ: *Dimidium facti, qui bene cepit, habet.* Quod si quæras de ratione huius assertionis, illa duplex ab Aristotele potest afferri. Prima reperitur lib. 5. De generatione animalium, cap. 7. *αἱ ἀρχαὶ μεγέθει οὖσαι μικραὶ, τῇ δυνάμει μεγάλαι εἰσί*, hoc est, *Principia magnitudine seu quantitate quidem sunt parua; virtute autem sunt magna.* Item lib.1. De cœlo, c.5. *Principium virtute maius est; quam quantitate. Ideoque quod in principio paruum, id in fine est omnino magnum.* Altera reperitur in lib.2 Sophist.elenchorum, cap.vltimo, vbi ait *principium inuentu esse difficillimum.* Illo autem inuento facile esse id quod reliquum est, adiicere & conferre. Quod dictum non tantum de principio inuentionis; sed etiam operationis verum est. Omnium enim rerum principia sunt grauia, siue illæ res sint inueniendæ, siue faciendæ. Illis vero superatis reliqua faciliora redduntur. Vnde etiam vulgo dici solet: *Difficile est inuenire aliquid, sed inuentis aliquid addere est facilimum.*

Ratio. I.

II.

8 *An inter principia complexa disciplinarum detur aliquod simpliciter primum; & quodnam illud sit?*

NVlla disciplina est, quæ non habeat sua principia cõplexa, quæ quasi basis & fundamentum sunt, super quod totum ipsius ædificium est extructum. Quia vero in eiusmodi principiis disciplinarum non datur progressus in infinitum, necesse est vt detur aliquod simpliciter primum principium, à quo cætera omnia pendeant, & in quod vltimo resoluantur. Illud à quibusdam statuitur esse hoc pronunciatum, *Ens est ens:* propterea quod nulla enunciatio notior esse videatur & euidentior ea, qua aliquid affirmatur de seipso. Quia vero prædicatio identica, est artis expers, & pene nugatoria; neque in artibus admittitur, tantum abest, vt ad eam omnium disciplinarum principia reuocentur; idcirco alii affirmant principium simpliciter primum esse, axioma illud tritum,

Datur principiũ simpliciter primum complexum.

Quodnã sit illud principium simpliciter primum complexum.

Quodlibet est aut non est; seu, quod sensu idem est, *De quolibet vera est affirmatio, aut negatio.* Sed quod illud etiam non sit simpliciter primum, id patet ex eo, quod suapte natura adhuc aliud habet principium se prius, ad quod reuocetur. Si enim quis ita argumentetur: *De homine affirmatur animal, Ergo non negatur:* Et alius quisquam petat rationem consequentiæ: necesse est vt ad aliud principium recurratur, in quo ratio consequentiæ sit fundata, & animus etiam interrogantis acquiescat. Id autem est axioma illud vsitatissimum, *impossibile est contradictoria simul esse vera*, seu quod idem valet, *Impossibile est aliquid simul esse & non esse*, seruatis sc. omnibus legibus contradictionis. Ac quod illud solum inter principia complexa disciplinarum mereatur nomen principii simpliciter primi, id patet ex rationibus quas supra libr. 2. cap. 5. p. 14. ex Arist. aliisque autoribus attuli, quo breuitatis studio lectorem remitto.

9 *An vllius principii cognitio sit homini innata?*

Pro thesi neg. Ratio I. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1. Quia homo nascitur cum ignorantia negatiua omniũ rerum. Ideoque mens ipsius ab Aristotele confertur cum tabula, in qua actu nihil est scriptum; omnia tamen scribi

II. possunt. 2. Quia omnis intellectio & cognitio humana à sensu suam habet originem; cum nihil homo intelligere & cognoscere possit absque ope phantasmatum per sensum acquisitorum. Et hoc etiam testatur tritum illud Philosophorum: *Nihil est in intellectu quod non prius fuit in sensu.* Cuius sensus est, *nihil cadere sub intellectionem*

III. *hominis, nisi prius aliquo modo sensu fuerit perceptum.* 3. Quia habitus seu notitia principiorum vniuersalium, vt Aristoteles prolixe comprobat libro 2. Poster. analyt. cap. vltimo, per sensum & experientiam, primũ omnium ex obseruatione & inductione singularium acquiritur

Obiectio. & comparatur. Verum hæc sententia videtur reclamare non tantum sacræ Scripturæ; sed etiam communi hominum opinioni. Illa enim in Epistola ad Romanos cap. 2. asserit *gentes natura, quæ legis sunt facere, eiusque opus in cordibus scriptum habere.* Hæc vero statuit multa principia tam Theoretica quam practica nobis esse naturaliter nota, seu notitiam multorum principiorum nobis à natu-

à natura esse insitam, cuiusmodi sunt: *Quodlibet est & non est: Bis quatuor sunt octo: Totum est maius qualibet sua parte: Omne honestum est expetendum, omne turpe fugiendum,* &c. Vt igitur huic obiectioni occurratur, notanda sunt sequentia Theoremata: 1, Homini innatam quidem esse facultatem & habilitatem ad comparandam cognitionem principiorum; non autem ipsam cognitionem, vt probant rationes supra allatæ. 2, Multa quidem principia tam euidentis per se esse veritatis, vt ab homine ratione recte vtenti solo naturali intellectus lumine, sine præceptoris institutione aut demonstratione cognoscantur. Illorum tamen principiorum notitiam proprie non esse innatam, hoc est, eo ipso momento homini insitam, quo ipse in vtero materno cœpit esse homo; sed potius aduenticiam. 3, Gentes dici habere opus legis scriptum in cordibus suis, non alio sensu, quam quod naturaliter, hoc est, naturali intellectus lumine cognouerint id, quod Lex Mosaica inculcabat & sub typo tradebat. 4, Tantum abesse, vt homini principiorū illorum, quorum in obiectione facta est mentio, notitia sit innata, vt nullus homo inueniatur, qui terminos saltem simplices, ex quibus constant, aut ipsa vocabula, quibus significantur, intelligat, antequam ex institutione vel parentum vel præceptorum didicerit.

Responsio ad obiect. per certa Theor. *I.* *II.* *III.* *IV.*

10 *An posito principio necesse sit semper poni id, cuius est principium?*

PRo thesi negante est communis experientia. Videmus enim multas res inchoari à suis causis, tum naturalibus, tum moralibus, tum artificialibus, quæ tamen ad perfectionem suam nunquam perueniunt; sed inchoatæ relinquuntur aut corrumpuntur. Sic natura aliquando bonum principium ponit alicuius corporis generandi, quod tamē propter certa impedimenta nunquam absoluitur. Sic artifex sæpe bonum fundamentum domus, aut alterius operis artificialis iacit, quod tamen nunquam consummatur. Non igitur necesse est, posito principio semper poni id, cuius est principium. Sed hæc conclusio videtur pugnare cū natura relatorum, quæ ita sunt comparata, vt se mutuo ponant ac tollant. Proinde vt hæc difficultas tollatur, quidam respondent principio posito, semper poni id, cuius est principium, si non semper

Quæst. explic. per distinct.

ſecundum realem exiſtentiam, ſaltem ſecundum intentionalem. Semper enim is qui principium alicuius rei ponit, intendit rem ipſam, cuius eſt principium; tametſi propter cauſas impedientes, quæ interueniunt, non ſemper perfectio & realis illius exiſtentia conſequatur. Sed verior videtur eſſe reſponſio, ſi diſtinguatur inter principium, quatenus relate vt principium conſideratur, & quatenus idem ſine relatione, vt ens quoddã abſolutum conſideratur. Priore modo vera eſt theſis affirmatiuã quæſtionis; poſteriore autem non: Sæpe enim aliquod ens abſolutum actu ponitur & exiſtit, quod tamen rationem principii actu non ſuſcipit, niſi quando actu ſimul principiatum ipſum ponitur.

De Cauſa & Cauſato,

CAPVT II.

THEOREMATA.

1 *Secundæ claſſis attributa reſpectiua ſunt cauſa & cauſatum. Omne enim ens aut eſt cauſa, aut cauſatum.*

Cauſa in genere quid ſit. 2 *Cauſa eſt principium, vnde cauſatum dependet.*

3 *Eius cum diſtinctiones generales, tum ſpeciales ſunt conſiderandæ.*

Diſtinctiones generales cauſæ ſumuntur. 1. ex modo cauſandi. 4 *Diſtinctiones generales aliæ ſumuntur ex modo, aliæ ex ordine cauſandi, aliæ ex natura & conditione ipſius cauſæ.*

5 *Secundum modum cauſandi cauſa primo alia eſt per ſe, alia per accidens; quarum illa vi propria; hæc, vi extranea cauſatur.*

I. 6 *Deinde cauſa alia eſt ordinaria, alia extraordinaria; quarum illa ſecundum, hæc præter vel ſupra communem & vſitatum Naturæ ordinem cauſatur. Vnde ſicut illa dicitur* naturalis; *ita hæc* præternaturalis, *vel* ſupernaturalis.

II.

III. 7 *Tertio, cauſa alia eſt neceſſaria, alia contingens; quarum illa neceſſario, ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundum quid, hæc, contingenter cauſatur.*

IV. 8 *Quarto, cauſa alia eſt naturalis, alia proæretica; quarum illa ex ſola Natura vi & inſtinctu ſine proæreſi; hæc cum proæreſi, ſeu, ex libera & voluntaria conſtitutione & ordinatione cauſatur. Eſtque vel moralis, vel artificialis.*

V. 9 *Quinto, cauſa alia eſt communis, alia propria; quarum illa generalem; hæc, ſpecialem cauſandi influxum præſtat. Vnde et-*

de etiam ab aliis illa generalis seu vniuersalis, hac specialis, seu particularis dici solet.

10 *Secundum ordinem causandi primo causa alia est prima, alia secunda.* 2. ex ordine causandi.

11 *Prima causa est, qua in causando primum & supremum locum obtinet.* I.

12 *Estque vel simpliciter, vel secundum quid prima.*

13 *Simpliciter prima est, qua nullam prorsus aliam causam se priorem & superiorem habet; seu, qua in causando ab alia plane est independens.*

14 *Secundum quid prima est, qua certo duntaxat respectu, seu in certo genere & ordine causa prima est.*

15 *Secunda causa est, qua à prima in causando dependet.* II.

16 *Deinde causa alia est immediata, seu proxima, alia mediata: eaque vel remota, vel propinqua. Aut enim sine, aut cum alterius causa in eodem genere interuentu causatur: & rursus vel remote, vt multa; vel propinque, vt vna duntaxat causa interueniat.*

17 *Tertio, causa alia est solitaria, alia socia; quarum illa sine; hac, cum alia eiusdem generis vel ordinis, causatur.* III.

18 *Et rursus vel est coordinata, vel subordinata; siue per se, siue per accidens; siue necessario, siue contingenter.*

19 *Huc referri etiam potest causa totalis & partialis; quarum illa, sufficiens est ad causandum sine alterius consortio; hac, insufficiens.*

20 *Secundum naturam & conditionem ipsius causa primo causa alia est principalis, alia minus principalis; quarum illa in causando primarias; hac, secundarias partes obtinet.* 3. ex natura & conditione ipsius causa.

21 *Deinde causa alia est vniuoca, alia aequiuoca; quarum illa, eiusdem est cum causato speciei; hac vero, non.* I. II.

22 *Tertio, causa alia est substantialis, alia accidentalis; quarum illa secundum absolutam suam essentiam est substantia; hac, accidens.* III.

23 *Sic de distinctionibus generalibus causa. Sequuntur species, quibus illa distinctiones accommodari suo modo possunt.* Species causa.

24 *Est autem causa alia extrinseca, alia intrinseca.*

25 *Extrinseca causa est, qua extra essentiam sui causati existit.*

26 *Estque vel finis, vel efficiens.*

27 *Finis est causa extrinseca, cuius gratia finitum est.* De fine.

28 *Estque vel vltimus, vel vltimo subordinatus.*

29 *Vltimus est, ad quem reliqui fines referuntur.*

30 *Estque vel simpliciter, vel secundum quid vltimus.*

31 *Simpliciter vltimus est, qui nullum prorsus alium finem habet, ad quem referatur.*

32 *Secundum quid vltimus est, qui certo duntaxat respectu talis est.*

33 *Vltimo subordinatus est, qui tanquam intermedius ad vltimum refertur.*

De efficiente. 34 *Efficiens est causa extrinseca, à qua effectum est.*

35 *Estque vel principalis, vel minus principalis.*

36 *Minus principalis vel est impulsiua, vel instrumentalis.*

37 *Impulsiua est, quæ efficientem principalem ad efficiendum impellit.*

38 *Estque vel externa, vel interna, Græce* προκαταρκτικὴ, ἢ προηγουμένη, *quarum illa, extra; hæc, intra principalem efficientem existit.*

39 *Instrumentalis est, quæ principali efficienti inseruit, ab eaque ad efficiendum assumitur.*

40 *Estque vel actiua, vel passiua.*

41 *Actiua est, quæ in causando sese mouet, & vulgo dicitur* causa cooperans *seu* administra.

42 *Passiua est, quæ in causando ab alio duntaxat vel mouetur, vel respicitur. Ad hanc pertinet causa exemplaris.*

43 *Hactenus de causa extrinseca. Sequitur causa intrinseca, quæ essentiam causati constituit.*

44 *Estque vel materia, vel forma.*

De Materia. 45 *Materia est causa intrinseca, ex qua materiatum est.*

46 *Estque vel sensilis vel intelligibilis: seu, quod idem est, vel corporea, vel incorporea.*

47 *Sensilis materia est, ex qua materiatū corporeū constat.*

48 *Estque vel transiens, vel permanens, quarum hæc actu manet in materiato; illa non nisi potentia.*

49 *Intelligibilis materia est, ex qua materiatum incorporeum constat.*

De Forma. 50 *Forma est causa intrinseca, per quam formatum est.*

51 *Estque alia generica, quam formatum à suo genere habet: vel specifica, per quam formatum in certa specie constituitur, & essentialiter ab aliis discernitur.*

Causatum quid sit in genere. 52 *Sic de causa. Restat causatum, quod est principiatum à causa dependens.*

53 *Idque respectu efficientis proprie dicitur effectum; respectu*

ctu materiæ materiatum; respectu formæ, formatum; respectu finis, finitum

54 *Et pro diuersitate causæ vel est per se, vel per accidens: vel ordinarium, vel extraordinarium, vel necessarium, vel contingens: vel naturale, vel proæreticum; idque vel morale, vel artificiale, &c.*

IN CAPVT SECVNDVM

PROBLEMA I.

Vtrum ad Metaphysicam pertineat, agere de causis, & quomodo?

Aristoteles in tribus locis potissimum de causis tractat; primo quidem lib. 2. Poster. analyt. cap 11. & sequentibus Deinde lib. 2. Physicæ auscultationis, cap 3. & sequentibus. Postremo lib 5. Metaph. c. 2. Hinc igitur inter Philosophos quæstio fuit excitata ad quam disciplinam proprie hæc doctrina sit referenda. Ac Ramus quidem eiusque discipuli rigidiores in illam sententiam abierunt, vt assererent ex Physicæ & Metaphysicæ terminis omnino esse eliminandam generalem de causis doctrinam, tanquam alienam & heterogeneam; soli vero Logicæ veluti propriã & homogeneam esse adiudicandam. Huic vero sententiæ hactenus multi Scholæ Peripateticæ patroni reclamarunt, qui tamen ex difficultatum tricis quæ hinc inde obiectæ fuerunt, non bene se expedire potuerunt, neque veritatem plane explicarunt. Vt igitur controuersia illa rectius dirimatur, puto distinguendum esse inter tractationem causarũ generalem & specialem. *Generalem* voco quando de causis, earumq; naturis & generibus agitur sine limitatione ad certum entium genus. Et hæc rursum est duplex: Vna *realis*, in qua considerantur causæ quatenus sunt attributa generalissima entium. adeoque species principii. Et hæc solius Metaphysicæ est propria. Illa enim sola cõtemplatur in genere omnia entia, eorumque attributa generalissima, cuiusmodi sunt principiũ & causa. Altera est quasi *notionalis*, in qua considerantur causæ, quatenus sunt termini technologici artis Log. & species argumentorũ, ex quib. definitiones, distributiones propositiones & syllogismi constituuntur ac diiudicantur. Seu, vt clarius loquar, quatenus conferunt ad modũ bene disserendi & sciendi. Et hæc solius Log. est

Origo cõtrouersiæ exponitur.

Deciditur controuers. per distinct.

Tractatio de causis.

1

Generalis.

propria. Illa enim sola tradit & explicat instrumenta bene disserendi & sciendi, & quæ ad illa pertinent. *Specialem* dico, quando de causis agitur, cum limitatione ad certum entium genus quod in aliqua disciplina tractatur. Et hæc nullius disciplinæ est propria, sed omnibus suo modo communis. Nulla enim disciplina est siue contemplatrix, siue operatrix, quæ non specialiter de causis rerum illarum, quæ in ea considerantur, tractet. *Contemplatrix* enim propositam sibi habet perfectam cognitionem rerum, quas tractat: illa autem acquiri non potest, sine explicatione & cognitione causarum, quibus res constant. Scire enim est rem per causas cognoscere. *Operatrix* vero propositam sibi habet operationem, hoc est, effectionem seu assecutioně alicuius finis. Illa autem obtineri nõ potest, nisi media explicentur & cognoscantur, quæ necessaria sunt ad effectionem seu assecutionem finis. Hinc Logicus agit de causis rerum logicarum; Metaphysicus de causis rerum Metaphysicarum; Physicus de causis rerum Physicarum; Ethicus de causis rerum Ethicarum; Politicus de causis rerum Politicarum; Theologus de causis rerum Theologicarum; Iureconsultus de causis rerum Iuridicarum; Medicus de causis rerum Medicarum: & sic deinceps. Errat igitur *Ramus*, non tantum in eo, quod sine vlla adhibita distinctione generalem doctrinam de causis Metaphysicæ adimit, & soli Logicæ attribuit; verum etiam, quod in Logica sua tales causarum definitiones affert, quæ non competunt causis, quatenus sunt species argumenti, nempe generis illius technologici à se constituti; sed quatenus sunt causæ & attributa entium. Aliud enim est considerare causam, quatenus est causa, aliud, quatenus est species argumenti: cum ratio essentialis causæ, quatenus est causa, consistat in causatione; in argutione vero quatenus est argumentum: & longe aliud sit causari, aliud arguere, hoc est, declarare vel probare aliquid.

II. Specialis.

2 *An causa & principium idem omnino sint?*

Thesis negatiua defenditur.

ETsi ex quibusdam textibus Aristotelis videtur probabiliter concludi posse, causam & principium idem omnino esse; tamen si mentem Philosophi recte perpendamus, præsertim in cap. 1. & 2. lib. 5. Metaph. expressam, non aliter concludere possumus quam contrarium ab ipso

ipso statui. Et hoc etiam testantur & conuincunt discrimina, quæ à Doctoribus Scholasticis afferri solent ad distinguendum causam à principio. Nam 1. causam à principio differre asserunt ratione ambitus. Omnem siquidem causam esse principium, sed non omne principium esse causam; cum terminus, à quo incipit motus, sit principium motus; Rex principium subditorum; filius primogenitus principium reliquorum, &c. neque tamen vllus ex his sit causa sui principiati. 2, ratione proprietatis essentialis. Omnem siquidem veram & proprie dictam causam non tantum respectu essentiæ suæ absolutæ priorem esse causato; sed etiam diuersæ numero ab eo essentiæ: non autem omne principium respectu essentiæ suæ absolutæ, prius esse suo principio, neque diuersæ numero ab eo essentiæ, vt liquet in personis diuinis, quarum vna est principium alterius; tametsi singulæ eadem numero essentia conueniant, adeoque coæternæ sint. Et propter hanc rationem etiam Thomas Aquinas 1. p. 5. T. qu. 33. art. 1. expresse docet, *In Deo vnam personam esse principium alterius, sed non causam.* 3, ratione subiecti, cui attribuitur. Omnem enim veram & proprie dictam causam esse ens, aut saltem aliquid positiuum; Sed non omne principium esse ens, aut aliquid positiuum; cum etiam non enti, cuiusmodi est priuatio, attribuatur. 4, ratione effecti: Omnem enim veram & proprie dictam causam dare esse aliquod absolutum suo causato; non autem omne principium suo principiato. Cæterum ex his 4. discriminibus posteriora duo non videntur esse simpliciter vera; tum, quia etiam priuatio potest rationem suscipere causæ veræ & proprie dictæ; tum, quia vera & proprie dicta causa non semper dat esse aliquod absolutum; sed sæpe duntaxat esse respectiuum, vt patet ex causis relationum & relatorum.

Discrimẽ inter causã & princ. recens. *I.* *II.* *III.* *IV.* *Posteriora duo discri. nõ simpl. vera.*

3 *Quid sit causa in genere?*

VT hæc quæstio rectius explicetur, primum omnium excutienda est homonymia vocabuli *causæ*. Illud enim modo improprie, modo proprie vsurpatur. Improprie 1, pro ipso ente absoluto quod rationem causæ suscipit. 2, pro quolibet principio, siue respectum habeat

Homon. vocab. causæ excutitur.

ad causatum, siue non. Et hoc modo vulgo causa dicitur, non tantum quicquid ad aliud quouis modo requiritur, siue sit occasio, siue conditio aliqua necessaria: Sed et iam quælibet ratio ad probandum allata, siue ex loco causarum sit sumpta, siue aliunde. 3, pro causa duntaxat efficiente. Proprie vero vsurpatur pro certa specie principii, nempe illa, quæ relationem habet ad causatũ quatenus est causatum. Et in hac sola significatione pertinet ad quæstionem propositam. Etsi vero Aristot. in suis scriptis nullibi generalem aliquam causæ definitionem tradit; imo neque proprie dari posse à quibusdam statuitur; tamen posteriores Philosophi in illa assignanda plurimum laborarunt. Hinc causa in genere definitur, modo id per quod satisfit quæstioni propter quid; modo id, ad quod aliud sequitur; modo id, a quo aliquid per se pendet; modo id, per quod aliquid contingit; modo id, quod tribuit esse rei; modo id, cuius vi res est; modo principium per se influens esse in aliquid. Sed hæ definitiones omnes si recte ad præcepta Logicæ examinentur, vitiosæ deprehenduntur. Aut enim plane essentiam definiti non explicant; aut explicant quidem aliquo modo, sed sunt vel latiores, vel angustiores suo definito. Itaque alia melior ac perfectior nobis erit inuenienda & constituenda.

Diuersæ defin. aliorum recens. & reiiciuntur.

Quod vt commodius fiat, videndum in quo genere entium causa ponatur. Constat autem inter omnes Philosophos causam proprie acceptam, non esse ens absolutum, sed respectiuum, neq; abstractum, sed concretum. Est enim causalitas seu causatio relatio inter causam & causatum intercedens, cuius subiectũ est ens absolutum, quod à causatione actiua causa denominatur: Fundamentum est partim potentia, partim actus causandi aliquid: Terminus est ens absolutum, quod à causatione passiua causatum denominatur. Præterea constat inter omnes Philosophos in definiendis relatis genus sumendum esse ex ordine entium relatorum; si modo illud haberi potest; differentiam vero specificam ex ordine correlatorum.

Causa est ens respect.

Itaque recte causa in genere definitur, quod sit principium vnde causatum dependet. Hæc enim definitio essentiam causæ generaliter acceptæ, perfecte explicat, eaq; neque latior est, neq; angustior. Ex quo porro sequi-

Definitio perfecta causæ in genere.

sequitur causam non esse genus omnino æquiuocum, sed vel vniuocum, vel saltem analogum.

4 *An causa recte dicatur alia potentia, alia actu?*

ETsi vsitatum est apud Aristotelem & alios nonnullos Philosophos causas ita distinguere, vt aliam dicant esse potentia causam, aliam actu: nobis tamen talis distributio videtur omnino esse reiicienda; tum, quia pugnat cum natura causæ quæ non immediate constituitur à potentia, sed ab actu causandi; tum, quia grauem secum errorem trahit, quasi possit ens aliquod reuera dici causa, quæ tamen actu non causatur, modo habeat potentiam causandi. Hinc Aristoteles libr. 4 Topic. cap. 5. reprehendit eos, qui calumniatorem aut furem à potentia calumniandi definiunt, non ab actu Et postea subiicit hanc generalem rationem: Οὐδεὶς τῷ δύνασθαι εἶναι τι τῶν τοιούτων λέγεται. *Nemo quia potest aliquid horum esse, talis dicitur.* Eodem igitur modo nullum ens, quia potest esse causa, idcirco statim causa est. Neque obstat illa vulgata distributio entis, qua passim in suis libris vtitur Aristoteles, quod scilicet *ens aliud sit actu, aliud potentia.* Illa enim nisi sano modo explicetur, non minus est vitiosa & reiicienda, ac omnes speciales distributiones, quæ ex ea, tanquam riuuli ex fonte deriuantur Omne enim ens, qua ens, includit actum secundum omnes temporum differentias. & quod tantum potest esse ens, id ens recte dici non potest; non secus ac is, qui potest esse fur vel adulter, vel calumniator, non recte dicitur fur, vel adulter, vel calumniator.

Thesis negat. defenditur.
Ratio I.
II.
Prolepsis.

5 *An omnis causa prior sit suo causato?*

DE hac quæstione probabiliter in vtramque partem disputari potest, propter diuersam causæ considerationem, diversosque modos prioritatis. Pro thesi enim negante adduci possunt hæc argumenta: 1, *Quod simul est cum causato, ideo non est prius: Atqui omnis causa simul est cum suo causato: Ergo nulla causa prior suo causato.* Assumptio probatur non tantum ex autoritate Aristotelis, qui lib. 5 Metahp. cap. 2 & libr. 2. Post. analyt. cap. 17. cont. 90. ait *causam simul esse cũ causato:* sed etiã ex natura relatorum, quæ teste eodem Philos. in Categ. Relationis

Pro... Argu...

ſunt ſimul natura, ac proinde cum cauſa & cauſatum ſint
II. relata, neceſſe eſt vt illa quoque natura ſint ſimul. 2, *Omne principium prius eſt eo, cuius eſt principium: Atqui omne cauſatum eſt principium cognoſcendi cauſam ignotam. Ergo eſt prius cauſa*; &, per conſequens, *cauſa non ſemper prior eſt ſuo cau-*
III. *ſato.* 3, *Si finis non eſt prior ſuo finito, ſequitur non omnem cauſam priorem eſſe ſuo cauſato: Sed verum prius: Ergo & poſterius.* Aſſumptio probatur, quia finis poſterior eſt mediis,
IV. quæ ad finem ducunt. 4, *Si non omnis cauſa dignitate antecedit cauſatum, ſequitur illam neque eo eſſe priorem: Sed verum prius: Ergo & poſterius.*

Aſſumptio probatur, quia, exempli gratia, neque Sol, qui numeratur à Philoſophis inter cauſas efficientes hominis; neque terra, ex qua primum fuit formatus homo; neque ſemen, ex quo naturaliter generatur; neque ipſum corpus organicum, ex quo conſtituitur, dignitate ante-

Pro theſi affirmante Argumenta.

cedit ipſum hominem. E contrario pro theſi affirmante afferri poſſunt hæc argumenta. 1, *Omne principium prius eſt eo, cuius eſt principium: Atqui omnis cauſa eſt principium*
I. *ſui cauſati: Ergo omnis cauſa prior eſt ſuo cauſato.* 2, *Quodcun-*
II. *que à ſuo cauſato ſemper præſupponitur, id eo eſt prius. Atqui omnis cauſa à ſuo cauſato ſemper præſupponitur.* Non enim cauſatum poteſt actu poni, niſi prius actu ponatur ipſius
III. cauſa. *Ergo*, &c. 3, *A quocunque cauſatum dependet, ipſum vere minime, id eo prius eſt: Atqui à cauſa cauſatum depen-*
IV. *det, ipſa vero minime: Ergo*, &c. 4, *Quod ordine dignitatis & cognitionis antecedit cauſatum, id eo eſt prius: Atqui omnis cauſa ordine dignitatis & cognitionis antecedit cauſatum: Ergo eo eſt prior.* Aſſumptio probatur: Quia omnis cauſa nobilior eſt ſuo cauſato, & ab illa perfecta cognitio
V. cauſati dependet. 5, Idem teſtatur Ariſtot. tum alibi, tum lib. 2. Poſter. analyt. c. 17. cont. 92. vbi expreſſe ait: *cauſa prior eſt cauſato.*

Quæſtio deciditur per certa theor.

Vt igitur veritas huius quæſtionis rectius intelligatur, obſeruanda ſunt ſequentia theoremata. 1, Omnem cauſam abſolute conſideratam, ſine relatione ad cauſa-
I. tum ordine naturæ priorem eſſe ſuo cauſato. Neceſſe enim eſt, vt aliquid prius ſit, quam cauſandi actum exerceat. Sic Deus abſolute fuit ens ab æterno, antequam cœpit creare mundum. Ideoq. hoc reſpectu longe prior fuit mun-

mundo à se creato. 2. Omnem causam relate considera- II.
tam, quatenus est causa, esse simul natura respectiua cum suo causato. Est enim proprietas essentialis relatorum, esse simul natura, vt infra libro 5. cap. 5. probabitur. 3. O- III.
mnem causam ordine cognitionis perfectæ & distinctæ priorem esse suo causato; tametsi ordine cognitionis imperfectæ ac confusæ, sæpe eodem sit posterior. 4. O- IV.
mnem causam ordine dignitatis antecedere causatum, quatenus vtrumque relate consideratur. Semper enim causatio actiua præstantior est passiua. Sed si vtrumque absolute consideretur, tunc non semper causa nobilior est suo causato.

Respõsio breuis ad argument.

His ita positis, facile est perspicere quid de argumentis in vtramque partem allatis sit sentiendum. Nam præter alia vitia, quibus laborant, in singulis peccatur ex ignoratione elenchi; cum vnum & idem ens diuerso modo ac respectu possit esse prius, & non prius altero.

6 *An posita causa semper ponatur causatum, & sublata tollatur?*

Obiectiones cõtra vulgatam responsionem.

Vulgo respondetur ad hanc quæstionem, per distinctionem causæ proximæ & remotæ. De illa enim veram esse thesin affirmantem; de hac vero minime. Sed contra hanc sententiam graues difficultates moueri possunt: 1. *Si posito relato semper & necessario ponitur correlatum,* I.
sequitur etiam posita causa semper & necessario poni causatum. Sed verum prius: Ergo & posterius. 2. *Si non omnis causa* II.
posita ponit causatum, sequitur posse dare actu causam aliquam, quæ tamen nullum habeat causatum: Sed consequens est absurdum, & implicat contradictionem. 3. *Si causæ quæ-* III.
dam proximæ manent destructis causatis, sequitur non semper verum esse, causa proxima posita poni causatum. Similiter *si causata quædam manent salua, destructis seu sublatis causis proximis, sequitur non semper verum esse, sublata causa proxima tolli causatum: Sed verum prius. Ergo & posterius.* Assumptio probatur inductione exemplorum. Parentes enim manent superstites, mortuis liberis; & vice versa, liberi mortuis parentibus. Sic domus manet salua & integra mortuo architecto; & vice versa, architectus, domo destructa.

Quæstio deciditur per theor.

Pro decisione igitur huius quæstionis obseruanda sunt sequentia theoremata: 1. Nihil posse actu causam, nisi

quatenus actu causatur. Non posse autem actu causari, nisi simul aliquid sit, quod causetur. Similiter nihil posse esse actu causatum, nisi quatenus actu emanat è sua causa; non posse autem actu è sua causa emanare, nisi actu existat.
II. 2. Causam relate consideratam semper & necessario ponere causatum proximum, quod ab ea immediate fluit; non autem semper causatum remotum, quod ab ea mediantibus aliis causis solet promanare. Ideoque quando vulgo dicitur, *posita causa remota non poni causatum*, id intelligendum esse non de causato illius proximo, sed remoto.
III. 3. Causam relate consideratam respectum habere ad causatum secundum omnes temporum differentias, ita vt illa præsens, præterita & futura dicatur, prout causatum est vel præsens, vel præteritum, vel futurum. Et hoc etiam testatur Aristoteles libr. 2. Poster. analytic. cap. 11. contex. 56. & 57. vbi ait, non aliam causam effecti esse præsentis, præteriti, & futuri, sed vnam & eandem tantum iuxta diuersas temporum differentias variari, ac præsentis esse præsentem, præteriti præteritam, futuri, futuram.
IV. 4. Causatum simul esse cum sua causa eo modo, quo ab illa emanat. Ideoque si causatum à sua causa emanet per actum vel momentaneum, vel successiuum, idem etiam hoc modo simul cum eo esse.
V. 5. Causam absolute consideratam posse existere absque causato; & vice versa, causatum absolute consideratam, absque causa, non secus ac relatum vnum potest existere absque alio, si vtrumque non secundum essentiam respectiuam, sed absolutam consideretur. Ideoque hoc sensu causam & causatum non semper se mutuo ponere & tollere.

Responsio ad obiect. His ita præcognitis, non difficile est ex difficultatibus supra moris sese expedire. Nam in primo argumento
I. libenter concedimus connexum, si causatum non quodlibet, sed tantum proximum intelligatur, & quidem eo modo, quo à causa sua emanat.
II. In altero argumento consequens absurdum sequeretur ex antecedente, si quadam causa posita qua causa, nullum plane causatum ponatur, neque proximum, neque remotum; non autem si proximum tantum ponatur, nõ vero remotum.
III. In tertio argumento antecedens loquitur de causa & causato absolute consideratis; consequens vero de iisdem

relate

relate acceptis. Ideoque vitiosum illud est propter terminorum æquiuocationem.

7 An qualis causa, tale semper sit causatum, & vice versa?

VUlgati & vsitati sunt in Scholis canones: *Qualis causa, talis effectus*, &, *qualis effectus, talis causa*. Sed magnus est illorum canonum propter prauum & peruersum intellectum, abusus. Itaque vtile est dispicere, quando illi sunt veri, & quando non sunt. Ac veros quidem esse iudico, si intelligantur de eiusmodi qualitate, quæ per naturam tam causæ, quam causato inesse potest, & solet. & secundum quam in actu causandi ipsa causa causatur, & causatum ab ea emanat. Si causa quatenus est vel naturaliter, vel moraliter, vel artificialiter bona, aut mala, & secundum illam bonitatem vel malitiam causatur, hac ratione causatum quod vi illius sit, vel est naturaliter, vel moraliter, vel artificialiter bonum, aut malum. Impossibile enim est, vt causa bona, quatenus bona, per se aliquid causetur, quod bonum non sit; aut, vt causa mala, quatenus mala per se aliquid causetur, quod malum non sit. Falsi vero sunt eiusmodi canones, si intelligantur de eiusmodi qualitate, quæ per naturam causæ & causato simul inesse nequit, vel saltem secundum quam in actu causandi, ipsa causa neque causatum ab ea emanat: Idcirco non sequitur, si causa est infinita, etiam causatum esse infinitum, & si causatum est finitum, etiam causam esse finitam. Quia infinitudo & finitudo non simul cuilibet causæ, & causato per naturam inesse possunt. Similiter non sequitur, si pater est probus vel pius, filium quoque esse talem: Quia pater generat physice filium non secundum probitatem & pietatem, sed secundum bonitatem naturalem. Sic non sequitur, si sutor est moraliter bonus, etiam calceum moraliter bonum esse: Quia sutor efficit calceum, non quatenus moraliter est bonus, sed quatenus artificialiter: Ergo calceus quoque non est moraliter, sed artificialiter bonus.

Quæstio explicatur per distinct.

8 An quatuor duntaxat sint causarum genera?

Thesis affir. defend.

COmmunis & recepta Aristotelis, aliorumque saniorum Philosophorum sententia est, quatuor duntaxat esse genera causarum, nempe efficientem, materiam,

Probatio. I.

formam & finem. Et hæc probatur primo ex generatione physica cuiusque corporis naturalis, ad quam non plura quam quatuor causarum genera requiruntur. Omne enim corpus naturale est ab aliquo, ex aliquo, per aliquid, & propter aliquid, seu alicuius gratia. *Ab aliquo est*, quia non existit à seipso. Et hæc est causa efficiens. *Ex aliquo est*, quia non fit ex nihilo. Et hæc est materia. *Per aliquod est*, quia essentialiter differt ab aliis. Et hæc est forma.

II. *Alicuius gratia est*, quia non fit frustra. Et hic est finis. Secundo ex naturali connexione materiæ & formæ cum reliquis causis. Si enim ponamus dari materiam, cum illa ex se moueri nequeat, necesse est quoque dari. 1, efficientem, à qua moueatur: 2, formam, quam efficiens in materiam introducat: 3, finem, cuius gratia id fiat. Similiter si ponamus formam, necesse quoque est dari, 1, materiam, quæ formam recipiat: 2, efficientem; quæ formam in materiam introducat: 3, finem, cuius gratia id fiat. Neque præter has causas vllæ aliæ requiruntur.

III. Tertio, ex varietate quæstionum, quibus propter quid aliquid fit quæritur. Nam cum causa sit ratio, quæ affertur ad explicandam quæstionem propter quid, sequitur quot sunt genera quæstionum, quibus quæritur, propter quid aliquid fit, tot etiam esse genera causarum. Sed quatuor duntaxat sunt quæstionum genera, quibus quæritur propter quid aliquid fit. Aut enim quæritur cuius gratia aliquid fit; & est *finis:* aut à quo fit; & dicitur *efficiens:* aut ex quo fit; & dicitur *materia*, aut per quod fit; & est *forma*. Ergo quatuor etiam duntaxat sunt

IV. causarum genera. Quarto ex inductione omnium causatorum, quæ ad sui productionem & constitutionem non pluribus quam quatuor causarum generibus indigent. Nam 1, omne causatum necessario requirit causam efficientem, à qua fit. Nihil enim potest esse effectum sui ipsius. Deinde, omne causatum materiatum necessario requirit causam materialem, ex qua fiat; cum ex nihilo non possit fieri. Tertio, cum nullum causatum materiatum per solam materiam habere possit essentialem perfectionem & distinctionem ab aliis speciebus eiusdem generis, necessario requirit causam formalem. Denique cum omne causatum nisi sit temerarium; boni alicuius gratia fiat, necessario requirit causam finalem.

Ex his

Ex his igitur omnibus manifestum est quatuor duntaxat esse causarum genera.

9 *An quadrimembris causarum distributio commode ad bimembrem reuocari possit?*

FRanciscus Suarez disput. 12. de causis entis, sect. 3. art. 19. statuit diuisionem illam causæ in quatuor genera, non esse immediatam, sed mediatam: posse tamen commode ad immediatam, seu bimembrem reuocari, si causa diuidatur in *internam* & *externam*. Interna rursus in materiam & formam. Externa vero in efficientem & finem. Et hoc etiã expressis verbis indicat Aristoteles, non tantum lib. 5. Metaph. cap. 1. vbi principia alia dicit esse intrinseca, alia extrinseca; sed etiam libr. 12. Metaphys. cap. 4. vbi causas pronunciat alias extrinsecas; alias intrinsecas. Sed quæritur, *cur materia & forma dicantur causa interna: efficiens vero & finis externa.* Respondet Fr. Suarez hoc fieri propter peculiarem causandi modum, in quo tum materia & forma, tum efficiens & finis inter se conueniunt. Illas enim intrinsece componere effectum seu causatum; has vero non. Quæ ratio plane videtur consentire cum illa, quam alii adducunt, nempe ideo materiam & formam dici causas internas, quia essentiam causati constituant, in eoque semper, quam diu existant, permaneant: Efficientem vero & finem dici causas externas, quia essentiam absolutam causati non ingrediantur & componant, sed extra illam subsistant & causentur. Verum contra hanc distributionem obiici possunt duo potissimum argumenta: 1, *Quicquid est causato essentiale, id respectu ipsius non potest dici extrinsecum: Atqui omnis causa causato est essentialis, quemadmodum patet ex ipsius definitione: Ergo nulla causa respectu ipsius est extrinseca.* 2, *Si causa efficientes aliæ sunt externa, aliæ interna, sequitur male omnem causam efficientem appellari externam: Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur: 1, Quia causæ impulsiuæ sunt in genere efficientium, & tamen illarum aliæ sunt externæ, aliæ internæ, vt patet ex præceptis supra traditis. 2, quia Medici causas efficientes morborum alias dicunt esse externas, alias internas. Ad primum argumentum respondeo, esse ambiguitatem, in maiori termino. Essentiale enim aliquid causato dicitur duobus modis, vel quod essentiam ipsius

Statuitur thesis affir.

Cur materia & forma dicantur causa interna.

Efficiens & finis externa.

Obiectiones contra diuisionem causæ in externam & internam.

I.

II.

Responsio ad obiect. I.

ingreditur, & per intrinsecam vnionem constituit; vel quod vim aliquam extrinsecam confert, vt causatum essentiam habeat. In priori sensu propositio est vera; in posteriore falsa. Assumptio autem partim vera est, partim falsa: vera, de essentia respectiua causati; falsa, de essentia

II. ipsius absoluta. Ad alterum argumentum respondeo, esse æquiuocationem in vocabulo *Externum* quod quandoque sumitur pro eo, quod extra essentiam entis existit; quandoque pro eo, quod extra locum vel subiectum entis existit. Priori modo omnis causa efficiens externa est; posteriori vero minime.

10 *An omne causatum indigeat quatuor causarum generibus ad sui productionem?*

Thesis negatiua defenditur.

SVnt nonnulli in illa opinione, omne causatum necessario requirere quatuor causarum genera ad sui productionem. Sed illi vehementer hallucinantur. Licet enim omne causatum, nisi temere & inordinate fiat, necessario habeat efficientem & finem; tamen non omne necessario requirit materiam & formam. Sunt enim causata alia substantiæ, alia accidentia; & illa quæ sunt substantiæ, alia immediate sunt ex nihilo, aliæ ex aliquo. Quæ igitur immediate sunt ex nihilo, illa destituuntur materia, & per consequens, forma: cum nulla materia possit esse absque forma, neque forma absque materia. Quæ vero sunt ex aliquo, illa sicut habent materiam, ita etiam formam. Hinc non tantum omnis substantia incorporea caret materia & forma; sed etiam prima substantia corporea, nempe materia prima, ex qua corpora naturalia fuerunt producta, vtraque causa destituta fuit, vt infra in speciali parte Metaphysicæ probabitur. Causata vero, quæ sunt accidentia, plerumque materia & forma proprie dicta carent, vt etiam suo loco demonstrabitur. Atque hanc veritatem etiam agnouit Fonseca lib.1. Metaph cap.7. quæst.1. sect.4. dum inquit: *Omnis effectus, qui non temere fit, duabus causis externis per se indiget, efficiente & finali.* Iam sic effectus omnis, aut fit ex nihilo, aut ex aliquo. Si ex nihilo, euenire potest, vt nulla interna causa indigeat. Erit enim forsitan res simplex, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ. Idem paulo post subiicit hanc rationem: Quo res sunt compositiores, eo pluribus causis indigent. Compositis enim re-

bus

bus necessariæ sunt causæ internæ, quibus simplices res non egent. Intelligit autē Fonseca per *res compositas*, principaliter corpora naturalia; per res simplices, substantias incorporeas. Sensus igitur verborum illius est: Quo causatum magis est compositum, eo pluribus causis indiget; quo vero minus est compositum, eo paucioribus causis indiget: Ideoque cum corpora naturalia magis sint composita, quam substantiæ incorporeæ creatæ, nō mirū est, si illa omnes quatuor causas ad sui productionem requirant: hæ vero præter efficientē & finē nulla alia indigeāt.

11 *An aliquid possit esse causa suiipsius?*

COmmunis sententia Philosophorum est, *nihil posse esse causam suiipsius.* Et hoc probatur non tantum inductione omnium causarum nempe efficientis, materiæ, formæ & finis; sed etiam ratione. Cum enim omnis vera causa essentialiter differat à causato, eoque ordine originis sit prior, fieri certe sine contradictionis implicatione non potest, vt aliquid simul vno & eodem respectu sit causa & causatum. Nihil siquidem à seipso differt essentialiter; neque seipso simul vno & eodem respectu potest esse prius & posterius. Et hoc testatur etiam Thomas p. 1. S. T. q. 2. art. 3. dum ait: *Non est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile.* Idem comprobant axiomata illa vulgata: *Nihil fit à seipso. sed quicquid fit, ab alio fit. Nihil potest seipsum de non esse, ad esse transferre.* *Thesis negatiua defend.*

12 *An omne causatum realiter differat ab omnibus suis causis tum separatim, tum coniunctim acceptis?*

SVnt multi Philosophi, qui concedunt quidem, omne causatum differre realiter ab omnibus suis causis separatim acceptis, sed de causis intrinsecis, nempe materia & forma, coniunctim acceptis negant. Hinc in Physicis hominem non statuunt esse à corpore organico & anima rationali simul sumptis, diuersum, adeoque omne corpus naturale negant realiter differre à materia ipsius & forma simul acceptis. Sed hic grauissimus error facillime refutari potest ex conclusione problematis præcedentis, in qua statuitur, *nihil posse esse causam suiipsius.* Inde enim necessario sequitur, nullum causatum siue sit effectum, siue materiatum, siue formatum, siue finitum, vllo modo posse esse suam causam, siue efficientem, siue *Thesis affir. defenditur contra alios.*

Responsio ad exceptionem. materialem, siue formalem, siue finalem. Neque valet exceptio aduersariorum, quam contra axioma illud afferunt, nempe, id quidem semper verum esse de causis seorsum sumptis, sed non semper de causis simul acceptis. Causæ enim manent causæ, neq; aliam naturam induunt, siue separatim, siue coniunctim in causato considerentur.

13 *Vtrum causa possint esse sibi inuicem causa?*

IN hac quæstione misetrime sese macerant Scholastici Philosophi propter autoritatem Aristotelis, qui lib. 3. Phys. cap. 5. & lib. 5. Metaph. cap. 2. asserit, *causas quasdam sibi inuicem esse causas.* Hinc alii statuunt, causas posse esse sibi inuicem causas, in eodem causarum genere; alii in diuerso, alii in vtroque. Sed controuersia illa facilime expediri potest, si modo attendatur æquiuocatio vocabuli *causa*, quod quandoque impropriе sumitur pro ipso ente absoluto, quod causa denominatur; quandoque vero proprie, pro ipsa causa relate considerata, quatenus scilicet est causa, & à causato, ad quod refertur, est distincta. *Quæstio deciditur per distinctionem.* Quod si igitur vocabulum, *causa*, in prima significatione vsurpetur, tunc vera est thesis affirmatiua quæstionis propositæ. Vnum enim & idem ens, quod in vno causarum genere est causa illius, in altero potest esse causatum, & vice versa; quod in vno causarum genere est causatum, in altero potest esse illius causa. Sic exercitiũ corporis est causa efficiens sanitatis, & eadẽ sanitas est causa finalis exercitii: Sic salus æterna est finalis causa iustificationis. Et iustificatio, est causa efficiens salutis æternæ Si vero vocabulum *causa*, in altera significatione vsurpetur, tunc eadem thesis affirmatiua est falsa. Sicut enim propter contradictionis implicationem simpliciter impossibile est, vt aliquid sit causa sui ipsius, seu, vt idem ens vno & eodem modo ac respectu, sit causa simul & causatum: Ita etiam simpliciter impossibile est, vt vna causa, quatenus est causa, sit alterius causæ causa & causatum. Errant igitur Scholastici, qui statuunt, non tantum efficientem & finem; sed etiam materiam & formam posse esse sibi inuicem causas.

14 *An vnum & idem ens diuerso respectu possit rationem diuersarum causarum suscipere?*

Thesis affirmatiua probatur per exempla.

STatuitur thesis affirmatiua, eaque probatur inductione exemplorum. Nam 1, Deus non tantum est prima causa

1.

causa efficiens; sed etiam vltimus finis omnium rerum.
2, Anima rationalis non tantum est forma specifica ho- *II.*
minis; sed etiam causa efficiens facultatum & operatio-
num naturalium, quæ hominis sunt propriæ. 3, Semen *III.*
humanum non tantum est materia ex qua homo gene-
ratur; sed etiam causa efficiens propter quam homo est
quantus. 4, Tradere modum bene disserendi non tan- *IV.*
tum est finis Logicæ; sed etiam forma illius specifica.
Idem iudicandum est de aliis exemplis. Atque hinc pa-
tet, quomodo efficiens & finis, itemque forma & finis,
quandoque dicantur coincidere, nempe propter diuer-
sam rationem causandi, quam vnum & idem ens diuerso
respectu potest exercere.

15 *An ex quatuor causis aliæ aliis sint perfectiores?*

STatuitur thesis affirmatiua. Nam 1, si causæ exter- *Thesis affir.*
næ efficiens & finis comparentur cum causis inter- *probatur.*
nis materia & forma, manifestum est has in ipso modo *I.*
causandi imperfectionem includere; cum non causen-
tur nisi componendo; illas vero non imperfectionem,
sed perfectionem. Et hæc etiam est causa, cur materia &
forma, quatenus sunt causæ, dicantur entia incompleta,
& alio modo imperfecta; efficiens vero & finis non i-
tem. 2, Si causæ internæ inter se comparentur, forma *II.*
perfectior est materia: siquidem hæc inchoat essentiam
causati; illa vero complet & absoluit. 3, Si causæ externæ *III.*
inter se comparentur, videtur finis in causando perfe-
ctior esse efficiente. Siquidem est prima omnium causa-
rum, cuius etiam gratia efficiens ad causandum excitatur
& allicitur, vt infra in problematis de fine luculenter ex-
plicabitur.

16 *An detur necessaria connexio inter causas qua-
tuor generum?*

STatuitur thesis affirmatiua. Nam 1, materia & for- *Thesis affir.*
ma necessario sunt inter se connexæ, ita vt vna sine al- *defenditur.*
tera esse non possit. Quicquid enim habet materiam, *I.*
habet etiam formam & retro, Quicquid habet formam,
habet etiam materiam. Contra, Quicquid destituitur
materia, destituitur etiam forma: & retro, Quicquid
forma, etiam materia destituitur. Ratio huius conne-
xionis est: 1, Quia proprietas essentialis materiæ est reci-
pere in se formam; formæ autem recipi à materia. 2, Quia

materia non poteſt cauſari ſuum cauſatum ſine forma, neque forma ſine materia: cum illa inchoet eſſentiam
II. com[illegible]; illa vero compleat & abſoluat. Deinde effici-ens [illegible]ceſſario inter ſe cohærent, ita vt vna ſine altera eſſe nequeat. Quicquid enim habet efficientem per ſe, habet etiam finem: & retro, Quicquid habet finem, habet etiam efficientem per ſe. Contra, quicquid deſtituitur efficiente per ſe, deſtituitur etiam fine, &, quicquid deſtituitur fine; deſtituitur etiam cauſa efficiente per ſe. Ratio huius neceſſariæ connexionis eſt; quia finis eſt cuius gratia efficiens per ſe operatur. Ideoque nihil per ſe efficit aliud, niſi propter finem: neque
III. quicquam fit propter finem, niſi ab efficiente. 3, Materia & forma neceſſario connexæ ſunt cum efficiente & fine, ita vt ſine his non tantum non poſſint exiſtere ſecundum eſſentiam ſuam abſolutam, ſed neque quicquam cauſari. Sed vice verſa, efficiens & finis non neceſſario connexæ ſunt cum materia & forma. Poſſunt enim dari cauſata quædam, quæ præter efficientem & finem nullam aliam cauſam habent, nec materialem nec formalem, vt ſubſtantiæ incorporeæ, quemadmodum infra lib. 4. clarius demonſtrabitur.

17 *An vnius & eiuſdem cauſati poſſint dari plures cauſæ in vnoquoque cauſarum genere?*

Theſis affir. in genere eſt vera, ſed non in ſpecie.

SEntentia affirmatiua generaliter conſiderata, eſt ſatis manifeſta ex præceptis ſupra de cauſis traditis. Illa enim docent vnius cauſati poſſe dari plures non tantum efficientes & fines, ſed etiam materias & formas. Specialiter vero conſiderata illa eſt dubia & controuerſa. Ideoque vt recte explicetur, exponendæ ſunt diſtinctæ quædam concluſiones, eæque breuiter probandæ. Prima concluſio eſt, *Vnius cauſati poſſe dari multas cauſas eiuſdem generis, ſed diuerſæ ſpeciei & ordinis.* Ratio eſt, quia in vnoquoque cauſarum genere alia eſt prima, alia ſecunda; alia immediata, alia mediata; alia totalis, alia partialis. Neque obſtat quod F. Suarez diſp. 26. ſect. 3. art. 9. aliique nonnulli philoſophi hanc concluſionem negant eſſe verã in genere cauſæ materialis & formalis. Illorum enim argumenta tantum probant, vnius cauſati non poſſe dari plures materias & formas immediatas & totales eiuſdem ordinis: Id quod nos quoque libenter concedimus;

Quæſt. decid. per concluſ.

I.

Prolepſis.

ſed

ſed inde non ſequitur, non poſſe vnius cauſati dari multas materias & formas, quarum vna ſit mediata, alia immediata, vna communis, alia propria, vna totalis, alia partialis. Altera concluſio eſt, *Vnius cauſati poſſe dari multas cauſas partiales eiuſdem generis. ſpeciei & ordinis, ſed non totales.* Ratio prioris membri eſt; quia plures cauſæ partiales conſtituunt vnam totalem; poſterioris eſt, quia totalis cauſa excludit conſortium alterius cauſæ ſimilis in cauſatione eiuſdem cauſati. Tertia concluſio eſt: *Vnius numero cauſati poſſe dari multas cauſas mediatas, non tantum eiuſdem generis, ſed etiam eiuſdem ſpeciei & ordinis; ſed vnam tantum immediatam & proximam totalem.* Ratio eſt, quia cauſa immediata eſt, inter quam & cauſatum nulla alia cauſa intercedit: &, ſi eſt totalis, non admittit conſortium alterius in eodem ordine: mediata vero cauſa eſt, quæ per interuentum aliarum cauſarum cauſatum cauſatur.

II. (margin, at "Altera concluſio")
III. (margin, at "Tertia concluſio")

18 *An in vnoquoque cauſarum genere detur certus aliquis ordo, & quomodo?*

STatuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1. Quia ordo nihil aliud eſt, quam diſpoſitio diuerſorum entium ſecundum prius & poſterius. Iam autem negari non poteſt, in vnoquoque cauſarum genere dari eiuſmodi diuerſarum cauſarum diſpoſitionem ſecundum prius & poſterius; ſiquidem alia eſt prima, alia ſecunda; alia ſuperior, alia inferior. Sequitur igitur in vnoquoque cauſarum genere dari certum aliquem ordinem. 2. Quia vnius & eiuſdem cauſati poſſunt dari multæ & diuerſæ cauſæ in vnoquoque cauſarum genere, vt ſupra traditum fuit. Illæ autem cauſæ vel ordinate concurrunt ad cauſandum ſuum cauſatum, vel inordinate & confuſe. Sed poſterius dici non poteſt. Omnis enim ἀταξία eſt præter naturam, & Deus non eſt eius autor: Ergo verum erit prius: Et, per conſequens, in vnoquoque cauſarum genere certus aliquis ordo datur. Porro inter cauſas cuiuſque generis ita datur ordo, vt aliæ ſint per ſe ſeu eſſentialiter, aliæ per accidens, ſeu accidentaliter ſubordinatæ. *Cauſæ per ſe ſubordinatæ* ſunt, quæ ita inter ſe ſunt affectæ, vt inferior ex natura ſua ſemper à ſuperiore in cauſando pendeat, ſeu, quod idem eſt, vt ſuperior ſemper ſit per ſe cauſa inferioris. Et de his verum eſt tritum

Pro theſi affirm. Ratio I.
II.
Cauſæ per ſe ſubordinatæ quæ ſint.

illud Scholasticorum: *Quod est causa causæ, est etiam causa causati.* Sicut enim in subordinatione generum & specierum, genus non tantum proximæ, sed etiam remotarum specierum genus est; ita in subordinatione causarum, causa superior est causa omnium inferiorum, etiam remotarum. Et sicut genus subalternum est genus respectu inferiorum, & species respectu superiorum; ita etiam hic causa vna dicitur causa respectu inferioris, & causatum respectu superioris. Causæ per accidens subordinatæ sunt, quæ ita inter se sunt affectæ, vt inferior ex natura sua à superiori in causando non pendeat, sed, quod idem est, vt superior non sit per se causa inferioris. Sic natura, quatenus aberrat à sua regula & monstrum producit, per accidens subordinatur Deo. Similiter homo, quatenus recedit à lege Dei morali, & peccatum committit, per accidens subordinatur Deo, non per se. Et de his causis falsum est axioma illud: *Quod est causa causæ, est etiam causa causati.*

Causæ per accidens subordinatæ quæ dicantur.

19 *An in causis per se subordinatis detur progressus in infinitum?*

Pro thesi negante. Ratio I.

Sententia negatiua probatur sequentibus rationibus: 1, *Vbicunque datur ordo, ibi non datur progressus in infinitum: Atqui in causis per se subordinatis datur ordo: Ergo in causis per se subordinatis, non datur progressus in infinitum.* Propositionis ratio est, quia omnis ordo requirit primum & vltimum. Vbi autem est primum & vltimum, ibi non datur progressus in infinitum. Assumptio fuit probata in præcedenti quæstione. 2, *Vbicunque datur progressus in infinitum, ibi non datur primum & vltimum. Atqui in causis per se subordinatis datur prima & vltima causa. Ergo,* &c. Assumptio probatur per singula causarum genera, in quibus semper necesse est peruenire ad vnam aliquam simpliciter primam & vltimam causam, vel efficientem, vel materiam, vel formam, vel finem. 3, *Si in causis per se subordinatis datur progressus in infinitum, sequitur 1, in illis non dari ordinem.* Quod enim infinitum est, id est ἄτακτον, vt passim docet Aristoteles. 2, *in illis non dari primam causam,* & per consequens, *neque secundam.* Siquidem secunda semper præsupponit primam. 3, *nullius causati dari certam & perfectam cognitionem; cum illa pendeat ex cognitione omnium causarum per se subordinatarum.* Impossi-

II.

III.

possibile autem sit, infinitum pertransire, teste eodem Philosopho lib. 3. De cœlo, cap 2. *Sed hæc omnia sunt absurda: Ergo & antecedens* Idem testatur Thomas p 1. q. 2. art. 3. inquiens: *Non est possibile vt in causis efficientibus procedatur in infinitum:* quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, & medium est causa vltimi; siue media sint plura, siue vnum tantum. Item Franciscus Suarez disp. 17. sect. 2. art. 20. *Non potest in infinitum procedi in causis dependentibus.* Ideoque in aliqua independente sistendum est. *IV.*

20 ***An necesse sit causas per se subordinatas omnes simul actu concurrere ad causandum suum causatum?***

COmmunis opinio Scholasticorum est pro thesi affirmante, propterea quod inter causas per se subordinatas, inferior semper in ipso causandi actu à superiori pendeat. Sed contraria sententia videtur propius ad veritatem accedere, quæ statuit nō necesse esse, vt causæ per se subordinatæ omnes simul actu concurrant ad causandum suum causatum; sed satis esse, si successiue & ordinate vna post aliam concurrat. Et hæc etiam probatur partim ratione, partim exemplis. Ratio est; quia non semper omnes causæ per se subordinatæ actu simul existunt; aut etiamsi actu simul existant; tamen sæpe contingit, vt vna præterita seu cessante ab actu causandi, altera demum incipiat causari suum proximū causatum. Exempla peti possunt, non tantum ex genere causarum efficientium, siue sint naturales, siue morales, siue artificiales; sed etiam ex genere causarum materialium & finalium. Agricola enim, qui semen spargit in agrum, vt inde fruges nascantur, non semper actu simul concurrit cum reliquis causis intermediis per se subordinatis ad producendas fruges, imo sæpe fruges ex semine sparso nascuntur mortuo iam dudum agricola. Præceptor qui hortatur discipulum ad studium virtutis, non semper actu simul est cum reliquis causis intermediis per se subordinatis, quæ virtutem in animo discipuli generant. Architectus non semper actu simul est cum reliquis causis administris, ad fabricandum domum. Similiter neque materia prima, neq; semen hominis tanquam materia, secunda propinqua actu semper simul est cum

Thesis negat. defenditur.

I. Ratione.

II. Exemplis.

I.

II.

III.

IV.

V. Ratio Schol. pro thesi affirm. exam. materia proxima hominis, nempe cum corpore organico: Denique posito actu vno fine, non semper actu simul ponuntur omnes reliqui his subordinati. Proinde firma manet conclusio supra à nobis posita. Neque huic obstat ratio à Scholasticis allata. Illa enim partim falsa est, partim vera. Falsa est, si ita intelligatur, quasi inter causas per se subordinatas inferior non possit causari suum causatum, nisi superior semper actu simul cum ea ad causandum concurrat. Vera autem est, si intelligatur hoc modo, nempe non posse inferiorem causam causari suum causatum, nisi præcesserit superior, quæ ipsam prius excitauerit.

21 *An in causis per se subordinatis superior semper nobiliorem & perfectiorem causandi virtutem habeat, quam inferior?*

Thesis negatiua defenditur. IN hac quæstione etiam Scholastici partem affirmantem defendunt. Sed neque illa semper & simpliciter videtur esse vera. Dantur enim quædam superiores causæ, quæ virtute causandi ab inferioribus superantur. *I. Exemplis.* Sic Sol & homo tanquam causæ per se subordinatæ, concurrunt ad generationem hominis, teste Aristotele lib. 2. Phys. cap. 2. dum ait: *Homo hominem generat & Sol:* & tamen non verisimile est solem perfectiori modo causari hominem, quam ipsum hominem. Sic aratio & seminatio sunt causæ per se subordinatæ ad fruges generandas, neque tamen probabile est, arationem perfectiori modo causari fruges quam seminationem. Idem iudicari potest de aliis exemplis, quæ breuitatis studio omittuntur. *II. Ratione.* Quod si quæras de ratione nostræ assertionis, dico ex secundis causis illam semper nobiliorem & perfectiorem virtutem causandi habere, à qua proximius & efficacius causatum pendet. Sed iam certum ac indubitatum est, ab inferiori causa proximius & efficacius causatum pendere, quam à superiore: Ergo sequitur ex secundis causis inferiorem semper nobiliorem & perfectiorem virtutem causandi habere, quam superiorem.

22 *An proxima causa semper præsupponat omnes remotas?*

Pro thesi affirm. ratio I. STatuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia proxima causa non potest actu poni, nisi prius omnes remotæ actu fuerint positæ. *II.* 2, Quia sicut genus pro-

proximum præsupponit omnia genera remota; ita etiam causa proxima omnes remotas. 3, Quia idcirco causa proxima dicitur completa causa, quod scilicet completam vim causandi ex complemento causarum remotarum habeat & obtineat. Interim tamen obseruandum est, proximam causam non ita in se includere omnes remotas, quemadmodum genus proximum omnia genera remota. Hoc enim non potest existere actu, nisi essentiam illius ingrediantur. Illa vero potest existere, etiamsi remotarum quædam transierint. *III. Discrimẽ inter causam prox. & genus proximum.*

23 *An vnius causæ semper vnum tantum sit causatum?*

AD hanc quæstionem alii respondent, vnius causæ proximæ semper vnum tantum esse causatum. Alii, vnius causæ semper vnum esse causatum proximum, etsi possint esse multa causata remota. Sed neutra responsio videtur veritatem quæstionis attingere. Licet enim in genere causarum materialium & formalium vnius causæ proximæ semper vnum tantum sit causatum proximum; tamen in genere efficientium & finalium vnius causæ etiam proximæ non semper vnum tantum est causatum proximum, sed quandoque plura, siue simul, siue successiue. Sic facultatum naturalium causa prox a efficiens, multa habet effecta proxima, vt patet in exemplo animæ vegetantis, sentientis & rationalis, quarum singula multas facultates causatur in corporibus animatis, quorum sunt formæ specificæ. Sic multæ actiones non tantum voluntariæ, sed etiam naturales fiunt propter eundem finem proximum. *Sententia aliorum exponitur & refutatur.*

24 *An causatum possit esse perfectius suis causis?*

AD hanc quæstionẽ respondetur per distinctionem: 1, nullum causatum posse esse omnibus suis causis simul sumptis perfectius. Ratio est, quia nihil perfectionis est in causato, quod non habeat à suis causis. 2, Omne causatum perfectius esse non tantum qualibet sua causa interna, quatenus est causa, sed etiam omnibus internis simul sumptis: ita tamen vt causa interna corporis naturalis toto genere entis non possit esse deterior suo causato. Id quod fieret, si causatum esset substantia; causa vero accidens. Ratio autem prioris est, quia causæ internæ ad suum causatum sese habent tanquam *Quæst decid. per distinct. I. II.*

incompletum ad completum, tanquam partes componentes ad totum compositum. Ratio posterioris est, quia ex non substantia naturaliter non potest fieri substantia.

III. 3, Nullum effectum posse esse perfectius omnibus suis causis efficientibus simul sumptis; sed quibusdam seorsum acceptis posse aliquod effectum esse perfectius. Ratio prioris est, quia tota perfectio effecti manat ab illius causis efficientibus simul sumptis. Ideoque fieri non potest, vt aliqua perfectio sit in effecto, quæ non æquali, vel nobiliori modo sit in aliqua causarum efficientium. Ratio posterioris est, quia instrumentalis causa potest esse longe imperfectior suo causato, cum à virtute eius principaliter non procedat causatum.

IV. 4, Nullum finitum qua finitum perfectius esse suo fine per se, proprio & vltimo, sed fine per accidens & alieno fieri potest vt sit perfectius. Ratio est, quia propter finem priorem finitum sua natura est expetendum; propter posteriorem vero minime.

25 *An in vnoquoque causarum genere locum habeat distributio causæ in totalem & partialem?*

Causa totalis quid.

VSitatum est apud Philosophos, diuidere causam in totalem & partialem. *Totalem* vocant, quæ in suo genere & ordine per se sola plenum & sufficientem influxum præstat ad causandum suum causatum: Ideoque alterius similis consortio non indiget. *Partialem* vero, quæ in suo genere & ordinē per se est insufficiens ad causandum, sine alterius similis consortio.

Causa partialis quid.

Iam igitur quæritur, vtrum talis causæ distributio, in vnoquoque causarum genere locum habeat.

Thesis affir. defend.

Ac sententia quidem affirmatiua videtur omnino esse concedenda in genere causarum efficientium, materialium & finalium. Non enim tantum efficiens, sed etiam materia & finis eiusdem ordinis alia est totalis, alia partialis, quemadmodum exempla testantur. Sed de genere causarum formalium non immerito dubitatur. Distinguendum tamen est inter formas substantiales & accidentales. Illæ enim cum sint partium & graduum expertes, idcirco non admittunt, vt in eodem ordine alia dicatur totalis, alia partialis. Hæ vero cum partes & gradus habeant, hinc fit, vt alia in eodem ordine dicatur totalis, alia partialis.

26 *Quid sit finis in genere?*

Homon. voc. finis excutitur.

VT hæc quæstio recte explicetur, ante omnia excutienda est, æquiuocatio vocabuli *finis*, quod sumitur 1, pro termino vltimo cuiusque rei. Quo sensu mors dicitur finis vitæ, punctum finis lineæ; limes finis agri, *I. signif.*
adeoq; extrema particula cuiusq; rei, dicitur finis ipsius. *II.*
2, pro qualibet re ad quam causandam media seu causæ, ordinantur & diriguntur. 3, pro causa, quæ ad finitum *III.*
essentialem respectum habet. Et in hac postrema significatione hoc loco finis à nobis accipitur, ac definitur in genere, causa extrinseca cuius gratia finitum est. Quæ definitio constat ex genere proximo & differentia specifica. Genus proximum, est causa extrinseca. In quo genere conuenit finis cum efficiente; sed discernitur à materia & forma, quæ non sunt causæ extrinsecæ, sed intrinsecæ. Differentia specifica exprimitur his verbis: *Cuius gratia finitum est*, quemadmodum idem etiam docet Arist. lib. 2. Phys. cap. 3. & libro 5. Metaphys. cap. 2. vbi finem dicit esse τὸ οὗ ἕνεκα, id est, *cuius gratia aliquid*, nempe *finitū, est*. Errant igitur illi, qui finem definiunt *vel id cuius gratia res est*; vel id, *propter quod aliquid fit vel est*: vel id, *quod efficientem ad agendum allicit seu excitat*: vel id, *ad quod efficiens seu media ordinantur*. Illæ enim definitiones prætorquam quod genere destituantur, aliis etiam vitiis laborant. Priores siquidem tres latiores sunt suo definito; cum prima competat etiam ipsi causato, cuius efficiendi gratia ipsa efficiens operatur; altera vero causæ in genere; tertia causæ efficienti impulsiuæ; postrema vero ipsi causato potius competit, quam fini, quatenus est causa. Causatum enim est id, ad quod efficiens seu media ordinantur.

Definitio finis in genere traditur & explicatur.

Defin. alior. refelluntur.

27 *An finis sit causa?*

Thesis affir. defenditur.

SEntentia affirmatiua huius quæstionis patet ex quæstione supra à nobis tradita, in qua demonstrauimus quatuor esse causarum genera, non plura, neq; pauciora, nempe *efficientem, materiam, formam & finem*. Sed illa videtur posse impugnari his argumentis: 1, *Omnis causa est principium: Finis non est principium: Ergo finis non est causa.* *I.*
Propositio patet partim ex definitione generali causæ supra tradita; partim ex cap. 1. lib. 5. Met. ... vbi Arister.

expreſſe omnes cauſas appellat principia. Aſſumptio probatur, quia finis opponitur principio, vt idem Ariſtoteles fatetur lib. 3. Metaphyſ. cap. 2.

II. 2, *Omnis cauſa actu in rerum natura exiſtit, quando cauſatum fit: Sed finis actu in rerum natura non exiſtit, quando cauſatum fit: Ergo finis non eſt cauſa.* Propoſitionis ratio eſt, quia actus cauſandi neceſſario præſupponit actum exiſtendi; neque fieri poteſt, vt quod nondum exiſtit, actum cauſandi exercere poſſit. Aſſumptio probatur, quia tunc demum finis

III. incipit actu eſſe, quando cauſatum exiſtit. 3, *Omnis cauſa ordine naturalis anteceſſionis prior eſt eo, cuius eſt cauſa: Atqui finis ordine naturalis anteceſſionis non eſt prior eo cuius eſt finis: Ergo finis non eſt cauſa.* Aſſumptio probatur: Quia finis eſt finiti finis: Finitum autem ſemper antecedit finem. Nam habitatio eſt finis domus; valetudo eſt finis deambulationis; victoria finis prælii; & tamen habitatio eſt poſterior ipſa domo; valetudo poſterior ipſa deambulatione; victoria poſterior ipſo prælio. Hinc vulgo dici ſolet *finem eſſe poſteriorem mediis, quæ ad finem ducunt.* Item, *Ad quod deſtinata referuntur, cuiuſmodi eſt finis, eſſe poſterius deſtinatis.*

Obiect. refut. I. Etſi vero hæc argumenta videntur magnam veritatis ſpeciem præ ſe ferre; tamen non ſunt tanti momenti, vt propterea à communi & recepta Philoſophorum ſententia ſit recedendum. Itaque ad primum reſpondeo, committi in eo fallaciam æquiuocationis, propter vocabulum *finis*, quod modo ſumitur pro termino vltimo, ſeu extrema parte alicuius rei: & ſic opponitur principio & medio; modo vero pro cauſa finali, & ſic non opponitur principio, ſed potiùs ſub eo continetur tanquam

II. ſpecies ſub genere. Ad alterum argumentum reſpondeo 1, per inficiationem propoſitionis. Cauſa enim, vt Fr. Suar. monet diſputat. 12, ſect. 3. art. 19. alia eſt realis, alia intentionalis. Propoſitio igitur non eſt ſimpliciter vera, de qualibet cauſa, ſed duntaxat de reali, præſertim ſi actu exiſtere in rerum natura idem ſit, ac extra animum reipſa habere exiſtentiam. Deinde reſpondeo per inficiationem aſſumptionis. Illa enim non eſt ſimpliciter vera, cum quidam fines reperiantur, qui actu in rerum natura exiſtunt, quatenus ſunt fines, quemadmodum id teſtatur exemplum Dei, qui vltimus finis eſt omnium

nium rerum: Præterea licet non omnis finis, quatenus finis, actu in rerum natura existat, extra animum; tamen negari non potest omnem finem, qua finem, habere existentiam in animo efficientis principalis, quatenus ab eo cognoscitur & desideratur. Et talis existentia sufficiens est vt aliquid rationem causæ finalis suscipiat, seu actum finaliter causandi exerceat. Ad tertium argumentum respondeo per inficiationem assumptionis. Quoniam enim finitum est, quod vi finis existit, idque à fine tanquam principiatum à principio dependet; idcirco necesse est vt finitum secundum essentiam absolutam, ordine naturalis antecessionis sit posterius; finis vero prior. Quod vero ad probationem assumptionis attinet, in ea committitur mera fallacia æquiuocationis, propter vocabula illa *finitum* & *finis*. Finitum enim quandoque sumitur pro ipso causato, quod vi finis existit; quandoque pro mediis seu causis, quæ ad causatum producendum sunt destinata seu ordinata. Similiter finis quandoque sumitur pro causa finali, cuius vi finitum existit: quandoque pro ipso causato, ad quod producendum media seu causæ sunt destinatæ seu ordinatæ. In priori significatione finitum absolute consideratum, est posterius; & finis prior, ordine naturalis antecessionis. In posteriore significatione finitum est prius; finis vero posterior. Quando igitur vulgo finis dicitur *posterioris, quæ ad finem ducunt*, tunc vocabulum *finis* non sumitur proprie pro causa finali, ad quam finitum tanquam causatum refertur, sed improprie pro ipso causato, ad quod media, tanquam causæ destinantur. Similiter quando finis dicitur id, ad quod destinata referuntur, tunc finis non accipitur pro causa finali, sed pro ipso causato: Et destinata non pro causato, sed pro mediis seu causis. Ideoque mirum non est, si finis dicatur esse posterior ipsis destinatis. Atque hanc veritatem etiam perspexit acutissimus Philosophus *Goclenius* in 1. parte Problematum Logicorum Probl. 33. vbi tertium argumentum aliter informatum soluit, & tandem concludit, *finitum quod refertur ita ad finem, vt sit effectum finis, posterius esse fine, & finem illo esse priorem.*

III.

Vox finiti & finis nō semper eodē modo vsurpatur.

28 *An omnis finis sit causa extrinseca?*

Thesis affir. defend. SEntentia affirmatiua patet ex Problem. 5. supra à nobis tradita. Sed in contrariam partem afferri possunt

Obiectio I. hæc argumenta: 1. *Quicquid ingreditur essentiam sui causati, id non est causa extrinseca: Atqui quidam finis ingreditur essentiam sui causati: Ergo quidam finis non est causa extrinseca.* Propositionis ratio est, quia causa extrinseca est, quæ est extra essentiam sui causati. Assumptio probatur inductione omnium entium, quorum essentialis perfectio in operatione seu vsu consistit. Illa enim semper definiuntur à fine.

II. 2. *Si finis alius est internus, alius externus, sequitur, non omnem finem esse causam extrinsecam: Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur, quia finis internus à quibusdam dicitur *opus ab artifice effectum*; externus vero huius operis vsurpatio. Seu, vt alii volunt, *finis internus* dicitur, *qui ipsum efficientem*; *externus vero, qui alium spectat*, v. gr. finis calcei partim est munitio pedis, partim lucri acquisitio. Sed posterior est internus finis, qui spectat ipsum sutorem; prior vero externus spe-

Responsio ad obiectionem. I. ctans eum, qui vtitur calceo. Ad primum argumentum respondeo per distinctionem assumptionis. Quidam enim finis ingreditur essentiam sui causati, non quatenus est finis, sed quatenus induit rationem formæ. Vnum enim & idem ens diuerso respectu potest simul suscipere rationem formæ & finis, vt expresse testatur Arist. libr. 2. Phys. c. 7. & lib. 7. Metaph. c. 4.

II. Ad alterum argumentum respondeo per inficiationem connexi. Licet enim concederemus finem dici posse alium internum, alium externum, eo scilicet modo, quo in probatione assumptio intelligitur; inde tamen non sequitur, non omnem finem esse causam extrinsecam. Siquidem finis dicitur causa extrinseca, non propter priorem modum, sed propter solum modum causandi, qui non est intrinsecus, sed extrinsecus, quam diu finis rationem obtinet.

29 *An finis recte dicatur prima omnium causarum?*

Thesis affir. defenditur ratio. I. STatuitur thesis affirmatiua propter sequentes rationes: 1. *Quicquid ante alias omnes causas actum causandi exercet, recte dicitur prima omnium causarum: Atqui finis ante omnes alias causas actum causandi exercet: Ergo finis recte dicitur prima omnium causarum.* Assumptio probatur.

1. Quia

1, Quia finis sui amore ac desiderio efficientem ad agendum allicit, eiusque gratia ab illo causatum ex materia & forma constituitur. 2, Quia nisi finis sua causandi virtute præcederet, neq; efficiens, neq; materia, neq; forma, actu causari quicquam possent. Materia enim sine forma non potest constituere compositum. Forma vero in materiam introduci non potest, nisi adsit causa efficiens, quæ eam materiam præparet ac disponat, & cum ea formam vniat. Efficiens vero non operatur, nisi finis amore ac desiderio alliciatur ad agendum. 2, *Quicquid est primum principium omnis operationis ad causatum producendum requisitæ, id recte dicitur prima omnium causarum: Atqui finis est primum principium omnis operationis ad causatum producendum requisitæ: Ergo finis recte dicitur prima omnium causarum.* Assumptio probatur, quia non tantum intentio effecti, sed etiam electio & executio mediorum ad effectum obtinendum necessariorum à fine primam originem trahit. Sed pro contraria opinione obijci potest hoc argumentum: 1, *Vltima omnium causarum non est prima: Atqui finis est vltima omnium causarum: Ergo non est prima.* Assumptio probatur 1, Quia verus & naturalis causarum ordo est, vt efficiens præcedat, sequatur materia, succedat forma, denique finis vltimo loco comitetur. Et hunc ordinem nobis obseruandum monstrat Deus, natura & ars. Deus enim in principio ex materia per formam creauit mundum propter finem. Natura, ex materia per formam generat corpus naturale propter finem. Ars ex materia per formam efficit opus artificiale propter finem. 2, Quia finis est terminus vltimus omnis operationis & causationis ad causatum producendum requisitæ: Siquidem in eo non tantum actio & appetitus efficientis, sed etiam causatio materiæ & formæ terminatur. 3, Quia finis est posterior finito. Munitio enim pedis sequitur calceum; habitatio domum.

Obiectio.

Assumptio obiectionis probatur.

I.

II.

III.

Respondeo ad argumentum obiectum. 1, propositionem non esse simpliciter veram. Vna enim & eadem causa potest esse vltima & prima respectu diuersi seu contrarii ordinis, cuiusmodi in genesi & analysi teneri solet. 2, assumptionem esse falsam de fine, quatenus actum finaliter causandi exercet. Quod vero ad rationes attinet, quibus assumptio probatur; in prima dico committi fal-

Responsio ad obiect.

Refut. ratio. assump. in obiect.

Thesis affir. defend. SEntentia affirmatiua patet ex Problem. 5. supra à nobis tradita. Sed in contrariam partem afferri possunt

Obiectio I. hæc argumenta: 1, *Quicquid ingreditur essentiam sui causati, id non est causa extrinseca: Atqui quidam finis ingreditur essentiam sui causati: Ergo quidam finis non est causa extrinseca.* Propositionis ratio est, quia causa extrinseca est, quæ est extra essentiam sui causati. Assumptio probatur inductione omnium entium, quorum essentialis perfectio in operatione seu vsu consistit. Illa enim semper definiuntur à fine.

II. 2, *Si finis alius est internus, alius externus, sequitur, non omnem finem esse causam extrinsecam: Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur, quia finis internus à quibusdam dicitur *opus ab artifice effectum*; externus vero huius operis vsurpatio. Seu, vt alii volunt, *finis internus* dicitur, *qui ipsum efficientem*; *externus vero, qui alium spectat*, v. gr. finis calcei partim est munitio pedis, partim lucri acquisitio. Sed posterior est internus finis, qui spectat ipsum sutorem; prior vero externus spectans eum, qui vtitur calceo.

Responsio ad obiectionem. I. Ad primum argumentum respondeo per distinctionem assumptionis. Quidam enim finis ingreditur essentiam sui causati, non quatenus est finis, sed quatenus induit rationem formæ. Vnum enim & idem ens diuerso respectu potest simul suscipere rationem formæ & finis, vt expresse testatur Arist. libr. 2. Phys. c. 7. & lib. 7. Metaph. c. 4.

II. Ad alterum argumentum respondeo per inficiationem connexi. Licet enim concederemus finem dici posse alium internum, alium externum, eo scilicet modo, quo in probatione assumptio intelligitur; inde tamen non sequitur, non omnem finem esse causam extrinsecam. Siquidem finis dicitur causa extrinseca, non propter priorem modum, sed propter solum modum causandi, qui non est intrinsecus, sed extrinsecus, quam diu finis rationem obtinet.

29 *An finis recte dicatur prima omnium causarum?*

Thesis affir. defenditur ratio. I. STatuitur thesis affirmatiua propter sequentes rationes: 1, *Quicquid ante alias omnes causas actum causandi exercet, recte dicitur prima omnium causarum: Atqui finis ante omnes alias causas actum causandi exercet: Ergo finis recte dicitur prima omnium causarum.* Assumptio probatur.

1, Quia

1, Quia finis sui amore ac desiderio efficientem ad agendum allicit, eiusque gratia ab illo causatum ex materia & forma constituitur. 2, Quia nisi finis sua causandi virtute præcederet, neq; efficiens, neq; materia, neq; forma, actu causari quicquam possent. Materia enim sine forma non potest constituere compositum. Forma vero in materiam introduci non potest, nisi adsit causa efficiens, quæ eam materiam præparet ac disponat, & cum ea formam vniat. Efficiens vero non operatur, nisi finis amore ac desiderio alliciatur ad agendum. 2, *Quicquid est primum principium omnis operationis ad causatum producendum requisitæ, id recte dicitur prima omnium causarum: Atqui finis est primum principium omnis operationis ad causatum producendum requisitæ: Ergo finis recte dicitur prima omnium causarum.* Assumptio probatur, quia non tantum intentio effecti, sed etiam electio & executio mediorum ad effectum obtinendum necessariorum à fine primam originem trahit. Sed pro contraria opinione obiici potest hoc argumentum: 1, *Vltima omnium causarum non est prima: Atqui finis est vltima omnium causarum: Ergo non est prima.* Assumptio probatur 1, Quia verus & naturalis causarum ordo est, vt efficiens præcedat, sequatur materia, succedat forma, denique finis vltimo loco comitetur. Et hunc ordinem nobis obseruandum monstrat Deus, natura & ars. Deus enim in principio ex materia per formam creauit mundum propter finem. Natura, ex materia per formam generat corpus naturale propter finem. Ars ex materia per formam efficit opus artificiale propter finem. 2, Quia finis est terminus vltimus omnis operationis & causationis ad causatum producendum requisitæ: Siquidem in eo non tantum actio & appetitus efficientis, sed etiam causatio materiæ & formæ terminatur. 3, Quia finis est posterior finito. Munitio enim pedis sequitur calceum; habitatio domum.

Obiectio. *Assumptio obiectionis probatur.* *I.* *II.* *III.*

Respondeo ad argumentum obiectum. 1, propositionem non esse simpliciter veram. Vna enim & eadem causa potest esse vltima & prima respectu diuersi seu contrarii ordinis, cuiusmodi in genesi & analysi teneri solet. 2, assumptionem esse falsam de fine, quatenus actum finaliter causandi exercet. Quod vero ad rationes attinet, quibus assumptio probatur; in prima dico committi fal-

Responsio ad obiect. *Refut. ratio. assump. in obiect.*

laciam petitionis principii. Hoc enim ipsum quæritur, ac controuertitur, *vtrum secundum naturalem causarum ordinem finis sit prima seu vltima omnium causarum.* Ac quod non sit vltima, sed prima, id à nobis superius demonstratum fuit duabus firmissimis rationibus. De hoc etiã testantur, Deus, Natura & ars. Siquidem à fine semper mouentur & excitantur, vt ex materia per formam causatum suum efficiant. In secunda est fallacia æquiuocationis in vocabulo *finis*, quod sumitur ibi non pro causa finali, sed pro ipso causato. In tertia manifesta est absurditas, pugnans cum axiomate illo vulgato & recepto, quod asserit, *omnem causam priorem esse suo causato*, scilicet secundum absolutam essentiam. Neque obstant exempla. Munitio enim pedis, quatenus sequitur calceum, non est causa finalis calcei, sed vel effectum vel ad adiunctum calcei. Idem dicendum de aliis exemplis.

II.

III.

30 *An omne efficiens operetur propter finem?*

Thesis affir. defenditur cum dist.

SVnt nonnulli, qui simpliciter & sine vlla limitatione asserunt *omne efficiens operari propter finem.* Et hæc etiam sententia videtur non omnino esse reiicienda, si fundamentum illius quæratur in prouidentia diuina, quæ omnia tam bona, quam mala ad certum finem dirigit; sed si extra prouidentiæ diuinæ sphæram consideretur, videtur esse limitanda ad omne efficiens, quod non temere & fortuito agit. Illud enim semper operatur propter finem, siue propter se operetur, siue propter aliud, siue propter vtrumque. Sed contra obiici potest: *Quicquid propter finem operatur, id illum finem cognoscit & appetit: Atqui non omne efficiens finem cognoscit & appetit: Ergo non omne efficiens propter finem operatur.* Propositionis ratio est, quia operatio propter finem præsupponit appetitionem finis; & hæc cognitionem. Finis enim sui amore ac desiderio efficientem ad agendum allicit, quatenus ab eo vt bonum appetitur. Non potest autem appeti vt bonum, nisi cognoscatur. Ignoti enim nulla cupido. Assumptio probatur, quia Natura bruta, quæ sensus & rationis est expers, tametsi multorum effectorum sit causa efficiens, tamen finem illorum effectorum non cognoscit & appetit, neque potest cognoscere & appetere. Respondeo ad obiectionem per

Obiectio.

Responsio ad obiect.

infi-

inficiationem propositionis. Non enim necesse est, vt omne, quod operatur propter finem, semper illum cognoscat & appetat; sed satis est, vt efficiens aut ipsum ex se finem sui effecti cognoscat & appetat, aut vt ab alia superiore & intelligente Natura ad finem certum dirigatur. Hinc fit, vt creaturæ multæ operentur propter finem, quem ipsæ ignorant; Deus vero solus habet cognitum: Similiter milites in bello sæpe operentur propter finem, quem nemo nisi solus dux belli cognitum ac perspectum habet. Quando igitur finis dicitur sui amore ac desiderio allicere efficientem ad agendum, id non de quolibet efficiente est intelligendum, sed tantum de efficiente principali, quæ facultate cognoscendi & appetendi siue sensitiua, siue intellectiua est instructa.

31 *An omne ens habeat finem?*

Sententia affirmatiua est vera de omni ente creato; falsa autem de ente increato, cuiusmodi est Deus. Ratio est, quia omne ens creatum potest suscipere rationem causati. Ideoque sicut habet causam efficientem, quatenus est ab alio; ita etiam habet finem, quatenus est propter aliquid, seu alicuius gratia. Ens vero increatum non potest suscipere rationem causati. Ideoque sicut causam efficientem non habet, quatenus ex se est; ita neque habet finem propter eandem rationem. Nihil enim potest simul esse à se & propter finem; cum esse à se semper excludat causam efficientem; esse autem propter finem, semper includat causam efficientem, siue quæ actu agit, siue quæ ante egerit. Hinc etiam orta sunt illa vulgata Philosophorum axiomata: *Quicquid habet finem, habet etiam causam efficientem.* Et, *quicquid non habet causam efficientem, neque habet finem.* Quando igitur vulgo *Deus dicitur habere finem sibi in operando propositum*, tunc verba illa non ita crasse sunt accipienda, quasi Deus causam habeat cuius gratia ipse sit; sed sunt intelligenda de effectis Dei, quæ semper fiunt ab ipso Deo finis alicuius gratia. Sæpe enim in communi loquendi consuetudine finis attribuitur efficienti, non quod causa sit efficientis, sed quia ab ea intenditur, eiusque gratia effectum causatur.

Ens creatum habet finem: Increatum non.

32 *An finis & causa finalis inter se differant?*

Alior. opin. recens.

SEntentiam affirmantem multi Philoſophi ſtatuunt ac defendunt. Sed in diſcrimine conſtituendo inter ſe non conſentiunt. Alii enim finem dicunt eſſe *terminum ad quem operatio tendit*, ſeu, *id in quo actio & appetitus efficientis terminatur:* cauſam vero finalem eſſe, *quæ agens ad operandum mouet*. Alii finem ſtatuunt *eſſe ipſum rei vſum* cauſam vero *finalem eſſe cogitationem de fine ſeu vſu, qua mouetur & regitur agens in opere inſtituendo*. Alii aſſerunt *finem dici reſpectu efficientis principalis, quem ad agendum mouet: finalem vere cauſam reſpectu efficientium ſecundariorum*, hoc eſt, mediorum, quæ ab illa non mouentur, ſed propter illam fiunt ſeu adhibentur. Cæterum hæc ſententia videtur nullo modo poſſe conſiſtere, quatenus finis ſumitur pro cauſa. Sicut enim materia & cauſa materialis, forma & cauſa formalis inter ſe non differunt: ita neq; finis, & cauſa finalis. Interea non negamus finem differre à cauſa finali, quatenus ſcilicet vocabulum *finis* non ſumitur pro cauſa, ſed vel pro termino vltimo cuiuſque rei; vel pro cauſato, ad quod cauſæ ordinantur & deſtinantur.

Quæſtio deciditur per diſtinctionem.

33 *An neceſſe ſit, id, quod rationem cauſæ finalis ſuſcipit, ſemper actu exiſtere?*

SVnt multi, qui nihil actu cauſari poſſe arbitrantur, niſi actu exiſtat, cum actus cauſandi ſemper præſupponat actum exiſtendi. Secundum illorum igitur opinionem neceſſe eſt, vt id, quod rationem cauſæ finalis ſuſcipit, ſemper actu exiſtat. At contra, ſi percurramus exempla cauſarum finalium, reperiemus pleraſque ex iis ſecundum abſolutam ſuam eſſentiam actu non exiſtere. Nam vſus cuiuſq; rei, vulgo dicitur finis illius; ſanitas, finis curationis; victoria, finis prælii; ſalus æterna, finis fidei. Et tamen cum hæc ſuum finitum cauſantur, actu adhuc nondum exiſtunt. Imo ſi exiſterent, non opus eſſet, vt finaliter quicquam cauſarentur. Sic homines multa faciunt poſterorum gratia, qui tamen nondum ſunt. Et Chriſtus ipſe mortuus, non tantum fidelium gratia, qui tunc viuebant, ſed & omnium illorum, qui vixerant, & vſque ad finem mundi victuri ſunt. Scholaſtici igitur plerique vt hanc difficultatem diluant, negant axioma illud

Pro theſi affirmante.

Pro theſi negante.

Reſponſio Scholaſt. exponitur & impugnatur.

illud vniuersaliter esse verum, *Nihil actu causari posse, nisi actu existat.* Excipiunt enim causam finalem, eique nihil repugnare asserunt actu non existere, quemadmodum patet ex inductione exemplorum supra à nobis allatorum. Sed hac responsione nondum videtur difficultatis nodus plene solutus. Posset enim quis contra datam responsionem hoc argumento instare: *Non ens non potest causari ens: Atqui quod actu non existit, est non ens: Ergo quod actu non existit, non potest causari ens.* Propositionis ratio est, quia non entis sicut nulla est essentia; ita nulla sunt accidentia: &, per consequens, neque facultas, neque actus causandi aliquod ens ipsi attribui potest. Assumptio probatur, quia omne ens habet existentiam, vt supra libro 1. cap. 4. Probl. 4. probauimus, Ideoq; quod non habet existentiam, non est ens. Respondent igitur alii per distinctionem existentiæ in realem & mentalem, ac concedunt quidem plerasque causas finales secundum absolutam rationem destitui existentia reali tunc, cum actum causandi exercent; sed negant vllam carere existentia mentali; cum finis ad causandum indigeat sui cognitione: neque efficientem ad agendum allicere possit, nisi ab ea apprehendatur, aut saltem ab alia superiore & intelligente natura, à qua efficiens dirigatur. Sed neque hæc responsio sufficiens est ad tollendum ex animo omnem scrupulum. Potest enim illa rursus impugnari hoc modo: *Si pleraque causa finalis tunc, cum actu causatur, destituitur existentia reali, & habet duntaxat existentiam mentalem, sequitur illam causari suum finitum non vt ens reale, sed vt ens rationis: Sed consequens est absurdum & pugnat cum natura plerorumque finitum,* etiam eorum quorum exempla supra adduxi. Illa enim actum causandi exercent non vt entia rationis, sed vt entia realia præcognita & desiderata: *Ergo absurdum etiam est antecedens.* Proinde necesse est vt alia solutio solidior afferatur, in qua mens hominis acquiescere possit. Illa vero tametsi videtur inuentu admodum difficilis esse, tamen an à nobis inueniri queat, tentabimus.

Responsio aliorum exponitur & impugnatur.

Pro fundamento igitur solutionis ponimus tria sequentia Theoremata: 1, Ens non tantum dici id quod actu existit; sed etiam id quod possibile est existere. Ideoq; etiam futurum ens esse ens. 2, Omne ens habet existen-

Resp. propria per certa Theor. I. II.

tiam eo modo, quo est ens, vt si illud sit vel præsens, vel præteritum, vel futurum, etiam existentia sit vel præsens, vel præterita, vel futura.

III. 3, Nihil actu causari posse, nisi actu existat, aut existere possit. Ideoque omnem actum causandi præsupponere actum existendi, si non semper præsentem, saltem futurum & possibilem. His ita positis, respondeo, non necesse esse, vt id quod rationem causæ finalis suscipit, semper actu existat, sed satis esse, si actu existere possit; seu, si existentiam habeat futuram & possibilem. Falsum igitur est 1, quod actu non existit esse non ens. 2, pleramque causam finalem cum actum causandi exercet, existentia reali destitui, & tantum habere existentiam mentalem.

34 *An finis semper habeat rationem boni?*

Thesis affir. defenditur.

I. Autoritate Aristot.

SEntentiam affirmantem passim in suis scriptis statuit Aristoteles. Nam lib. 2 Poster analyt. cap. 11. context. 55 finem dicit esse bonum, cuius gratia aliquid fit vel à natura, vel ab arte. Idem lib. 2. Phys. cap. 3 & lib. De somno, cap. 2. finem ait esse optimum quippiam, comparatione scilicet illorum, quæ gratia illius fiunt.

II. Ratione.

Ratio autem huius assertionis hæc est: *Quicquid propter se expetitur, id habet rationem boni: Atqui omnis finis quatenus finis propter se expetitur: Ergo omnis finis habet rationem boni.* Propositio probatur, quia obiectum appetitus est bonum, sicut auersationis malum. Assumptio probatur; *quia, cuius gratia alia expetuntur, id propter se expetitur: Atqui finis gratia alia expetuntur: Ergo finis propter se expetitur.*

Finis & bonum inter se non conuertuntur.

Vbi etiam obseruandum est: 1, finem & bonum inter se non conuerti, vt quidam volunt. Licet enim omnis finis habeat rationem boni; tamen non omne bonum habet rationem finis; sed tantum id, quod propter se expetitur. Nam quod propter aliud expetitur, id non habet rationem finis, quatenus est tale.

Finis nō semper est verum bonum.

2, Finem non semper esse bonum verum, sed modo verum, modo apparens bonum. Hinc facile est respondere ad obiectionem illorum, qui asserunt, malum quandoque rationem finis induere;

Quo respectu malū etiam induat rationem finis.

ideoque recte vulgo *finem alium dici bonum, alium malum.* Malum enim per se nunquam est finis, quatenus est malum, sed quatenus præ se fert speciem

ciem aliquam boni. Et quando finis alius dicitur bonus, alius malus, id verum quidem est respectu entis absoluti, quod finis denominatur: Id enim aut bonum est, aut malum per se; sed non respectu eius, qui finem intendit. Is enim semper finem respicit, quatenus habet rationem boni, siue illud sit verum, siue apparens bonum.

35 *An finis semper sit rei bona?*

AD hanc quæstionem quidam respondent per distinctionem finis in eum, qui est per se, & qui est per accidens. Priorem aiunt semper esse rei bonæ; posteriorem autem minime; cum etiam rei malæ competere possit. Hinc peccati finem per accidens dicunt esse illustrationem gloriæ Dei, morborum vero vel probationem seu castigationem paternam fidelium vel punitionem infidelium. Sed videtur hæc responsio non posse consistere; cum etiam rei malæ possit esse finis per se. Sic scortationis finis per se est expletio libidinis; latrocinii finis per se, est acquisitio pecuniæ; auaritiæ finis per se, est corrasio diuitiarum. Attamen puto dicendum esse finem per se attribui rei malæ, non quatenus est mala, sed quatenus induit rationem boni. Atque hinc etiam patet errare eos, qui afferunt, omne malum fine carere. Quicquid enim habet efficientem, habet etiam finem, nisi casu & fortuito fiat. Cum igitur malum habeat causam efficientem, vt lib. 2. cap. 9 probatum fuit, sequitur illud etiam habere finem.

Sententia aliorum exponitur.

Obiectio mouetur & soluitur.

Error quorundã perstringitur.

36 *An finis efficientem principalem ad agendum moueat, quatenus est finis?*

SVnt multi, qui asserunt finem mouere principalem efficientem ad agendum, non quatenus est finis, sed quatenus induit rationem causæ impulsiuæ. Rationes ipsorum sunt: 1. Quia causa efficiens impulsiua est, quæ efficientem principalem ad agendum impellit. 2. Quia finis, qua finis, non habet rationem mouentis; cum omne mouens sit efficiens. Nullus autem finis, qua finis, sit efficiens. 3. Quia finis sui amorem & desiderium in animo agentis excitat, non quatenus est finis, sed quatenus est causa efficiens: Ergo etiam sui amore ac desiderio agens ad agendum mouet, non quatenus est finis, sed

Pro thesi negante.

Ratio I.

II.

III.

Pro thesi affirm. quatenus est causa efficiens. Cæterum contrariam sententiam defendunt Thomas, Scotus, aliique Scholastici, nimirū, finem mouere principale agens ad agendum, quatenus est finis. Ideoque vt ad argumenta aduersariorum respondeant, distinguunt inter motum proprium & improprium seu metaphoricum. Causam enim efficientem aiunt mouere proprie; finem vero improprie, seu metaphorice, quatenus scil. sui amore ac desiderio principale agens ad exercendum causandi actum allicit. Et hoc etiam probant ex libr. 1. De ortu & interitu, cap. 7. vbi Aristoteles tradit, sanitatem, tanquam finem, mouere medicum ad curationem adhibendam per metaphoram. Sed an hæc responsio subsistere possit, non immerito dubitatur, præsertim, cum omnis causa efficiens impulsiua videatur mouere principale agens non proprie, sed improprie, nempe vel consulendo & suadendo, vel alio quodam modo. Itaque melior & accuratior mihi videtur responsio, si dicamus finem, quatenus finem mouere improprie principale agens non ποιητικῶς, hoc est per modum effectionis; sed ὁριστικῶς, hoc est, per modum finitionis, seu destinationis ac determinationis, quatenus sui amore ac desiderio destinat ac determinat causam efficientem liberam ad causandum hoc potius, quam illud.

Quæstio deciditur per distinctionem.

37 *An finis recte dicatur causari media, eorumque electionem & executionem?*

Thesis affir. prob.

Statuitur sententia affirmatiua. Finis enim est causa, cuius gratia aliquid fit. Iam autem finis gratia non tantum media fiunt, sed etiam eorum electio & executio: Ergo finis illa omnia causatur. Et hoc etiam testantur Scholastici, qui effecta causæ finalis vocant omnia quæ finis gratia fiunt, & inter illa effecta numerant non tantum media ipsa, sed etiam electionem & executionem mediorum. At in contrariam partem obiici potest hoc argumentum: *Si finis causatur media, sequitur finem esse causam mediorum, iisque priorem: Sed consequens videtur esse absurdum, & pugnare cum communi hominum opinione, qui statuunt media esse causas finis eoque priora: Ergo absurdum etiam est antecedens.* Respondeo nullam esse absurditatem in consequenti. Finis enim est causa mediorum,

I. Ratione. *II. Testim. Scholast.* *Obiectio pro thesi neg.* *Responsio ad obiectionem.*

diorum, iisque prior, quatenus vt finis sui amore ac desiderio illa destinat ac determinat ad causandum. Et rursus media sunt causa finis, eoq; priora, quatenus sua propria virtute actu concurrunt ad causandum finem tanquam effectum consideratum.

Ex quo etiam patet diuerso respectu tam finem, quam media suscipere rationem causæ & causati. Quatenus enim finis destinat media ad causandum, eatenus finis est causa, & media sunt causata, seu finita & destinata. Quatenus vero media actu influunt in finem, hoc est, causantur finem; eatenus media sunt causæ, & finis est causatum seu effectum. Vnde porro facile intelligitur: 1, Quomodo finis & efficiens sint sibi mutuæ causæ, & quomodo ex his vna modo sit prior, modo posterior altera. Finis enim est causa efficientis, eaque prior, quatenus efficiens consideratur vt finitum seu destinatum. Et rursus, efficiens est causa finis, eaque prior, quatenus finis consideratur vt effectum. Id quod in exemplis est valde manifestum. Sanitas enim est causa deambulationis, quatenus illa consideratur vt finis; hæc vero vt finitum, seu destinatum. Rursus deambulatio est causa sanitatis, quatenus illa consideratur vt efficiens: hæc, vt effectum. Sic victoria est causa prælii, quatenus illa habet rationem finis, hoc finiti. Et rursus, prælium est causa victoriæ, quatenus illud habet rationem efficientis; hæc, effecti. 2, Quomodo finis dicatur primus in intentione, vltimus in executione. Quatenus enim finis habet rationem causæ, est primus in intentione; quatenus vero habet rationem effecti, est vltimus in executione.

Tam finis quam media diuerso respectu suscipiunt rationē causæ & causati.

Quomodo finis & efficiēs sint sibi mutuæ causæ.

Quomodo finis dicatur primus in intentione & vltimus in executione.

38 *An finis mediis bonitatem & amabilitatem conciliet?*

STatuitur thesis affirmatiua. Finis enim est cuius gratia, seu propter quem media appetuntur, eliguntur ac adhibentur. Ac nisi finis bonitatem & amabilitatem mediis conciliaret, sæpenumero hæc repudiarentur, tanquam ingrata & molesta. Quis enim ægrotorum appeteret potionem amaram vel acerbam à medico propinatam, nisi sanitas intenta tanquam finis illam bonam & amabilem redderet? Quis studiosorum tantos labores

Thesis affir. probatur. Ratio I. II.

& vigilias tam diurnas, quam nocturnas eligeret & pateretur, nisi honestus doctrinæ & laudis appetitus illis bonitatem & amabilitatem conciliaret? Quis Christianorum eo posset adduci, vt carnem suam cum concupiscentiis illius crucifigeret, seu vt toti mundo, eiusque prauis cupiditatibus valediceret, nisi æternæ salutis ac beatitudinis amore & desiderio ad id alliceretur? At vero contra quis obiicere posset: Si finis bonitatem & amabilitatem mediis conciliat, sequitur media in se & sua natura non esse bona & amabilia: Sed consequens est absurdum, & pugnat cum illo generali axiomate Metaph, quod asserit, *omne ens, quatenus ens, esse bonum.* Respondeo: distinguendum esse inter bonitatem & amabilitatem absolutam, quæ omni enti, quatenus est ens, competit, & inter bonitatem ac amabilitatem respectiuam, quæ enti competit propter aliud duntaxat ad quod refertur. Priorem finis non conciliat mediis, sed tantum posteriorem.

Obiectio.

Responsio.

39 *An finis semper sit præstantior mediis?*

Thesis affir. defend.

SEntentiam affirmantem statuit Arist. lib. 3. Topicorum, cap. 1. & lib. 1. Magnorum moralium, cap. 2. Ratio autem est, quia *quod propter se est eligendum expetibilius est eo, quod propter aliud* vt idem Arist. libr. 3 Topic. cap. 1. tradit; seu, vt lib. 1. Magnorum moral. cap. 2. docet: *in vniuersum semper id melius, cuius gratia sunt alia.* Verum contra hanc sententiam obiici potest: *Si finis semper est præstantior mediis. sequitur* 1, *homines esse præstantiores angelis, cum hi hominum gratia sint conditi:* 2, *corpora elementaria esse præstantiora cælestibus, cum hac illorum gratia sint condita: Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens.* Respondeo, distinguendum esse inter finem & media, quatenus vel relate, vel absolute considerantur. Priori modo finis semper est præstantior mediis. Posteriori vero, non item. Fieri enim potest, vt media secundum absolutam essentiam sint aut æque perfecta, aut perfectiora fine, cuius gratia sunt.

Obiectio.

Responsio.

40 *An qui vult finem, semper etiam velit media ad illum destinata?*

Pro thesi neg.

PRo thesi negante huius quæstionis videtur militare communis experientia. Nemo enim hominũ est, qui non

non velit salutem ac beatitudinem; & tamen pauci reperiuntur, qui velint media ad illam destinata amplecti. Similiter nemo studiosorum est, qui non velit doctrinam & eruditionem tanquam finem; & tamen pauci cupiunt media persequi ad illam destinata.

Hinc etiam ortum est tritum illud prouerbium:

Felis amat pisces, sed aquas intrare recusat.

At pro contraria sententia obiici potest Problema 38. in quo asseritur, finem conciliare mediis bonitatem & amabilitatem. Hoc enim si ita est, videtur sequi, eum qui vult finem, semper etiam velle media. Pro soluenda hac obiectione, triplex responsio potest afferri: 1, Qui vult serio & ex animo finem, ille etiam vult media ad finem destinata: Quoniam igitur nō omnes, qui finem volunt, serio & ex animo illum volunt: hinc fit, vt neque media velint. 2, licet finis mediis bonitatem & amabilitatem conciliet, tamen is, qui vult finem, ex vi liberi arbitrii potest media vel velle, vel non velle. 3, Qui vult finem tanquam causam, vult etiam media tanquam causata & finita. Qui vero finem vult, vt effectum, ille non semper vult media, tanquam causas ad effectum producendum requisitas.

Pro thesi affirmante.

Quaestio deciditur per distinct.

41 *An finis recte distribuatur in* finem cuius, *&* finem cui?

ARistot. lib. 2. de Anima, cap. 4. finem duplicem constituit, vnum finem cuius, alterum finem cui. *Finem cuius* vocat, cuius gratia aliquid fit: *Finem cui*, in cuius gratiam aliquid fit. ex. gr. Curationis finis cuius, est sanitas; finis cui, est ægrotus. Sanitatis enim gratia, & in gratiam ægroti curatio à Medico instituitur. Sic Sacramentorum finis cuius, est obsignatio fœderis; finis cui, sunt fideles. Obsignandi enim fœderis gratia & in gratiam fidelium Sacramenta à Deo sunt instituta. Hanc igitur distributionem finis ab Arist. traditam Scholastici omnes retinent; & in eo dicunt vtrumque finem inter se differre, quod *finis cuius*, semper expetatur propter finem cui, in eumque dirigatur. Cæterum si hæc distributio accuratius consideretur, videtur non tantum esse otiosa, sed etiam vitiosa. *Finis* enim in genere definitur *esse causa extrinseca, cuius gratia causatum seu finitum est.* Ergo si hæc definitio est vera, quemadmodum ab ipsis etiam

Sententia aliorum exponitur.

Thesis negatiua defenditur.

Scholasticis cōceditur, irrefragabiliter sequitur, omnem finem esse finem cuius: Ideoque male *finem* alium dici *cuius*, alium *cui*. Neque obstat, quod finis cui definitur, *non id cuius gratia*, sed *in cuius gratiam aliquid fit*. Hæ enim duæ phrases, *cuius gratia*, &, *in cuius gratiam* sæpenumero coincidunt. Sic ægrotus sanandus, est finis cuius gratia, & in cuius gratiam curatio instituitur. Fideles sunt finis cuius gratia, & in cuius gratiam Sacramenta sunt instituta. Genus humanum est finis cuius gratia, & in cuius gratiam non tantum mundus creatus, sed etiam Filius Dei incarnatus fuit. Hinc etiam Aristoteles libr. 2. Phys. cap. 2. hominem dicit esse finem rerum tam artificialium, quam naturalium: quia illius gratia & in illius gratiam omnes illæ res fiunt. Et semper pro vna & eadem resumit τὸ τέλος καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, quemadmodum videre est non tantum cap. 3. libr. 2. Phys. & cap. 2. libr. 5. Metaphys. sed etiam libro 2. de Anima, cap 4. vbi expresse, vt ante dixi, duplicem illum finem constituit. Sic enim inquit eo in loco, τὸ οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ. Et paulo post: διττῶς τὸ οὗ ἕνεκα, τό τε οὗ, καὶ τὸ ᾧ. Atque hæc etiam fuit causa cur in præceptis de Fine huius distributionis noluerim facere mentionem.

Obiectio eiusque refutatio.

42 *An finis alius sit operantis, alius operis; itemque alius artificis, alius artis?*

Sententia aliorum exponitur.

Reperiuntur nonnulli Philosophi, qui autumant omnino distinguendum esse inter finem artificis, & artis, operantis & operis. Finem enim artificis & operantis vocant partim ipsum opus, partim proprium operantis & artificis commodum, quod ex opere resultat: Finem vero operis & artis vocant proprium vtriusque vsum, quatenus illius gratia vtrumque est. Sed de veritate huius discriminis non immerito quis dubitare posset. Nam 1. finis proprie est finiti finis; non vero operantis & artificis, quatenus causæ efficientis rationem suscipit. 2, Idem finis qui est operis & artis, etiam ab ipso operante & artifice intenditur. Sanitas enim est finis curationis, quem ipse etiam Medicus in operando intendit. Benedicere est finis Rhetoricæ, quem & ipse Rhetor respicit. Responderi tamen potest. 1, finem dici operantis & artificis, non quo ad causationem, sed quo ad

Dubitatio. I. II.

Responsio ad dubitat. I.

ad intentionem. 2, omnem quidem finem operis & artis esse etiam finem operantis & artificis: Sed non contra, omnem finem operantis & artificis esse etiam finem operis & artis, nisi per accidens. Nam Theologus, Iurisconsultus, Medicus non semper operantur propter finem artis suæ; sed sæpe propter alia, quæ per accidens cum illo fine concurrunt. Sic sutor facit calceos non tantum propter munitionem pedum, qui finis proprius est calceorum; sed propter lucri acquisitionem, quæ ex calceorum venditione resultat: Ergo sicut munitio pedum dicitur finis calceorum: ita lucri acquisitio dici potest finis sutoris, quatenus ab eo præter finem proprium calceorum intenditur. *II.*

43 *An vnius rei possint esse multi fines?*

SEntentiæ affirmatiuæ veritas patet ex Probl. 17. supra tradita. Sed maioris explicationis gratia subiicio, vnius rei posse esse multos fines, ita tamen vt alii ex his sint fines per se, alii per accidens; alii principales, alii minus principales; alii communes; alii proprii; alii denique intermedii seu subordinati, alius vltimus, vel secundum quid, vel simpliciter. Vbi etiam obseruandum est: 1, finem per se non tollere finem per accidens; neque principalem, minus principalem; neque vltimum tollere intermedium seu subordinatum, neque proprium, communem, & vice versa. 2, Omnem finem, quatenus finis est, per se expeti; & quando aliquis propter aliud expetitur, illum non amplius habere rationem finis, sed medii finiti. 3, finem simpliciter vltimum semper propter se, & nunquam propter aliud expeti. Ideoque etiam nunquam rationem medii finiti habere posse.

Thesis affir. defenditur per distinct.

Obseruatio I.

II.

III.

44 *Quid sit causa efficiens in genere?*

CAusa efficiens in genere à multis quidem definiri solet; sed à paucis recte ac veritati congruenter. Aristot. libr. 5. Metaphys. cap. 2. & lib. 2. Phys. cap. 3. *efficientem dicit esse id, vnde primum est principium seu initium mutationis & quietis.* Quæ definitio multis vitiis ac difficultatibus est obnoxia, vt videre est apud Fr. Suarez disp. 17. sectio. 1. Hinc factum est, vt alii causam efficientem definiant, *principium per se extrinsecum, à quo primo est mutatio seu actio.* Alii, *causam, qua formam in materiam introducit:* alii *causam, à qua effectus producitur,* &c. Sed

Definitiones aliorum recensentur & examinãtur.

priores duæ definitiones sunt angustiores suo definito, cum non omni efficienti competant. Siquidem prima soli efficienti per se competit; eique non omni, sed tantum illi, à qua mutatio seu actio oritur, & quidem non secundario, sed primario. Altera vero competit illi soli efficienti, à qua compositum aliquod vel artificiale, vel naturale oritur. Posterior vero est adæquata suo definito, eiusque naturam recte explicat, si modo *produci*, sumatur generaliter, pro *oriri*, seu *fieri*. Quod si tamen quis omnino perfectam definitionem constituere cupit, definiat efficientem in genere, quod sit causa extrinseca, à qua effectum dependet. Illa enim definitio constat ex genere proximo & differentia specifica; ideoque essentiam definiti perfecte & perspicue declarat, eoque neque latior est, neque angustior.

Propria definitio efficientis in genere.

45 *An sit discrimen inter causam efficientem & agens?*

Thesis affir. defenditur.

STatuitur contra Scholasticos sententia affirmatiua. Licet enim omne ens, quatenus agens sit causa efficiens respectu effectus, qui ab eo oritur; tamen non omnis causa efficiens est agens; siquidē nihil proprie potest dici agens nisi sit substantia. Sed multa entia possunt esse causæ efficientes, quæ tamen non sunt substantiæ, sed accidentia. Sic quantitas, qualitas, relatio & motus siue sit actio siue passio, possunt causæ efficientis rationem suscipere, tametsi non sint substantiæ, sed accidentia. Vnde patet causæ efficientis nomen non tantum substantiis, sed etiam accidentibus recte attribui posse; agentis vero minime. Sed contra quis obiicere posset tale argumentum: *Si efficere est agere, & effectio est actio, sequitur efficiens esse agēs: Sed verum prius: Ergo & posterius:* & per cōsequens *male distinguitur inter causam efficientem & agens.* Respondeo, vocabula illa, *efficere, effectio* & *efficiens*, quandoque denotare entia absoluta in Categoria Actionis posita; quandoque entia respectiua in Categoria Relationis Collocata. Si igitur illa in priori significatione vsurpentur, libenter concedo totū syllogismum aduersum me allatum; sed ita peccat ex ignoratione elenchi. Si vero in altera significatione accipiantur, nego assumptum. Nam hoc modo *efficere*, non semper est agere, neq; effectio semper idem est ac actio, vt patet ex iis, quæ supra pro confirmatione nostræ sententiæ attulimus. Ac proinde neq; efficiens semper idem est ac agens.

Obiectio.

Responsio ad obiect.

46 *An*

46 *An omnis causa efficiens causetur suum effectum per motum, & quidem extra se?*

STatuitur thesis negatiua. Nam causa efficiens, alia causatur suum effectum per motum seu actionem, alia sine motu seu actione. Per motum causatur, v. gr. omnis subst.n ia corporea & physica. Sine motu causatur, v. gr. omne accidens, siue sit quantitas, siue qualitas, siue relatio, siue actio, siue passio. Ab illo enim effecta emanant per solam naturalem & necessariam resultantiam, seu sequelam, etiamsi ipsum in se non agat, neque agere possit. Vnde pa et errare Scholasticos, qui fundamentum causalitatis in qualibet efficiēte statuunt esse actionem, vt videre est apud Fr. Suarez disput. 18. sect. 10 art. 5. Similiter causa efficiens alia causatur suum effectum intra se, alia extra se, intra se, vt cum homo habitum intellectualem vel moralem suis actionibus sibiipse contrahit; extra se, vt cum præceptor docendo & instituendo habitum intellectualem vel moralem in discipulo procreat. *Error Scholasticorum arguitur.*

47 *An causa efficiens recte distribuatur in procreantem, conseruantem & corrumpentem?*

VVlgata est in Schola Ramea distributio causæ efficientis in *procreantem* & *conseruantem*, quam tamen nonnulli imperfectionis arguunt, & putant addendam esse adhuc tertiam speciem, nempe *corrumpentem*. Sed neutra distributio videtur esse legitima. Ratio est: 1, Quia angustior est suo distributo, cum multa entia vere & proprie dicantur causæ efficientes, quæ tamen effectum suum proprie loquendo neque procreant seu generant, neque conseruant, neque corrumpunt: cuiusmodi sunt primum omnia ea quæ augent, diminuunt, alterant & loco mouent: Deinde omnia accidentia quæ proprie loquendo inter agentia numerari non possunt, cum actio tantum competat substantiis. 2, Quia non consentit cum natura distributi, sed potius cum ea pugnat. Nullum enim ens conseruans aut corrumpens aliud, potest dici causa efficiens eius quod conseruatur, aut corrumpitur; siquidem de ratione causæ efficientis est, dare esse suo effecto; de ratione vero entis cōseruantis vel corrumpentis, non est dare esse ei, quod conseruatur, aut corrumpitur, sed vel conseruare, vel tollere, seu destruere esse, *Pro thesi negante Ratio* *I.* *II.*

Quod autem conseruat aut destruit esse alterius, id hoc respectu non potest sine contradictionis implicatione dici dare eidem esse. Et hoc etiam optime intellexit Aristoteles, ideoque in lib. 6. Topic. cap 5. distinguit inter τὸ ποιητικὸν, καὶ σωστικὸν hoc est, *efficiens & conseruans*. Similiter libr. 2. Phys c. 3. distinguit inter ποιητικὸν καὶ φθαρτικὸν, hoc est, *efficiens & corrumpens*.

III. 3. Quia latior est suo distributo, cum materia quoque & forma possint dici causæ conseruantes; siquidem his durantibus res etiam causata durat.

IV. 4, Quia etiamsi concederetur, efficientem aliam esse procreantem, aliam conseruantem; aliam corrumpentem; tamen illa distributio non pertinere ad generalem tractatum de causis siue Metaphysicum siue Logicum; sed potius ad tractatum specialem, præsertim Physicæ, cuius proprium est considerare generationes, durationes & corruptiones corporum naturalium.

Obseruatio. Interim non negamus entia conseruantia & corrumpentia esse causas efficientes ipsius conseruationis & corruptionis, tametsi non sint causæ efficientes eius quod conseruatur & corrumpitur. Sunt enim conseruatio & corruptio species motus, &, per consequens, entia. Ideoque cum non à sese, sed ab alio sint, necessario habent causam efficientem à qua oriantur.

Error quorundam perstringitur. Vnde porro sequitur errare eos, qui simpliciter negant, id causæ efficientis rationem posse habere, quod corrumpit & destruit. Licet enim non sit causa efficiens, respectu rei, quæ corrumpitur aut destruitur; tamen est causa efficiens respectu ipsius corruptionis seu destructionis, cum ab illa hæc oriatur.

48 *An causa efficiens recte distribuatur in principalem & instrumentalem, & quomodo vtraque sit definienda?*

Thesis negatiua defend. Vsitata quidem est hæc distributio apud Scholasticos, sed si examinetur secundum leges bonæ diuisionis, non potest consistere. Non enim omnis causa efficiens, quæ non est principalis, statim est instrumentalis: siquidem causa impulsiua non est principalis, neque tamen est instrumentalis. Itaque melius est distribuere causam efficientem in principalem, & minus principalem; & hanc rursus in impulsiuam & instrumentalem.

Obseruatio. Vbi tamen obseruandum est vocabulum illud, *principale*, & *minus*

nus principale, hoc loco in stricta significatione vsurpari, prout competit causis efficientibus propter nobiliorem & ignobiliorem modum causandi. Alias si in lata significatione accipiatur, & quidem cum comparatione, etiam inter causas impulsiuas & instrumentales, nō inepte vna dici potest principalis, altera minus principalis. Porro de definitione causæ efficientis principalis & instrumentalis non eadem est omnium Philosophorum sententia, vt videre est apud Fr. Suarez disp. 17 sect. 2. art. 7. & sequentibus. Aliis enim causa efficiens principalis est, cui proprie & simpliciter attribuitur actio; aliis quæ propria seu sufficiente virtute in effectum influit; aliis, quæ ad effectum producendum plus virium confert; aliis denique, à qua effectus principaliter pendet. Sed ex his definitionibus duæ postremæ duntaxat videntur esse legitimæ; reliquæ vero aut angustiores, aut latiores esse suo definito. Similiter causa instrumentalis aliis est, quæ solum agit vt mota ab alio; aliis, quæ à principali causa assumitur ad producendum effectum; aliis, quæ principali causæ in efficiendo subseruit. Sed ex his definitionibus prior non est adæquata suo definito; tum, quia datur causa quædam principalis, quæ solum agit vt mota ab alio; tum, quia datur quædam causa instrumentalis, quæ non solum agit vt mota ab alio: Reliquæ vero duæ videntur esse bonæ & legitimæ. Atque ex his sequentia corollaria eliciuntur: 1, Non esse discrimen constituendum inter causam instrumentalem & instrumentum, quatenus hoc pro causa sumitur. 2, Omne instrumentum respectum habere partim ad causam principalem, cui subseruit, partim ad effectum, quem cum ea causatur. 3, Nihil posse vere dici instrumentum, nisi quatenus causæ principali inseruit, & cum ea eundem effectum causatur. Vnde etiam vulgo dici solet, *cuiusque instrumenti naturam consistere in vsu*, quē scilicet præstat causæ principali in causando effecto. Sublato enim illo vsu, instrumentum, desinit esse instrumentum. 4, Instrumentum plerunque indeterminate se habere ad agendum; ideoque à causa principali ad certum actionis modum determinari. 5, Instrumentum non semper tale esse, qualis est is, qui eo vtitur. Nam & malo instrumēto interdum quis bene vti potest, & bono male. 6, Instrumentum, quo

Causa efficiens principalis quid sit.

Causa instrumentalis quid.

Corollaria. *I.* *II.* *III.* *IV.* *V.* *VI.*

plures vsus præstat suæ naturæ conuenientes, eo esse perfectius; &, quo pauciores, eo imperfectius. Ideoque contrariam sententiam Aristotelis, quæ habetur lib. 1. Polit. cap. 2. non esse simpliciter veram.
VII. 7, Instrumenti certum esse vsum per se, abusum vero per accidens.
VIII. 8, Nullum instrumentum propter abusum esse reiiciendum; cum per se certum vsum habeat.
IX. 9, Instrumentum, nullius entis absoluti posse esse legitimum genus; cum sit ens relatum, & semper causæ alicuius rationem obtineat.
X. 10, Omne instrumentum esse mediū obtinendi finem; sed non omne medium esse instrumentum, cum etiam causæ efficientes principales ad effectū aliquem requisitæ recte media dicantur.
XI. 11, Instrumentum non esse vnius generis; sed multiplicis.

Instrumentorum varia sunt genera. Nam 1, Instrumentum aliud est actiuum, aliud passiuum, seu quod idem est, aliud mobile, aliud immobile; quorum illud est, quod ita inseruit causæ principali, vt ipsum etiam in causando effectu cooperetur; hoc vero est, quod ita inseruit causæ principali, vt ipsum in causando effectu nihil prorsus cooperetur.

I.
II. 2, Instrumentum aliud est corporeum, aliud incorporeum.
III. 3. Instrumentum aliud est naturale, aliud artificiale.
IV. 4. Instrumentum aliud est animatum; aliud inanimatum.
V. 5, Instrumentum aliud necessarium, aliud non necessarium. Necessarium est, quo carere causa principalis non potest in causando effectu. Estque vel simpliciter necessarium, sine quo causa principalis effectum suum nullo modo causari potest, vel secundū quid sine quo causa principalis effectum suum causari quidem potest, sed non commode & facile. Non necessarium est, quo carere causa principalis potest, si modo velit.

49 *An idem ens diuerso respectu possit esse causa instrumentalis & principalis?*

Thesis affir. probatur. Statuitur sententia affirmatiua, eaque probatur partim ratione, partim exemplis. Ratio est, quia vnum & idem ens, diuerso respectu participare potest definitionem tum instrumentalis, tum principalis causæ. Exempla sunt:

I. Ratione. *II. Exemplis.*

I. 1, Quia creaturæ sunt instrumenta Dei, quatenus ipsi inseruiunt in efficiendis certis operibus, & tamen eædem sunt causæ principales respectu suorum operum, quæ ab ipsis principaliter pendent.
II. 2, Quia milites sunt instrumenta Imperatoris, & tamen iidem sunt causa

causa princ palis respectu actionum bellicarum; quas ipsi sua virtute propria præstant. 3, Quia serra est causa instrumentalis respectu fabr & operis artificialis, quod à fabro efficitur; Sed causa principalis respectu incisionis, quam sua propria virtute causatur, impellendo & loco mouendo partes intermedias. 4. Quia ignis est instrumentum incendiarii, & tamen etiam est causa principalis calefactionis, accensionis & combustionis. Atque hanc veritatem etiam videtur perspexisse Fr. Suarez disp. 10 sect. 2. vbi ait: *omnem causam instrumentalem esse principalem respectu alicuius effectus, illius nimirum quem proxime & per se attingit: instrumentalem vero respectu alterius, qui inde resultat.* III. IV.

50 *An causa efficiens alia sit necessaria, alia contingens?*

STatuitur thesis affirmatiua; et que probatur sequentibus argumentis: 1. *Si effectum aliud est necessarium, aliud contingens, sequitur etiam causam efficientem aliam esse necessariam, aliam contingentem: At verum prius: Ergo & posterius* Ratio connexi est. quia necessitas & contingentia effecti pendet à necessitate & contingentia suæ causæ efficientis. Assumptio probatur à communi experientia, quæ testatur quædam in mundo fieri necessario, quædam contingenter. 2, *Si causa efficiens alia effectum suum causatur necessario, alia contingenter, sequitur propter diuersum illum causandi modum recte dici aliam necessariam, aliam contingentem. Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur, quia causa efficiens alia per se est definita, seu determinata ad certum effectum, ita vt non possit illum non efficere; alia vero per se est definita seu indeterminata ad hunc vel illum effectum, ita vt possit eundem efficere & non efficere. Hinc Sol necessario causatur illuminationem, ignis calefactionem; quia sunt causæ efficientes ad hæc effecta per se determinatæ. Homo vero contingenter causatur ambulationem & scriptionem; quia est causa efficiens ad hæc effecta per se indeterminata. 3, *Si causa efficiens alia non est necessaria, alia contingens, sequitur omnia in mundo aut necessario aut contingenter fieri: Sed vtrumque est absurdum: & pugnat non tantum cum communi experientia; sed etiam cum natura causarum secundarum à Deo ipsis in prima creatione indita: Ergo absurdum etiam est antecedens.* Cæterum, *Pro thesi affirmante. Argum. I.* II. III.

pro meliore quæstionis propositæ intelligentia notanda veniunt sequentia theoremata: 1. Causam efficientem necessariam aliam esse simpliciter & absolute necessariam, aliam secundum quid seu ex hypothesi. Prioris generis est sol respectu illuminationis, ignis respectu calefactionis, aqua respectu humectationis. Est enim simpliciter impossibile, vt sol non illuminet, ignis non calefaciat, aqua non humectet. Posterioris generis est aratio, stercoratio, seminatio respectu frugum ex terra nascendarum. 2. Vnum & idem ens diuerso respectu posse esse causam efficientem necessariam & contingentem. Sic sol est causa efficiens necessaria illuminationis; ignis calefactionis, aqua humectationis, quatenus illi motus ad nullum certum subiectum determinantur; contingens vero quatenus ad hoc vel illud subiectum determinantur. 3. Non omnem causam efficientem naturalem esse necessariam, sed quandam necessariam, quandam contingentem: Ideoque errare eos, qui naturaliter *efficere* idem esse putant ac *necessario efficere*. 4. Omnem causam efficientem, quæ coacte agit, esse necessariam, sed non vice versa. 5. Causam efficientem, contingentem causari suum effectum aut cum proæresi aut sine proæresi.

Theorema I. II. III. IV. V.

51 *An causa efficiens alia sit naturalis, alia libera, & quomodo inter se differant?*

Thesis affir. defend.

CVm omnis causa efficiens causetur suum effectum vel naturaliter, hoc est, ex sola Naturæ vi sine aliqua proæresi & consilio; aut libere, hoc est cum aliqua proæresi, seu ex certa præcognitione, deliberatione & consilio; hinc fit vt alia à Philosophis dicatur *naturalis*, alia *libera*, seu, quod idem est, *proæretica*, vel *voluntaria*. Differunt autem inter se. 1. quod causa efficiens naturalis per se ad vnum oppositorum est determinata; causa vero libera per se est indifferens, & indeterminata ad vtrunque oppositorum; cum possit agere & non agere, & tam hoc quam illud quod ei est contrarium. 2. quod causa naturalis per se agit sine certa actionis moderatione & dilatione: quia semper agit, quantum potest, & non potest suspendere suam actionem; causa vero libera per se agit cum certa actionis moderatione & dilatione; quia non semper agit, quantum potest vel debet, & pro libitu potest suspendere actionem, etiam oblata com-

Quomodo causa naturalis & libera inter se differant. I. II.

commoda agendi occasione. 3, quod causa naturalis agit sine antegressa deliberatione; libera autem non. 4, quod causæ naturalis rationem suscipere potest quodlibet ens, siue sit rationis particeps, siue expers; causæ vero liberæ, non nisi ens rationis particeps. Vnde porro apparet errare eos, qui vel causam efficientem naturalem cum necessaria confundunt; vt libertatem causandi bestiis etiam, aliisque creaturis ratione, aut saltem eius vsu destitutis attribuunt; nisi forte vocabulum *libertatis*, sumant in illa significatione, qua opponitur coactioni. *III.* *IV.* *Error aliorū taxatur.*

52 *An causa efficiens alia sit per se, alia per accidens, & quomodo inter se differant?*

TRita & vsitata in Scholis diuisio est causæ efficientis in eam quæ est per se, & quæ est per accidens. Eaque sumpta videtur ex ipso modo causandi. Aut enim efficiens per se efficit effectum aliquem, aut per accidens. Vnde etiam ipsum effectum aut per se dicitur effici ab aliqua efficiente, aut per accidens. Vt autem illa diuisio recte intelligatur, necesse est vt explicetur quid sit per se, vel per accidens efficere. In eo enim omnes Philosophi inter se non consentiunt. Per se enim efficere aliis est sua vi, non aliena efficere; aliis vi sua natiua efficere; non aduenticia; aliis interna vi efficere, non externa, aliis secundum naturam seu intentionem suam efficere, non vero præter naturam seu intentionem suam, aliis efficere per aliud accidentarium. *Thesis affir. defend.* *Quid sit per se efficere secundū alios.*

E contrario per accidens efficere, aliis est vi aliena, non sua efficere; aliis vi sua aduenticia efficere, non natiua; aliis externa vi efficere, non interna; aliis præter, non vero secundum naturam, seu intentionem suam efficere; aliis efficere non per se, sed per aliud accidentarium. Etsi vero in tanta opinionum varietate difficile est veritatem perspicere; tamen vt aliis, ita mihi quoque liberum esse iudico meam ea de re sententiam exponere. *Quid sit per accidens efficere secundum alios.*

Existimo igitur per se efficere proprie nihil aliud esse, quam efficere non aliena vi, sed vi sua, hoc est, vi sibi inhærente, siue illa vis sit natiua, siue aduenticia, siue interna, siue externa. Ideoque quicquid vel ex natura sua, vel ex consilio agit, seu, quicquid agit vel secundum naturam suam, vel secundum intentionem suam, id agere per se, & non per accidens. Contra per accidens efficere pro- *Propria sententiæ explicatio.*

prie nihil aliud esse, quam efficere non vi sua, hoc est, sibi inhærente, sed aliena & extranea, hoc est, extra se in alio existente, neque à se communicata. ideoque quicquid non agit, vel ex natura sua, vel ex consilio, cuius per naturam est capax; seu, quicquid causatur vel præter naturam suam, vel præter intentionem suam, id puto agere per accidens, & non per se.

Quomodo differat efficiens per se à causa per accidens. Differt igitur causa efficiens per se à causa efficiente per accidens non in eo, quod illa vim causandi habeat, & reuera effectum causetur; hæc vero non: sed quod illa vim causandi in se habeat, & reuera sua vi causetur effectum; hæc vero vim causandi extra se in alio habeat, & reuera non sua, sed aliena vi, eaq; à se non communicata causetur effectum. Cui discrimini adhuc alia addi possunt:

I. 1, Quod causa per se est ordinata; hæc inordinata.

II. 2, quod ea quæ à causa per se fiunt, aut semper aut plerunque fiunt: quæ vero à causa per accidens fiunt, præsertim casu & fortuito, illa raro fiunt.

III. 3, quod omnis effectus causæ per accidens reduci potest ad causam aliquam per se; non autem omnis effectus causæ per se, ad causam aliquam per accidens.

IV. 4, quod causa per se, proprie & simpliciter est causa; causa vero per accidens, improprie & secundum quid, propter analogiam, quam cum causa proprie & simpliciter dicta habet.

53 ***An idem ens diuerso respectu possit esse simul causa efficiens per se, & per accidens?***

Thesis affir. prob. Statuitur thesis affirmatiua, eaque probatur partim

I. Ratione. ratione, partim exemplis. Ratio est, quia vnum & idem ens potest efficere vnum effectum per se, & alterum per accidens; imo pro diuersa consideratione, vnum & idem effectum simul per se, & per accidens.

II. Exemplis. Exempla sunt:

I. 1, Quia vinum per se calefacit corpora nostra, quatenus moderate sumptum auget calorem vitalem; per accidens vero frigefacit, quatenus immoderate sumptum, calorem vitalem aut suffocat, aut saltem per poros corporis calefacti dissipat.

II. 2, Ignis per se est causa efficiens calefactionis & combustionis: per accidens vero peccati ab incendiario commissi, quatenus ille abutitur igne ad noxam sui proximi.

III. 3, Sol per se est causa efficiens luminis; quod in aere cernitur; per accidens vero tenebrarum, quatenus inter illum & aerem corpus opacum,

v.g.ter-

v. g. terra interponitur. 4, Deus per se est causa efficiens actionum humanarum, quatenus sunt actiones; per accidens vero, quatenus sunt moraliter malæ. 5, Christus per se est causa efficiens salutis nostræ; per accidens vero damnationis, quatenus ab hominibus incredulis reiicitur. 6, Iudas per se fuit causa proditionis Christi, quatenus illa fuit peccatum morale; per accidens vero quatenus fuit medium à Deo præter intentionem Iudæ directum ad passionem & mortem Christi, & inde resultantem redemptionem nostri procurandam. 7, Fratres Iosephi per se fuerunt causa efficiens venditionis Iosephi, quatenus fuit peccatum morale; per accidens vero, quatenus fuit medium præter intentionem fratrum à Deo directum, ad exaltandum Iosephum, & conseruandam familiam Iacobi.

IV. *V.* *VI.* *VII.*

54 *An idem possit esse causa efficiens contrariorum?*

Pro thesi neg. Ratio I.

HÆc quæstio in vtramque partem probabiliter disputari potest. Pro thesi enim negante afferri possunt hæc argumenta: 1, *Si idem, quatenus idem, semper facit idem, sequitur idem non posse esse causam efficientem contrariorum: Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur ex Aristotele, qui lib. 1. De interitu, cap. 10. ait: *τὸ αὐτὸ καὶ ὡσαύτως ἔχον ἀεὶ τὸ αὐτὸ πέφυκε ποιεῖν. Idem & eodem semper modo habens idem solet facere* Et lib. 4. Meteorologiæ cap. 6. *τὸ αὐτὸ τῷ αὐτῷ κατὰ τὸ αὐτὸ, οὐκ ἔστιν αἴτιον τῶν ἐναντίων. Idem eidem secundum idem non est causa contrarii.* 2, *Si contrariorum sunt contraria causæ, sequitur idem non posse esse causam efficientem contrariorum: Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio habetur apud Aristotelem in eodem capite supra ex libr. 2. De ortu & interitu citato, & probatur etiam communi hoc Scholasticorum canone: *Si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis.*

II.

Pro thesi affirmante. I. Testimoniū Aristotelis. II. Exempla.

Contra, pro thesi affirmante militat 1, autoritas Aristotelis, qui lib. 2. Phys. cap. 3. & lib. 5. Metaphys. cap. 2. expressis verbis asserit idem contrariorum esse causam. 2, exempla ex genere causarum tam naturalium quam liberarum desumpta. Sol enim potest coagulare & liquefacere; emollire & indurare; vinum potest frigefacere & calefacere corpora nostra. Orator potest idem suadere

& dissuadere. Medicus æque potest sanare & interficere ægrotum: Nauclerus seruare & perdere nauim.

Pro decisione Quæstionis referuntur duæ conclus. Vt igitur veritas huius quæstionis intelligatur, notandæ sunt duæ conclusiones: 1. Idem ens, quatenus eodem modo sese habet tam interne ad seipsum, quam externe ad alia, semper facere idem; ideoque non posse esse contrariorum causam.
I. 2. Idem ens, quatenus diuerso modo
II. se habet vel interne ad seipsum, vel externe ad alia, non semper facere idem; ideoque posse esse contrariorum causam.

Solutio argumentorum. Quod si igitur argumenta pro vtraque parte allata examinentur ad normam harum duarum conclusionum, facile apparebit, quid de illis sit sentiendum. Primum enim est verum secundum sensum prioris conclusionis. Reliqua sunt vera secundum sensum posterioris conclusionis. Neque obstat regula, *Contrariorum sunt contraria causæ.* Hæc enim intelligitur, non tantum de causis diuersis; quæ secundum absolutam rationem inter se contrariantur, sed etiam de eadem causa, quatenus propter contrarium causandi modum sibi est contraria; ideoque contrarios effectus causatur.

55 *An actu posita causa efficiente proxima simpliciter necessarium sit actu poni ipsum effectum?*

Pro thesi affirm. Ratio I. Statuitur thesis affirmatiua, quatenus illa intelligitur de causa efficiente proxima, non partiali, sed totali. Rationes sunt: 1. Quia essentialis est connexio inter causam efficientem proximam actu positam, & eius effectum, ita vt necesse sit illam cum hoc, & hoc cum illa
II. simul existere. 2. Quia simpliciter impossibile est, vt causa efficiens proxima actu ponatur, hoc est, actum causandi exerceat; & tamen nullum effectum causetur. Id autem fieret, si illa actu posita effectum actu non poneretur.
III. 3. Quia omne relatum simul est cum suo correlato, eoque actu posito semper quoque actu ponitur ipsum correlatum: Ergo idem quoque de causa efficiente proxima,
IV. quatenus actu est posita, negari non potest. 4. Quia causa efficiens proxima, quando actu est posita, non potest impediri quo minus suum effectum causetur. Est enim idem respectu causæ actu poni, quam non impediri in causando.
Porisma. Proinde concludo simpliciter necessarium esse vt ea actu posita, simul actu ponatur ipsius effectum.

ctum. Vnde porro sequitur illam causam efficientem non esse proximam, qua actu posita non simul actu ponitur ipsum effectum.

56 *Quid sit materia in genere?*

SVnt nonnulli, qui putant materiam in genere nō posse definiri, cum illud vocabulum sit æquiuocum, & modo proprie, modo improprie vsurpetur, etsi vero hæc opinio vera est quatenus vocabulum *materia*, ad nullam certam significationem restringitur; tamen falsa est, quatenus idem pro certo causæ genere sumitur, quod vulgo *causa materialis* dici solet. Itaque alii Philosophi in constituenda generali definitione materiæ pro causa acceptæ, plurimum laborant. Sed non omnium est concors ea de re sententia. Aliis enim materia est causa formam in se recipiens; aliis causa, ex qua res fit, vel est, vel constat; aliis causa quæ cum forma constituit compositum; aliis causa intrinseca ex qua materiatum est. Ex quibus definitionibus vltima videtur omnium esse optima & perfectissima, cum constet ex genere proximo & differentia specifica. Reliquæ vero, etsi non sunt simpliciter reiiciendæ; tamen vitio laborant, cum differentia generi addita, propriam naturam & causalitatem materiæ non exprimat; quippe quæ non consistit in eo, quod materia formam in se recipit, aut cum forma compositum constituit, aut quod ex illa res fit vel est, vel constat; sed in eo, quod ex ipsa tanquam causa intrinseca materiatum est. *Materia in genere potest definiri, si nō æquiuoce, sed vniuoce sumatur.* *Materia in genere quid sit.*

Vbi etiam obseruandum est, *Ex aliquo esse, vel fieri* variis modis aliquid dici, teste Aristot. lib. 5. Metaphys. cap. 24. Et 1, quidem ac propriissime tanquam ex materia materiatum, quo pacto statua dicitur fieri ex ære, olla ex argilla. *Quot modis aliquid dicatur esse ex aliquo.*
I. 2, tanquam ex efficiente effectum, quo pacto omnia dicuntur fieri, seu esse ex Deo, pugna ex conuitio,
II. homo ex parentibus. In illis enim exemplis *Ex*, sumitur pro *A*, vel *Ab*. 3, tanquam ex partibus totum per compositionem,
III. quo pacto corpus naturale dicitur componi ex materia & forma. 4, tanquā ex toto partes per resolutionē,
IV. quo pacto lapides dicuntur esse ex domo diruta.
V. 5, tanquam ex fine finitum, quo pacto ex intentione diuitiarum orta esse dicitur mercatura.
VI. 6, tanquam ex termino à quo, terminum ad quem per successionem, vel mutationem, quo pacto ex puero dicitur fieri iuuenis, ex

iuuene senex, ex vere æstas, ex æstate autumnus, &c. Similiter ex frigido calidum, ex duro molle, ex indocto doctus, ex impio pius. In quibus omnibus exemplis *ex*, sumitur pro *post*.

57 ***An materia recte dicatur alia ex qua, alia in qua, alia circa quam?***

Quæst. decid. per distinct.

Sola materia ex qua proprie dicitur causa.

SI vocabulum *materia* sumatur æquiuoce, concedi potest, aliam esse *ex qua*, aliam *in qua*, aliam *circa quam*. Si vero idem sumatur vniuoce pro certa causæ specie à forma, efficiente & fine distincta, simpliciter nego illam distributionem esse veram. Sola enim *materia ex qua*, proprie dicitur causa. Materia vero *in qua* & *circa quam* improprie dicuntur causæ; cum illa nihil aliud sit, quam subiectum recipiens; hæc vero nihil aliud, quam subiectum occupans seu obiectum. Et hoc etiam inde patet: 1, quia definitio generalis materiæ supra tradita soli materiæ ex qua competit, non vero ei, quæ dicitur in qua, vel circa quam. 2, quia nullum subiectum, quatenus subiectum proprie potest suscipere rationem illius causæ, cum respectũ habeat, nõ ad causatum, sed ad adiunctum.

58 ***An materia recte dicatur alia substãtialis, alia accidentalis?***

Quo sensu materia alia dicatur substãtialis, alia accidentalis.

VIdetur hæc distributio non posse consistere, cum omnis materia sit essentialis suo materiato; nulla vero accidentalis Sed mera est æquiuocatio, quæ suspectam reddit hanc distributionem. Itaque sciendum est, verum illius sensum esse quod materia alia sit substantia, alia accidens; seu, quod materia alia constituat compositum substantiale, alia vero compositum accidentale. Atque in hoc sensu videntur cum illa distributione consentire duæ aliæ, quarum prima est veterum Philosophorum, quemadmodum colligitur ex lib. 1. Metaph. cap. 6. Altera est ipsius Aristotelis, & habetur lib. 7. Metaphys. cap. 10. & lib. 8. cap. 6. Prior est, quod materia alia est *σωματικὴ*, alia *ἀσώματος*. Posterior est, quod materia alia est *αἰσθητὴ*, alia *νοητή*. Errant igitur illi, qui negant materiam proprie dictam etiam accidentibus quandoque attribui posse.

Error aliorũ taxatur.

59 ***An materia substantialis alia transiens, alia permanens recte dicatur?***

Thesis affir. defenditur.

VNius substantiæ possunt esse multæ materiæ; alia prima, alia secunda, alia mediata, alia immediata, alia principalis, alia minus principalis. Sed non omnis materia

materia ingreditur constitutionem compositi materiati, ita vt in eo actu existat. Quædam enim materia ante completum generationis actum perit seu destruitur; & hæc dicitur *transiens*, quia ex illa substantialiter transmutata fit materiatum: Quædam vero etiam post completum generationis actum in materiato salua & integra existit tanquam pars essentialis; & hæc dicitur *permanens*, quia ex illa actu in existente constituitur compositum materiatum. Sic semen patentum est materia transiens hominis; quia illud corrumpitur, antequam homo perfecte sit generatus; corpus vero organicum, quod ex semine illo est productum, est materia permanens hominis. Errant igitur illi, qui vel elementa, vel materiam primam in principio mundi à Deo ex nihilo creatam existimant actu adhuc in omnibus corporibus mixtis existere; cum illæ substantiæ, non materiæ permanentis, sed duntaxat transeuntis rationem obtineant. *Error aliorũ taxatur.*

60 *An distributio materiæ in primam & secundam competat soli materiæ substantiali?*

COmmunis opinio Philosophorum est, *solam materiam substantialem aliam esse primam, aliam secundam.* Sed non videtur illa omnino esse vera, cum etiam materia accidentalis, alia possit esse prima, alia secunda. Sic materia prima orationis sunt literæ; secunda vero sunt partim syllabæ, quæ ex literis constant, partim voces seu dictiones, quæ constant ex syllabis. Similiter materia prima syllogismi sunt tres termini, maior, minor & medius, seu tria argumenta: Secunda vero sunt tres propositiones, maior, minor & conclusio, seu tria axiomata, propositio, assumptio & conclusio. Vbi etiam obseruandum est; 1, materiam secundam pendere à prima ordine naturæ seu originis, ita quidem vt sine ea neque esse, neque causari quicquam possit. 2, materiam secundam non capacem esse cuiuslibet formæ, sed certæ ac determinatæ. *Thesis negat. defend. contra alios.* I. II.

61 *An materia rerum artificialium sit proprie dicta materia?*

REperiuntur nonnulli Philosophi, quia putant nihil proprie dici posse materiã, nisi id ex quo corpus naturale producitur. Ideoque materiã ex qua res artificiales conficiuntur, negant esse proprie dictã materiam. Sed illi vehementer hallucinantur. *Cui n. cõpetit definitio generalis* *Thesis affirm. defend. contra alios.*

materia, illud proprie dicitur materia: At materia rerum artificialium competit definitio generalis materia: Ergo proprie dicitur materia. Assumptio probatur, quia materia rerum artificialium est causa intrinseca, ex qua materiatum est. Vnde fit, vt aurum proprie dicatur materia annuli vel poculi aurei; lignum materia idoli; argilla materia ollæ; ferrum materia gladii; lapides materia muri, & sic deinceps.

62 *Quid sit forma in genere?*

Vocabulum forma est æquiuocum. IN hac quæstione vocabulum, *forma*, non sumitur absolute pro qualitate sensili corporis, orta vel ex quantitatis, vel coloris dispositione, quo pacto aliquid dicitur habere formam rectam, obliquam, rotundam, item esse formosum seu pulchrum; sed relate pro certa causæ specie, à materia, efficiente, & fine distincta, quæ vulgo *causa formalis* solet appellari. Atque secundum hanc significationem quæritur, quomodo forma in genere sit definienda. Etsi vero multi in constituenda generali definitione formæ laborarunt; tamen pauci veritatem penitus sunt assecuti. Itaque operæ precium me facturum puto, si diuersas formæ definitiones ab aliis traditas examinauero; deinde meam sententiam libere exposuero. *Forma in genere quid sit secūdū alios.* Definitur ergo forma modo causa, quæ cum materia constituit compositum; modo causa, quæ dat essentiam rei; modo causa, per quā res est id quod est, modo perfectio, quæ in materia recepta essentiam rei absoluit; modo denique causa, quæ materiam informat. *Definitiones aliorum refutantur.* Sed ex his definitionibus nulla est, quæ vitio careat. Aut enim plane non explicant naturam & causalitatem formæ, vt vltima, quæ formæ male tribuit officium informandi materiam, vt ex sequenti quæst. patebit; aut explicant quidem eam aliquo modo; sed vel latiores sunt suo definito, vt priores quatuor, quæ etiam causæ efficienti & fini suo modo attribui possunt; vel angustiores sunt suo definito, vt quinta, cuius genus non competit formæ substantiali, sed tantum accidentali. Itaque mihi videtur omnium perfectissima esse illa definitio, si forma in genere dicatur causa intrinseca, per quam formatum constituitur. *Perfecta definitio formæ in genere traditur.* Illa enim constat ex genere proximo & differentia specifica, adeoque naturam & causalitatem propriam formæ, qua ab aliis causis discernitur, perspicue explicat.

63 *An*

63 *An forma recte dicatur informare materiam?*

VVlgatum est in Philosophia formæ tribuere offi- *Thesis negat.*
cium informandi materiam, tum quia recipitur in *defend. con-*
materia; tum quia vim causandi exercere non potest, ne- *tra alios.*
que essentiam totius compositi absoluere, nisi materiæ
sit vnita. Sed hæc opinio est valde erronea, præsertim si
vocabulum *informationis* pro actu causandi solius formæ
proprio accipiatur. Licet enim forma recipiatur in ma-
teria tanquam adiunctum in suo subiecto, neque possit
exercere actum causandi, nisi materiæ sit vnita, inde ta-
men non sequitur formam informare materiam. Ratio- *Ratio*
nes sunt: 1, quia omnis forma quatenus forma, respectum *I.*
essentialem habet ad formatum. Illud autem formatum
non est materia, sed totum compositum, quod ex vnione
materiæ & formæ resultat. 2, Quia *Quodcunque forma in-* *II.*
format, eius essentiam constituit: Atqui materia essentiam
forma non constituit: Est enim causa intrinseca, per quam
formatum, nempe totum compositum formaliter con-
stituitur: *Ergo materiam forma non informat.* 3, *Si forma* *III.*
informaret materiam, sequeretur inde 1, materiam esse for-
matum, &, per consequens, causatum forma. 2, vnam cau-
sam, quatenus est causa, esse causatum alterius causa: Sed
vtrumque est absurdum: Ergo absurdum etiam est antece-
dens.

64 *An forma recte dicatur tota rei essentia?*

SEntentiam affirmantem complures Philos. præser- *Thesis nega-*
tim Peripatetici defendunt, moti authoritate Arist. *tiua defend.*
qui formam vocat modo λόγον τοῦ τί ἦν εἶναι, h. e. *rationem* *2. Phys. 3. 5.*
essentiæ, modo οὐσίαν τοῦ πράγματος. Sed decipiuntur illi. *Metaph. 2.*
Is enim tam insignes appellationes tribuit formæ, per
hyperbolen ac metonymiam effecti, vt innuat formam
esse præcipuam causam, qua essentia totius compositi
constituitur, & ab aliis specifice discernitur. Etsi enim
materia inchoat essentiam compositi, tamen sola for-
ma illam perficit & absoluit. Neque valet exceptio illa, *Præoccupa-*
formam quidem seorsum acceptam non esse totam es- *tio.*
sentiam rei, sed formam materiæ vnitam, esse. Semper e-
nim id, quod componitur, distinctum est ab iis, ex qui-
bus componitur. Cum igitur tota essentia rei compo-
natur ex materia & forma, sequitur illam ab his omnino

esse distinctam, siue separatim siue coniunctim considetetur, quemadmodum supra P.16. tradidimus.

65 *An forma alia sit substantialis, alia accidentalis?*

Thesis affir: defenditur. OMnis quidem forma est essentialis suo formato; sed non omnis secundum absolutam suam essentiam vel est substantia; vel accidens; sed quædam substantia, quædam accidens. Idcirco recte faciunt Philosophi, qui formam diuidunt in substantialem & accidentalem: ac illam quidem vocant, quæ essentiam substantiæ; hanc vero, quæ essentiam accidentis formaliter constituit. *Error aliorũ taxatur.* Errant igitur illi, qui opinantur solam formam substantialem esse proprie dictam formam; accidentalem vero minime; cum tamen vtrique ex æquo definitio generalis formæ supra à nobis tradita competat.

66 *An forma alia sit materialis, alia immaterialis; alia informans, alia assistens; alia intrinseca, alia extrinseca?*

Thesis negat. defend. TRes illæ distributiones formæ reperiuntur quidem & vsurpantur hinc inde in scriptis Philosophorum; sed tamen nulla ex his est, quæ possit consistere. Nam *Non datur forma immaterialis.* primum *formam materialem* vocant, quæ materia est vnita seu iuncta: *Immaterialem* vero, quæ ab omni materia est seiuncta. Iam autem omnis forma, qua forma est vnita materiæ, neque fieri vllo modo potest, vt aliquid actu sit forma, quod à materia est separatum. Hinc fit, vt Deus, Angeli & animæ rationales separatæ à corpore, non nisi improprie vulgo à Philosophis formæ dicantur; cum sint substantiæ ab omni materia seiunctæ. Deinde *formam informantem* vocant Philosophi quæ extrinsecus essentiam rei, cum materia constituit; assisten- *Non datur forma assistens.* tem vero, quæ extrinsecus duntaxat rem mouet, cuiusmodi forma secundum Philosophos est intelligentia, respectu sui orbis, quem mouet, & nauclerus respectu nauis, quam gubernat. Iam autem omnis forma qua forma, est informans, neque fieri potest, vt sine informatione vllo modo cogitari possit. Sequitur igitur for- *Non datur forma extrinseca quatenus forma est.* mam assistentem merum esse figmentum ingenii humani, & propterea ex Philosophiæ limitibus exterminandam. Denique omnis forma qua forma, est causa intrinseca, vt patet ex generali ipsius definitione, quia intrinsecus

ſecus eſſentiam formati conſtituit, non extrinſecus. Male igitur quædam forma, quatenus forma, extrinſeca eſſe ſtatuitur.

67 *An forma ſit ſeparabilis à ſuo formato, ſalua ipſius eſſentia?*

STatuitur ſententia negatiua. Rationes ſunt: 1, Quia forma eſt eſſentialis ſuo formato: Nullum autem eſſentiale poteſt ſeparari ab eo, cui eſt eſſentiale, ſalua manente ipſius eſſentia. 2. Quia forma habet ſe ad formatum tanquam relatum ad correlatum. Iam autem inter relatum & correlatum neceſſaria eſt & perpetua coexiſtentia, adeo quidem, vt ſe mutuo ponant & perimant. 3, Quia non minus contradictio implicatur, ſi quis ſtatuat formatum poſſe eſſe ſine forma, ac ſi quis dicat materiatum poſſe eſſe ſine ſua materia, aut generaliter cauſatum ſine cauſa. *Pro theſi neg. Ratio I. II. III.*

68 *An forma vnius ſpeciei ſit communicabilis alteri?*

STatuitur ſententia negatiua. Rationes ſunt: 1, Quia quælibet forma habet ſuam propriam materiam, cui vnitur: Ideoque in diuerſis materiis ſucceſſiue exiſtere non poteſt. 2, Quia diuerſæ ſpecies diuerſas habent formas: Ideoque ſimpliciter impoſſibile eſt, vt vna forma diuerſas ſpecies informet. 3, Quia omnis forma eſt de eſſentia eius ſpeciei, cuius eſt forma, neque vlli attribui poteſt, niſi ipſa ſpeciei eſſentia eidem attribuatur. Iam autem ſine contradictionis implicatione, aut ſpecierum diſtinctarum confuſione, fieri non poteſt, vt forma vnius ſpeciei fiat forma alterius, aut vt eſſentia vnius ſpeciei attribuatur alteri ſpeciei. Concluditur igitur formam vnius ſpeciei non eſſe communicabilem alteri. Neque quicquam valet, ſi quis obiiciat formam generis communicari omnibus ſpeciebus & indiuiduis ſibi ſubiectis. Etenim forma generis ſemper manet propria ſolius generis, nec ſpeciebus & indiuiduis generi ſubiectis alio modo communicatur, niſi quia ipſum genus totam ſuam naturam & eſſentiam in illa transfundit. Sed inde non ſequitur, formam vnius ſpeciei eſſe communicabilem alteri ab ea eſſentialiter diſtinctæ. *Pro theſi neg. Ratio I. II. III. Obiectio. Reſponſio.*

69 *An forma ſit per ſe ſenſilis, partiumque & graduum capax?*

Quæstio deciditur per distinctionem.

Distinguendum est inter formam substantialem & accidentalem, illa enim cum sit substantia incorporea, idcirco neque est per se sensilis neque partium & graduum capax. Vnde vulgo dicitur *consistere in indiuisibili, neque recipere maius & minus.* Et ab Aristotele in Metaphysicis comparatur numero, cui si addas, vel demas aliquid, statim eius species mutatur. Hæc vero cum sit accidens, partium & graduum est capax, adeoque quatenus est externum accidens, simul etiam per se est sensilis, vt testatur exemplum omnium formarum artificialium.

70 *An formæ rectè attribuantur operationes totius compositi?*

Quæstio deciditur per distinct.

Distinguendum est partim inter formam, quatenus est forma, & quatenus induit rationem causæ efficientis; partim inter causam efficientem & subiectum recipiens. Formæ igitur rectè attribuuntur operationes totius compositi, non quatenus est forma, neque quatenus est subiectum illarum recipiens; sed quatenus est causa efficiens, à qua immediate facultates actiuæ; mediate vero operationes totius compositi, profluunt. Ipsi vero toti composito attribuuntur operationes, partim quatenus est subiectum illarum recipiens, partim, quatenus est principale agens. Porro sicut formæ naturali attribuuntur operationes naturales; ita formæ morali, cuiusmodi est habitus moralis, attribuuntur operationes morales; formæ vero artificiali, cuiusmodi est ars, operationes artificiales. Hinc homo naturaliter differit, quatenus est rationalis; moraliter, quatenus est probus & vir bonus; artificialiter, quatenus est artifex. Est enim virtus forma essentialis viri boni, quatenus est talis; ars vero artificis, quatenus est artifex.

71 *An omnis forma substantialis sit separabilis à materia cui inest?*

Thesis affir. defend. contra alios.

Vulgo duplex genus formarum substantialium statuitur; vnum separabilium, cuiusmodi sunt animæ rationales; alterum inseparabilium, cuiusmodi creduntur esse reliquæ formæ naturales. Sed hæc opinio si accuratius pensitetur, non videtur posse consistere propter sequentes rationes: 1, Quia omnis forma substantialis

Ratio I.

secun-

secundum essentiam suam absolutam, sicut vi causæ procreantis vnita fuit materiæ; ita etiã potentiam passiuam habet, vt vi causæ corrumpentis ab eadem, si opus sit, separari possit. 2, Quia omne corpus naturale, ideo sua natura est corruptibile, quia formam habet à materia separabilem; ideoque etiam corrumpitur, quando corrumpitur; quia forma ipsius actu à materia separatur. Quod si nulla forma substantialis, præter animam rationalem, esset separabilis à materia, cui inest, sequeretur inde 1, non omne corpus naturale sua natura esse corruptibile: Siquidem corruptibilitatis causa efficiens proxima est separabilitas formæ à materia. 2, Nullum corpus naturale, præter hominem, actu posse corrumpi; quia corruptionis causa efficiens est separatio formæ à materia: Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Concludimus igitur, omnem formam substantialem esse separabilem à materia cui inest. Sed inde non sequitur, omnem actu separari, multo minus omnem post separationem sui à materia actu seorsum existere. Hoc enim priuilegium ex omnibus formis substantialibus, solis animabus rationalibus à Deo ex gratia est concessum, vt infra libro quarto pluribus differetur. *II.*

72 *An destructo formato semper destruatur forma?*

Statuitur thesis affirmatiua. Ratio est: 1, Quia essentialis nexus est inter formatum & formam, ita vt sicut formatum, sine forma existere non potest: ita neque forma, sine formato. 2, Quia forma & formatum sunt relata: Ideoque simul natura. 3, Quia si destructo formato remaneret forma, sequeretur inde formam posse existere sine formato, & relatum sine correlato: quæ tamen omnia sunt absurda, & implicant contradictionem. Neque valet, si quis obiiciat, animam rationalem, quæ est forma hominis, & tamen post mortem hominis manet superstes. Illa enim homine mortuo manet, non quatenus est forma; Sed quatenus est ens absolutum. Omnis enim forma, qua forma vnita est materiæ, & sine ea actum causandi exercere non potest. Cum igitur anima rationalis post mortem hominis non sit vnita materiæ, sequitur, quod formæ rationem non retineat. Hinc etiam

Pro thesi affirmante Ratio.
I.
II.
III.
Obiectio: Responsio.

non male videntur loqui illi, qui asserunt animam rationalem, quam primum à corpore est separata, interire, quatenus est forma; tametsi remaneat, quatenus est Spiritus immortalis. Perinde enim est, ac si quis dicat patrem interire, mortuo filio vnigenito, quatenus est pater, tametsi, quatenus est homo, superstes maneat.

73 *An causa exemplaris rectè referatur ad genus causæ formalis?*

Pro thesi affirm. Argum. I. COmmunis opinio Scholasticorum est pro parte affirmante. Argumenta ipsorum præcipua sunt hæc duo. 1, Quia exemplar nihil aliud est, quam forma, ad cuius imitationem ab artifice aliquid fit; seu vt Augustinus libr. de Ciuitate Dei, cap. 25. definit. Est forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. *II.* 2, Quia Plato, qui primus causam exemplarem putatur inuenisse, vocat eam ideam, formam & speciem. Cui etiam Aristoteles lib. 2. Phys. cap. 3. & libr. 5. Metaphys. cap. 2. videtur astipulari, dum formam vocat τὸ παράδειγμα, exemplar. *Thesis affir. refutatur.* Sed hæc opinio planè non potest consistere, tum quia definitio generalis formæ supra tradita, causæ exemplari non competit: tum quia forma pro causa accepta semper essentiam formati ingreditur, tanquam pars essentialis; exemplar autem minime. *Soluuntur argumenta.* Neque valent argumenta quibus Scholastici vtuntur. *Vocabulum formæ æquiuocum.* Illa enim laborant fallacia æquiuocationis propter vocabulum formæ, quod modo sumitur pro certa specie causæ; *I. Signif.* modo pro qualitate externa & sensibili corporis, cuiusmodi est figura & pulchritudo; *II.* modo pro imagine rem aliquam repræsentante, cuiusmodi est calopodium, seu idea calcei coriacei à sutore in animo *III.* concepti. *Vera sententia exponitur & probatur.* Itaque melior est & verisimilior sententia eorum, qui causam exemplarem referunt ad genus causæ efficientis, præsertim instrumentalis. *Exemplar quid sit.* Est enim exemplar nihil aliud quam imago, ad cuius imitationem principalis causa efficiens effectum suum efformat. Ideoque respectu illius causæ, rationem instrumenti passiui omnino videtur obtinere. *Exemplar quotuplex. Obseruatio. I.* Vbi etiam obseruandum est, 1, exemplar aliud esse reale seu externum, aliud intentionale seu internum: ac reale quidem esse, quod extra animum artificis subsistit, ac in sensus incurrit, cuiusmodi est calopodium, autographum, &c. Intentionale

nale vero esse quod in mente duntaxat artificis subsistit, cuiusmodi est omnis idea seu conceptus rei faciendæ, ad cuius imitationem postea ipsa res fit ab artifice. 2, exemplar esse instrumentum non cuiuslibet causæ efficientis principalis; sed tantum illius, quæ agit per intellectum. II.

74 *Quid sentiendum sit de causa sine qua non?*

SVnt nonnulli tam ex Theologis, quam ex Philosophis, qui putant *causam sine qua non*, esse peculiare genus causæ à quatuor illis, quæ hactenus à nobis sunt explicata, distinctum. Ideoque quoties aliquid opinantur commode referri non posse ad vnum aliquod causæ genus ex vulgatis illis quatuor, statim confugiunt ad *causam sine qua non.* Sed hæc sententia nullo modo videtur esse approbanda propter sequentes rationes: 1, Quia quælibet causa sine qua causatum fieri non potest, siue sit efficiens, siue materia, siue forma, siue finis, vere dici potest *causa sine qua non.* Ideoque hæc peculiare causæ genus non constituit. *Sententia aliorum exponitur & refutatur.* *Ratio I.*

2, Quia non dantur plura causarum genera, quam quatuor, vt supra problem. 8. probatum fuit. Ideoque nihil potest vere & proprie dici causa, nisi ad vnum aliquod ex his quatuor possit referri. 3, Quia *causa sine qua non*, quatenus sumitur pro peculiari causæ genere à reliquis distincto, reuera nihil aliud est, quam commune crassæ ignorantiæ asylum & latibulum. Quoties enim homines veræ Philosophiæ ignari nesciunt ad quod genus causæ hoc vel illud sit referendum, illico ad *causam sine qua non* confugiunt, & sic putant se errare non posse; cum omnis causa, quæcunque illa sit, vere *causa sine qua non*, appellari queat. II. III.

Quod si tamen quis per *causam sine qua non*, intelligat quamlibet conditionem & circumstantiam ad causari productionem necessariam; etiamsi nullam vim causandi habeat; hoc sensu quidem concedimus, *Causam sine qua non* esse aliquid à quatuor causæ generibus distinctum; sed tunc vocabulum causæ non proprie, sed improprie vsurpatur. Ideoque vulgatæ Philosophorum de causarum numero sententiæ plane non aduersatur. *Obseruatio.*

De Subiecto & Adiuncto, CAPVT III.

THEOREMATA.

Subiectum in genere quid sit & quotuplex.

1 *Tertia classis attributa respectiua sunt, subiectum & adiunctum.*

2 *Omne enim ens aut est subiectum, aut adiunctum.*

3 Subiectum *est, cui aliquid præter essentiam adiungitur; seu quod adiuncto subiicitur.*

4 *Estque vel recipiens, vel occupans.*

5 *Subiectum recipiens est, quod adiunctum recipit.*

6 *Estque vel inhærentiæ, vel adhærentiæ.*

7 *Subiectum inhærentiæ est, quod adiunctum in se recipit, seu in quo adiunctum existit.*

8 *Estque vel vniuersale, vel particulare.*

9 *Vniuersale est, quod adiuncto suo est adæquatum, & cum eo reciprocum.*

10 *Particulare est, quod adiuncto suo est angustius, seu extra quod adiunctum patet.*

11 *Vtrumque vel est absolutum, vel limitatum.*

12 *Absolutum est, cui adiunctum simpliciter sine vlla limitatione inest.*

13 *Limitatum est, cui adiunctum non simpliciter, sed secundum quid inest.*

14 *Subiectum adhærentiæ est, quod adiunctum ad se vel circa se recipit.*

15 *Estque vel connexionis, vel circumstantiæ; quorum illud adiunctum extrinsecus ad se; hoc circa se recipit.*

16 *Subiectum occupans est, circa quod adiunctum occupatur, seu versatur. Vno vocabulo dicitur vulgo* Obiectum.

17 *Estque vel per se, vel per accidens.*

18 *Obiectum per se est, circa quod adiunctum per se versatur.*

19 *Estque vel commune, vel proprium.*

20 *Commune est, circa quod multa simul adiuncta versantur.*

21 *Proprium est, circa quod vnum duntaxat adiunctum versatur.*

22 *Vtrumque vel est primarium, vel secundarium; vel immediatum, vel mediatum.*

23 *Primarium est, quod adiuncto suo primario; secundarium, quod secundario obiicitur.*

24 *Immediatum est, quod adiuncto sine medio; mediatum, quod mediante alio obiicitur.*

25 *Obiectum per accidens est, circa quod adiunctum per accidens versatur.*

26 *Tantum de* Subiecto. *Sequitur* Adiunctum, *cui aliquid subiicitur; seu, quod subiecto prater essentiam adiungitur.* *Adiunctũ in genere quid sit & quotuplex.*

27 *Id vero vel est receptum, vel occupatum.*

28 *Adiunctum receptum est, quod à subiecto recipitur.*

29 *Estque vel inhærens, vel adhærens.*

30 *Adiunctum inhærens est, quod à subiecto in se recipitur; seu, quod in subiecto inest.*

31 *Estque vel necessarium, vel contingens.*

32 *Necessarium adiunctum est, quod subiecto necessario inest.*

33 *Estque vel simpliciter necessarium, vel contingens.*

34 *Simpliciter necessarium est, quod essentiali & indissolubuli nexu cum subiecto suo cohæret. Vnde etiam ab aliis dicitur* adiunctum essentiale, *seu* inseparabile.

35 *Secundum quid necessarium est, quod certo quodam respectu subiecto suo immutabiliter inest.*

36 *Contingens adiunctum est, quod subiecto suo contingenter seu mutabiliter inest, seu quod potest inesse & non inesse. Vnde etiam accidens separabile ab aliis appellatur.*

37 *Vtrumque adiunctum tam necessarium, quam contingens, aut est proprium, aut commune: aut natiuum, aut aduenticium.*

38 *Proprium adiunctum est, quod vni tantum subiecto inest, & extra illud alii non competit. Vno vocabulo dicitur Idioma, Proprietas.*

39 *Estque vel simpliciter proprium, vel secundum quid.*

40 *Simpliciter proprium est, quod per naturam ita vni inest, vt nullo modo ac respectu possit pluribus subiectis esse commune.*

41 *Secundum quid proprium est, quod certo duntaxat respectu vni subiecto inest, & non pluribus.*

42 *Commune adiunctum est, quod per naturam pluribus subiectis inesse potest.*

43 *Natiuum adiunctum est, quod suo subiecto à primo ortu inest.*

44 *Aduenticium adiunctum est, quod post ortum demum incipit inesse suo subiecto.*

45 *Sic de adiuncto inhærente. Sequitur adiunctum adhærens, quod à subiecto vel ad se, vel circa se recipitur.*

46 *Estque vel connexum, vel circumstans.*

47 *Connexum est, quod extrinsecus cum subiecto recipiente coniungitur.*

48 *Circumstans est, quod extrinsecus subiectum recipiens circumstat.*

49 *Adiunctum denique occupatum est, quod circa obiectum versatur seu occupatur.*

IN CAPVT TERTIVM

Problema I.

An doctrina generalis de subiecto & adiuncto pertineat ad Metaphysicam?

Thesis affir. defend. contra alios.

Sententiam negantem defendit Ramus, & omnes eius discipuli. Illi enim existimant doctrinam generalem de subiecto & adiuncto solius Logicæ esse propriam; tum, quia Logica sit ars generalis, quæ generalium tractationem sibi vendicat; tum, quia subiectum & adiunctum sunt termini generales, qui omni enti & non enti accommodari possunt. Etsi vero libenter concedimus, ad Logicam pertinere suo modo generalem doctrinam *de subiecto & adiuncto*; tamen negamus illam solius Logicæ esse propriam, & à Metaphysica plane alienam. Vna enim & eadem res diuerso modo ac fine potest in diuersis disciplinis considerari ac tractari. Sic homo consideratur in Physicis, quatenus est ens naturale; in Ethica, quatenus bonis moribus est informandus; in Theologia, quatenus est saluandus; in Medicina, quatenus est sanandus. Eodem ergo modo etiam doctrina de subiecto & adiuncto pertinet diuerso respectu tum ad Metaphysicam, tum ad Logicam. Ad Metaphysicam, quatenus subiectum & adiunctum considerantur vt attributa generalissima omnium entium, eaque in duo summa genera distribuunt solius cognitionis gratia. Ad Logicam vero, quatenus subiectum & adiunctum sunt technologemata, hoc est, termini artificiales, & species argumentorum, ex quibus definitiones, diuisiones, propositiones & syllogismi conficiuntur; adeoque quatenus

Quomodo doctrina de subiecto & adiuncto pertineat ad Metaph. & Log.

nus conferunt ad modum bene differendi & sciendi. Quod igitur ad argumenta Aduersariorum attinet, ad primum respondeo, Logicam esse quidem artem generalem ratione vsus; non autem ratione doctrinæ, vt patet ex cap. 1. lib. 1. præsertim Pr. 12. Ac licet quorundam terminorum generalium considerationem sibi vendicet; tamen illos eodem modo & fine vt Metaphysica, non considerat. Ad secundum respondeo, subiectum & adiunctum esse quidem generales terminos, qui omni enti & non enti accommodari possunt; sed inde non sequi, illorum considerationem solius Logicæ esse propriam, & à Metaphysica alienam, vt ex præcedentibus apparet. *Soluũtur argum. Aduers.*

2 *Quid sit subiectum & adiunctum in genere?*

VOcabulum ὑποκειμένου, hoc est, *subiecti*, apud Aristotelem non semper vno & eodem modo vsurpatur. *Vocab. subiecti, est æquiuocum.* Quandoque enim sumitur pro quolibet ente positiuo, vt cum lib. 5. Phys. auscult. cap. 1. *generatio dicitur esse mutatio à non subiecto ad subiectum. Corruptio vero mutatio à subiecto in non subiectum.* In quibus verbis per *subiectum*, intelligitur ens positiuum: per non subiectum autem, non ens, vt ibidem Philosophus sese explicat. *I. signif.* Quandoque sumitur pro materia ex qua aliquid fit, vt cum libro 1. Phys. cap. 9. materia prima definitur *primum subiectum, ex quo inexistente vnumquodque fit, & in quod vltimo resoluitur.* *II.* Quandoque pro prima parte enunciationis, quæ ab aliis *subiectum prædicationis* dicitur, vt patet ex capite 1. libri Categoriarum. *III.* Quandoque pro eo, cui inest seu inhæret accidens, quod vulgo dicitur *subiectum inhærentiæ*, vt patet ex libro Categor. cap. 1. & 3. *IV.* Quandoque pro eo circà quod aliquid occupatur, quod vulgo dicitur *obiectum*, vt cum lib. 1. Poster. analyt. cap. 7. subiectum scientiæ dicitur id, cuius principia & affectiones proprie in ea considerantur ac demonstrantur. *V.* Item cum libro 1. De ortu & interitu, cap. 4. materia vocatur *subiectum generationis & corruptionis.* Denique vocabulum subiecti sumitur quandoque in genere pro omni eo, quod alicui subiicitur, neque tamen est causa vel pars illius. *VI.* Et in hac postrema significatione hoc loco à nobis consideratur. Vt igitur definitio generalis subiecti & adiuncti rectius cõstituatur, sciendum est: 1. subiect[um] *Subiectũ & adiunctum sunt relata.*

& adiunctum esse relata; ideoque essentialem inter se habere respectum, ita vt omne subiectum sit adiuncti subiectum, & omne adiunctum sit subiecti adiunctum. 2, Relationem, quæ est subiecti ad adiunctum, esse subiectionem; adiuncti vero ad subiectum esse adiunctionem. 3, subiectum relationis esse partim ens, partim non ens, partim substantiam, partim accidens. 4, Fundamentum, cuius beneficio relatio inest suo subiecto, esse vnius ad aliud ordinationem, siue naturalem, siue voluntariam, qua fit vt vnum alteri subiiciatur, vel adiungatur.

Subiectũ & adiunctũ in genere quid. His positis, manifeste apparet, subiectum in genere recte definiri *esse aliquid, cui præter essentiam aliud adiungitur*; seu, *quod adiuncto præter essentiam subiicitur: Adiunctum vero esse aliquid, quod subiecto præter essentiam adiungitur*; seu, *cui præter essentiam aliud subiicitur.* Illæ enim definitiones constant ex genere adæquato & differentia specifica, ac naturam definitorum perspicue explicant, *Error aliorũ taxatur.* iisque neq; sunt latiores, neque angustiores. Vnde porro apparet non recte sentire eos, qui putant subiectum respectum habere duntaxat ad accidens. Ideoque in genere definiunt esse id cui accidens inest, seu inhæret. Subiectum enim ita late patet, vt non tantum accidenti; sed etiam substantiæ attribui possit: Ideoque illa definitio angustior est suo definito & propterea reiicienda.

3 *An subiectum naturà prius sit suo adiuncto?*

Pro thesi affirmante. Ratio I. HÆc quæstio in vtramq; partem probabiliter disputari potest. Pro thesi enim affirmante adduci possunt hæc argumenta: 1, Quia subiectum est, cui aliquid præter essentiam adiungitur: Ergo necesse est, vt subiectum habeat essentiam perfectam, antequam ei aliquid *II.* adiungatur. 2, Quia adiunctum natura posterius est subiecto, cum hoc antecedat, illud consequatur: Ergo è *III.* contrario subiectum natura prius est adiuncto. 3, Quia substantia natura prior est suis accidentibus, vena sanguine, ventriculus alimento, sensile sensu, scibile scien- *Pro thesi neg. Ratio I.* tia, &c. Pro thesi negante faciunt hæc argumenta: 1, *Quia relata sunt simul natura. Subiectum autem & adiunctum sunt relata: Ergo sunt simul natura*; &, per consequens, *II.* *vnum altero neq; est prius, neq; posterius.* 2, *Quia si subiectum esset*

esset prius suo adiuncto, tunc se mutuo non ponerent & tollerent: Sed consequens est absurdum & pugnat cum natura relatorum: Ergo absurdum etiam est antecedens. Pro decisione quæstionis obseruandæ sunt sequentes duæ conclusiones: 1, Subiectum non est natura prius suo adiuncto, quatenus vtrumque relate consideratur. Ita enim sunt simul natura, & vnum sine altero neque esse, neque definiri, neque cognosci potest; adeoque se mutuo ponunt & tollunt. 2, Subiectum non semper natura prius est suo adiuncto, quatenus vtrumque absolute sine mutua inter se relatione consideratur. Licet enim hoc modo omne subiectum inhærentiæ natura prius sit adiuncto inhærente; tamen de subiecto adhærentiæ; quemadmodum etiam de subiecto occupante, non semper est verum. Nam fieri potest, vt quandoque *adiunctum adhærens & occupatum* secundum absolutam essentiam prius sit ipso subiecto, cui adiungitur. Sic arma possunt esse confecta antequam is, qui ea induit, sit natus. Sic sensus in homine & ratio esse potest, antequam hoc vel illud sensile ipsi obiiciatur. *Decid. quæst. per concl.* I. II.

4 *An subiectum & adiunctum sese mutuo ponant ac tollant?*

Sensus quæstionis est, *vtrum posito subiecto ponatur adiunctum, & sublato subiecto tollatur adiunctum:* Et vice versa, *vtrum posito adiuncto ponatur subiectum, & sublato adiuncto tollatur subiectum.* Etsi vero ex præcedenti quæstione satis liquet, quid de hac quæstione sit sentiendum; tamen clarioris ac distinctioris doctrinæ gratia, visum fuit de ea paucis seorsum agere. Itaque concludo thesin affirmantem vniuersaliter esse veram, quatenus subiectum & adiunctum relate considerantur. Est enim proprietas essentialis relatorum simul esse natura, &, per consequens, se mutuo ponere, ac tollere. *Thesis affir. defenditur.*

Sed pro contraria sententia obiici potest: 1, posito homine non semper poni risum, loquelam, doctrinam & id genus alia. 2, posito sensili & scibili, non semper poni sensum & scientiam. 3, destructo homine, non semper destrui vestes, quibus fuit indutus. 4, destructis armis & vestibus non semper destrui hominem, qui illis est indutus. 5, sublata loquela non semper tolli hominem. Respondeo distinguendum esse inter subiectum & adiun- *Obiectio.* I. II. III. IV. V. *Responsio.*

ctum, quatenus considerantur vt entia vel absoluta, vel respectiua. In priori modo vera sunt ea quæ obiiciuntur; sed thesin nostram non impugnant. In posteriori vero sunt falsa. Omne enim ens tam diu actu rationem subiecti & adiuncti obtinet; quam diu actu est id cuius est subiectum vel adiunctum. Quam primum vero vnum ex his amittit rationem vel subiecti vel adiuncti, etiam alterum eandem amittit; tametsi secundum essentiam absolutam vtrumque possit manere saluum & integrum.

5 *An subiectum & adiunctum in veras & legitimas species possint distribui?*

ESt quidam nostro tempore Philosophus, alioquin doctus, qui cum videat Ramum in sua Logica præter exempla, quibus doctrinam de subiecto & adiuncto illustrat, nullas distributiones subiecti & adiuncti afferre; idcirco, vt præceptorem suum, quem ex nimio amore, errare non potuisse existimat, defendat, non veretur in illam sententiam abire, non posse subiecti & adiuncti vllas legitimas dichotomias dari, quibus certæ illorum species constituantur. *Pro thesi negante Argum. I.* Argumenta ipsius præcipua, quantum intelligere potui, sunt hæc: 1, Quia omnis legitima distributio debet constare ex partibus toti consentaneis & inter se dissentaneis. Talis autem distributio subiecti & adiuncti dari non potest; cum partes oppositis formis seu proprietatibus inter se non dissentiant. Omnia enim subiecta sunt vnius formæ, quæ est, quod iis aliquid adiungatur, quod præter essentiam accedat. Similiter omnia adiuncta sunt vnius formæ, quod iis aliquid sua essentia per causas perfectum subiiciatur. *II.* 2, Quia si quæ dantur differentiæ subiecti & adiuncti, illæ ex lege καθ' αὑτὸ non pertinent ad Logicam, tanquam generalem artem; sed specialium artium sunt propriæ. *III.* 3, Quia membra distributionum, quæ ab aliis afferri solent, latiores sunt suo distributo, quod est contra legem καθόλου πρῶτον, quæ vetat, ne quod plurium commune sit, id vni tantum attribuatur. *Thesis affir. defenditur.* Cæterum contrariam sententiam esse veriorem testantur distributiones supra in præceptis de subiecto & adiuncto à nobis adductæ. Illæ enim omnes constant membris toti consentaneis & inter se dis-

se dissentaneis; ac neque latiores, neque angustiores sunt suo distributo, si modo membra illarum semper cum respectu ad totum quod distribuitur, considerentur. Quod igitur ad argumenta Aduersarii attinet, in primo negatur assumptio. Falsum enim est, quod membra distributionum à nobis allatarum, inter se non dissentiant formis seu proprietatibus oppositis. Ac licet omnia subiecta & adiuncta sint vnius formæ respectu generis, in quo omnes species inter se conueniunt; inde tamen non sequitur, ea non esse diuersarum formarum, quatenus considerantur, vt species inter se oppositæ, & distinctæ. Homo enim & bestia sunt vnius formæ respectu sui generis, in quo conueniunt, & tamen inter se dissentiunt, quatenus sunt species oppositæ generis. In altero concedo quidem libenter, omnes distributiones subiecti & adiuncti, prout à nobis sunt traditæ, non solius Logicæ esse proprias; cum etiam in Metaphysica considerentur; sed nego vllam illarum ad speciales artes pertinere, nisi ratione vsus & applicationis peculiaris. In tertio argumento, nego vllam distributionem subiecti & adiuncti, prout à nobis est tradita, esse vel latiorem, vel angustiorem suo distributo. Licet enim negari non possit pleraque vocabula, quibus membra distributionum efferuntur, aliis etiam rebus accommodari posse & solere; inde tamen non sequitur, res ipsas, quæ illis vocabulis denotantur, latius sese extendere, quam ipsum distributum, si modo illæ res semper tanquam membra considerentur cum respectu ad totum, quod distribuitur, vt antea monui. Et hoc etiam testantur exempla distributionum, quibus argumentum à Ramo dispescitur in *artificiale* & *inartificiale*, in *primum* & *à primo ortum*, *in consentaneum & dissentaneum*. In illis enim vocabula ipsa, quibus membra distributionum efferuntur, multis aliis rebus applicari possunt & solent: Nihilominus tamen res ipsæ, quatenus sunt species argumentorum, latius non patent, quam est ipsum distributum.

Solutio Argum.

Prothesi neg.

II.

III.

Praeoccupatio.

6 Quomodo intelligendæ sint distributiones subiectorum & adiunctorum; & quæ sint earum fundamenta?

Varia distrib. subiecti & adiuncti rite censentur & explicantur.

Diuersæ à nobis in præceptis allatæ sunt subiecti & adiuncti distributiones, quæ vt rectius intelligantur, necesse est vt partim rationibus probentur, partim exemplis illustrentur. Primum itaque subiectum in genere distribuitur in *recipiens* & *occupans*. Illud enim aut

I. recipit, aut occupat adiunctum. Si recipit, dicitur ab Aristotele passim in suis scriptis ὑποκείμενον δεκτικόν. Si occupat, ἀντικείμενον, vt videre est lib. 1. De anima, cap. 4. Latine dicitur *obiectum*; quia scilicet obiicitur adiuncto. Huic vero primæ subiecti distributioni è regione quasi respondet diuisio *adiuncti in receptum & occupatum*. Il-

II. lud enim à subiecto aut recipitur, aut occupatur. 2, *Subiectum recipiens*, aliud dicitur esse *inhærentiæ*, aliud *adhærentiæ*. Illi enim aut intrinsecus inhæret adiunctum, aut extrinsecus adhæret. Vnde etiam fit vt adiunctum receptum aliud dicatur inhærens, aliud adhærens; seu, vt alii loquuntur, aliud *internum*, aliud *externum*. e. gr. accidens est in substantia creata, tanquam adiunctum inhærens in subiecto inhærentiæ; substantia vero creata est in alia substantia, tanquam adiunctum

III. adhærens in subiecto adhærentiæ. 3, Subiectum inhærentiæ aliud est *vniuersale*, aliud *particulare*; quemadmodum colligitur ex libro 1. Poster. analyt. capite 4. contextu 36. & sequentibus. Aut enim illud suo adiuncto est *adæquatum*, aut *non adæquatum*. Si est adæquatum, tunc cum adiuncto suo est reciprocum. Si non est adæquatum, tunc neque cum adiuncto suo est reciprocum. Prius igitur docendi gratia dicitur *subiectum vniuersale*, seu quod idem est, *subiectum primum*, *subiectum immediatum*. Posterius vocatur *subiectum particulare*, seu quod idem est, *subiectum secundum*, *subiectum mediatum*, exemp. gr. subiectum vniuersale quantitatis extensiuæ est substantia corporea; particulare est cœlum, elementum, &c. Subiectum vniuersale vitæ & mortis naturalis, est corpus animatum; particulare est homo. Subiectum vniuersale risus, est homo; particulare, est Socrates.

IV. 4. Subiectum inhærentiæ tam vniuersale, quam particulare aliud est *absolutum*, aliud *limitatum*. Aut enim adiunctum ipsi simpliciter inest, aut secundum quid. ex. gr. homo est subiectum absolutum sensus & risus; limitatum

tatum vero gibbositatis & vulnerationis passiuæ. Priora enim adiuncta insunt homini simpliciter, quatenus est totum compositum ex corpore & anima; posteriora vero secundum corpus duntaxat & eius certam partem. Similiter Christus est subiectum absolutum officii mediationis, & saluationis; limitatum vero finitatis, & infinitatis, localitatis & vbiquitatis. Prius enim adiunctum Christo simpliciter inest, quatenus est persona ex diuina & humana natura constans: Posteriora vero eidem insunt secundum quid, nempe secundum alterutram naturam. 5, Subiectum adhærentiæ, aliud est *connexionis*, aliud *circumstantiæ*. Adiunctum enim adhærens aut V.
cum eo extrinsecus coniungitur, aut extrinsecus circumstans, e. g. adiunctum connexum hominis sunt arma, vestes, calcei. Adiunctum connexionis crucifixionis Christi, partim fuit eclipsis extraordinaria solis, partim ruptura veli templi: Adiunctum circumstans eiusdem fuit partim locus, partim tempus quo facta est. 6, Subiectum occupans seu *obiectum aliud est per se, aliud per* VI.
accidens: aliud proprium, aliud commune: aliud mediatum, aliud immediatum. Aut enim illud suo adiuncto per se competit, aut per accidens: aut vni soli adiuncto; aut multis simul; aut primario aut secundario; aut immediate aut mediate. Hinc Aristoteles lib. 2. De anima, c. 6. sensile, quod est obiectum sensus, aliud dicit esse per se, aliud per accidens; aliud proprium, aliud commune: Et alii Philosophi præterea sensile, aliud mediatum dicunt, aliud immediatum; aliud primarium, aliud secundarium, quemadmodum in doctrina de senibus pluribus explicari solet. 7, Adiunctum inhærens aliud est *necessarium, aliud contingens; aliud proprium, aliud commune; aliud* VII.
innatum, aliud aduentitium, illud enim subiecto suo inest, aut necessario, aut contingenter, aut vni soli, aut pluribus; aut à primo statim ipsius ortu, aut post ortum. e. gr. risibilitas est adiunctum necessarium proprium & innatum hominis; risus vero est adiunctum contingens & aduentitium eiusdem, sicut sensus adiunctum commune. 8, Adiunctum necessarium aut est simpliciter tale, & dicitur *adiunctum essentiale, adiunctum inseparabile*, VIII.
aut *secundum quid*, e. gr. finitudo est adiunctum simpliciter necessarium creaturæ. Cognitio Logicæ est adiun-

ctum secundum quid necessarium hominis, quatenus nimirum vult bene disserere. 9. Adiunctum proprium aut est *simpliciter tale*, aut *secundum quid*. Illud est, quod alicui subiecto soli, omni & semper competit. Et ab Aristotele dicitur τὸ καθ' αὑτὸ καὶ ἀεὶ ἴδιον. Ab aliis proprium in quarto modo. Hoc est quod alicui subiecto soli quidem competit, sed vel non omni, vel non semper, vel simul, neque omni, neque semper. Ab Aristotele dicitur τὸ πρός ἕτερον, ἢ ποτὲ ἴδιον. Vbi etiam corollarii loco notandum est, adiuncta propria ab Aristotele dici modo absolute ἴδια, modo cum adiectione ἴδια πάθη, hoc est, proprias affectiones. 2, Adiuncta propria ac simpliciter necessaria vulgo dici ἰδιώματα οὐσιώδη, hoc est, *proprietates essentiales*, seu, *propria essentialia*, non quod essentiam subiecti constituant; sed quod eam constitutā immediate & necessario cōsequantur. At quia hæc appellatio iam apud omnes Philosophos & Theologos est recepta; idcirco nos etiam in sequentibus quæstionibus frequenter ea vtemur.

IX.

Obseruatio.

7 *An sit discrimen inter adiunctum & accidens?*

Homonymia vocabuli accidentis excutitur.

Accidens absolute quot modis sumatur.

VOcabulum *adiuncti*, plane est inusitatum in Schola Aristotelica: sed in Schola Ramea vsitatissimum, ac videtur sumptum ex Topicis Ciceronis. Proinde non immerito quæritur, *vtrum sit discrimen inter adiunctum & accidens?* Ac, vt hæc quæstio rectius explicetur, necesse est, vt ante omnia homonymia vocabuli *accidentis* excutiatur. Illud enim apud Aristotelem sumitur modo absolute, modo respectiue. Absolute quidem 1, pro certa
I. specie entis incomplexi à substantia distincta, vt cum omne ens incomplexum dicitur vel substantia, vel acci-
II. dens. 2, pro quinto prædicabili, quod vulgo dicitur *ac-*
III. *cidens commune*, & à proprio distinguitur. 3, pro eo, quod raro, adeoque fortuito ac casu euenit ac contingit. Respectiue vero sumitur 1, in genere pro omni eo, quod ad ens aliquod in actu perfecto constitutum, tanquam ad subiectum accedit, seu adiungitur. 2, in specie pro acci-
I. dente substantiæ opposito, quatenus respectum habet ad
II. subiectum, cui inest. His itaque significatis, obseruatis & distinctis, iam sequentes conclusiones subiicio: 1, Adiunctum partim latius, partim angustius patere quam ac-
I. cidens in prima significatione absoluta acceptum: latius quidem, quatenus nō tantum eiusmodi accidens, etiā sed

Accidens respectiue quot modis sumatur.

Quæst. decid. per conclus.

etiam substantia potest suscipere rationem adiuncti; angustius vero, quatenus eiusmodi accidens, non tantum rationem adiuncti; sed etiam rationem causati, subiecti, aliorumque argumentorum suscipere potest. 2, Adiunctum latius patere, quam accidens in secunda significatione tam absoluta, quam respectiua acceptum. Non enim tantum accidens commune, sed etiam proprium est adiunctum: neque tantum accidens substantiæ oppositum est adiunctum; sed etiam ipsa substantia, quatenus respectum habet ad subiectum, cui adiungitur. 3, Adiunctum æque late patere ac accidens in prima significatione sumptum; ideoq; ab eo non differre. Vbi etiam obseruandum est, adiunctum Græce dici προσκείμενον, quasi *adiacens*, seu, *appositum*, à verbo προσκεῖσθαι, quod proprie significat *adiacere*, seu *apponi*. Accidens vero dici συμβεβηκὸς, a verbo, συμβαίνω, quod proprie significat *congredi, conuenire*, deinde *cōtingere, euenire*. Accidens enim ad subiectum præter essentiā accedit, & cū eo q cōgreditur seu cohæret. II. III. *Obseruatio.*

8 *Quomodo accidens proprium à communi differat?*

VVlgo accidens diuiditur à Peripateticis in *proprium & commune*. Hinc igitur quæritur, *quomodo vnum ab altero differat*? Ac apud alios quidem Philosophos septem potissimum discrimina reperio inter proprium & commune accidens. *Discrimina aliorū recensētur & examinantur.*

Illud enim 1. aiunt necessario & semper inesse suo subiecto; hoc vero contingenter, id est, neque semper neq; necessario. I.
2, illud fluere ex principiis essentialibus sui subiecti; hoc vero aliunde prouenire. II.
3, illud reciprocari cum suo subiecto; hoc vero non. III
4, illud non admittere gradus intensionis & remissionis; hoc vero, admittere. IV.
5. illud primo inesse vniuersalibus; secundario indiuiduis seu singularibus. Hoc primo inesse singularibus; secundario vniuersalibus. V.
6, Sine illo subiectū concipi non posse, quin fiat implicatio contradictionis; Sine hoc vero posse. VI.
7, illud ad vnum certum subiectum esse determinatum; hoc vero non. VII.

Cæterum ex omnibus his discriminibus solum vltimum est verum & legitimum. Reliqua vero sex, sunt falsa. Nam in prioribus quatuor differentiis primum membrum non omni proprio accidenti competit; sed tantum ei quod est simpliciter & in quarto modo proprium; alterum vero non omni neq; soli accidenti communi competit; sed etiam quibusdam

accidentibus ſecundum quid propriis. In reliquis duabus differentiis vtrumque membrum eſt falſum. Omne enim accidens tam proprium quam commune, ſi eſt vniuerſale, ineſt rei vniuerſali, &c, ſi eſt ſingulare, ineſt rei ſingulari. Et ſubiectum tam proprii quam communis accidentis ſeorſum ſecundum abſolutam eſſentiam percipi poteſt ab intellectu noſtro; etiam ſi cum eo ſimul neque proprium, neque commune accidens concipiatur. Interim libenter fatemur, ſubiectum concipi non poſſe ſub negatione proprii eſſentialis, quin fiat manifeſta implicatio contradictionis. Sed idem etiam de quibuſdam accidentibus cõmunibus eſt verum. Nam calor & lux ſunt accidentia communia ignis; neque tamen ignis ſub negatione vel coloris vel lucis concipi poteſt ſine implicatione contradictionis.

9 *An vllum accidens poſſit abſque ſubiecto inhærentia ſubſiſtere?*

Theſis vniuerſ. negat. defend.

IN hac quæſtione theſis vniuerſalis negatiua, eſt vera propter ſequentes rationes: 1, *Quicquid abſque ſubiecto inhærentia ſubſiſtit, illud eſt ſubſtantia: Atqui nullum accidens eſt ſubſtantia: Ergo nullum accidens abſque ſubiecto inhærentia ſubſiſtit.* Propoſitio probatur primum à diuiſione immediata entium tradita ab Archita Tarentino in libro περὶ τῶ καθολικῶ λόγω δέκα, vbi inquit: *Omne ens vel eſſe in ſubiecto*, ſc. *inhærentia vt accidens, aut non eſſe in ſubiecto, vt ſubſtantia.* Deinde à definitione ſubſtantiæ quam ibidem Architas tradit: *Subſtantia eſt πρᾶγμα αὐθύπαρκτον*, hoc eſt, *ens per ſe*, ſeu, quod idem eſt, *abſque ſubiecto inhærentia ſubſiſtens.* 2, *Cuius proprietas eſſentialis eſt in ſubiectio inhærentia ſubſiſtere, id abſque ſubiecto inhærentia exiſtere non poteſt: Atqui cuiuſque accidentis proprietas eſſentialis eſt, in ſubiecto inhærentia ſubſiſtere: Ergo,* &c. Propoſitionis ratio eſt, quia nullum ens poteſt eſſe abſque proprietatibus ſuis eſſentialibus, vt infra probabitur. Aſſumptio probatur 1, à teſtimonio Ariſtotelis, qui in libro Categoriarum cap. 1. & 3. vt Zabarella explicat in Tabulis, quas in Iſagogen Porphyrii ſcripſit, docet *proprium eſſe omnis accidentis, eſſe in ſubiecto inhærentia; ſicut ſubſtantia, non eſſe in ſubiecto inhærentia.* Deinde à definitione vulgata accidentis, quatenus ſubſtantiæ opponitur, qua dicitur *eſſe ens in ſubiecto inhærentia ſubſiſtens.* Vnde Scali-

I.

II.

de Scaliger De subtilitatibus, exer. 10. ait: *Est accidentis essentia inhærere.* Cui etiam adstipulatur Thomas in 1. parte S. T. Q. 28. art. 2. dum ait: *Accidentis esse est, inesse subiecto.* 3, *Si quoddam accidens potest absque subiecto inhærentia subsistere, sequitur accidens quoddam posse esse substantiam: idemque absque proprietate sua essentiali posse manere saluum. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens.* III. Cæterum Scholastici, vt defendant dogma transsubstantiationis Pontificiæ, in quo asseritur, accidentia panis & vini remanere post consecrationem, absque substantia, in qua tanquam subiecto inhærentiæ prius subsistebant; idcirco contra thesin vniuersalem negantem à nobis probatam, eiusque rationes quatuor potissimum exceptiones efferunt. *Exceptiones Scholasticorum.* Prima est, *accidentis inhærentiam esse duplicem, vnam potentialem, alteram actualem.* *Exceptio I.* Et illam quidem accidenti esse essentialem; hanc vero minime. Altera est, *naturaliter quidem fieri non posse, vt accidens absque subiecto inhærentia subsistat; sed supernaturali virtute Dei hoc posse fieri.* II. Tertia est, *Deum vicem subiecti implere, & accidentia panis & vini in Eucharistia sustinere absque illorum substantia.* III. 4, *Mathematicum abstrahere quantitatem ab omni subiecto inhærentia. Ideoque absurdum non esse statuere, accidens posse absque subiecto inhærentia subsistere.* IV. Ad primam exceptionem respondeo, distinctionem illam inhærentiæ potentialis & actualis esse merum figmentum humani cerebri, & naturam distincti altero suo membro plane euertere. *Responsio ad obiect. I.* Inhærentia enim semper denotat actum inhærendi, non vero potentiam inhærendi. Et nostra thesis supra probata non intelligitur de potentia, sed de actu inhærendi; siquidem proprium essentiale accidentis est inhærere alicui subiecto; non vero tantum posse inhærere. Ad alteram exceptionem respondeo, Deum per omnipotentiam suam omnia posse, quæ non implicant contradictionem. II. Est autem manifesta implicatio contradictionis, aliquod ens esse accidens; & tamen absque subiecto inhærentiæ subsistere, vt patet ex superiori doctrina: Ergo illa omnipotentiæ diuinæ velo non est tegenda. Ad tertiam exceptionem respondeo, pugnare cum natura & perfectione Dei accidenti sustinendo subiici; ideoque sine blasphemia hoc de Deo dici non posse. III. Ad quartam exceptionem re- IV.

VI. ſpondeo, Mathematicum dici abſtrahere quantitatem à ſubiecto, cui per ſe & ἀχωρίστως ineſt, quando illam conſiderat non vt affectionem propriam corporis; ſed vt ſubiectum de quo aliæ affectiones demonſtrari poſſunt; non vero, quatenus eam ab omni ſubiecto inhærentiæ ſeparatam contemplatur. Ideoque hoc exemplum ad propoſitum nihil quadrare.

10 *An idem numero accidens poſſit tranſire de vno ſubiecto in aliud?*

Pro theſi negante. STatuitur theſis negatiua, eaque probatur partim rationibus, partim teſtimoniis præſtantiſſimorum Philoſophorum. *Ratio* Rationes ſunt: *I.* 1, Quia vnum numero accidens ſemper habet ſuam exiſtentiam in illo tantum ſubiecto, in quo primum incipit eſſe, & extra illud nuſpiam ſubſiſtere poteſt. *II.* 2, Quia ſolius ſubſtantiæ proprium eſt per ſe moueri localiter à termino à quo, ad terminum ad quem: Ideoque accidenti attribui non poteſt. *Teſtimon.* Teſtimonia ſunt *I.* *Thom.* 1, Thomæ Aquinatis, qui in 3. par. S. T. Q 77. art. 1. ait: *Accidentia non tranſeunt de ſubiecto in ſubiectum.* *II.* *Toleti.* 2, Toleti, qui lib. 1. De generatione cap. 4. Q. 4. ait: *Vnum numero accidens non poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum.* Et Q. 14. Ex communi ſententia Peripateticorum, *accidentia non migrant de ſubiecto in ſubiectum.* *III.* *Zabarella.* 3, Zabarellæ qui lib. De generatione & interitu aſſerit, cap. 7. *Abſurdum, accidens idem numero migrare de ſubiecto in ſubiectum.* Item, *idem numero accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum ab omnibus Philoſophis impoſſibile eſſe cenſetur.* Et cap. 8. ait: *Impoſſibilis eſt accidentis migratio de ſubiecto in ſubiectum.* *Pro theſi affirmante* *Exempla.* At vero pro contraria ſententia afferri poſſunt varia exempla: *I.* 1, radii ſolaris, qui à ſole exit & per aerem in terram vſque fertur. 2, radii viſiui, qui ab obiecto viſibili tranſit ad oculum. *II.* 3, ſoni, qui ab ore loquentis fertur ad aures audientis. *III.* 4, odoris qui à corpore odorato, v. g. roſa, tranſit ad aliud corpus, puta, manum, aerem, nares & cerebrum. *IV.* 5, ſaporis, qui a corpore ſapido tranſit ad linguam. *V.* 6, caloris vitalis, qui quandoque à membris exterioribus reuocatur ad interiora, vt fit in metu ſubito, & in principio paroxyſmi febrilis, & poſt cibum ſumptum: quandoque ab interioribus reuocatur ad exteriora, vt fit in magnis exercitiis corporis ſudorem cientibus. *VII.* 7, caloris ignei, qui ab igne tranſit in fornacem

vel ollam, vel aerem circumſtantem. 8, qualitatis pri- *VIII.*
mæ tactilis, quæ ab elementis tranſit in mixtum. 9, pe- *IX.*
ſtis aut alterius morbi contagioſi, qui de vno corpore
migrat in aliud. Ex quibus omnibus concluditur, acci-
dens poſſe tranſire de vno ſubiecto in aliud.

Ad primum exemplum reſpondeo, radium ſolarem *Reſponſio ad*
nihil aliud eſſe, quam lumen à ſole in aere aut alio cor- *exempla.*
pore perſpicuo productum: ideoque non eſſe accidens *I.*
ſeu adiunctum, ſed effectum ſolis. Quando igitur à ſole
per aerem in terram vſque deferri dicitur, id non pro-
prie de motu locali eſt intelligendum; ſed metaphorice
de productione duntaxat illius per ſimplicem emanatio-
nem. Ad ſecundum exemplum reſpondeo, radium viſi- *II.*
uum non eſſe accidens obiecti viſibilis; ſed eius effectum
in aere & oculis productum, ideoque dici tranſire de ob-
iecto viſibili ad oculum nō proprie, ſed metaphorice. Ad *III.*
tertium exemplum reſpondeo, ſonum non eſſe accidens
oris loquentis; ſed eius effectum in aere productū & ſuc-
ceſſiue vſque ad aures propagatum; ideoque dici tranſi-
re ab ore loquentis ad aures, non proprie, ſed metapho-
rice. Ad quartum exemplum reſpondeo, odorem per ſe *IV.*
nunquam migrare de vno corpore in aliud; ſed tantum
per accidens, quatenus pars aliqua corporis odorati vel
adhæreſcit alii corpori, vel in habitum reſoluitur, cum
quo poſtea ad aliud corpus feratur. Ad quintum exem- *V.*
plum reſpondeo; ſaporem dici tranſire à corpore ſapido
in linguam, quatenus ſimilem & numero diuerſam qua-
litatem in lingua producit. Ad ſextum exemplū reſpon- *VI.*
deo, calorem vitalem ab exterioribus membris corporis
ad interiora & retro reuocari, non per ſe, ſed per accidens
quatenus aut ſanguis, aut ſpiritus vitalis, qui ſubiectum
eſt illius primarium, à circumferentia corporis recurrit
ad eius centrum; aut quatenus idem rurſus, vel alius ha-
litus calidus à centro ad circumferentiam fertur. Ad ſe- *VII.*
ptimum exemplum reſpondeo. Calorem qui eſt in igne
ſemper in igne manere, tanquam in ſuo ſubiecto, dici ta-
men tranſire ab igne ad aliud corpus metaphorice, qua-
tenus ab eodem alius nouus calor in alio cor-pore pro-
ducitur. Ad octauum exemplum reſpondeo, qualitatem *VIII.*
primam tactilem dici ab elementis tranſire in mixtum
corpus non proprie, ſed metaphorice, quatenus ſimilis
qualitas ab elementis in mixto producitur. Ad nonum *IX.*

& vltimum exemplum respondeo, pestem, aliumque morbum contagiosum migrare de vno corpore in aliud non per se, quatenus est morbus; sed per accidens, quatenus portio humoris vel halitus venenati ex vno corpore ad aliud transfertur, qui postea aliam numero pestem excitat.

II *An idem numero accidens possit simul esse in duobus aut pluribus numero subiectis?*

Pro thesi negante. STatuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, Quia idem numero accidens neque eodem, neque diuerso tempore potest in diuersis subiectis produci. 2, Quia accidens numerationẽ accipit à subiecto, ita vt illud dicatur vnum numero accidens; quod est in vno tantum numero subiecto: & contra illud dicatur esse diuersum numero, quod est in diuerso numero subiecto. Vnde etiam Pererius lib. 13. de natura motus, Q. 4. inquit, *vnitatem numeralem accidentium pendere ab vnitate numerali subiecti.* Cui etiam astipulatur Toletus lib.1.Phys.cap.9.Q.28.inquiens, *accidentia non habere aliam vnitatem numericam, quam à subiecto.* 3, Quia vnum numero accidens est incommunicabile & à seipso indiuisum. 4, Quia manifesta fit implicatio contradictionis, si vnum numero accidens statuatur esse simul in diuersis numero subiectis. 5, Quia duo accidentia numero tantum differentia, non possunt esse in vno numero subiecto: Ergo è contrario, vnum numero accidens non potest esse in diuersis numero subiectis. 6, Quia vna numero substantia creata non potest esse simul in diuersis numero locis: Ergo multo minus vnum numero accidens potest esse in diuersis numero subiectis.

Ratio I. II. III. IV. V. VI.

Pro thesi affirmante obiiciuntur exempla. Cæterum in contrariam partem obiici possunt varia exempla. 1, lucis solaris, quæ simul est in Sole, & in aere, imo in multis terræ regionibus. 2, caloris ignis, qui simul est in igne, & in ferro ignito. 3, radii visiui, qui ab obiecto visibili fertur ad multorum hominum simul aspicientium oculos, in iisque recipitur. 4, soni qui ab ore loquentis egressus ad multorum simul audientium aures fertur, in iisque recipitur. 5, relationis, quæ duobus entibus absolutis tanquam subiectis simul inest, e. g. emptio & venditio simul insunt emptori & rei emptæ, venditori & rei venditæ. At vero illa exempla thesin nostram plane non impugnant.

I. II. III. IV. V.

Responsio ad exempla.

pugnant. Nam 1, lux solaris semper eadem numero ma- I.
net in sole tanquam accidens in suo subiecto; sed in aere
producit lumen tanquam sui simulachrum: 2, non idem II.
numero calor, sed diuersus est in igne & in ferro ignito.
3, non idem, sed diuersus numero radius visiuus ab ob- III.
iecto visibili fertur simul ad multorum oculos. 4, non IV.
idem, sed diuersus numero sonus simul fertur ad aures
multorum auditorum. 5, Vna quidem numero relatio V.
versatur inter relatum & correlatum, sed non eadem nu-
mero simul inest duobus entibus absolutis tanquam sub-
iectis: Ideoque inter emptionem & venditionē actiuam
& passiuam est distinguendum: Illa enim est in emptore
& venditore; hæc vero in re empta & vendita.

12 *An proprium accidens reipsa vnquam possit separari à suo subiecto, salua manente ipsius essentia?*

VT hæc quæstio recte explicari possit, primum argu-
menta pro vtraque parte afferemus; deinde veram
sententiam subiiciemus. Pro thesi igitur negante adduci *Pro thesi neg.*
possunt hæc argumenta: 1, quia proprium accidens est, *Argumen.*
quod subiecto suo soli, omni, & semper inest. 2, Quia I.
proprium accidens prædicatur de suo subiecto, κατ' παν- II.
τὸς, καθ' αὐτὸ, καὶ καθόλου πρῶτον. 3, Quia proprium acci- III.
dens oritur ex principiis seu caussis essentialibus sui sub-
iecti. 4, Quia proprium accidens indissolubili nexu sem- IV.
per cohæret cum essentia subiecti. 5, Quia destructo pro- V.
prio accidente, destruitur ipsa essentia subiecti. Vnde
Theodoretus ait, dialogo 3 *Proprietatum deletio est natu-
ræ negatio.* Et vulgo dicere solent tam Philosophi quam
Theologi: *Qui tollit proprietates, tollit naturam.* Item, *De
quocunque negatur proprium, de eo etiam negatur subiectum
proprii, &c.*

Pro thesi vero affirmante hæc argumenta afferri pos- *Pro thesi af-*
se videntur: 1, Quia proprium accidens non constituit *fir. Argum.*
essentiam subiecti; sed eam constitutam comitatur. 2, I.
Quia risus, fletus sunt accidentia propria hominis, & ta- II.
men ab homine abesse possunt, salua ipsius essentia. 3, III.
Quia proprium accidens leuium est sursum ferri; gra-
uium, deorsum ferri. Et tamen hæc propria non semper
insunt suis subiectis; sed quandoque ab iis reipsa sepa-
rantur; vt cum aer descendit in foueam, aqua ascendit
per aquæductus. Item, cum ferrū tempore Elisæi natauit

IV. super aquam. Et Christus ambulauit super aquam. 4, Quia proprium accidens ignis est vrere, & tamen non
V. vssit pueros in fornacem Babylonicam coniectos. 5, Quia proprium accidens corporis colorati est visibilitas; & tamen à Christi corpore quandoque legitur ab-
VI fuisse. 6, Quia corporis viuentis proprium accidens est mortalitas; & tamen à corporibus beatorum reipsa abest. Cum ergo in vtramque partem argumenta fuerint allata, non immerito quæritur, quid tandem in hac re sit statuendum.

Quæstio deciditur per distinctionem. Ac vt veritas intelligatur, distinguendum esse puto inter propria accidentia quæ *simpliciter sunt necessaria*, & vulgo dicuntur *proprietates essentiales*, seu, *propria essentialia*, & inter ea quæ sunt *contingentia*. De priore genere propriorum semper vera est thesis negatiua quæstionis: Impossibile enim est proprium essentiale, vel ad momentum temporis à suo subiecto separari. De po-
Responsio ad Argum. Pro thesi affirmante steriore vero non item. Quod igitur ad argumenta attinet pro thesi affirmante adducta, respondeo. 1, nullum quidem proprium accidens constituere essentiam sui subiecti; sed tamen omne proprium accidens quod est
I. essentiale, ex absoluta necessitate essentiam subiecti constitutam comitari: Ideoque nunquam reipsa ab eo sepa-
II. rari posse. 2, risum & fletum esse quidem propria accidentia hominis; sed non essentialia & simpliciter necessaria: Ideoque mirum non esse, si quandoque ab homine
III. absint. 3, Idem iudicandum esse de tertio argumento.
IV. 4, vstionem indeterminatam esse quidem proprium necessarium ignis; sed determinatam ad hanc vel illam materiam combustilem esse propriũ contingens ignis, cum
V. ei semper non insit. 5, Distinguendum esse inter visibilitatem quatenus notat potentiam passiuam videndi, & quatenus sumitur pro actuali apparitione: illam enim esse proprium simpliciter necessarium corporis colorati; ideoque nunquam à corpore Christi abfuisse; hanc ve-
VI. ro esse proprium contingens. 6, discernendum esse inter mortalitatem, quatenus significat potentiam passiuam moriendi, & quatenus accipitur pro immunitate à morte seu actu moriendi: illam esse proprium necessarium corporis viuentis; hanc vero proprium contingens.

13 *An proprietas essentialis unius entis possit communicari alteri?*

Digna est hæc quæstio, vt diligenter excutiatur propter insolentiam quorundam hominũ, qui vt monstrosum *vbiquitatis Lutheranæ* dogma defendant, non vetentur multis strophis & sophismatis veritatem huius quæstionis intricare. Ac pro thesi quidem negante faciunt hæ rationes: 1, Quia omnis proprietas essentialis à Deo & natura determinata est ad certum subiectum; cui soli & semper inest. 2. Quia omnis proprietas essentialis fluit ex principio aliquo essentiali sui subiecti: Ideoque cum hoc alteri enti communicari non possit, neque illa. 3, Quia omnis proprietas essentialis arctissimo & indissolubili nexu cum essentia subiecti cohæret; ideoque cum hæc communicari non possit alteri enti sine horrenda rerum distinctarum confusione, neque illa. 4, Quia manifesta fit implicatio contradictionis statuere aliquid esse proprium, & tamen alii communicari. Omne enim quod communicatur, commune est: Quod autem commune est, id non est proprium: Ergo qui asserit communicari proprium, is proprium dicit non esse proprium.

Pro thesi neg. Ratio I. II. III. IV.

Pro thesi autem affirmante adduci possunt hæc argumenta: 1, Quia proprietates essentiales generis communicantur omnibus speciebus generi subiectis. 2, Quia proprietates essentiales speciei communicantur omnibus indiuiduis speciei subiectis. 3, Quia causa efficiens vniuoca communicat omnes proprietates essentiales suo effecto, e. g. homo homini, leo leoni, equus equo. 4, Quia materia & forma perfectiones suas proprias communicant ipsi materiato & formato. Vnde homo dicitur quantus, propter materiam; immortalis, propter animam. 5, Quia partes integrantes & essentiales propter arctissimam vnionem communicant suas proprietates essentiales non tantum toti composito; sed etiam sibi inuicem. Vnde in ferro ignito, ignis communicat suum calorem & vim vrendi ferro. In homine anima communicat suam virtutem vitalem corpori, & facultatem intelligendi ipsi homini. Ex hoc igitur contrariorum argumentorum conflictu oritur magna *ἀπορία*, quæ vt tollatur, & *εὐπορίαν* relinquat post se,

Pro thesi affir. Argum. I. II. III. IV. V.

Communicatio proprietatum essential. vbi locum habeat, & vbi non.

obseruandum est, communicationem proprietatum essentialium habere locum inter entia, quorum vnum alteri essentiam suam absolutam communicat; cuiusmodi sunt genus & species; species & indiuiduum, causa efficiens vniuoca & effectum vniuocum; non vero habere locum inter entia, quorum vnum alteri essentiam suam absolutam non communicat, cuiusmodi sunt species oppositæ vnius generis siue vniuoci, siue analogi. 2, indiuidua oppositarum specierum. 3, materia & materiatum. 4, forma, & formatum. 5, totum dissimilare, & partes ipsius. 6, partes diuersæ siue essentiales, siue integrales totius dissimilaris: Ideoque de priore genere entium veram esse thesin affirmantem quæstionis; de posteriore vero negantem. Quod igitur ad argumenta attinet pro thesi negante allata, respondeo priora tria valere de posteriori genere entium; non autem de priori. Vltimum vero argumentum eatenus esse firmum, quatenus proprium opponitur communi: non autem, quatenus proprium sumitur pro affectione essentiali, quæ vel est generica vel specifica.

Responsio ad argum. pro vtraque parte adducta.

Similiter ex argumentis pro thesi affirmante adductis, respondeo, priora tria valere de priore genere entium; non autem de posteriore: reliqua vero duo plane esse falsa. Nam neque materia suo materiato, neque forma suo formato, neque partes vel essentiales, vel integrales, toti composito dissimilari; neque vna alteri, suas proprietates essentiales propter mutuam vnionem communicant. Quod vero ad exempla attinet, respondeo: 1, hominem dici quantum, non propter materiam, sed quia est substantia corporea. 2, hominem nō minus falso dici immortalē, ac incorporeū & inuisibilem propter animam. 3, ignem semper suam caliditatem & vim vrendi retinere, siue cum ferro vniatur, siue non: dici tamen eandem communicare ferro, quatenus aliam numero diuersam caliditatem & vim vrendi in ferro producit. 4, animam hominis dici virtutem vitalem communicare corpori & facultatem intelligendi ipsi homini, quatenus aliā numero & specie diuersam qualitatem in illis speciebus producit.

Error quorūdā taxatur.

Errant igitur illi, qui propter vnionem hypostaticam asserunt, proprietates essentiales diuinæ naturæ realiter communicari humanæ; cum tamē illæ duæ naturæ inter se sint

se sint oppositæ tanquam ens increatum & creatum; neque vel diuina humanæ communicari, vel humana diuinæ capax vllo modo proprie loquendo esse possit.

14 *An vna proprietas essentialis alicui communicari possit sine altera?*

NVllum dogma tam absurdum est, aut inueniri potest, quod suos applausores & patronos non inueniat. Testis huius rei est quæstio proposita, cuius thesin affirmantem omnibus viribus conantur defendere nonnulli Theologi, asserentes humanæ naturæ Christi propter vnionem hypostaticam esse realiter communicatas quasdam proprietates essentiales diuinæ naturæ, puta *omnipotentiam, omniscientiam & vbiquitatem*: quasdam autem non, puta *æternitatem, infinitatem*, &c. Nos igitur primum firmis rationibus probabimus, impossibile esse in creaturis vt vna proprietas essentialis communicetur alicui sine altera: Deinde idem multo magis impossibile esse de diuina natura demonstrabimus. Rationes pro prima conclusione sunt hæ: 1, Quia omnes proprietates essentiales necessario & immediate fluunt ab essentia subiecti, cui insunt tanquam effecta à sua causa efficiente proxima; ideoque inter se sunt ὁμόγονοι, ὁμοούσιοι, ὁμόφθοροι, hoc est, *simul oriuntur, existunt & corrumpuntur*. 2, Quia vna proprietate communicata necesse est ipsam essentiam subiecti communicari; cum effectum non possit esse sine sua causa. Illa autem communicata necesse est omnes proprietates, quæ eam necessario comitantur, simul communicari; tum quia posita causa efficiente proxima, impossibile est non poni simul omnia effecta; tum quia tam arcta & indissolubilis est coniunctio inter proprietates essentiales vnius subiecti, vt vna sine altera existere nequeat. Rationes pro secunda conclusione sunt: 1, Quia propter absolutam Dei simplicitatem proprietates essentiales diuinæ Naturæ, neque inter se se neque ab ipsa diuina Natura realiter differunt; sed secundum nostrum duntaxat concipiendi modum. 2, Quia cui vna proprietas essentialis diuinæ Naturæ communicatur, ei etiam ipsam essentiam diuinam communicari necesse est. Cui autem ipsa essentia diuina communicatur, ei necesse est omnes etiam illius essentiales proprietates simul communicari; cum hæ à se inuicem sint

Sententia aliorum recensetur.

Thesis negat. defend.

I. *In ente creato.*

Ratio I.

II. *In ente increato.*

Ratio I.

II.

Communicatio proprietatum essential. vbi locum habeat, & vbi non. obseruandum est, communicationem proprietatum essentialium habere locum inter entia, quorum vnum alteri essentiam suam absolutam communicat; cuiusmodi sunt genus & species; species & indiuiduum, causa efficiens vniuoca & effectum vniuocum; non vero habere locum inter entia, quorum vnum alteri essentiam suam absolutam non communicat, cuiusmodi sunt species oppositæ vnius generis siue vniuoci, siue analogi. 2, indiuidua oppositarum specierum. 3, materia & materiatum. 4, forma, & formatum. 5, totum dissimilare, & partes ipsius. 6, partes diuersæ siue essentiales, siue integrales totius dissimilaris: Ideoque de priore genere entium veram esse thesin affirmantem quæstionis; de posteriore vero negantem. *Responsio ad argum. pro vtraque parte adducta.* Quod igitur ad argumenta attinet pro thesi negante allata, respondeo priora tria valere de posteriori genere entium; non autem de priori. Vltimum vero argumentum eatenus esse firmum, quatenus proprium opponitur communi: non autem, quatenus proprium sumitur pro affectione essentiali, quæ vel est generica vel specifica.

Similiter ex argumentis pro thesi affirmante adductis, respondeo, priora tria valere de priore genere entium; non autem de posteriore: reliqua vero duo plane esse falsa. Nam neque materia suo materiato, neque forma suo formato, neque partes vel essentiales, vel integrales, toti composito dissimilari; neque vna alteri, suas proprietates essentiales propter mutuam vnionem communicant. Quod vero ad exempla attinet, respondeo: 1, hominem dici quantum, non propter materiam, sed quia est substantia corporea. 2, hominem nō minus falso dici immortalē, ac incorporeū & inuisibilem propter animam. 3, ignem semper suam caliditatem & vim vrendi retinere, siue cum ferro vniatur, siue non: dici tamen eandem communicare ferro, quatenus aliam numero diuersam caliditatem & vim vrendi in ferro producit. 4, animam hominis dici virtutem vitalem communicare corpori & facultatem intelligendi ipsi homini, quatenus aliā numero & specie diuersam qualitatem in illis speciebus producit. *Error quorūdā taxatur.* Errant igitur illi, qui propter vnionem hypostaticam asserunt, proprietates essentiales diuinæ naturæ realiter communicari humanæ; cum tamē illæ duæ naturæ inter

se sint

ſe ſint oppoſitæ tanquam ens increatum & creatum; neque vel diuina humanæ communicari, vel humana diuinæ capax vllo modo proprie loquendo eſſe poſſit.

14 *An vna proprietas eſſentialis alicui communicari poſſit ſine altera?*

NVllum dogma tam abſurdum eſt, aut inueniri poteſt, quod ſuos applauſores & patronos non inueniat. Teſtis huius rei eſt quæſtio propoſita, cuius theſin affirmantem omnibus viribus conantur defendere nonnulli Theologi, aſſerentes humanæ naturæ Christi propter vnionem hypoſtaticam eſſe realiter communicatas quaſdam proprietates eſſentiales diuinæ naturæ, puta *omnipotentiam, omniſcientiam & vbiquitatem*: quaſdam autem non, puta *æternitatem, infinitatem*, &c. Nos igitur primum firmis rationibus probabimus, impoſſibile eſſe in creaturis vt vna proprietas eſſentialis communicetur alicui ſine altera: Deinde idem multo magis impoſſibile eſſe de diuina natura demonſtrabimus. Rationes pro prima concluſione ſunt hæ: 1, Quia omnes proprietates eſſentiales neceſſario & immediate fluunt ab eſſentia ſubiecti, cui inſunt tanquam effecta à ſua cauſa efficiente proxima; ideoque inter ſe ſunt ὁμόγονοι, ὁμοούσιοι, ὁμόφθοροι, hoc eſt, *ſimul oriuntur, exiſtunt & corrumpuntur*. 2, Quia vna proprietate communicata neceſſe eſt ipſam eſſentiam ſubiecti communicari; cum effectum non poſſit eſſe ſine ſua cauſa. Illa autem communicata neceſſe eſt omnes proprietates, quæ eam neceſſario comitantur, ſimul communicari; tum quia poſita cauſa efficiente proxima, impoſſibile eſt non poni ſimul omnia effecta; tum quia tam arcta & indiſſolubilis eſt coniunctio inter proprietates eſſentiales vnius ſubiecti, vt vna ſine altera exiſtere nequeat. Rationes pro ſecunda concluſione ſunt: 1, Quia propter abſolutam Dei ſimplicitatem proprietates eſſentiales diuinæ Naturæ, neque inter ſeſe neque ab ipſa diuina Natura realiter differunt; ſed ſecundum noſtrum duntaxat concipiendi modum. 2, Quia cui vna proprietas eſſentialis diuinæ Naturæ communicatur, ei etiam ipſam eſſentiam diuinam communicari neceſſe eſt. Cui autem ipſa eſſentia diuina communicatur, ei neceſſe eſt omnes etiam illius eſſentiales proprietates ſimul communicari; cum hæ à ſe inuicem ſint

Sententia aliorum recenſetur.

Theſis negat. defend.

I. *In ente creato.*

Ratio I.

II. *In ente increato.*

Ratio I.

II.

ἀχώριστοι: imo reuera nihil aliud sint, quam ipsa simplicissima Dei essentia. Quod vero aduersarii obiiciunt ignem communicare ferro caliditatem & vim vrendi; non autem leuitatem & raritatem. 2, animam communicare corpori quasdam proprietates, quasdam non. Ad illa duo obiecta respondeo: 1, neque caliditatem & vim vrendi, neque leuitatem & raritatem esse proprium accidens ignis in q[illegible] o modo. 2, ignem nō alio modo communicare cal[illegible]atem & vim vrendi ferro, nisi quatenus similem & numero diuersam qualitatem in eo generat. 3, animam nullas plane proprietates essentiales reuera communicare corpori; sed in eo qualitates quasdam efficere, quæ similitudinem quidem aliquam habent cum proprietatibus animæ; sed tamen numero & specie ab iis sunt distinctæ.

Obiectio.

Responsio.

15 *An sola substantia sit subiectum recipiens accidentium?*

Pro thesi affirmante. Argum. aliorum.

COmmunis sententia Philosophorum est pro thesi affirmante: & hæc probatur 1, ex notatione nominis, quod scilicet substantia ideo dicatur substantia, quod accidentibus, tanquam basis & fulcrum substet, eaque sustineat. 2, ex autoritate Aristotelis, qui lib. 7. Metaphys. cap. 1. solam substantiam pronunciat esse primum & simpliciter ens: Accidentia vero dici entia, quatenus substantiæ vel quantitates, vel qualitates, vel passiones, vel simile quippiam. 3, Ex absurdo, quod ex negante thesi oritur. Si enim sola substantia non est subiectum accidentiū, sequitur etiā accidens posse esse subiectum accidentis; quod tamen omnino videtur esse absurdum, & improbatur ab ipso Arist. libr. 4. Metaphys. cum ait: *Accidens non est accidentis accidens.* Verum hæc sententia plane consistere non potest propter sequentes rationes: 1, Quia omne ens à primo ortum, est subiectum accidentium; cum nullum ex his habeat essentiam ab omni accidentium inhæsione liberam. 2, Quia nullum accidens est, quod non æque ac substantia quædam attributa habeat essentialia, quædam accidentalia. 3. Quia si sola substantia esset subiectum accidentium, sequeretur inde 1, non posse dari vllas affectiones entis creati generaliter sumpti. 2, quoddam ens creatum habere essentiam nullo accidente vestitam; ideoque omnia eius attributa esse essentialia, & nullum accidentale. Sed hæc omnia

I. II. III.

Pro thesi neg. rationes propria.

I. II. III.

omnia sunt absurda, & pugnant non tantum cum Metaphysica, quæ omni enti creato, cum in genere; tum suo modo in specie affectiones attribuit; sed etiã cum communi experientia, quæ testatur nullũ accidens esse, quod præter essentiam non etiam alia attributa habeat, quæ essentiam vel contingenter vel necessario consequantur. Concludo igitur, non solam substantiam, sed etiam accidens esse subiectum recipiens quorũndam accidentium. *Conclusio generalis.* Quod igitur ad argumenta attinet, pro cõtraria sententia allata, in primo nego substantiam ideo dici substantiam, quod substet accidentibus. Nam Deus etiam vere dicitur *substantia*; neq; tamẽ substat accidentibus. Et hoc etiam testatur Græca vox *ὀσία*, ex qua talis notatio nominis erui non potest. Vnde etiam Zabarella ait, *substantiã potius dici à subsistendo, quam à substando.* *Refutatio argum pro thesi affirm.* I. In altero concedo quidem libenter, substantiam esse primum & simpliciter ens; sed inde non sequitur, accidens non esse verum ens, neque posse esse subiectũ recipiens quorundam accidentium. II. In tertio distinguo inter accidens respectiuè & absolute consideratum. III. Licet enim prius non possit esse subiectum accidentium; cum nullum adiunctum, quatenus adiunctum, possit rationem subiecti suscipere; tamen de posteriore hoc neque Aristoteles negat; neque quispiam alius sine absurditate negare potest.

16 *An substantia recte dicatur esse in subiecto?*

SEntentiam negantem defendit Schola Peripatetica, secuta autoritatem partim Archytæ Tarentini, qui primus fuit autor Categoriarum; partim ipsius Aristotelis. *Sentẽtia Peripateticorũ exponitur.* Ille enim in Categoriis *omne ens, aut, aut esse in subiecto, aut non esse in subiecto. Si sit in subiecto; esse accidens: si non sit in subiecto, esse substantiam.* Hic vero in Categoriis, cap. 3. de substantia inquit, *Commune esse omni substantia non esse in subiecto:* & cap. I. eiusd[illegible], vbi ens diuidit in substantiam & accidens, id doc[illegible] *in subiecto, quod in aliquo est non tanquam pars, neque [illegible] esse sine eo, in quo est.* Et tandem ex hac definitione concludit *substantiam neque singularem, neque vniuersalem esse in subiecto.* At pro sententia affirmante militat Schola Ramea, quæ non tantum accidens; sed etiam substantiam dicit esse in subiecto. *Sentẽtia Rameorum exponitur.* Et hoc probat partim exemplis, partim ratione. Exempla sunt, quia aqua est in spongia, vinum in do-

lio, alimentum in ventriculo, sanguis in venis, spiritus vitalis in corde & arteriis, tanquam adiunctum in suo subiecto. Ratio est, quia locus est subiectum recipiens locati: Ergo cum omnis substantia creata sit in loco, sequitur etiam omnem substantiam creatam esse in subiecto. Pro decisione igitur huius quæstionis, sciendum est, subiectum recipiens aliud esse *inhærentiæ*, aliud *adhærentiæ*. Illud est, in quo adiunctum ita recipitur, vt sine eo existere nullo modo possit: hoc est, in quo adiunctum recipitur ita, vt sine eo existere possit. De priore subiecto intelligenda est sententia Aristotelis & Architæ Tarentini. De posteriore etiam testatur Zabarella in Tabulis suis quas scripsit in Isagogen Porphyrii, dum inquit: *Proprium esse omni substantiæ, non esse in subiecto inhærentiæ.* Idem comprobat princeps nostri seculi Philosophus *Goclenius*, in parte 1. Problem. probl. 43. dum ait: *Substantia non est in subiecto, eo modo quo accidentia.* Et postea subiicit, *esse in subiecto prout scil. ab Aristot. intelligitur, esse nihil aliud quam inhærere in subiecto, & quidem ita, vt non nisi in eo habeat suam existentiam.* Atque in hoc sensu non substantiæ, sed soli accidenti competere.

Quæstio deciditur per distinct.

17 *An non entis vlla possint esse adiuncta?*

Quæstio disputatur in vtramque partem.

A Parte negante quæstionis videtur stare non tantum communis illa Iureconsultorum & Theologorum Regula, *Non entis nulla sunt accidentia, nulla qualitates, nulla ἐνέργεια*: sed etiam ipsa ratio. Adiunctum enim est subiecti adiunctum. Iam autem nihil potest suscipere rationem subiecti, nisi aptum sit subiici alterii. Ideoque cum *Non ens*, non sit aptum subiici alteri, sequitur, illud neque posse rationem subiecti recipere; & per consequens, neque adiuncta ei recte attribui. At pro thesi affirmante afferri possunt probationis loco hæc exempla: 1, Deus ab æterno præcognouit omnia, antequam reipsa sunt producta. 2, Deus ab æterno prædestinauit quosdam homines ad salutem; quosdam ad damnationem, antequam cœperunt esse. 3, Patres fideles in veteri testamento manducarunt carnem Christi, antequam natus esset ex Maria virgine. 4, Homines multa sibi imaginantur, tam vigilantes, quam dormientes, quæ tamen nunquam fuerunt, neque futura sunt. Pro decisione igitur huius quæstionis, sciendum est; *Non ens* dupliciter à Philo-

I. Pro thesi neg. II.

Pro thesi affirmante. Exempla. I. II. III. IV.

Quæstio deciditur per distinctionem.

Philosophis sumi. 1, pro eo, quod simpliciter est *Non ens*, seu, quod omnino est *Nihil*. 2, pro eo, quod est *non ens* secundum quid duntaxat. Quo modo *non ens* dicitur 1. ens rationis, quatenus non est ens reale. 2, ens reale futurum, quatenus actu nondum existit. 3, quicquid rationem entis non participat, tametsi non sit nihil; sed aliquid, vt essentia, priuatio. De priore non ente vera est sententia negatiua quæstionis; de posteriore vero minime. Quod igitur ad exempla attinet pro parte affirmante allata, respondeo, illa omnia esse intelligenda de *non ente* secundum quid; non vero de non ente simpliciter.

Non ens quotmodis sumatur. I. II. III.

18 *An idem ens diuerso respectu possit esse subiectum & adiunctum?*

STatuitur sententia affirmatiua, eaque probatur inductione exemplorum: 1, Quia sanguis est adiunctum adhærens venæ, & subiectum caloris & rubedinis sibi inhærentis. 2, Quia quantitas est adiunctum inhærens substantiæ corporeæ, & est subiectum diuisibilitatis & mensurabilitatis sibi inhærentis. 3, Quia locus est subiectum recipiens locati, & adiunctum adhærens ac circumstans rerum, quæ in loco aliquo fiunt. Vnde etiam ab Aristotele lib.4.Phys. locus appellatur ἔξω περιεχόμενον, id est *adiunctum*, seu, *adiacens externum*. 4, Tempus est adiunctum & quidem inhærens, quatenus sumitur Metaphysice, pro duratione entis creati; adhærens vero quatenus sumitur Mathematice pro spacio certo durationis, motu stellarum mensurato, & consideratur cum respectu extrinseco ad res, quæ in tempore eiusmodi fiunt. Subiectum vero recipiens est respectu longitudinis, vel breuitatis sibi inhærentis. 5. Color est subiectum occupans visus; & adiunctum inhærens corporis naturalis.

Thesis affir. defend. per exempl. I. II. III. IV. V.

19 *Quid sentiendum est de subiecto artium & disciplinarum?*

SVbiectum disciplinarum & artium aliud est recipiens aliud occupans. Subiectum recipiens est vel homo, vel liber: Homo, quatenus sumitur pro habitu intellectuali: Liber, quatenus sumitur pro systemate scripto præceptorum artificiose dispositorum. Subiectum occupans aliud est contemplationis, aliud operationis.

Subiectum artium quotuplex.

Subiectum contemplationis in genere dicitur omne id, circa quod cognoscendum disciplina contemplatrix versatur: In specie vero id, cuius principia & affectiones proprias disciplina contemplatrix inquirit & explicat. Subiectum operationis in genere dicitur omne id circa quod disciplina operatrix versatur. In specie vero id, cuius acquirendi & efficiendi media disciplina operatrix tradit & explicat: Vbi etiam obseruandum est, disciplinas instrumentarias duplex habere subiectum operationis. Vnum, internum seu doctrinale: alterum, externum seu vsuale. Prius est, circa quod illa in docendo occupatur: Posterius, circa quod illa in vsu & applicatione versatur. Sic Grammaticæ subiectum doctrinale est modus emendate loquendi; vsuale sunt omnia vocabula, quæ emendatam locutionem ingrediuntur. Rhetoricæ subiectum doctrinale, est modus bene seu ornate dicendi; vsuale, sunt omnia vocabula & res quæ ornatam dictionem ingrediuntur. Logicæ subiectum doctrinale, est modus bene disserendi & sciendi; vsuale, est omne ens & non ens, quatenus bonam dissertationem ingreditur, seu quatenus ei technologemata Logica applicantur.

De Signo Signato, Cap. IV.

Theoremata.

De signo in genere.

1 *Quarta classis attributa respectiua sunt signum & signatum. Omne enim ens aut est signum, aut signatum.*

2 *Signum est ens sensile, cognoscenti signatum significans.*

3 *Estque vel naturale, vel arbitrarium.*

De signo naturali.

4 *Signum naturale est, quod ex natura ordinatione vim habet significandi aliquid. Ideoque apud omnes gentes idem significat.*

5 *Estque vel internum vel externum.*

6 *Internum signum est, quod cognoscenti intus aliquid designat. Vno nomine dicitur* conceptus.

7 *Estque vel Phantasma; vel Noema.*

8 *Phantasma est simulachrum rei sensilis per se phantasiæ obiectum.*

9 *Noema est simulachrum rei intelligibilis, per se intellectui obiectum. Latine dicitur* Notio.

10 *Estq;*

10 *Estque vel primum, vel secundum.*

11 *Primum Noema est, quod rem, prout extra animum est, primo ac immediate intelligenti repræsentat.*

12 *Secundum Noema est, quod rem prout extra animum est intelligenti repræsentat, secundario & mediante primo noemate.*

13 *Externum signum est, quod aliquid cognoscenti exterius significat.*

14 *Estque vel necessarium, vel contingens.*

15 *Necessarium est, quod certo aliquid significat, vt fumus ignem, vestigium pedem, imago in speculo vultum. Vno vocabulo à Græcis dicitur τεκμήριον.*

16 *Contingens est, quod incerto aliquid significat, vt lac in mamillis, partum; rubedo vespertina cœli, serenitatem sequentis diei; risus, lætitiam.*

17 *Vtrumque vel signat rem præsentem, vel præteritam, vel futuram.*

18 *Et rursus vel antecedit rem, quam signat, vel consequitur, vel cum ea cohæret. Vnde signum aliud dicitur* antecedens, *aliud* consequens, *aliud* coniunctum.

19 *Sic de signo naturali: Sequitur arbitrarium, quod ex institutione voluntaria vim habet significandi aliquid. Ideoque apud omnes gentes idem non significat.* *De signo arbitrario.*

20 *Estque vel reale, vel verbale. Signum reale est, quod in rebus fundatur.* *Reali.*

21 *Idque diuersum est partim ex efficiente, partim ex fine diuerso.*

22 *Ex efficiente signum reale aliud est sacrum, aliud profanum; seu, quod idem est, aliud* mysticum, *aliud* politicum.

23 *Signum sacrum est, quod ex institutione diuina aliquid significat, cuiusmodi sunt typi legales, & sacramenta tam veteris, quam noui fœderis, de quibus in Theologia.*

24 *Profanum est, quod ex institutione humana, aut etiam diabolica aliud significat.*

25 *Estque vel artificiale, vel inartificiale.*

26 *Artificiale est, quod ab arte excogitatur seu conficitur, ad significandum aliquid, vt statua, pictura, stylus in sciaterio*, &c.

27 *Inartificiale est, quod sine arte ex sola consuetudine ac communi vsurpatione vim significandi habet, vt hedera respectu vini vendibilis; Fasces respectu Imperii*, &c.

28 *Ex fine signum reale aliud est notificans, aliud commonefaciens, aliud obsignans.*

29 *Signum notificans est, quod nos in rei ignotæ noticiam deducit, Græce dicitur* γνώρισμα, *Latine* Indicium, *Germanice* Kennzeichen/ Merckzeichen/ Merckmahl.

30 *Signum commonefaciens est, quod nobis rei alicuius memoriam reuocat. Græce dicitur* τὸ μνῆμα, ἢ μνημόσυνον, *Latine* Monimentum, *Germanice* Denckzeichen / Denckmahl.

31 *Signum obsignans est, quod de aliquo nos certificat ac confirmat. Græce dicitur* σφραγὶς ἢ σφράγισμα, *Latine* sigillum, *Germanice* Warzeichen.

Verbali.

32 *Hactenus de signo arbitrario reali: Sequitur verbale, quod in verbis fundatur.*

33 *Estque vel pronunciatum vel scriptum.*

34 *Signum pronunciatum est, quod rem animo conceptam enunciando significat. Vulgo dicitur* vox prolata, *& ab Aristot. in libro de Interp. cap. 1. definitur* σύμβολον τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων.

35 *Signum scriptum est, quod rem animo conceptam per scripturam significat. Vulgo dicitur* vox scripta. *Et ab Aristotele in citato loco,* σύμβολον τῶν ἐν τῇ φωνῇ παθημάτων.

36 *Cæterum vocis tam prolatæ quam scriptæ, variæ sunt distributiones; quarum aliæ sumuntur ex re significata, aliæ ex modo significandi.*

37 *Ex re significata vox vel est* Categorema, *vel* Syncategorema.

38 *Categorema est vox, quæ rem aliquam integre sine alia significat.*

39 *Estque vel primæ, vel secundæ notionis; quorum illud rem sub primo Noemate, hoc sub secundo Noemate apprehensam significat. Et vulgo dicitur* vocabulum technologicum.

40 *Syncategorema est vox, quæ rem aliquam integre cum alia significat; cuiusmodi sunt aduerbia, præpositiones, interiectiones, & coniunctiones.*

41 *Ex modo significandi vox tripliciter diuiditur. Primum enim vox alia est abstracta, alia concreta; quarum illa vnam rem seorsim, hæc, cum alia coniunctim significat. Sic humanitas & candor sunt voces abstractæ, homo vero & candidus, sunt voces concretæ.*

42 De-

42 *Deinde vox alia est propria, alia impropria; quarum illa rem sine tropo hac, cum tropo significat.*

43 *Denique vox alia est certa, alia ambigua.*

44 *Certa est, quæ vnam rem aliquam certe ac distincte significat.*

45 *Ambigua est, quæ multas res & natura diuersas indistincte ac confuse significat. Ab aliis dicitur* æquiuoca.

46 *Estque vel ex casu, vel ex consilio ambigua.*

47 *Ex casu ambigua est, quæ res natura omnino diuersas fortuito, & sine certa ratione significat, cuiusmodi est vox Galli, iuris, mali, &c.*

48 *Ex consilio ambigua est, quæ res natura diuersas propter certam rationem significat; nempe vel propter indigentiam vocabulorum propriorum, vel propter mutuam rerum inter se analogiam, cognationem, vel affectionem.*

49 *Sic de signo. Signatum vero est id, quod cognoscenti à signo significatur.*

50 *Estque vel incomplexum, vel complexum; vel corporeum vel incorporeum; vel naturale vel supernaturale; vel terrenum vel cœleste, vel substantia vel accidens; denique aut præsens, aut præteritum, aut futurum.*

IN CAPVT QVARTVM

PROBLEMA I.

An doctrina de signo & signato pertineat ad Metaphysicam; & num recte à quibusdam referatur ad tractatum de subiecto & adiuncto?

DVæ sunt distinctæ huius quæstionis partes; ideoque etiam distincte, vna post aliam est explicanda. Ac quod ad primam quidem partem attinet, distinguendum est inter generalem & specialem doctrinam de signo & signato. Prior enim duntaxat pertinet ad Metaphysicam, tanquam artem catholicam, quatenus signum & signatum considerantur vt generalissima attributa entium. Specialis vero pertinet ad alias artes particulares. Hinc Medicus agit de signis salubribus & insalubribus; Physicus de signis physiognomicis & prognosticis ventorum, pluuiarum, aliarumque rerum futurarum; Theologus, de signis sacris & mysticis. Quod autem ad alteram quæstionis partem attinet, sunt nonnulli ex Rameis, qui doctrinam generalem de signo & signato re-

Generalis doctrina de signo & signato pertinet ad Metaph.

Doctrina generalis de signo & signato nō pertinet ad tractatū de subiecto & adiuncto. ferunt ad tractatum de subiecto & adiuncto. Signum enim aiunt esse adiunctum signati, & signatum esse subiectum signi. Sed hæc sententia videtur simpliciter non esse concedenda, propter sequentes rationes. 1, Quia signum & signatum sunt relata. Relatorum autem vnum est de essentia alterius. Ideoque neutrum alterius est vel subiectum, vel adiunctum. 2, Quia non tantum adiuncta, sed etiam subiecta, causę & effecta signa esse possunt, quatenus in sensum incurrunt, & aliquid vel præsens, vel futurum, vel præteritum signant, seu significant. Hinc Medici signa morborum alia sumunt à causis, alia ab effectis, alia ab adiunctis, alia à subiectis. Et in distributione signorum alia dicunt signare morbum, alia causas morbi, alia locum affectum, alia longitudinem & breuitatem, alia tempora vniuersalia morbi, nimirum principium, augmentum, statum & declinationem, alia denique salutem & mortem. Et vulgo signa alia dicuntur antecedentia, alia coniuncta, alia consequentia: Interim non negamus signum esse adiunctum respectu illius entis absoluti, cui accidit aliud quippiam significari. Sic Iridis adiunctum est, esse signum sacrum fœderis Dei; aquæ in baptismo adiunctum est, esse signum sanguinis Christi. Panis & vini in Eucharistia adiunctum est, esse signum mysticum corporis & sanguinis Christi. Ante enim diuinam institutionem res illæ naturales talem vim significandi non habebant: ideoque neq; erant signa talium rerum. Vnde Augustinus recte dixit ad explicandam naturam sacramenti, quod nihil aliud est quam signum sacrum. *Accedat verbū*, id est, institutio diuina, *ad elementum*, id est, ad rem naturalem; *& fit sacramentum*, hoc est, sacrum signum.

Ratio I. II.

2 *Quid sit signum in genere, & in qua re eius natura consistat?*

[Pr]æmittūtur [5 Theo]remata. VT hoc Problema recte enucleari possit, ante omnia explicanda sunt 5. Theoremata. Primum theorema est; *Signum non esse ens absolutum, sed respectiuum, neque ens incomplexum, sed complexum.* Est enim in classe relatorum, quæ semper essentialem respectum habent ad aliud, & semper præsupponunt ens absolutum, quod formaliter à relatione sibi inhærente, relatum denomina-

I.

tur

tur. Ex quo etiam fit, vt signum semper per se referatur ad signatum, & semper præsupponat ens aliquod absolutum, quod formaliter à signatione, seu quod idem est, significatione signum denominatur. Alterum theorema est; *Non omne ens absolutum posse fieri & esse signum; sed tantum id, quod per se est sensile.* Quod enim per se est insensile, id nullo modo aptum est, vt signi rationem suscipiat. Tertium Theorema est, *Relationem inter signum & signatum nullam aliam esse, quam signationem seu significationem, eamque esse actiuam, quatenus est respectus signi ad signatum; passiuam vero, quatenus est respectus signati ad signum.* Quartum theorema est, *signum nihil actu significare nisi illi qui eius significationem cognoscit, siue sit substantia sentiens duntaxat, siue intelligens etiam: ideoque nullum ens absolutum respectu eius, qui ignorat ipsius significationem, actu & proprie esse signum.* Quintum theorema est, *significare, seu signare nihil esse aliud, quam repræsentare aliquid cognoscenti.* Ex his igitur omnibus apparet signum in genere recte à nobis esse definitum, quod sit ens sensile cognoscenti signatum significans. Cæterum vt veritas huius definitionis illustrior fiat, conferemus eam cum aliorum definitionibus. Inter quas prima est Augustini in libro de principiis Dialecticæ cap. 1. *Signum est quod seipsum sensui, & præter se aliud animo ostendit.* Altera est eiusdem Augustini in libr. 2. De doctrina Christiana, c. 1. *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus aliquid aliud faciens in cogitationem venire.* Tertia est, *Signum est nota sensilis in rei ignotæ noticiam nos deducens.* Quarta est, *Signum est nota, quæ rem aliquam subiectam designat.* Ex quibus definitionibus priores tres sunt angustiores suo definito. Nam prima & secunda tantum competunt signo, quod homini aliquid significat; non vero signo, quod bestiæ aliquid significat. Tertia vero tantum competit signo notificatorio, non vero admonitorio & obsignatorio. Vltima autem est falsa, quatenus autor illius signum existimat esse adiunctum, & signatum, subiectum.

II. *III.* *IV.* *V.*

Signũ in genere quid sit.

Definit. signi ab aliis tradita recens. & exam.

Duplex est causa effic. vnde signum vim signandi habet.

3 *Vnde signum vim signandi habeat?*

QVemadmodum duplex est signorum genus; vnum naturale, alterum arbitrarium, ita etiam duplex est

causa efficiens, vnde signum vim signandi habet. Vna est ipsa Naturæ ordinatio; altera institutio voluntaria. A priori causa pendent omnia signa naturalia, siue sint interna, siue externa, siue necessaria, siue contingentia. A posteriori causa pendent omnia signa arbitraria; siue sint realia, siue verbalia: Ac quoniam institutio voluntaria vel est diuina, vel humana: Et hæc rursus vel nititur συνθήκη, hoc est, communi hominum pacto & consensu, vel τέχνῃ, hoc est, artificiosa fictione & effectione; hinc fit vt signa arbitraria rursus in varia genera distribuantur, quemadmodum ex præceptis ipsis apparet.

4 *An signum & signatum semper sint simul?*

Quæst. decid. per certas conclus.

CVm aliquid dicatur simul cum alio vel natura, vel cognitione, vel tempore, vel loco; necesse est ad meliorem huius quæstionis intelligentiam, vt secundum diuersos τοῦ ἅμα modos, diuersa responsio afferatur. Itaque sequentes tres conclusiones sunt obseruandæ. 1, *I.* Signum & signatum quatenus considerantur vt entia relata, semper simul esse tum natura, tum cognitione respectiua. Est enim proprietas essentialis relatorum, vt vnum sine altero neq; esse, neque definiri, neque cognosci possit. Itaq; vno posito, vel cognito, alterum etiam poni vel cognosci necesse est; sicut contra, vno negato vel ignorato, alterum etiam negari & ignorari oportet. *II.* 2, Signum & signatum, quatenus considerantur relate, non semper simul esse vel tempore, vel loco. Sunt enim signa alia rerũ præsentium, alia præteritarum, alia futurarum. Similiter alia sunt rerum loco propinquarum, alia loco remotarum. Sic imago in speculo est signum rei præsentis & loco propinquæ: Picturæ vero & statuæ sunt signa plerumque rerum loco dissitarum vel præteritarum. Sic panis Eucharisticus est signum corporis Christi in cœlo existentis, & fractio eiusdem panis est signum crucifixionis corporis Christi iam olim peractæ. Sic agnus Paschalis in veteri testamento erat signum Christi pro peccatis hominum in ara crucis mactandi. *III.* 3, signum & signatum, quatenus considerantur vt entia absoluta, non semper esse simul vel natura, vel cognitione, vel tempore, vel loco; sed vnum altero modo prius, modo posterius. Sic Iris absolute considerata natura prior fuit fœdere

dere Dei cum Adamo facto eiusque posteris inito. Sic fumus absolute & [illegible] iteratus natura posterior est igne. Idem iudicandum est de aliis modis, quibus aliquid dicitur alio vel prius, vel posterius, vel simul. Cæterum contra primam conclusionem obiici possunt duo potissimum argumenta. 1. *Si signum prius cognoscitur quam signatum, sequitur signum & signatum non esse simul cognitione Sed verum prius: Ergo & posterius* Assumptio probatur; Quia signum prius cadit sub sensum ac signatum. 2, *Si signum sæpe cognoscitur ignorato signato, sequitur signum & signatum non simul esse cognitione: Sed verum prius: Ergo & posterius.* Assumptio probatur: Quia vestigium leporis sæpe cognoscitur, ignorato ipso lepore; & voces tam prolatæ, quam scriptæ sæpe cognoscuntur, ignoratis ipsis rebus signatis. Ad primum argumentum respondeo, signum prius cadere sub sensum ac signatum, secundum essentiam absolutam, non vero respectiuam. Ad alterum respondeo, distinguendum esse inter cognitionem signi & signati, quatenus sunt entia absoluta, & quatenus sunt entia respectiua. Priore enim modo fieri potest, vt signum cognoscatur ignorato signato; posteriore autem modo minime.

Obiect. contra conclus. *I.* *II.* *Responsio ad obiectionem,* *I.* *II.*

5 *An signatum vllo modo possit vere & proprie esse in signo, & de eodem prædicari?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia signum & signatũ sunt relata. Relatorum autem vnum proprie non potest esse in altero, neque de eodem prædicari. 2, Quia signum & signatum sunt opposita. Vnum autem oppositorum proprie non potest esse in altero, neque de eodem prædicari. 3, Quia manifesta fit implicatio contradictionis, si quis statuat signatum proprie prædicari de signo. Quod enim proprie est signatum, id non est signum. Et vice versa, quod proprie est signum, non est signatum. 4, Quia Aristoteles lib. 4. Phys. cap. 3. ab initio octo modos recenset, quibus aliquid dicitur esse in alio, nimirum vel vt pars in toto, vel vt totum in partibus; vel vt species in genere, vel genus in speciebus; vel vt forma in materia, vel vt effectum in efficiente, vel vt finitum in fine, vel vt locatum in loco. Et tamen secundum nullum horum modorum vere dici potest signatum esse

Pro thesi neg. Ratio *I.* *II.* *III.* *IV.*

Error aliorũ taxatur.

in signo. Errant igitur illi, qui in Eucharistia statuunt corpus Christi vere & proprie vel localiter, vel alio modo esse in pane, & de eodem prædicari. Si enim signatum nullo modo potest vere & proprie esse in signo, neque de eodem prædicari; sequitur neque corpus Christi posse esse vllo modo vere & proprie in pane, & de eodem prædicari; cum illud sit signatum, hic vero signum. Proinde quando in sacra Scriptura *panis* dicitur esse *corpus Christi*, statuendum est illam prædicationem sacramentalem esse impropriam, quæ æquipolleat huic propriæ, asserenti *panem esse sacramentum*, seu, *signum mysticum corporis Christi.*

6 *An inter signum & signatum semper sit analogia quædam?*

Thesis negatiua defend. inductione exemplor.

STatuitur sententia negatiua. Etsi enim multa signa reperiuntur tam naturalia quam moralia, quæ analogiam quandam habent cum signatis; tamen etiam non pauca ex vtroque genere reperiuntur, quæ nulla plane analogia cum signatis conueniunt. Atque hoc etiam facile probari potest inductione exemplorum. Sic in genere signorum naturalium analogiam seu similitudinem cum signatis habent; 1, omnes creaturæ visibiles, quatenus sunt signa Dei inuisibilis. Vnde etiam non immerito simulachra Dei visibilia nominantur. 2, omnes veri rerum conceptus, siue sint phantasmata, siue noemata. Vnde etiam ab Aristotele dicuntur ὁμοιώματα τῶν πραγμάτων. 3, omnes imagines naturales, quæ vel in nubibus, vel in aere, vel in aqua, vel in aliis corporibus res certas nobis repræsentant, eiusmodi sunt Iris, parelius, paraselene, halo, &c. 4, omnia effecta naturæ à caussis efficientibus vniuocis producta, &c. Contra analogia seu similitudine destituuntur. 1, fumus, quatenus est signum ignis. 2, risus, quatenus est signum lætitiæ. 3, fletus, quatenus est signum tristitiæ. 4, signa prognostica pluuiarum & ventorum. 5, signa pleraque physiognomica. 6, signa pleraque morborum. Sic in genere signorum arbitrariorum analogiam cum signatis habent; 1, omnia sacramenta veteris & noui testamenti. 2, omnes typi legales. 3, omnes imagines artificiales, siue sint pi-

ctæ

ctæ siue sculptæ, siue alio quodam modo efformatæ, quatenus res certas vere repræsentant. 4, omnes voces, quæ naturam rerum vel origine vel sono repræsentant. Contra analogia seu similitudine destituuntur: 1, hedera, quatenus est signum vini vendibilis. 2, limes quatenus est signum distinctionis agrorum. 3, omnes imagines artificiales, quatenus certas res vere non repræsentant. 4, omnes voces, quæ neque origine sua, neque sono naturam rerum repræsentant.

7 *An omne signum sit notificans?*

SVnt multi, qui putant omne signum esse notificatorium; & hoc probant ex vulgata definitione signi, qua dicitur *esse nota sensilis in rei ignotæ notitiam deducens.* Sed hæc sententia est falsa, sicut etiam ipsa definitio signi, qua nititur. Licet enim omne signum aliquid signet seu significet; tamen non omne signum signando aliquid notificat. Et hoc patet ex triplici fine, propter quem signa sunt introducta & constituta; quorum primus est notificatio rei ignotæ, alter commonefactio de re nota, tertius confirmatio & certificatio de re nota. Vnde etiam supra in præceptis ex triplici illo fine signum aliud diximus esse *notificans*, aliud *commonefaciens*, aliud *obsignans.* Vbi tamen obseruandum est, quandoque vnum & idem ens diuerso respectu esse simul signum partim *notificans*, partim *commonefaciens*, partim *obsignans.*

Thesis negat. defend.

8 *An signa eadem sint apud omnes gentes?*

DIstinguendum est inter signa naturalia & arbitraria; illa enim sunt eadem apud omnes gentes, cum Natura, à cuius ordinatione pendent, sit eadem. Hæc vero non sunt eadem apud omnes gentes, sed diuersa: quippe quæ pendent ab institutione voluntaria partim Dei, partim hominum, quæ non semper est eadem. Hinc in Ecclesia veteris testamenti alia fuerunt signa sacra, ac in Ecclesia noui testamenti. Hinc diuersa signa vini & cereuisiæ venalis apud diuersos populos reperiuntur. Hinc diuersa linguarum idiomata apud diuersas nationes frequentantur. Licet enim ante ædificationem turris Babylonicæ sola Hebraica lingua in vsu fuerit, quemadmodum ex cap. 11. Genes. v. 1. colligitur; tamen postea ex singulari Dei iudicio & consilio magna linguarum

Quæstio deciditur per distinctionem signorum.

diuersitas fuit introducta. Vnaquæque enim natio peculiarem linguam sibi excogitauit & ex communi pacto ac consensu vsurpauit.

9 *An sine signorum cognitione possit signatorum cognitio acquiri?*

Pro thesi negante. Ratio

STatuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, Quia à cognitione signorum pendet cognitio signatorum, tanquam effectum à sua causa efficiente proxima. Nullum autem effectum potest esse sine sua causa efficiente.

II. 2. Quia signis ignoratis necesse est ipsa signata, quatenus talia sunt, ignorari. Hinc Plato in Cratylo præclare disputat, *rerum cognitionem pendere ex verborũ intelligentia.* Sunt enim verba symbola rerum, propterea inuenta ac instituta, vt eorum beneficio in rerum ipsarum notitiam perueniamus. Ignoratis igitur verbis, ipsas res quoque, quarum sunt signa, ignorari est necesse. Proinde danda opera nobis est, vt primum omnium veram signorum notitiam nobis comparemus; ita enim facilior nobis aditus ad rerum signatarum intelligentiam patebit.

10 *An vnius signi possint esse varia signata; & retro, vnius signati varia signa?*

Thesis affir. probatur per exempl.

STatuitur sententia affirmatiua, eaque probatur inductione exemplorum. 1, Quia vnum vocabulum æquiuocum varias res significat. 2, Quia vnum σύμπτωμα varios morbos sæpe designat. 3, Quia vna res sæpe variis vocabulis tam eiusdem quam diuersæ linguæ, tam tropicis, quam propriis significatur. 4, Quia idem sacrificium Christi variis sacrificiis, & typis legalibus fuit adumbratum. 5. Quia idem fœdus Dei Euangelicum variis sigillis ab origine mundi fuit confirmatum. 6, Quia idem temperamentum, idemque morbus variis signis indicatur.

Porismata.

I. Hinc igitur apparet 1, ex identitate signi, non semper sequi identitatem signati, neque ex identitate signati, identitatem signi.

II. 2, ex diuersitate signi, non semper sequi diuersitatem signati, neque ex diuersitate signati, diuersitatem signi.

11 *An tractatio generalis de verbis seu vocabulis pertineat ad Metaphysicam, & quomodo?*

Magna

MAgna est controue[illegible] ...ophos, ad quam artem propriè pertinea[illegible] tra[illegible]io generalis de verbis seu vocabulis. Alii enim ill[illegible] referunt ad Grammaticam; alii ad Rhetoricam; a[illegible] Logicam; alii ad Metaphysicam. Etsi vero neg[illegible] ri[illegible] possit, Grammaticam & Rhetoricam in operando seu vsu versari circa omnia vocabula, quatenus scilicet vel emendatam, vel ornatam locutionem ingrediuntur & constituunt; tamen in docendo illæ duæ artes tantum versantur circa vocabula secundæ notionis, quatenus conferunt ad artificium vel emendate, vel ornare loquendi. Logica vero & Metaphysica in docendo tractant generaliter de vocabulis tam primæ, quam secundæ notionis. Illa quidem quatenus conferunt ad artificium bene disserendi, verumque à falso discernendi; hæc vero, quatenus sunt species partim entium, partim signorum, ideoque mentis contemplatione & cognitione dignæ. *Thesis asser. defenditur. cum distinct.*

12 *An vocabula sint signa naturalia, an arbitraria?*

ANtiqua est hæc quæstio, & inter duos Philosophorum Coryphæos Platonem & Aristotelem agitata. Plato enim in Dialogo, qui inscribitur *Cratylus*, seu de recta nominum ratione, sub persona Socratis aduersus Hermogenem disputantis, asserit, *vocabula* præsertim primæua, *quibus Dii vsi sint. esse signa seu organa naturalia, quæ scilicet ex ipsa rerum natura; non vero ex mutuo colloquentium placito & consensu vim significandi habeant*: seu, vt Zabarella libr. 1. de Methodo capite 2. loquitur, *quæ à Natura nobis sint tradita ad res significandas, prout cuiusque rei propria natura, propriam & sibi conuenientem appellationem postulauit.* Aristoteles autem hanc sententiam Platonis improbat, & statuit, omnia vocabula, quibus in loquendo homines vtuntur, esse signa seu organa arbitraria, quæ non à natura sint tradita ad res significandas, neque ex natura rerum pendeant; sed ex sola institutione voluntaria, mutuoque colloquentium consensu & arbitrio vim significandi habeant; quemadmodum id patet ex libr. de Interpr. In capite enim 2. ait: φύσει τῶν ὀνομάτων οὐδέν ἐστι. in 4. vero capite inquit: ἔστι λόγος μὲν ἅπας σημαντικὸς οὐχ ὡς ὄργανον (scilicet φυσικόν, vt Plato volebat) ἀλλὰ κατὰ συνθήκην. Hoc est, *omnis quidem oratio est signifi-* *Sententia Plat. & Aristot. recensetur.*

catiua, non vt instru[illegible] naturale, sed ex pacto & consensu.

Argumenta pro sententia Platonis. I. Argumenta pro [illegible]entia Plat. hæc sunt præcipua: 1, Quia voca[illegible] naturalem habent conuenientiam & congruentiam [illegible] ipsis rebus. Sic homo significat animal rationale, quia est ex humo: & φωνὴ Græce significat vocem, quia est φῶς νοός. *II.* 2, Quia vocabula vim naturalem habent efficiendi aliud, vt in sequenti quæstione probabitur. *III.* 3, Quia sermo seu loquela homini est naturalis, quemadmodum patet tum ex linguæ formatione, quæ organum est naturale ad formandum sermonem maxime accommodatum; tum ex ipso naturæ impetu, quo homo ad loquelam fertur; tum denique ex fine, cuius gratia sermo homini est tributus, qui est, vt homo Deum creatorem suum inuocet & celebret, & in communi conuersatione mentis suæ cogitationes aliis communicet. Hinc etiam Arist. lib. 1. Pol c. 2. probat, *hominem natura esse animal politicum*, hoc est, ad ciuilem societatem natum; quia soli ex omnibus animantibus homini sermo à natura tributus. *IV.* 4, Quia lingua Hebræa est homini naturalis: Si enim quis ab infantia nullum omnino doceretur sermonem, tandem futurum esset, vt sua sponte inciperet Hebraice loqui.

Arg pro sent. Arist. I. Argumenta pro sententia Aristot. hæc sunt præcipua: 1, Quia sacra Scriptura testatur Deum primum fuisse ὀνοματοθέτην, & pro libera sua voluntate quibusdam rebus a se creatis proprias & conuenientes appellationes attribuisse, quas postea ipse Adam taciro consensu vsurpare cœpit, vt videre est Gen. 1. v. 4. 8. 9. Alterum vero ὀνοματοθέτην fuisse Adamum, qui similiter pro sua sapientia & libero arbitrio non tantum vxori suæ, sed etiam singulis animantium speciebus proprias & conuenientes appellationes assignauit, quæ in hunc vsque diem ab Hebræis retineantur & vsurpantur, vt patet ex cap. 2. Genes. v. 19. 20. 23.

II. 2, Quia eadem Scriptura testatur, Genes. 11. ante ædificationem turris Babylonicæ solam Hebraicam linguam fuisse in vsu, cuius autor fuerit partim Deus, partim Adam; postea vero in pœnam superbiæ linguas ædificantium illam turrim esse confusas, aliaq; noua linguarum idiomata extitisse, & quidem, vt nonnalli narrant, septua-

septuaginta. Quæ certe non ex Naturæ ordinatione, sed ex solo libero hominum colloquentium consensu ac instituto originem suam traxerunt. Illi enim, quibus mens erat, vnius vrbis ac regionis societatem inire, post dispersionem sine dubio inter se conuenerunt, & ex communi pacto ac consensu rebus vocabula indiderunt, quibus possent suas animi cogitationes alter alteri communicare.

3, Quia signa naturalia eadem sunt apud omnes gentes, sicut etiam ipsa Natura. Vocabula autem non sunt eadē apud omnes gentes, sed diuersa, vt patet ex linguarum varietate: Ergo vocabula non sunt signa naturalia, sed arbitraria, hoc est, non significant ex Naturæ ordinatione, sed ex consuetudine ab hominum voluntate profecta. III.

4, Quia signa naturalia nunquam mutantur; vocabula autem omnibus seculis & vbique gentium mutari solent. Alia enim antiquantur, alia innouantur, alia intereunt, alia oriuntur. Testis huius rei est nostra Germanica lingua, quæ intra annos ducentos tantam passa est mutationem, vt maiorum nostrorum vocabula hodie audita vel lecta, multa non intelligantur, perinde ac si peregrina aliqua lingua in loquendo vel scribendo vsi fuissent. IV.

5, Quia vocabula conseruantur vsu & consuetudine, ne per obliuionem pereant: Ergo etiam ex vsu & consuetudine voluntaria vtentium introducta, sunt orta. A qua enim causa aliquid conseruatur; ab eadem etiam oritur. V.

6, Quia sicut ex motu digitorum, quocunque modo ille fiat, nihil intelligit alter, nisi ex communi conuentione & pacto sciat, quid hac, quid illa digitorum motiuncula designetur; ita etiam ex sono, qui motu linguæ excitatur, nihil intelligit alter, nisi ex vsu & consuetudine cognitum habeat, quid hoc, quid illo sono articulato significetur. Proinde vocabulorum significationes non constant Natura, sed vsu & consuetudine. VI.

7, Quia vocabula primitiua non alia ex causa significant res, quarum sunt signa, quam ex placito auctorum. Ergo cum ex primitiuis deducantur deriuatiua, sequitur illa etiam non alia ex causa significare res, quam ex VII.

VIII. voluntate & placito vtentium. 8. Quia vocabula magnam similitudinem habent cum monetis seu nummis: Ergo sicut monetæ valent ex vsu communi hominum; ita etiam vocabula. 9. Quia ipse Plato in Cratylo affirmat ὀνοματοποιίαν esse praxin virorum sapientum: Ergo non est opus naturæ.

IX.

Sententia Arist. approb. Argumenta pro sententia Platonis soluuntur.

Cæterum ex collatione argumentorum pro parte vtraque quæstionis allatorum manifeste apparet, sententiam Aristotelis esse veram; Platonis vero falsam. Restat igitur, vt ad argumenta pro sententia Platonis adducta breuiter respondeamus. In primo negamus, omnia vocabula naturalem conuenientiam habere cum ipsis rebus, cum ex primitiuis ac deriuatiuis multa reperiantur, quæ plane rebus non sunt similia. Ac etiamsi concederetur rem ita se se habere; tamen inde concludi nondum posset, vocabula esse signa naturalia, & non arbitraria; cum etiam arbitraria signa possint analogiam habere cum rebus signatis, vt patet ex vocabulis per ὀνοματοποιίαν factis, cuiusmodi sunt tinnitus, bombus, balatus, &c. In altero negamus vocabula præter vim significandi, & quæ inde oritur, vllam vim naturalem habere efficiendi aliquid, vt in sequenti problemate disputabitur. Ac etiamsi concederetur, tamen inde non sequitur, vocabula esse signa naturalia. In tertio distinguimus, 1 inter facultatem loquendi & ipsam loquelam. Deinde inter sonationem & locutionem. 3. inter naturale, quatenus sumitur pro eo, quod est innatum, & ex solo naturæ principio ortum; & quatenus sumitur pro eo, quod est secundum naturam, tametsi discendo & docendo fuerit acquisitum. Facultas enim loquendi & ipsa sonatio, hoc est, soni articulati prolatio est homini naturalis, hoc est, innata, & ex solo naturæ principio orta. Ipsa vero loquela seu sermo, quatenus exprimit conceptus animi per voces articulatas, homini non est innatus, sed docendo ac discendo acquiritur. Hinc fit, vt neque Hispanus Gallum, neque Gallus Germanum, neque Germanus Latinum, neque Latinus Græcum, neque Græcus Hebræum loquentē intelligat, nisi prius eundē sermonem edoctus sit: Atque hoc etiam intellexit acutissimus Zabarella: idcirco in libro 1. de Methodis, cap. 2. conciliaturus Arist. cum Platone docet, vocem significatricem duas habere partes

I.

II.

III.

6, Quia magna vis est non tantum verbi diuini prædicati ad conuertendum homines, sed etiam precum ad impetrandum omnis generis bona à Deo. 7, Quia per nomen Christi, Apostoli multa miracula ediderunt. 8, Quia si verbis non inesset vis aliqua naturalis, tunc sequeretur inde 1, Artem Cabalisticam, quæ circa verba & characteres versatur, esse vanam. 2, Frustra in Ecclesiasticis hymnis retineri verba quædam Hebræa, vt, *Alleluia, Hosanna*, cum non minus ac alia vocabula possent in Latina conuerti. 3, Frustra exorcistas conari per verba concepta Dæmones fugare. 4, Vanum esse conatum sacerdotum in conuertenda per consecrationem substantia panis in corpus Christi. 5, Nullam esse efficaciam in prolatione nominis Iesu. 6, Irritas esse illas crebras recitationes & repetitiones orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ, quæ ab Ecclesia præcipiuntur & vsurpantur. Sed hæc omnia sunt absurda. Ergo etiam hypothesis, ex qua consequuntur. Videtur igitur ex his omnibus argumentis concludi, inesse verbis ipsis vim quandam Naturalem partim noxiam, partim salutarem; idque nunc corporibus, nunc animabus, nunc vtrisque.

VI. VII. VIII. *Conclusio.*

At vero pro thesi negante afferri possunt hæc argumenta: 1, Quia verba sunt signa arbitraria, non naturalia. 2, Quia verba nullam aliam vim habent, quam significandi, eamque non ex naturæ ordinatione, sed ex libero colloquentium placito & institutione. 3, Quia verba non sunt eadem apud omnes gentes, sed pro diuersa hominum natione, diuersoq; linguarum idiomate diuersa. Ideoque si vocabulis aliqua vis naturalis esset ascribenda præter illam, qua res significant, tunc omnia vocabula aut eandem vim haberent, aut diuersam. Sed eandem habere non possunt, quia sunt diuersa in diuersis linguis: Ergo habent diuersam; Si diuersam, Ergo incertum est, vtrum huius, an alterius linguæ vocabula habeant vim vel noxiam, vel salutarem. 4, Quia nulla vera & solida ratio afferri potest, cur verba siue scripta, siue prolata possint efficere ea, quæ superstitiosi homines, præsertim Magi & Cabalistæ sibi aliisque pollicentur. Proinde concluditur, verbis non inesse vim aliquam naturalem alterandi & immutandi res, adeoque efficiendi aliquid, siue boni, siue mali.

Pro thesi negante. *Argum.* I. II. III. IV. *Conclusio.*

causa efficiens, vnde signum vim signandi habet. Vna est ipsa Naturæ ordinatio; altera institutio voluntaria. A priori causa pendent omnia signa naturalia, siue sint interna, siue externa, siue necessaria, siue contingentia. A posteriori causa pendent omnia signa arbitraria, siue sint realia, siue verbalia: Ac quoniam institutio voluntaria vel est diuina, vel humana: Et hæc rursus vel nititur συνθήκῃ, hoc est, communi hominum pacto & consensu, vel τέχνῃ, hoc est, artificiosa fictione & effectione; hinc fit vt signa arbitraria rursus in varia genera distribuantur, quemadmodum ex præceptis ipsis apparet.

4 *An signum & signatum semper sint simul?*

CVm aliquid dicatur simul cum alio vel natura, vel cognitione, vel tempore, vel loco; necesse est ad meliorem huius quæstionis intelligentiam, vt secundum diuersos τῦ ἅμα modos, diuersa responsio afferatur. Itaque sequentes tres conclusiones sunt obseruandæ. 1, signum & signatum quatenus considerantur vt entia relata, semper simul esse tum natura, tum cognitione respectiua. Est enim proprietas essentialis relatorum, vt vnum sine altero neq; esse, neque definiri, neque cognosci possit. Itaq; vno posito, vel cognito, alterum etiam poni vel cognosci necesse est; sicut contra, vno negato vel ignorato, alterum etiam negari & ignorari oportet. 2, Signum & signatum, quatenus considerantur relate, non semper simul esse vel tempore, vel loco. Sunt enim signa alia rerũ præsentium, alia præteritarum, alia futurarum. Similiter alia sunt rerum loco propinquarum, alia loco remotarum. Sic imago in speculo est signum rei præsentis & loco propinquæ: Picturæ vero & statuæ sunt signa plerumque rerum loco dissitarum vel præteritarum. Sic panis Eucharisticus est signum corporis Christi in cœlo existentis, & fractio eiusdem panis est signum crucifixionis corporis Christi iam olim peractæ. Sic agnus Paschalis in veteri testamento erat signum Christi pro peccatis hominum in ara crucis mactandi. 3, signum & signatum, quatenus considerantur vt entia absoluta, non semper esse simul vel natura, vel cognitione, vel tempore, vel loco; sed vnum altero modo prius, modo posterius. Sic Iris absolute considerata natura prior fuit fœdere

Quæst. decid. per certas conclus.

I. *II.* *III.* (marginal numbers beside conclusions 1, 2, 3)

dere Dei cu ... cacho eiusque posteris inito. Sic fumus absolute c... ...ratus natura posterior est igne. Idem iudicandum est de aliis modis, quibus aliquid dicitur alio vel prius, vel posterius, vel simul. Cæterum contra primam conclusionem obiici possunt duo potissimum argumenta. *Obiect. contra conclus.* 1. *Si signum prius cognoscitur quam signatum, sequitur signum & signatum non esse simul cognitione Sed verum prius: Ergo & posterius* Assumptio probatur; Quia signum prius cadit sub sensum ac signatum. *I.* 2, *Si signum sæpe cognoscitur ignorato signato, sequitur signum & signatum non simul esse cognitione: Sed verum prius: Ergo & posterius.* *II.* Assumptio probatur: Quia vestigium leporis sæpe cognoscitur, ignorato ipso lepore; & voces tam prolatæ, quam scriptæ sæpe cognoscuntur, ignoratis ipsis rebus signatis. Ad primum argumentum respondeo, signum prius cadere sub sensum ac signatum, secundum essentiam absolutam, non vero respectiuam. *Responsio ad obiectionem,* *I.* Ad alterum respondeo, distinguendum esse inter cognitionem signi & signati, quatenus sunt entia absoluta, & quatenus sunt entia respectiua. *II.* Priore enim modo fieri potest, vt signum cognoscatur ignorato signato; posteriore autem modo minime.

5 *An signatum vllo modo possit vere & proprie esse in signo, & de eodem prædicari?*

STatuitur thesis negatiua. *Prothesis neg.* Rationes sunt: 1, Quia signum & signatū sunt relata. *Ratio* Relatorum autem vnum proprie non potest esse in altero, neque de eodem prædicari. *I.* 2, Quia signum & signatum sunt opposita. *II.* Vnum autem oppositorum proprie non potest esse in altero, neque de eodem prædicari. 3, Quia manifesta fit implicatio contradictionis, si quis statuat signatum proprie prædicari de signo. *III.* Quod enim proprie est signatum, id non est signum. Et vice versa, quod proprie est signum, non est signatum. 4, Quia Aristoteles lib. 4. Phys. cap. 3. ab initio octo modos recenset, quibus aliquid dicitur esse in alio, nimirum vel vt pars in toto, vel vt totum in partibus; vel vt species in genere, vel genus in speciebus; vel vt forma in materia, vel vt effectum in efficiente, vel vt finitum in fine, vel vt locatum in loco. *IV.* Et tamen secundum nullum horum modorum vere dici potest sign... tum esse

Error aliorũ taxatur.

in signo. Errant igitur illi, qui in Eucharistia statuunt corpus Christi vere & proprie vel localiter, vel alio modo esse in pane, & de eodem prædicari. Si enim signatum nullo modo potest vere & proprie esse in signo, neque de eodem prædicari; sequitur neque corpus Christi posse esse vllo modo vere & proprie in pane, & de eodem prædicari; cum illud sit signatum, hic vero signum. Proinde quando in sacra Scriptura *panis* dicitur esse *corpus Christi*, statuendum est illam prædicationem sacramentalem esse impropriam, quæ æquipolleat huic propriæ, asserenti *panem esse sacramentum*, seu, *signum mysticum corporis Christi.*

6 *An inter signum & signatum semper sit analogia quadam?*

Thesis negatiua defend. inductione exemplor.

STatuitur sententia negatiua. Etsi enim multa signa reperiuntur tam naturalia quam moralia, quæ analogiam quandam habent cum signatis; tamen etiam non pauca ex vtroque genere reperiuntur, quæ nulla plane analogia cum signatis conueniunt. Atque hoc etiam facile probari potest inductione exemplorum. Sic in genere signorum naturalium analogiam seu similitudinem cum signatis habent; 1, omnes creaturæ visibiles, quatenus sunt signa Dei inuisibilis. Vnde etiam non immerito simulachra Dei visibilia nominantur. 2, omnes veri rerum conceptus, siue sint phantasmata, siue noemata. Vnde etiam ab Aristotele dicuntur ὁμοιώματα τῶν πραγμάτων. 3, omnes imagines naturales, quæ vel in nubibus, vel in aere, vel in aqua, vel in aliis corporibus res certas nobis repræsentant, eiusmodi sunt Iris, parelius, paraselene, halo, &c. 4, omnia effecta naturæ à causis efficientibus vniuocis producta, &c. Contra analogia seu similitudine destituuntur. 1, fumus, quatenus est signum ignis. 2, risus, quatenus est signum lætitiæ. 3, fletus, quatenus est signum tristitiæ. 4, signa prognostica pluuiarum & ventorum. 5, signa pleraque physiognomica. 6, signa pleraque morborum. Sic in genere signorum arbitrariorum analogiam cum signatis habent; 1, omnia sacramenta veteris & noui testamenti. 2, omnes typi legales. 3, omnes imagines artificiales, siue sint pi-

ctæ

ctæ siue sculptæ, siue alio quodam modo efformatæ, quatenus res certas vere repræsentant. 4, omnes voces, quæ naturam rerum vel origine vel sono repræsentant. Contra analogia seu similitudine destituuntur: 1, hedera, quatenus est signum vini vendibilis. 2, limes quatenus est signum distinctionis agrorum. 3, omnes imagines artificiales, quatenus certas res vere non repræsentant. 4, omnes voces, quæ neque origine sua, neque sono naturam rerum repræsentant.

7 *An omne signum sit notificans?*

Thesis negat. defend.

SVnt multi, qui putant omne signum esse notificatorium; & hoc probant ex vulgata definitione signi, qua dicitur *esse nota sensilis in rei ignotæ notitiam deducens.* Sed hæc sententia est falsa, sicut etiam ipsa definitio signi, qua nititur. Licet enim omne signum aliquid signet seu significet; tamen non omne signum signando aliquid notificat. Et hoc patet ex triplici fine, propter quem signa sunt introducta & constituta; quorum primus est notificatio rei ignotæ, alter commonefactio de re nota, tertius confirmatio & certificatio de re nota. Vnde etiam supra in præceptis ex triplici illo fine signum aliud diximus esse *notificans*, aliud *commonefaciens*, aliud *obsignans.* Vbi tamen obseruandum est, quandoque vnum & idem ens diuerso respectu esse simul signum partim *notificans*, partim *commonefaciens*, partim *obsignans.*

8 *An signa eadem sint apud omnes gentes?*

Quæstio deciditur per distinctionem signorum.

DIstinguendum est inter signa naturalia & arbitraria; illa enim sunt eadem apud omnes gentes, cum Natura, à cuius ordinatione pendent, sit eadem. Hæc vero non sunt eadem apud omnes gentes, sed diuersa: quippe quæ pendent ab institutione voluntaria partim Dei, partim hominum, quæ non semper est eadem. Hinc in Ecclesia veteris testamenti alia fuerunt signa sacra, ac in Ecclesia noui testamenti. Hinc diuersa signa vini & cereuisiæ venalis apud diuersos populos reperiuntur. Hinc diuersa linguarum idiomata apud diuersas nationes frequentantur. Licet enim ante ædificationem turris Babylonicæ sola Hebraica lingua in vsu fuerit, quemadmodum ex cap. 11. Genes. v. 1. colligitur; tamen postea ex singulari Dei iudicio & consilio magna linguarum

diuersitas fuit introducta. Vnaquæque enim natio peculiarem linguam sibi excogitauit & ex communi pacto ac consensu vsurpauit.

9 An sine signorum cognitione possit signatorum cognitio acquiri?

Pro thesi negante. Ratio I. STatuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, Quia à cognitione signorum pendet cognitio signatorum, tanquam effectum a sua causa efficiente proxima. Nullum autem effectum potest esse sine sua causa efficiente.

II. 2. Quia signis ignoratis necesse est ipsa signata, quatenus talia sunt, ignorari. Hinc Plato in Cratylo præclare disputat, *rerum cognitionem pendere ex verborũ intelligentia.* Sunt enim verba symbola rerum, propterea inuenta ac instituta, vt eorum beneficio in rerum ipsarum notitiam perueniamus. Ignotaris igitur verbis, ipsas res quoque, quarum sunt signa, ignorari est necesse. Proinde danda opera nobis est, vt primum omnium veram signorum notitiam nobis comparemus; ita enim facilior nobis aditus ad rerum signatarum intelligentiam patebit.

10 An vnius signi possint esse varia signata; & retro, vnius signati varia signa?

Thesis affir. probatur per exempl. I. STatuitur sententia affirmatiua, eaque probatur inductione exemplorum. 1, Quia vnum vocabulum æquiuocum varias res significat. 2, Quia vnum σύμπτωμα

II. varios morbos sæpe designat. 3, Quia vna res sæpe variis vocabulis tam eiusdem quam diuersæ linguæ, tam tropicis, quam propriis significatur.

III. *IV.* 4, Quia idem sacrificium Christi variis sacrificiis, & typis legalibus fuit adumbratum.

V. 5. Quia idem fœdus Dei Euangelicum variis sigillis ab origine mundi fuit confirmatum.

VI. 6, Quia idem temperamentum, idemque morbus variis signis indicatur.

Porismata. I. Hinc igitur apparet 1, ex identitate signi, non semper sequi identitatem signati, neque ex identitate signati, identitatem signi.

II. 2, ex diuersitate signi, non semper sequi diuersitatem signati, neque ex diuersitate signati, diuersitatem signi.

11 An tractatio generalis de verbis seu vocabulis pertineat ad Metaphysicam, & quomodo?

Magna

Magna est controue[illegible] artem proprie pertinea[illegible] seu vocabulis. Alii enim ill[illegible]aticam; alii ad Rhetoricam; a[illegible] Logicam; alii ad [illegible]etaphysicam. Ersi vero neg[illegible] possit, Grammaticam & Rhetoricam in operando seu vsu versari circa omnia vocabula, quatenus scilicet vel emendatam, vel [illegible]natam locutionem ingrediuntur & constituunt; tamen in docendo illæ duæ artes tantum versantur circa vocabula secundæ notionis, quatenus conferunt ad artificium vel emendate, vel ornate loquendi. Logica vero & Metaphysica in docendo tractant generaliter de vocabulis tam primæ, quam secundæ notionis. Illa quidem quatenus conferunt ad artificium bene disserendi, verumque à falso discernendi; hæc vero, quatenus sunt species partim entium, partim signorum, ideoque mentis contemplatione & cognitione dignæ. *Thesis affir. defenditur. cum distinct.*

12 *An vocabula sint signa naturalia, an arbitraria?*

Antiqua est hæc quæstio, & inter duos Philosophorum Coryphæos Platonem & Aristotelem agitata. Plato enim in Dialogo, qui inscribitur *Cratylus*, seu de recta nominum ratione, sub persona Socratis aduersus Hermogenem disputantis, asserit, *vocabula* præsertim primæua, *quibus Dii vsi sint*, *esse signa seu organa naturalia*, *quæ scilicet ex ipsa rerum natura*; *non vero ex mutuo colloquentium placito & consensu vim significandi habeant*: seu, ut Zabarella libr. 1. de Methodo capite 2. loquitur, *quæ à Natura nobis sint tradita ad res significandas, prout cuiusque rei propria natura, propriam & sibi conuenientem appellationem postulauit.* Aristoteles autem hanc sententiam Platonis improbat, & statuit, omnia vocabula, quibus in loquendo homines vtuntur, esse signa seu organa arbitraria, quæ non à natura sint tradita ad res significandas, neque ex natura rerum pendeant; sed ex sola institutione voluntaria, mutuoque colloquentium consensu & arbitrio vim significandi habeant; quemadmodum id patet ex libr. de Interpr. In capite enim 2. ait: φύσει τῶν ὀνομάτων οὐδέν ἐστι. in 4. vero capite inquit: ἔστι λόγος μὲν ἅπας σημαντικὸς οὐχ ὡς ὄργανον (scilicet φυσικόν, vt Plato volebat) ἀλλὰ κατὰ συνθήκην. Hoc est, *omnis quidem oratio est signifi-* *Sententia Plat. & Arist. recensetur.*

catiua, non vt infir... ... naturale, sed ex pacto & consensu.

Argumenta pro sententia Platonis. I. Argumenta pr... ...ientia Plat. hæc sunt præcipua: 1, Quia voca... naturalem habent conuenientiam & congruentiam ... ipsis rebus. Sic homo significat animal rationale, quia est ex humo: & φωνὴ Græce significat vocem, quia est φῶς νοός.

II. 2, Quia vocabula vim naturalem habent efficiendi aliud, vt in sequenti quæstione probabitur.

III. 3, Quia sermo seu loquela homini est naturalis, quemadmodum patet tum ex linguæ formatione, quæ organum est naturale ad formandum sermonem maxime accommodatum; tum ex ipso naturæ impetu, quo homo ad loquelam fertur; tum denique ex fine, cuius gratia sermo homini est tributus, qui est, vt homo Deum creatorem suum inuocet & celebret, & in communi conuersatione mentis suæ cogitationes aliis communicet. Hinc etiam Arist. lib. 1. Pol c. 2. probat, *hominem natura esse animal politicum*, hoc est, ad eiusdem societatem natum; quia soli ex omnibus animantibus homini sermo à natura tributus.

IV. 4, Quia lingua Hebræa est homini naturalis: Si enim quis ab infantia nullum omnino doceretur sermonem, tandem futurum esset, vt sua sponte inciperet Hebraice loqui.

Arg pro sent. Arist. I. Argumenta pro sententia Aristot. hæc sunt præcipua: 1, Quia sacra Scriptura testatur Deum primum fuisse ὀνοματοθέτην, & pro libera sua voluntate quibusdam rebus a se creatis proprias & conuenientes appellationes attribuisse, quas postea ipse Adam tacito consensu vsurpare cœpit, vt videre est Gen. 1. v. 4. 8. 9. Alterum vero ὀνοματοθέτην fuisse Adamum, qui similiter pro sua sapientia & libero arbitrio non tantum vxori suæ, sed etiam singulis animantium speciebus proprias & conuenientes appellationes assignauit, quæ in hunc vsque diem ab Hebræis retinentur & vsurpantur, vt patet ex cap. 2. Genes. v. 19. 20. 23.

II. 2, Quia eadem Scriptura testatur, Genes. 11. ante ædificationem turris Babyloniæ solam Hebraicam linguam fuisse in vsu, cuius autor fuerit partim Deus, partim Adam; postea vero in pœnam superbiæ linguas ædificantium illam turrim esse confusas, aliaq; noua linguarum idiomata extitisse, & quidem, vt nonnulli narrant,

septua-

ſeptuaginta. Quæ certe non ex Naturæ ordinatione, ſed ex ſolo libero hominum colloquentium conſenſu ac inſtituto originem ſuam traxerunt. Illi enim, quibus mens erat, vnius vrbis ac regionis ſocietatem inire, poſt diſperſionem ſine dubio inter ſe conuenerunt, & ex communi pacto ac conſenſu rebus vocabula indiderunt, quibus poſſent ſuas animi cogitationes alter alteri communicare.

3, Quia ſigna naturalia eadem ſunt apud omnes gentes, ſicut etiam ipſa Natura. Vocabula autem non ſunt eadẽ apud omnes gentes, ſed diuerſa, vt patet ex linguarum varietate: Ergo vocabula non ſunt ſigna naturalia, ſed arbitraria, hoc eſt, non ſignificant ex Naturæ ordinatione, ſed ex conſuetudine ab hominum voluntate profecta. III.

4, Quia ſigna naturalia nunquam mutantur; vocabula autem omnibus ſeculis & vbique gentium mutari ſolent. Alia enim antiquantur, alia innouantur, alia intereunt, alia oriuntur. Teſtis huius rei eſt noſtra Germanica lingua, quæ intra annos ducentos tantam paſſa eſt mutationem, vt maiorum noſtrorum vocabula hodie audita vel lecta, multa non intelligantur, perinde ac ſi peregrina aliqua lingua in loquendo vel ſcribendo vſi fuiſſent. IV.

5, Quia vocabula conſeruantur vſu & conſuetudine, ne per obliuionem pereant: Ergo etiam ex vſu & conſuetudine voluntaria vt entium introducta, ſunt orta. A qua enim cauſa aliquid conſeruatur; ab eadem etiam oritur. V.

6, Quia ſicut ex motu digitorum, quocunque modo ille fiat, nihil intelligit alter, niſi ex communi conuentione & pacto ſciat, quid hac, quid illa digitorum motiuncula deſignetur; ita etiam ex ſono, qui motu linguæ excitatur, nihil intelligit alter, niſi ex vſu & conſuetudine cognitum habeat, quid hoc, quid illo ſono articulato ſignificetur. Proinde vocabulorum ſignificationes non conſtant Natura, ſed vſu & conſuetudine. VI.

7, Quia vocabula primitiua non alia ex cauſa ſignificant res, quarum ſunt ſigna, quam ex placito auctorum. Ergo cum ex primitiuis deducantur deriuatiua, ſequitur illa etiam non alia ex cauſa ſignificare res, quam ex VII.

6, Quia magna vis est non tantum verbi diuini prædicati ad conuertendum homines, sed etiam precum ad impetrandum omnis generis bona à Deo. 7, Quia per nomen Christi, Apostoli multa miracula ediderunt. 8, Quia si verbis non inesset vis aliqua naturalis, tunc sequeretur inde 1, Artem Cabalisticam, quæ circa verba & characteres versatur, esse vanam. 2, Frustra in Ecclesiasticis hymnis retineri verba quædam Hebræa, vt, *Alleluia, Hosanna*, cum non minus ac alia vocabula possent in Latina conuerti. 3, Frustra exorcistas conari per verba concepta Dæmones fugare. 4, Vanum esse conatum sacerdotum in conuertenda per consecrationem substantia panis in corpus Christi. 5, Nullam esse efficaciam in prolatione nominis Iesu. 6, Irritas esse illas crebras recitationes & repetitiones orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ, quæ ab Ecclesia præcipiuntur & vsurpantur. Sed hæc omnia sunt absurda. Ergo etiam hypothesis, ex qua consequuntur. Videtur igitur ex his omnibus argumentis concludi, inesse verbis ipsis vim quandam Naturalem partim noxiam, partim salutarem; idque nunc corporibus, nunc animabus, nunc vtrisque.

VI. *VII.* *VIII.* *Conclusio.*

At vero pro thesi negante afferri possunt hæc argumenta: 1, Quia verba sunt signa arbitraria, non naturalia. 2, Quia verba nullam aliam vim habent, quam significandi, eamque non ex naturæ ordinatione, sed ex libero colloquentium placito & institutione. 3, Quia verba non sunt eadem apud omnes gentes, sed pro diuersa hominum natione, diuersoq; linguarum idiomate diuersa. Ideoque si vocabulis aliqua vis naturalis esset ascribenda præter illam, qua res significant, tunc omnia vocabula aut eandem vim haberent, aut diuersam. Sed eandem habere non possunt, quia sunt diuersa in diuersis linguis: Ergo habent diuersam; Si diuersam, Ergo incertum est, vtrum huius, an alterius linguæ vocabula habeant vim vel noxiam, vel salutarem. 4, Quia nulla vera & solida ratio afferri potest, cur verba siue scripta, siue prolata possint efficere ea, quæ superstitiosi homines, præsertim Magi & Cabalistæ sibi aliisque pollicentur. Proinde concluditur, verbis non inesse vim aliquam naturalem alterandi & immutandi res, adeoque efficiendi aliquid, siue boni, siue mali.

Pro thesi negante. *Argum. I.* *II.* *III.* *IV.* *Conclusio.*

Quæst. decid. per certas conclus.

Cæterum cum quæstio proposita in vtramque partem sit disputata, superest, vt quid de ea sit statuendum, indicetur. Obseruandæ igitur sunt sequentes tres conclusiones: 1, *verba absolute considerata quatenus sunt soni aut figuræ characteristicæ, per se vim habent naturalem alterandi sensorium, sensumque excitandi per species à se productas* 2, *verba relate considerata, quatenus sunt signa, per se primum vim habent insitam significandi res significatas, eamque non ex naturæ concessione & ordinatione tantum, sed etiam ex sola & libera colloquentium conuentione ac institutione.* Deinde vim habent partim notificandi, partim admonendi, partim certificandi, quæ tamen non aliunde pendet, quam à vi significandi. Denique vim habent, partim docendi & instituendi homines, partim excitandi varios animi affectus, cuiusmodi sunt, lætitia, tristitia, spes ac metus, quæ res etiam non aliunde pendet, quam a vi significandi. 3, *verbis tam prolatis, quam scriptis sæpe improprie & per accidens adscribitur vis aliqua naturalis efficiendi, quæ proprie & per se adscribenda erat vel ipsis rebus, quas significant, vel imaginationi, quam homo de quibusdam verbis falso habet.*

I.

II.

Refutatio argument. pro thes. affir.

His ita positis, respondeo ad argumenta pro thesi affirmante adducta. In primo nego, verba esse naturales rerum imagines, cum sint signa arbitraria, quæ ex solo libero colloquentium placito ac instituto pendent. In altero dico, verba alia esse noxia & mortifera, alia vtilia & salutaria, non secundum absolutam essentiam, quatenus sunt soni vel figuræ characteristicæ, sed secundum essentiam respectiuam, quatenus sunt signa rerum eiusmodi, quæ prolatæ aliis moraliter vel obsunt, vel prosunt: Colloquia enim praua corrumpunt bonos mores, sicut bona malos corrigunt, & emendant. Hoc sensu à Medicis etiam vrina alia dicitur sana, alia morbosa, quia nimirum est vel sanitatis signum, vel morbi.

I.

II.

III. In tertio argumento concedo, magnam vim benedictionum & maledictionum esse, præsertim diuinarum, non quatenus sunt congeries certorum sonorum aut figurarum, neque simpliciter quatenus certarum rerum signa, siue bonarum siue malarum, sed quatenus tales res promittunt, vel comminantur, comprecantur, vel imprecantur, quæ à Deo in præmium benefactorum, & impiis in pœ-

partes; vnam quidem esse sonum qui à natura est, veluti materiam; alteram veluti formam, esse articulationem seu significationem, quæ tota ex humano arbitrio pendet. In quarto negamus, linguam Hebræam homini esse naturalem, ita vt eius cognitio ei sit innata. Nam neque liberi Adami Hebraice potuerunt loqui, nisi prius à suis parentibus illam linguam fuerunt edocti; multo minus igitur credibile est nostris infantibus eius linguæ notitiam esse innatam. Ac cum naturalia optime possint consistere cum aduentitiis, qui igitur fit, quod nullus hominum ad hunc vsque diem fuerit inuentus, qui Hebraice potuerit loqui, nisi prius illum sermonem ab alio didicerit? Si enim sermo, quem prius homo didicit, non prohibet, quo minus discat alium denuo; sed multi sciunt bifariam, trifariam, aut etiam quadrifariam loqui; multo minus sermo ille, qui ex ipsa natura dicitur ortum suum habere, prohiberi potest ab eo, qui studio est comparatus. At cum ad id, quod naturale est, omnes res sponte ferantur, qui fit, quod multi ad alios sermones habiliores sunt, quam ad Hebræam? Concludimus igitur Hebræam linguam homini non esse naturalem, seu, quod idem est, eius notitiam homini non esse innatam. IV.

13 *An verbis insit vis aliqua naturalis alterandi & immutandi res; adeoque efficiendi aliquid, siue bonum, siue malum?*

Digna est hæc quæstio, quæ diligenter examinetur ad euellendam superstitionem, quæ multorum hominum animos, non tantum Ethnicorum, sed etiam Christianorum miris modis occupauit. Ac vt eo melius id fieri queat, primo quæstionem propositam in vtramq; partem disputabimus; deinde, veram sententiam subiiciemus. *Quæstio in vtramque partem disputatur.* Pro thesi igitur affirmante adduci possunt hæc argumenta: 1. Quia verba seu vocabula sunt naturales rerum imagines; ideoque probabile est, illis etiam aliquam naturalem vim, perinde ac rebus inesse. *Pro thesi negante. Argum. I.* 2. Quia communis est omnium hominum opinio, quædam verba esse noxia & mortifera, quædam vero vtilia & salutaria. *II.* Hinc fit, vt omnes homines quodam naturæ instinctu horreant & timeant maledictiones & imprecationes; ament vero benedictiones & cõprecationes faustas:

in pœnam malefactorũ immitti solent: vel etiã quatenus Metonymice sumuntur pro ipsis rebus quas significant.

In quarto dico, curationem illam morborum, quæ fit per verba siue prolata, siue scripta, esse plane superstitiosam & inutilem. Ideoque ea in re nihil esse tribuendum auctoritati medicorum, qui ex mera superstitione hoc remedii genere aut ipsi vtuntur, aut alios vti iubent. IV.

In quinto dico, totum incantationum genus esse vanum, superstitiosum & impium, & quæ de illarum vi ac efficacia narrantur, partim esse maligna partim falsa. Maligna, quatenus Cacodæmonis interuentu fiunt; falsa, quatenus re vera non ita fiunt, tametsi à vulgo superstitioso facta esse credantur. Ideoque non immerito totum incantationum genus in verbo Dei damnari, ac fidelibus interdici, Deuter. 18. v. 10. Neque ad defendendam incantationem quicquam valet locus ex Psalmo 57: Ibi enim Dauid pertinaciam eorum, qui nolunt audire & admittere adhortationes vtiles reprehendit interpretatione allegorica fabulæ moralis de aspide ac incantatore, quam antiquissimi Philosophi ad taxandos mores pertinacium ac inobedientium confinxerant, vt erudite admodum & prolixe docet *Franciscus Valesius*, in sacra Philosophia, cap. 3. V.

In sexto argumento concedo, magnam vim esse non tantum verbi diuini prædicati, ad conuertendum homines, sed etiam precum ad impetranda a Deo omnis generis bona. Sed dico illam vim inesse tum verbo diuino, tum precibus, non quatenus sunt soni linguæ beneficio ex ore prolati, sed illi quidem, quatenus significat & notificat hominibus voluntatem Dei, & vera fide ab iis apprehenditur; his vero quatenus ex pio cordis erga Deum affectu oriuntur, & cum vera fiducia impetrandi à Deo res petitas sunt coniunctæ. VI.

In septimo argumento similiter concedo, Apostolos per *nomen Christi* multa miracula fecisse, sed per nomen Christi intelligi debet, non nudus sonus, aut nudum signum, sed virtus ipsius Christi per Apostolos efficaciter miracula operantis. VII.

In octauo argumento nego ex consequentibus illis sex, quæ ex antecedente inferuntur, vllum esse absurdum, cum singula sint verissima, & sacris literis consen- VIII.

tanea, præsertim quando fiunt cum superstitione illa, quæ apud Pontificios est vsitata.

Quid sentiendum de argu. pro thesi negante.

Quod vero ad argumenta attinet pro thesi negante allata; illa quidem per se sunt vera; sed ex illis non sequitur verbis nullam vim naturalem inesse alterandi & immutandi res, adeoque efficiendi tam bonum, quam malum.

14 *Quomodo inter se differant vox prolata & scripta?*

Differunt inter se variis modis.

DVæ sunt species generales vocis significatricis; vna prolata, altera scripta. Illæ autem inter se differunt variis modis: 1. vox prolata natura seu origine prior est
I. scripta, sicut etiam loquela prior est ipsa scriptura. 2, vox
II. prolata semper est signum immediatum rei animo conceptæ: vox vero scripta non item; cum sæpe rem animo
III. conceptam significet, mediante voce prolata. 3, vox
IV. prolata est audibilis; scripta vero visibilis. 4, vox prola-
V. ta est transiens, scripta vero permanens. 5, vox prolata maiorem vim ac ἐνέργειαν habet, ad imprimendum animo
VI. rei signatæ conceptum, quam scripta. 6, vox prolata tantum prodest præsentibus & audientibus; scripta vero etiam prodest absentibus & legentibus, adeoque toti posteritati.

15 *An loquendum sit cum multis, sentiendum cum paucis?*

Quæst. decid. cum distinct. & limi.

VVlgatum est illud in scholis dictum: *Loquendum cum multis, sentiendum cum paucis.* Quod videtur esse desumptum ex lib. 2. Topicorum cap. 2. vbi Aristoteles ait: *ταῖς μὲν ὀνομασίαις τὰ πράγματα προσαγορευτέον καθάπερ οἱ πολλοί, ποῖα δὲ τῶν πραγμάτων ἐστὶ, τοιαῦτα ἢ τοιαῦτα, οὐκ ἔτι προσεκτέον τοῖς πολλοῖς*, hoc est, *Res quidem sunt appellandæ iis nominibus, quibus multi vtuntur: Sed quæ res sint tales vel tales, in eo non amplius attendendum multis.* Quasi diceret, *In loquendo vtendum est vocabulis, quæ in communi hominum societate sunt vsitata ac recepta; sed in diiudicandis rebus videndum est, non quid vulgus imperitum, sed quid viri sapientes sentiant.* Hoc sane dictum, si intelligatur de vocabulis primæ notionis, omnino est verissimum: illa enim valent sicut nummi, nimirum ex vsu & consuetudine vulgi. Ideoque in quotidiano cum aliis colloquio iisdem cũ vulgo vocibus vti debemus, ne si vel nouis, vel inusitatis, vel obsoletis vteremur, in signifi-

candis

candis rebus omnium risu nos exponamus. Et hoc etiam suadet ipse Cicero, qui ait: *Non vtendum est iis verbis, quibus consuetudo nostra non vtitur.* Et Lucianus; *vt via bona est tristissima, ita vox bona est, quæ est vsitatissima.* At quoniam rerum intelligentia duntaxat est penes doctos & sapientes, idcirco in iis diiudicandis cum iis potius, quam cum vulgo imperito sentire debemus.

Cæterum videtur alia esse ratio in vocabulis secundæ notionis: illa enim cum ab artificibus propter vsum, quem in artibus præstant, sunt excogitata; idcirco in illorum vsurpatione, non vulgi, sed artificum iudicium spectandum est, præsertim si illud communi ac diuturna consuetudine sapientum sit approbatum.

16 *An plures sint res quam verba?*

HÆc quæstio in vtramque partem disputari potest. Pro thesi enim affirmante valent hæc argumenta: 1, Quia (vt Aristoteles docet, lib. 1. Sophist. Elench. cap. 1.) nomina sunt finita; res vero numero infinitæ. Ideoque necessarium est, vt vnum & idem nomen plures res significet. 2, Quia quotidie nouæ res in lucem prodeunt, quas nescimus, quibus vocabulis appellare debeamus. Pro thesi vero negante facit: 1, Quod maior est copia signorum quam signatorum. 2, Quod in omnibus linguis vna res frequenter multis ac diuersis vocabulis significetur, siue primæ siue secundæ notionis, siue propriis, siue tropicis.

Pro thesi affir. Argum.

Pro thesi neg. Argum. *I.* *II.*

Pro decisione igitur quæstionis sciendum est: Priorem sententiam esse veram de verbis propriis & primæ notionis; posteriorem autem esse veram de verbis in genere, quatenus suo ambitu vocabula tam primæ quam secundæ notionis, tam propria quam impropria comprehendit.

Quæstio deciditur per distinct.

17 *An vocabula ambigua in numero vocum significantium sint habenda: & vnde oriatur eorum ambiguitas?*

SVnt nonnulli qui fere in illam sententiam abeunt, vocabula ambigua non mereri titulum vocis significatricis; tum quia natura vocis significatricis requirit, vt audita vel lecta certum quid ac distinctum menti repræsentet, quod nō facit vox ambigua; tum quia propria

Sententia aliorum exponitur.

virtus vocis significatricis est, vt sit perspicua; cum contra omnis vox ambigua sit obscura. Et hoc etiam probant partim ex Aristotele, partim ex Boetio. Is enim libro 3. Metaph. cap. 4. ait: τὸ μὴ ἕν τι σημαίνειν, οὐδὲν σημαίνειν ἐστὶ, hoc est, *non significare vnum quid, est nihil significare.* Idem lib. 1. de Cœlo cap. 11. asserit: πᾶν τὸ πολλαχῶς λεγόμενον ἀσαφὲς. Et lib. 3. Rhet. *Virtutem elocutionis dicit esse perspicuitatem.* Ideoque orationem, quæ rem non declarat, non facere suum officium. Boetius autem in lib. De interpret. inquit, *æquiuocum omne per se nihil significat, nisi ad quasque res pro voluntate significantis aptetur.*

Cõtraria sententia defenditur.

At vero hæc sententia simpliciter non est vera. Licet enim vocabula ambigua non determinate & perspicue vnam aliquam certam rem significent, inde tamen non sequitur, quod plane nihil significent, ideoque è numero vocum significatricium sint excludenda. Vocabula enim alia rem certam significant, determinate ac perspicue; alia indeterminate aut obscure. Quod autem indeterminate & obscure rem certam significat, ei male omnis vis significandi adimitur. Quocirca argumenta pro contraria sententia allata sunt vera, non simpliciter de omni voce significatrice, sed secundum quid, nempe de illa tantum specie vocis significatricis, quæ dicitur propria, qualem Logica in suis dissertationibus requirit.

Vnde existat ambiguitas vocabulorũ.

Porro ambiguitas vocabulorum existit ex ὁμωνυμία partim fortuita, partim proæretica. Fortuita est, quando idem vocabulũ diuersis rebus temere sine certo consilio imponitur; vt, cum *ius* vocatur & *offa* & *legis præceptum.* Proæretica est, quando idem nomen diuersis rebus imponitur, ex certa ratione ac consilio, vel propter indigentiam vocabulorum propriorum, vel propter mutuam rerum analogiam & cognationem ac affectionem, quemadmodum fieri solet in modificatione vocabulorum, quando à propria sua significatione transferuntur in alienam.

18 *An idem sit signum & argumentum?*

Thesis negat. defend.

STatuitur sententia negatiua. Licet enim omne signum sit argumentum; tamen non omne argumentum est signum. Arguere enim apud Latinos non tantum sumitur pro *indicare & notare*; sed etiam pro *explicare & probare aliquid.* Ergo etiam argumentum non tantum

tum ſumitur pro indicio & nota, ſed etiam pro omni eo, quod ad explicandum & probandũ aliquid eſt idoneum ſeu accommodatum, ſiue actiue intelligas id quod explicat & probat; ſiue paſſiue id, quod explicatur & probatur, vt erudite & prolixe de ea rediſſerit *D. Coclenius* in 1. part. Problem. logic. problem. 10.

19 *An omne ſignum ſit ens externum?*

IN hoc Problemate, ſi rerum conceptus excipiantur, ſententia affirmatiua eſt vera. Omne enim ſignum, præter rei conceptum, per ſe cadit ſub ſenſum externum. Quod autem per ſe cadit ſub ſenſum externum, id eſt ens externum. Proinde neceſſario ſequitur, omne ſignum præter rei conceptum eſſe externum, & nullum internum. Vnde etiam patet, vehementer errare eos, qui in Euchariſtia duplex ſignum eſſe ſtatuunt, vnum externum, nempe panem & vinum; alterum internum, nempe corpus & ſanguinem Chriſti. Præterquam enim quod corpus & ſanguis Chriſti ſunt res in Euchariſtia ſignatæ, male etiam ſigna interna appellantur, cum nullum ſignum, præter rei conceptum, ſit internum, ſed omne externum.

Theſis affir. defend cum exceptione.

Error aliorũ taxatur.

20 *An ſolius ſigni proprium ſit ſignificare?*

CVm ſignum à ſignando denominetur, & in eius definitionem eſſentialem ſignificatio ingrediatur, tanquam differentia ſpecifica; videtur ſolius ſigni proprium eſſe ſignificare. Sed obiici poteſt, etiam illum qui loquitur, vel ſcribit, recte mentem ac voluntatem ſuam aliis ſignificare; ideoque hoc ſoli ſigno non eſſe adſcribendum. Vt igitur huic obiectioni occurratur, ſciendum eſt, ſignificare aliquid dici duobus modis, vel formaliter, vel effectiue. Priori modo ſoli ſigno attribuitur; poſteriori modo etiam loquenti vel ſcribenti. Ac ſicut is qui ligna igni admouet, vrere ligna dicitur: Sic is qui loquitur aut ſcribit, dicitur ſignificare ſententiam, mentem ac voluntatem ſuam, quia exhibet ſigna, quæ quid ipſe ſtatuat, aut velit ſignificant, vt docet Fonſeca lib. 1. inſtit. Dialect. cap. 8.

Quæſtio decid per diſtinct.

Duobus modis aliquid dicitur ſignificare.

X

De Toto & Parte, CAP. V.

THEOREMATA.

1 *Quintæ classis attributa respectiua sunt totum & pars.*

2 *Omne enim ens aut est totum, aut pars.*

Totum in genere quid sit, & quotuplex.

3 *Totum est, quod habet partes.*

4 *Estque vel per se totum, vel per accidens.*

5 *Totum per se est, quod habet partes propriè dictas.*

6 *Estque vel vniuersale, vel essentiale, vel integrale.*

7 *Totum vniuersale est, quod partes habet sibi subiectas; iisque singulis essentiam suam communicat. Græcè dicitur* ὅλον καθόλου.

8 *Estque vel genus, vel species.*

9 *Genus est totum vniuersale, quod sub se continet species.*

10 *Estque vel perfectum, vel imperfectum.*

11 *Genus perfectum est, quod ex æquo speciebus suis est commune.*

12 *Alio nomine dicitur* genus synonymũ, *seu* vniuocum.

13 *Estque vel summum, vel subalternum.*

14 *Genus summum est, quod aliud non habet se superius genus.*

15 *Genus subalternum est, quod summo est subiectum; seu, quod ita genus est, vt etiam possit esse species, ad aliud atque aliud relatum.*

16 *Estque vel remotum, vel proximum.*

17 *Genus remotum est, cui mediatè species sunt subiectæ.*

18 *Genus proximum est, cui immediatè species sunt subiectæ.*

19 *Genus imperfectum est; quod inæqualiter, hoc est, secundum prius & posterius speciebus suis sese communicat. Vulgo à Philosophis dicitur* γένος πρὸς ἕν, *seu* genus analogum.

20 *Species est totum vniuersale, indiuidua sub se continens.*

21 *Estque vel perfecta, vel imperfecta.*

22 *Species perfecta est, quæ ex æquo indiuiduis sese communicat.*

23 *Estque vel subalterna, vel infima.*

24 *Subalterna est, quæ ita species est, vt alio respectu possit esse genus; seu, quæ mediatè indiuiduis sese communicat.*

25 *Infima est, quæ immediatè indiuidua sub se habet.*

26 *Imperfecta species est, quæ inæqualiter indiuiduis suis sese communicat.*

27 *Sic*

27 *Sic de toto vniuersali. Totum essentiale est, quod constat ex partibus essentialibus.*

28 *Totum integrale est, quod constat ex partibus integralibus.*

29 *Estque vel homogeneum, vel heterogeneum; seu vt alii loquuntur*, similare, *vel* dissimilare.

30 *Totum homogeneum est, quod constat ex partibus homogeneis.*

31 *Totum heterogeneum est, quod constat ex partibus heterogeneis.*

32 *Totum per accidens est, quod constat ex partibus improprie dictis; cuiusmodi est causatum respectu suarum causarum; causa respectu suorum causatorum; subiectum respectu suorum adiunctorum; adiunctum respectu suorum subiectorum.*

33 *Adhuc de toto. Restat* Pars, *quæ sub toto continetur.*

34 *Eaque vel est per se, vel per accidens.*

35 *Pars per se est, quæ refertur ad totum per se.*

36 *Estque vel subiectiua, vel essentialis, vel integralis.*

37 *Pars subiectiua est, quæ toti vniuersali subordinatur.*

38 *Estque vel species, vel indiuiduum.*

39 *Species est pars generi subiecta.*

40 *Indiuiduum est pars speciei subiecta.*

41 *Pars essentialis est, quæ totum essentiale constituit.*

42 *Estque vel materia, vel forma, vel genus & differentia quatenus ad totum sunt affecta.*

43 *Pars integralis est, quæ totum integrale constituit.*

44 *Estque vel homogenea, vel heterogenea, seu quod idem est, similaris, vel dissimilaris.*

45 *Homogenea est, quæ eiusdem est cum toto appellationis & essentia.*

46 *Heterogenea est, quæ diuersæ est à toto appellationis & essentia*

47 *Estque vel principalis, vel minus principalis.*

48 *Principalis est, quæ ad totius conseruationem simpliciter est necessaria.*

49 *Minus principalis est, quæ à toto abesse potest citra ipsius interitum.*

50 *Pars per accidens est, quæ refertur ad totum per accidens, cuiusmodi sunt causæ respectu sui causati: causata respectu suæ causæ: adiũcta respectu sui subiecti: subiecta respectu sui adiuncti,*

IN CAPVT QVINTVM

PROBLEMA I.

Quid sit Totum & Pars in genere?

Diuersæ definitiones Totius & partis recensentur.

IN assignanda definitione generali Totius & Partis Philosophi inter se nõ conueniunt. Aliis *enim totum est, cuius nihil abest*, hoc est, cuius nulla pars deest. Aliis *quod ex partibus est compositum:* Aliis *quod partes habet in se vnitas.* Similiter Pars aliis est id, *quod refertur ad totum:* Aliis id, *quod componit totum:* Aliis id, *ex quo totum componitur:* Aliis id, *in quod totum est diuisibile.* Etsi vero hæ definitiones verbis inter se discrepant; tamen in sano sensu videntur bene inter se conspirare; nisi forte primam definitionem. Totius excipias, quæ præcipue non competit toti, quatenus refertur ad partem; sed toti, quatenus sumitur pro perfecto opposito manco seu mutilo. Cæterum, vt melius intelligatur quid sit Totum & Pars, obseruanda sunt sequentia theoremata:

Theorema I. 1, *Totum & Partem non esse entia absoluta, sed respectiua, quorum vnum essentialem habet respectum ad alterum.*

II. 2, *de ratione totius esse, habere partes.* Id enim quod partes non habet, non potest dici totum.

III. 3, *de ratione partis esse sub toto contineri.* Quod enim sub toto non continetur, id non potest dici pars illius.

2 *An totum essentialiter differat à suis partibus, siue diuisim siue coniunctim acceptis?*

Thesis affir. probatur.

HÆc quæstio magni momenti est, & cognitu necessaria in omni disciplinarum genere. Vt igitur rectiùs explicetur, distinguendum est inter totum respectiue consideratum, quatenus est totum, & inter totum absolute consideratum, quatenus est ens. Priore modo omne totum essentialiter differt ab omnibus suis partibus, siue diuisim siue coniunctim acceptis. Definitio enim totius non competit parti; neque definitio partis competit toti, posteriore modo similiter omne totum essentialiter differt à suis partibus, si modo excipias totum integrale homogeneum. Et hæc sententia probatur partim rationibus, partim testimoniis grauissimorum autorum. Rationes sunt:

I. 1, Quia alia est essentia & definitio absoluta totius vniuersalis essentialis & integralis heterogenei, quam partium vniuscuiusque.

II. 2, Quia al-

alia sunt attributa propria totius eiusmodi, quam partium illius. Testimonia alia sunt Philosophorum, alia Theologorum. Inter Philosophos primo est Aristoteles, qui lib. 7. Metaph. cap. 6. in principio ait: *Totum esse aliquid aliud præter partes*: & lib. 2. De anima, cap. 1. & alibi, substantiam triplicem constituit; *vnam materiam, alteram formam, tertiam compositam ex materia & forma.* Ergo statuit posteriorem à prioribus duabus realiter esse distinctam. Secundo, Scotus qui libro 3. Sententiarum distinct. 2. Q. 2. statuit totum distingui realiter à suis partibus; tum quia totum est terminus generationis, hoc est id, quod generatur, non partes; tum quia partes sunt causæ totius, totumque componunt; tum denique, quia totum corrumpitur, nulla parte corrupta. *Testim.* *I.* *II.*

Inter Theologos est primo Damascenus, qui in libro De orthodoxa fide ait: *Natura composita est eorum, ex quibus componitur, & neutri partium componentium ὁμοούσιος esse potest.* Secundo, Zanchius qui lib. 2. De diuinis attributis, cap. 2. Q. 1. inquit: *In omnibus compositis aliud est reipsa compositum à partibus componentibus. Corpus Physicum, aliud est à materia & forma, ex quibus componitur,* &c. *III.* *IV.*

3 *Vtrum ea, quæ toti insunt vel non insunt, recte etiam dicantur partibus inesse aut non inesse, & retro?*

Distinguendum est primum inter ea attributa, quæ toti insunt vel non insunt, quatenus est totum; & partibus, quatenus sunt partes. Illa enim totius duntaxat sunt propria; hæc vero partium. E. g. toti, quatenus est totum, competit habere partes, seu esse compositum ex partibus, esse diuisibile in partes. Hæc attributa partibus, quatenus sunt partes, non conueniunt. Similiter partibus, quatenus sunt partes, competit contineri sub toto, seu ingredi totius compositionem. Hæc attributa toti, quatenus est totum, non competunt. *Quæstio deciditur per distinctionem.*

Deinde distinguendum est, cum inter totum & partes, quatenus secundum absolutam suam essentiam considerantur; tum inter diuersas totius species. Nam quod ad totum vniuersale attinet, verum est quicquid de illo vniuersaliter affirmatur, vel negatur, illud etiam de omnibus illius partibus affirmari & negari. Et retro: Si-

militer idem verum de toto integrali homogeneo, cuius partes cum ipso eadem appellatione & definitione conueniunt: Sed totius essentialis & integralis heterogenei longe alia est ratio. Licet enim vtrumque communia quædam habeat attributa, quæ etiam partibus conueniunt; tamen propria vtriusque attributa non possunt proprie competere partibus; neque propria partium attributa possunt competere toti, vt patet ex præcedente problemate à nobis explicato.

4 *An posito & sublato toto, recte etiam partes omnes ponantur & tollantur?*

Quæstio explicatur per distinct.

IN hoc problemate sententia affirmatiua est vera, si totum & partes considerentur relate, quatenus nimirum sunt totum & partes, cum enim relatum & correlatum sint simul natura, necessario sequitur posito relato, poni correlatum. Et contra: Si vero totum & partes considerentur absolute, tunc sententia affirmatiua non simpliciter est vera. Nam 1, posito toto vniuersali, non necesse est poni omnes illius partes; tametsi eo sublato necesse sit, partes omnes tolli. Neque enim posita specie infima statim ponnuntur omnia illius indiuidua; neque posito genere, statim ponuntur omnes illius species, vt patet ex historia creationis. Substantia enim corporea fuit genus materiæ primæ, antequam altera eius species, nempe corpus naturale esset producta. Similiter animal fuit genus bestiæ, antequam homo esset conditus. Deinde sublato toto essentiali, non necesse est omnes illius partes tolli; tametsi eo posito necesse sit partes omnes poni. Nam destructo homine, neutra ipsius pats essentialis destruitur. Destructa bestia, anima quidem destruitur; sed corpus manet. Denique sublato toto integrali, non necesse est omnes illius partes tolli; neque eo posito, necesse est omnes poni. Nam destructo corpore humano, potest pars aliqua manere, v.g. Os, caluaria; & posito corpore humano, potest aliqua eius pars destrui.

5 *An positis omnibus partibus, statim ponatur totum; & sublata vna parte, statim tollatur totum?*

Quæstio deciditur per distinctionem.

PRima pars problematis est vera de partibus relate consideratis; falsa vero de partibus absolute consideratis. Post mortem enim hominis omnes illius partes essentia-

essentiales, nempe anima & corpus supersunt & ponuntur secundum essentiam suam absolutam; neque tamen tunc temporis ponitur homo, tanquam totum essentiale. Similiter omnes partes integrales domus sæpe ab architecto cōfectæ ponuntur, antequam domus tanquam totum integrale ponatur. Altera pars problematis primum semper est vera de toto, quatenus opponitur manco; non autem semper de toto, quatenus opponitur parti. Deinde, vera est de toto essentiali: Illud enim consistere non potest, si vna illius pars essentialis destruatur. Sed falsa est de toto vniuersali & integrali. Neutrum enim necesse est destrui sublata vna parte. Neque enim sublato vno indiuiduo, statim tollitur species, neque sublata vna specie statim tollitur genus. Neque destructa vna parte corporis humani, statim necesse est totum corpus destrui.

6 *An omne totum sit diuisibile in partes?*

Diuisibile aliquid dicitur dupliciter vel νοητῶς, vel σωματικῶς, seu, vt alii loquuntur, vel logice, vel physice. Si priore modo intelligas, verum est omne totum esse diuisibile in partes. Diuisio enim est instrumentum logicum circa totum occupatum. Ideoque quicquid totius rationem habet, id sub diuisionem huiusmodi cadere potest. Si vero posteriore modo intelligas, non omne totum est diuisibile in partes, præsertim actu ad sensum existentes; sed tantum totum integrale corporeum.

7 *An vna pars possit esse forma totius compositi?*

Reperiuntur nonnulli ex recentioribus Philosophis, qui cum audiunt, e.g corpus & animam rationalem esse partes essentiales hominis, statim inde inferunt, animam non posse esse formam specificam hominis, cum vna pars non possit esse forma totius. Sed illi errant primum, quod partem quidem concedunt posse esse materiam totius compositi; sed formam negant; cum tamen vtriusque videatur eadem ratio. Deinde non distinguunt inter totum, quatenus consideratur vt totum, & quatenus consideratur vt causatum: Similiter inter partem, quatenus consideratur vt pars, & quatenus consideratur vt causa. Licet igitur pars qua pars, non possit esse forma totius, qua totum; tamen qua causa, potest esse forma totius, qua causatum. E. gr. Anima *Thesis affir. defend. aduersus alios.*

rationalis est pars hominis, quatenus homo consideratur vt totum essentiale; & est forma hominis, quatenus idem homo consideratur vt formatum.

8 *An totum per se recte diuidatur in vniuersale, essentiale & integrale?*

Thesis affir. defend.

VSitatum admodum in Schola Philosophorum diuidere totum per se in vniuersale, essentiale & integrale. Sed hæc diuisio potest impugnari his argumentis. *Obiectio.* *I.* 1, Quia non est bimembris. 2, quia membra diuisionis inter se non dissentiunt. *II.* Nam omne totum vniuersale potest etiam dici totum essentiale, quatenus omnibus partibus sibi subiectis integram suam essentiam communicat & essentiali nexu cum iis cohæret. Similiter omne totum essentiale potest dici integrale, quatenus integritatem suam essentialem ex partibus suis obtinet. Mihi tamen videtur hæc vsitata & tot seculis approbata diuisio, *Totius in vniuersale, essentiale & integrale*, non esse temere reiicienda. Licet enim non sit bimembris; tamen totam diuisi naturam exhaurit, ita vt nullum Totum per se reperiri possit, quod non sit aut vniuersale, aut essentiale, aut integrale; Præterea licet totum vniuersale, suo modo etiam possit dici totum essentiale, & totum essentiale, integrale; tamen nobis non est licitum pro nostro libitu mutare terminos vsitatos & receptos artium & Philosophiæ; aut illos inter se confundere; cum hactenus ab omnibus Philosophis qui ante nostra tempora vixerunt, totum vniuersale semper distinctum fuerit à toto essentiali, & totum essentiale ab integrali. Vnde porro apparet, diuisionem Rameam *Totius in genus & integrum* non esse sufficientem; tum, quia totum vniuersale latius patet, quam genus; tum, quia totum essentiale omittit, aut saltem cum toto integrali confundit.

9 *An idem ens diuerso respectu possit esse Totum & Pars?*

Thesis affir. prob. exẽplis.

STatuitur thesis affirmatiua, eaq; probatur inductione exemplorum. Nam 1, cœlum & elementum sunt tota respectu suarum partium; partes vero respectu mundi ad cuius integritatem constituendam requiruntur. 2, corpus humanum est totum integrale, respectu suarum partium ex quibus constat, pars vero respectu hominis.

3, animal

3, animal est totum vniuersale respectu hominis & bestiæ; pars vero respectu corporis viuentis, cui tanquam species subiicitur. Homo est totum essentiale respectu corporis & animæ; pars vero respectu animalis cui subiicitur. Et sic deinceps

10 *In qua re ... & species inter se conueniant & differant?*

COnueniunt ... e genus & species: 1, quod vtrumque attrib... st ens vniuersale. 2, quod vtrumque suis partibus integram suam essentiam communicat. 3, quod vtrumq; est in eadem categoria. 4. quod vtrumque est inseparabile à suis partibus. Differunt autem inter se; 1, quod genus natura & cognitione distincta semper prius est specie. 2, quod genus semper latius patet quam species, neque cum ea potest conuerti. 3, quod genus directe refertur ad speciem; species vero ad indiuiduum. 4, quod genus necessario requirit ad minimum duas species; species vero etiam in vnico tantum indiuiduo potest consistere, vt testatur exemplum Solis, Lunæ, aeris, aquæ, terræ, &c.

Genus & species inter se conueniunt. I. II. III. IV.

Differunt vero. I. II. III. IV.

11 *An indiuidua proprie dicantur species infimæ?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, *Quia omnis species infima est ens vniuersale: Nullum indiuiduum est ens vniuersale, quia est ens singulare: Ergo nullum indiuiduum est species infima.* 2, *Omnis species infima secundum naturalem prædicandi ordinem prædicatur de alio: Nullum indiuiduum secundum naturalem prædicandi ordinem prædicatur de alio: Ergo nullum indiuiduum est species infima.* Assumptio probatur; quia indiuiduum sua natura est incommunicabile, nihilque habet sibi subordinatum. 3, *Omnis species infima sub se habet indiuidua: Nullum indiuiduum sub se habet alia indiuidua: Ergo nullum indiuiduum est species infima.*

Pro thesi negante. Ratio I. II. III.

Sed in contrariam partem obiiciunt Ramei hæc argumenta; 1, *Quicquid speciei infimæ ita subiicitur, vt participet eius nomen & definitionem, illud est species infima: Atqui indiuidua ita speciei infimæ subiiciuntur, vt participent eius nomen & definitionem: Ergo indiuidua sunt species infimæ.* 2, *Sicut se habet homo & bestia ad animal, ita Plato & Aristoteles ad hominem: Sed homo & bestia sunt species ani-*

Obiectio. I. II.

Responsio ad obiectionem.

III. *malis. Ergo Plato & Aristoteles sunt species hominis.* 3, Idem testatur Aristoteles, qui in libris De partibus animalium, Socratem & Coriscum nominat ἔσχατα εἴδη: & lib. 2. Metaph. cap. 1. & 2. ἔσχατα καὶ πλεῖστα γένη. Respondeo ad

I. primam obiectionem, assumptio[illegible] eius non esse simpliciter veram, sed tantū de specie [illegible]a absolute considerata. Indiuidua enim non pa[illegible]ant nomen & definitionem speciei infimæ, quate[illegible]elate consideratur vt species, seu, vt totum vniu[illegible] quatenus con-

II. sideratur secundum essentiam suam ab[illegible]ta [illegible]. Ad alteram obiectionem respondeo per in[illegible]onem propositionis. Licet enim homo & bestiæ, Aristoteles & Plato in eo conueniant, quod sicut illæ duæ species subiiciuntur suo generi; ita hæc duo induidua, suæ speciei; tamen in aliis rebus multum discrepant. Homo enim & bestia sunt entia vniuersalia, quæ per naturam apta sunt

III. aliis inesse; Aristoteles vero & Plato sunt entia singularia, quæ per naturam nulli alii inesse possunt. Ad tertiam obiectionem respondeo, Aristotelem improprie & καταχρηστικῶς loqui, quando Socratem & Coriscum vocat vltimas species, non minus ac quando eosdem vocat vltima genera.

De Identitate & Diuersitate,

CAPVT VI.

THEOREMATA.

1 *Sexta classis attributa respectiua sunt identitas & diuersitas. Omne enim ens cum altero comparatum, aut est idem, aut diuersum.*

Identitas in genere quid.

2 *Identitas est conuenientia vnius entis cum alio, orta ex vnitate alicuius tertii, quod vtrique competit.*

3 *Estque vel rationis, vel realis.*

Identitas quotuplex.

4 *Identitas rationis est, per quam vnum ens cum alio ratione, hoc est, secundum mentis nostra conceptum est idem.*

5 *Identitas realis est, per quam vnum ens cum alio respectu alicuius tertii realiter est idem.*

6 *Eius diuersæ sunt species, in diuersas classes distributæ.*

7 *Prima classis sunt identitas numerica, specifica & generica.*

8 *Identitas numerica est inter ea, quæ numero, hoc est, vna & eadem essentia singulari conueniunt.*

9 Id-

9 *Identitas specifica est inter ea, quæ specie infima inter se conueniunt.*

10 *Identitas generica est inter ea, quæ genere inter se conueniunt.*

11 *Secunda classis sunt identitas causalis, vel effectiua.*

12 *Identitas causalis est conuenientia entium respectu alicuius causæ, siue illa sit efficiens, siue materia, siue forma, siue finis.*

13 *Identitas effectiua est conuenientia entium respectu alicuius effecti.*

14 *Tertia classis sunt identitas subiectiua & adiunctiua.*

15 *Identitas subiectiua, est conuenientia entium respectu subiecti; siue illud sit recipiens, siue occupans.*

16 *Identitas adiunctiua, est conuenientia entium respectu adiuncti; siue illud sit receptum siue occupatum.*

17 *Ad hanc referuntur æqualitas & similitudo.*

18 *Æqualitas est identitas entium, orta ex vnitate quantitatis, siue illa sit extensiua, siue intensiua.*

19 *Similitudo est identitas entium, à qua dicuntur similia.*

20 *Estque vel primaria, vel secundaria.*

21 *Primaria, est conuenientia entium secundum qualitatem.*

22 *Secundaria, est conuenientia entium secundum motum & relationem.*

23 *Vtraque vel est simplex, vel composita.*

24 *Simplex similitudo est, quæ inter duos tantum terminos versatur.*

25 *Composita similitudo est, quæ inter quatuor versatur. Et propriè dicitur* Analogia.

26 *Sic de identitate. Sequitur diuersitas, quæ est dissensio vnius entis ab alio orta ex tertii, in quo comparantur, pluralitate.* *Diuersitas in genere quid sit & quotuplex.*

27 *Estque vel distinctio, vel oppositio.*

28 *Distinctio, est diuersitas sine pugna.* **De distinct.**

29 *Estque vel rationis, vel realis.*

30 *Distinctio rationis est, quæ fit secundum nostrum concipiendi modum.*

31 *Distinctio realis est, quæ citra mentis cogitationem reuera in iis quæ distinguuntur locum habet.*

32 *Eius diuersæ sunt species, in diuersas classes distributæ.*

33 *Prima classis sunt distinctio numerica, specifica & generica.*

34 *Distinctio numerica est inter ea, quæ numero, hoc est, essentia singulari inter se differunt.*

35 *Distinctio specifica est inter ea, quæ specie infima differunt.*

36 *Distinctio generica est inter ea, quæ genere differunt.*

37 *Secunda classis sunt distinctio causalis & effectiua.*

38 *Illa est eorum, quæ causa differunt; hæc, quæ effecto.*

39 *Tertia classis sunt distinctio subiectiua & adiunctiua.*

40 *Illa est eorum, quæ subiecto differunt; hæc, quæ adiuncto.*

41 *Ad distinctionem adiunctiuam pertinent inæqualitas & dissimilitudo.*

42 *Inæqualitas est diuersitas entium secundum quantitatem.*

43 *Dissimilitudo est diuersitas entium, à qua dicuntur* dissimilia.

44 *Estque vel primaria, vel secundaria.*

45 *Primaria, est diuersitas entium secundum qualitatem.*

46 *Secundaria, est diuersitas entium, secundum motum & relationem.*

s oppos. 47 *Sic de distinctione. Sequitur* oppositio, *quæ est diuersitas cum pugna, seu, vt alii definiunt*, repugnantia inter res diuersas.

48 *Eaque requirit vt oppositorum nec vnum alteri, nec vtrumque vni, & eidem tertio secundum idem, ad idem & eodem tempore conuenire possit.*

49 *Estque vel disparatio, vel contrarietas.*

50 *Disparatio est oppositio inter ea, quorum vnum multis pariter opponitur.*

51 *Contrarietas, est oppositio inter ea, quorum vnum vni tantum opponitur.*

52 *Estque vel positiua, vel negatiua.*

53 *Positiua contrarietas est inter ea, quæ sibi inuicem affirmate opponuntur.*

54 *Estque vel aduersatiua, vel respectiua.*

55 *Aduersatiua, est contrarietas positiua eorum, quorum vnum ab alio non pendet, sed perpetuo dissidet.*

56 Re-

56 *Respectiua, est contrarietas positiua eorum, quorum vnum ab alio dependet ob mutuum inter se respectum.*

57 *Negatiua contrarietas est inter ea, quorum vnum alteri negate opponitur.*

58 *Estque vel contradictio, vel priuatiuà.*

59 *Contradictio est contrarietas negatiua inter ea, quorum vnum alterum simpliciter & immediate negat, & excludit ob summam repugnantiam, vt sunt Ens & non ens.*

60 *Priuatiua est contrarietas negatiua inter ea, quorum vnum alterum tantum secundum quid negat & excludit, nempe in eodem subiecto, quod per naturam aptum est ad recipiendum vtrumque, & quidem cum certi temporis determinatione; cuiusmodi sunt habitus & priuatio.*

IN CAPVT SEXTVM

PROBLEMA I.

Quid sit identitas & diuersitas in genere?

AD naturam identitatis & diuersitatis in genere acceptæ melius & rectius intelligendam, sciendum est, identitatem & diuersitatem non esse entia absoluta, sed respectiua, eaque non complexa, sed incomplexa. Est enim identitas nihil aliud quam relatio, seu habitudo vnius eiusdem ad alterum idem. Similiter diuersitas nihil aliud est, quam relatio seu habitudo vnius diuersi ad alterum diuersum. Ac fundamentum quidem identitatis, est vnitas illius tertii, in quo duo vel plura inter se comparantur & conueniunt. Diuersitatis vero est multitudo, seu pluralitas illius tertii, in quo duo vel plura inter se comparantur & differunt. Hinc etiam identitas in præceptis fuit definita, conuenientia vnius entis cum alio, orta ex vnitate alicuius tertii, quod vtrique competit. Diuersitas vero, dissensio vnius ab alio, orta ex tertii, in quo comparantur, pluralitate.

Identitas & diuersitas sunt entia respectiua.

Fundamentum identitatis ac diuersitatis quod sit.

Identitas & diuersitas in genere quid.

Vnde porro apparet, identitatem & diuersitatem realiter differre ab vnitate & multitudine; tum, quia illæ sunt entia respectiua; hæ vero absoluta; tum, quia illæ alio modo definiuntur, quam hæ; tum denique, quia hæ sunt fundamentum illarum. Neq; obstat quod Arist. lib. 5. Metaph. c. 9. *identitatem dicit esse vnitatem quandam:* & lib. 10. cap. 3. *æqualitatem, qua est species identitatis vocat vnitatem.* Illa enim verba Philosophi non formaliter, sed

Identitas & diuersitas differt ab vnitate & multitudine.

Prolepsis.

effectiue sunt intelligenda, vt sit sensus, Identitatem ab vnitate, tanquam effectum à sua efficiente pendere.

2 *An semper ea, quæ vni tertio sunt eadem, inter se sint eadem?*

Thesis affir. defend. in sano sensu.

VSitatissima est in Philosophia regula, *Ea quæ vni tertio sunt eadem, inter se esse eadem.* Illius etiam mentionem facit Arist. tum alibi, tum lib. 1. sophist. elench. c. 5. vbi inquit, *τὰ ἑνὶ ταὐτὰ, ταὐτὰ καὶ ἄλλοις ἀξιοῦμεν εἶναι*, hoc est, *quæ vni sunt eadem, illa etiam inter se iudicamus esse eadem.* Verum Scholastici asserunt hanc regulam tantum valere in rebus creatis & finitis; non autem in ente increato & finito. At videtur illa regula etiam de ente increato & infinito esse vera, si intelligatur in recto suo ac legitimo sensu, cuiusmodi est: *Quæcunque respectu vnius tertii sunt eadem, illa etiam inter se sunt eadem, non quidem simpliciter, sed eo modo, quo respectu tertii sunt eadem: Sic Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt idem respectu vnius & indiuiduæ essentiæ diuinæ: Ergo rectè concludi potest, quod etiam inter se sint idem, non quidem quatenus sunt personæ; sed quatenus sunt vnus ille verus Deus benedictus in secula.*

3 *An similia rectè dicantur eadem?*

Thesis affir. defenditur.

CIrcumfertur vulgare inter Philosophos axioma, *Simile non est idem.* Ex quo videtur concludi posse, eos errare, qui similia, eadem esse pronunciant. Sed facile potest illa controuersia dirimi, si distinctio adhibeatur inter ea quæ simpliciter sunt eadem, & quæ secundum quid sunt eadem. Licet enim similia non sint simpliciter eadem, nempe secundum essentiam; rectè tamen dici possunt eadem secundum quid, quandoquidem conueniunt inter se, vel secundum qualitatem, vel secundum motum & relationem.

4 *An aliquod ens diuerso respectu possit simul esse idem & diuersum?*

Thesis affir. probatur.

VEritas sententiæ affirmantis probatur partim exemplis, partim rationibus. Exempla sunt: 1. Quia diuina attributa realiter inter se sunt eadem, sed ratione diuersa. 2, Quia personæ diuinæ inter se sunt diuersæ, sed respectu essentiæ diuinæ sunt idem. 3. Quia homo & bestia idem sunt respectu generis; tametsi respectu essen-

I. Exemplis. II. III.

na

tiæ specificæ homo à bestia sit diuersus. Rationes sunt: 1, Quia vnum ens potest cum alio diuerso respectu conuenire & non conuenire. Vnde recte Philosophi dicunt, *quicquid alicui simile est, id simul eidem esse dissimile diuerso respectu.* Si enim plane non esset dissimile, iam non esset simile, sed idem simpliciter. 2. Quia nulla fit implicatio contradictionis, si statuatur aliquod ens diuerso respectu posse esse simul idem & diuersum; ideoque à numero possibilium hoc non est excludendum.

I. Rationib.

II.

5 *An idem ens à seipso possit realiter differre?*

ETsi Scholastici fere omnes videntur thesin negantem defendere; mihi tamen contraria sententia videtur propius ad veritatem accedere. Cum enim vnum & idem ens multa & varia habeat attributa realia, partim essentialia, partim accidentalia, partim generalia, partim specialia: Ideoque diuersis modis considerari possit; non mirum est, si pro ratione diuersorum attributorum realium, & modorum considerandi à seipso quandoque realiter differat. Sic homo, quatenus animal, differt realiter à se quatenus est homo: Et quatenus est dominus, realiter differt à seipso quatenus est pater. Eodem modo anima rationalis, quatenus est substantia incorporea, differt realiter à seipsa, quatenus est causa vel formalis hominis, vel efficiens facultatum & operationum vitalium. Sed obseruandum est, realiter differre non tantum illa dici, vt Scholastici volunt quæ distinguuntur, vt res vna ab alia re; sed etiam, quæ distinguuntur vel à sese, vel ab aliis secundum diuersa attributa realia, diuersasque eorum definitiones.

Thesis affir. defenditur.

Differre realiter quæ dicantur.

6 *An distinctio sufficienter diuidatur in distributionem rationis & realem?*

PRo thesi affirmatiua faciunt hæ rationes: 1, *Quia omne ens aut est rationis, aut reale. Ergo distinctio quoque vel est rationis vel realis.* 2, *Quia quicquid distinguitur ab altero, aut distinguitur ratione aut realiter: Ergo distinctio non est nisi aut rationis aut realis.* 3, *Quia non datur media alia distinctio inter distinctionem rationis & realem: Omnis enim distinctio quæ non est realis, est rationis; & quæ non est rationis, est realis.*

Thesis affir. defenditur. Ratio. I. II. III.

Verum hanc sententiam multi ex Scholasticis non ap- *Obiectio.*

probant: Idcirco ad diuisionem illam distinctionis in *rationis* & *realem*, alii, inter quos præcipuus est Scotus, addunt distinctionem ex natura rei, eamque subdiuidunt in *formalem*, *modalem*, & *potentialem*: alii vero adhuc alias à se excogitatas adiungunt. At quorsum opus est ista inani multiplicatione distinctionum? cum bimembris illa supra à nobis probata, si modo recte explicetur, satis esse possit ad distinguenda inter se omnia illa, quæ menti humanæ obiici possunt. Ratione enim distingui dicuntur non tantum diuersa entia rationis; sed etiam omnia illa quæ in se realiter idem sunt, & sola mentis cogitatione vt diuersa concipiuntur, vt cum in cælo diuersos nobis circulos & orbes imaginamur, qui tamen reuera non sunt, nisi vnum & idem corpus continuum. Realiter vero distingui dicuntur non tantum ea, quæ differunt vt res à se, aut vt entia realia à se inuicem separata: Sed etiam ea, quæ differunt attributo aliquo reali, aut alio quodam modo citra mentis nostræ cogitationē & conceptionem. Hinc etiam, quæ à Scholasticis dicuntur modaliter differre, non male videntur dici *realiter differre.* Licet enim modus rei non sit ipsa res, cuius est modus; nihilominus tamen modus rei in se vel est res, vel saltem reale attributum, quod rei alicui citra mentis cogitationem conuenit.

Responsio ad obiect.

Qua ratione distingui dicantur.

Quæ realiter distingui dicantur.

7 *Quid sit oppositio, & quomodo legitime diuidentia?*

Diuersitas aut consideratur sine repugnantia, aut cum repugnantia. Si sine repugnantia, dicitur *distinctio*, vocabulo illo in strictiore significatione accepto. Si cum repugnantia, dicitur *oppositio.* Est igitur oppositio hoc loco nihil aliud, quam diuersitas duorum terminorum cum repugnantia. Eiusq; natura requirit vt verorum oppositorum nec vnum alteri proprie, nec vtrumque eidem tertio secundum idem ad idem, & eodem tempore conuenire possit.

Oppositio quid.

Cæterum einsmodi oppositio secundum Aristotelem, quadruplex est, contraria, relatiua, priuatiua & contradictoria. Ille enim quatuor genera oppositorum constituit, vnum *contrariorum*, alterum *relatorum*, tertium *priuantium*, quartum *contradicentium.* Ramus vero opposita

Opposit. quotuplex secundum Arist.

posita diuidit primum in disparata & contraria: Deinde, contraria in affirmantia & negantia: Tertio, affirmantia in aduersa & relata; negantia vero, in priuantia & contradicentia: Ergo oppositio secundum Ramum primum vel est disparatio vel contrarietas. Deinde contrarietas vel est affirmatiua seu positiua, vel negatiua. Tertio, contrarietas affirmatiua vel est aduersatiua, vel respectiua. Denique, contrarietas negatiua, vel est priuatiua vel contradictio. Atque hæc posterior oppositionis in species diuisio, videtur priori Aristotelicæ longe esse præferenda. Proinde etiam in præceptis eam secuti sumus. Sed sciendum est, cum idem quatenus idem, sibi ipsi opponi nequeat, necesse esse, vt ea quæ sunt opposita, opponantur inter se, non quatenus sunt eadem, sed quatenus diuersa. Ex diuersis autem aut vnum vni duntaxat opponi; Et sic dici contraria; aut vnum multis; & sic dici *disparata*. Rursus contraria aut affirmate opponi, aut negate. Si affirmate, aut vnum ab altero esse independens; & dici *aduersa*; aut vnum ab altero esse dependens, ob respectum mutuum; & dici *relata:* Si negate; aut vnum alterum simpliciter negare & excludere; & dici *contradicentia:* aut secundum quid; & dici *priuantia*. *Oppositio secundum Ramum quotuplex.* *Obseruatio.*

8 *An contradictio omnium oppositionum sit prima & maxima?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia contradictio est causa & veluti mensura omnium reliquarum oppositionum. Quæcunque enim opponuntur, ideo opponuntur, quia non possunt simul existere in vno ente: Non possunt autem simul existere, quia vnum oppositum semper includit negationem alterius oppositi, ex. gr. videns & cæcus, ideo opponuntur, quia cæcus est non videns; dulce & amarum opponuntur, quia amarum est non dulce: pater & filius opponuntur, quia filius est non pater. 2, Quia maximam habet repugnantiam & distantiam terminorum; siquidem termini circa quos contradictio versatur, nec in veritate nec in falsitate vnquam inter se conueniunt, & opponuntur tanquam ens & non ens. Qua oppositione nulla maior excogitari potest. 3, Quia est reliquarum oppositionum simpli- *Pro thesi affirmante. Ratio I.* *II.* *III.*

cissima; cum nullam aliam ante se supponat, aut in se includat, vt faciunt reliquæ. 4, Quia sola omnis medii simpliciter est expers. Vnde etiam ab Aristotele lib. 1. Poster. analyt. cap. 2. dicitur *oppositio, cuius per se non est medium.* Nam reliquæ oppositiones habent medium vel positiuum vel [illegible]uum, quorum illud à Scholasticis dicitur *medium secun[illegible]mam, medium per participationem vtriusque extremi:* hoc vero, *medium secundum subiectum, medium per negationem vtriusque extremi.* Contradictio autem vtrumque medium tam positiuum, quam negatiuum excludit, cum versetur inter ens & non ens.

IV.

9 *Quomodo oppositio priuatiua à contradictione differat?*

Oppositio priuatiua cognata est contradictioni.

ETsi nulla species oppositionis est, quæ maiorem habet cognationem cum contradictione, quam oppositio priuatiua; tum, quia vtraque est negatiua; tum, quia ex priuatiua facile potest inferri contradictoria; tamen hæc eadem ab illa non leuiter differt. Nam 1, oppositio priuatiua includit negationem ad certum subiectum determinatam, cui per naturam inesse potest habitus, qui negatur: Contradictio vero includit negationem absolutam, & ad nullum certum subiectum determinatam. 2, priuatiua oppositio admittit medium non tantum negatiuum, quæ in vtriusq; extremi negatione consistit; sed etiam positiuum, quod in vtriusq; extremi participatione est positum. Inter cæcum enim & videntem, datur tanquam medium negatiuum lapis, qui neq; cæcus est, neq; videns. Inter densas tenebras & claram lucem datur crepusculum, tam matutinum, quam vespertinum, tanquam medium positiuum. Contradictio autem omne simpliciter medium excludit. 3, priuatiua oppositio requirit certi temporis determinationem, quo habitus per naturam inesse potest vel debet suo subiecto. Contradictio autem non.

Oppositio priuatiua differt à contradict.

I.

II.

III.

10 *An priuatiue opposita sola sint priuatio & habitus?*

Thesis negatiua defend.

SVnt multi in illa opinione, nihil priuatiue opponi nisi quod se habet vt priuatio & habitus. Sed illi vehementer

menter decipiuntur. Non enim tantum abstracta illa στέρησις καὶ ἕξις, priuatiue opponuntur; sed etiam ipsa concreta, τὸ ἐστερημένον καὶ τὸ ἔχον ἕξιν, hoc est, *id quod priuatum est, & quod habitum obtinet.* e. g. Non tantum priuatiue opponuntur cæcitas & visus, surditas & auditus; sed etiam cæcus & videns, surdus & audiens, & sic de cæteris. Atque hoc testatur etiam Arist. in lib. Categoriarum, cap. de oppositis, vbi distinguit inter priuationem & priuatum esse, habitum & habere habitum; atque eodem modo opponi asserit concreta, quo abstracta.

11 *An opposita sint simul natura?*

Sententiam affirmantem defendit Aristor. libr. 5. Top. *Pro thesi a*
c. 2. & lib 6 cap. 3. Rationes videntur esse hæ: 1, Quia *firmante.*
omnia relata sunt simul natura. Opposita autem sunt re- *Ratio*
lata, siquidem vnum oppositum ad alterum oppositum *I.*
essentialem respectum habet. 2, Quia nullum oppo- *II.*
sitorum altero vel est prius, vel posterius natura, quatenus scilicet est oppositum: Ergo necesse est opposita esse
simul natura. 3, Quia si opposita non essent simul natu- *III.*
ra, sequeretur dato vno opposito, non necesse esse dari alterum. Sed consequens est absurdum, & pugnat cum omnium Philosophorum regula: Ergo absurdum etiam est antecedens.

12 *An opposita sese mutuo declarent?*

Statuitur thesis affirmatiua, eaque probatur partim *Pro thesi af-*
ratione, partim testimoniis Philosophorum. Ratio *firmante.*
est: 1, Quia oppositorum est opposita natura. Quod si *Ratio*
igitur vnius oppositi natura recte fuerit cognita, inde *I.*
facile est alterius cognitionem sibi comparare. 2, Quia *II.*
opposita quatenus sunt opposita, sunt relata: Ergo sicut vnum relatorum declarat alterum; ita etiam vnum oppositorum alterum. Testimonia Philosophorum sunt: 1, *Testim.*
Aristotelis, qui 2. Rhetor. cap. 13. expresse asserit, τὰ ἐναν- *I.*
τία παρ' ἄλληλα μάλιστα φαίνεται, hoc est, *contraria iuxta se* *II.*
posita, magis elucescere. Et passim in suis scriptis vtitur hoc effato: *Contrariorum est eadem scientia: Contrariorum est eadem ratio.* Quo nihil aliud videtur innuere, quam quod vno oppositorum cognito, cognoscatur etiam alterum; seu, quod vnum oppositum cognitum; iuuet

cognitionem alterius, quatenus est oppositum: Vnde etiam lib. 1. De anima, cap vltimo inquit: τῷ εὐθεῖ καὶ αὐτὸ, καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν, hoc est, *recto cognoscimus & ipsum & curuum*; quasi diceret, *Rectum est index sui & obliqui*. 2, Plinii, qui ait opposita suis contrariis innotescere, velut ab acerbis, vt myrrha vinum potum dulcius sentitur.

13 *An opposita vni & eidem enti actu simul inesse possint?*

Prothesis negatiua Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: I. 1, Quia opposita definiuntur esse diuersa; quæ vni & eidem enti vniuoco secundum idem; ad idem & eodem tempore actu simul inesse non possunt. II. 2, Quia opposita habent inter se pugnantem naturam: Ergo vbi vnum actu est, ibi alterum consistere non potest. III. 3, Quia contradictoria non possunt simul vni & eidem inesse. Iam autem omnia reliqua opposita tacite in se includunt contradictoria. Vnum enim oppositum semper alterius oppositi negationem in se continet: Ergo neque reliqua opposita vni & eidem simul inesse possunt. *Obiectio.* At in contrariam partem obiici possunt hæc argumenta: I. 1, *Si opposita sunt simul natura, sequitur illa etiam vni & eidem simul inesse posse: Sed verum prius: Ergo & posterius.* II. 2, *Si contraria possunt esse in eodem subiecto in gradibus remissis, sequitur de oppositis negandum simpliciter non esse, quod vni & eidem enti simul inesse possint: Sed verum prius. Ergo & posterius.* *Responsio ad obiect.* I. Ad primum argumentum respondeo per inficiationem connexæ propositionis. Ex eo enim quod opposita sunt simul natura, quatenus opposita, non recte infertur opposita vni & eidem enti actu simul inesse posse: Sed hoc tantum infertur, quod vnum oppositum, quatenus est oppositum, II. definiri non possit nisi cum respectu ad alterum. Ad alterum argumentum respondeo, contraria quatenus sunt in eodem subiecto in gradibus remissis, non habere inter se pugnantem naturam; ideoque neque vere & proprie opposita dici posse.

De Ordine & inordinatione; deque modis quibus aliquid dicitur vel prius, vel posterius, vel simul.

CAPVT VII.

THEOREMATA.

1 *Septima classis attributa respectiua sunt ordo & inordinatio; Græce τάξις καὶ ἀταξία. Entia enim diuersa aut sunt inter se ordinata, aut inordinata.*

2 *Ordo, est dispositio entium diuersorum, secundum prius & posterius.* *Ordo in genere quid sit & quotuplex.*

3 *Estque vel realis, vel rationis.*

4 *Ordo realis est, qui citra mentis operationem reipsa inter entia diuersa existit.*

5 *Estque vel primarius, vel secundarius.*

6 *Primarius ordo vel est originis, vel temporis.*

7 *Ordo originis est inter entia diuersa quorum vnũ origine prius est altero. Vulgo dicitur* ordo naturæ, *seu,* ordo essendi.

8 *Ordo temporis est inter entia diuersa, quorum vnum tempore prius est altero.*

9 *Secundarius ordo est vel loci, vel dignitatis, vel enumerationis naturalis.*

10 *Ordo loci naturalis est inter entia diuersa, quorum vnum per se priorem præ alio locum obtinet.*

11 *Ordo dignitatis naturalis est inter entia diuersa, quorum vnum per se dignius & præstantius est altero.*

12 *Ordo enumerationis naturalis est inter entia diuersa, quorum vnum per se in enumerando prius est altero.*

13 *Ordo rationis est, qui à recto mentis iudicio & instituto pendet.*

14 *Estque vel artificialis, vel arbitrarius.*

15 *Artificialis ordo est, quem ars nobis in cognoscendo & agendo præscribit.*

16 *Estque vel theoricus, vel practicus.*

17 *Theoricus ordo est, qui pro fine habet solam rerum cognitionem.*

18 *Estque alius inuentionis, alius doctrinæ.*

19 *Ordo inuentionis est, qui dirigit mentem nostram in perscrutandis & indagandis reb. ignotis.*

20 *In eo fit progressus à prioribus secundum quid, ad priora simpliciter.*

21 *Ordo doctrinæ est, qui dirigit mentem nostram in docendis & tradendis iis, quæ nobis sunt nota, vt eo melius & facilius ab aliis percipi possint.*

22 *In eo fit progressus à simpliciter prioribus ad priora, secundum quid.*

23 *Practicus ordo est, qui pro fine habet actionem seu effectionem*

24 *Estque alius intentionis, alius executionis.*

25 *Ordo intentionis est, qui in consultando obseruatur.*

26 *Ordo executionis est, qui post consultationem in operando & exsequendo obseruatur.*

27 *De vtroque ordine intelligendum tritum illud Philosophorum axioma;* Quod primum est in intentione, id vltimum est in executione: *& contra,* quod vltimum est in intentione, id primum est in executione.

28 *Ordo arbitrarius est, quem quisque citra artis præscriptum & certæ rationis & circumstantiæ consideratione instituit. Ab aliis dicitur* ordo prudentiæ.

29 *Inordinatio est carentia ordinis inter entia diuersa.*

Quot modis aliquid dicatur prius, posterius & simul.

30 *Porro cum omnis ordo requirat prius & posterius; & nihil dicatur prius & posterius, nisi respectu alicuius ordinis; non inconuenienter ad hunc de ordine tractatum videtur referri doctrina de modis, quibus aliquid dicitur vel* prius *vel* posterius *vel* simul, *cuiusmodi sunt, sex principales; quorum primus vocatur* κατὰ φύσιν, *hoc est,* secundum naturam, *seu* originem; *alter* κατὰ χρόνον, secundum tempus; *tertius,* κατὰ τόπον, secundum locum; *quartus,* κατ' ἀξίαν, secundum dignitatem; *quintus* κατ' ἀριθμόν; secundum numerum; *sextus,* κατὰ γνῶσιν, secundum cognitionem.

IN CAPVT SEPTIMVM

PROBLEMA I.

Vtrum ad Metaphysicam pertineat agere de ordine, & quomodo?

CVm nullus hactenus ex Philosophis inuentus fuerit, qui de ordine in Metaph. ex professo egerit; multi autem reperiantur, qui in Logicis prolixum de ordine tractatum instituerint, non absque ratione quis dubitare posset, *vtrum doctrina de ordine ad Metaph. vero an ad Logicam*

gicam sit referenda. Vt igitur hæc dubiratio auditoribus eximatur, sciendum est de ordine institui posse tractationem vel omnino generalem, quatenus est affectio entium diuersorum in genere, & ad nullam certam materiam est restrictus; vel specialem, quatenus ad certum materiæ genus alicuius finis gratia est limitatus. Prior itaq; tractatio ad Metaph. pertinet. Illa enim cum sit ars vniuersalis, & generalissima entium attributa consideret; idcirco vt sua perfectio ipsi constet, necesse est, vt sicut de identitate & diuersitate entium; ita etiam de ordine & inordinatione tradat. Posterior vero ad alias artes & disciplinas particulares refertur. Vnde in Logicis agitur de ordine non quolibet, sed tantum de illo, qui instrumentum est cognitionis, & vulgo dicitur *ordo doctrina*, seu *methodus*.

Tractatio generalis de ordine pertinet ad Metaph.

2 *Quid sit ordo in genere?*

ORdo non est ens absolutum, sed respectiuum. Ideoque definiri potest in genere quod sit *habitudo apta ordinatorum inter sese.* Sed vt clarius eius natura elucescat, diximus *ordinem esse dispositionem entium diuersorum secundum prius & posterius.* In qua definitione tria sunt consideranda; genus, subiectum & forma. Genus ordinis, est dispositio quatenus illa sumitur non pro actu disponendi, sed pro relatione & habitudine, quæ ex actu disponendi resultat. Omnia enim ordinata sunt disposita. Ideoque vi coniugatorum omnis ordo est dispositio. Et hoc etiam genus ponit Augustin. libr. 15. De ciuitate Dei, cap. 13. vbi ordinem definit, *quod sit parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Subiectum ordinis sunt entia diuersa. Cum enim eiusdem ad seipsum nullus sit ordo, necessario sequitur, vbicunque est ordo, ibi esse entium diuersitatem seu distinctionem. Forma ordinis consistit in ratione prioris & posterioris. Per hanc enim ordo est id, quod est, neque vlla entia ordinata inter se dici possunt nisi vnum sit prius, & alterum posterius. Vnde etiam Scholastici quidam dicunt, *vbicunque datur ordo, ibi dari prioritatem aliquam vnius respectu alterius.* Neque est quod quis excipiat inter personas diuinas, diuinaque attributa dari quidem ordinem aliquem; sed nullā prioritatem. Qualis enim est ordo inter

Definitio & diuisio ordinis in gener. traditur & explicatur.

entia diuersa, talis etiam est prioritas. Ideoque cum inter personas diuinas detur ordo realis enumerationis naturalis; inter diuina vero attributa ordo rationis; sequitur talem etiam dari prioritatem.

3 *An vbicunque datur distinctio, detur etiam ordo?*

Thesis negatiua defend.

EX superiore Problemate patet, omnem ordinem præsupponere distinctionem entium, ita vt vbi nulla distinctio locum habet, nullus etiam ordo constitui possit. Non igitur fine causa quis quæreret posset, *an vbicunque datur distinctio, detur etiam ordo.* Verum breuiter respondetur, multa quidem esse inter se distincta, quæ tamen non sunt ordinata inter se, sed confusa: ideoque non omnem distinctionem necessario sibi adiunctum habere ordinem.

4 *Quid sentiendum sit de ordine & prioritate naturæ?*

Ordo naturæ quot modis dicatur.

PAssim quidem fit mentio *ordinis naturæ* apud autores, sed a paucis recte explicatur & intelligitur propter verborum ambiguitatem. Nam *ordo naturæ* quandoque sumitur pro quolibet ordine reali, siue sit originis, siue temporis, siue loci, siue dignitatis, siue enumerationis naturalis; quandoque in specie pro ordine originis duntaxat, seu essendi; quandoque pro ordine, quem natura in generandis & corrumpendis rebus obseruat; cuiusmodi duplex est, *compositiuus* & *resolutiuus*, quorum primus progreditur ab imperfectioribus ad perfectiora, à communioribus ad minus communia, à causis ad effecta, à partibus integrantibus ad totum integrale; alter contraria via procedit, à perfectioribus ad imperfectiora, à minus communibus ad communiora, ab effectis ad causas, à toto integrali ad partes integrales. Diligenter igitur obseruandum est, & videndum in quo sensu hoc vel illo in loco ordo naturæ accipiatur, ne in ad intelligendo ac diiudicando hallucinemur. Porro per prioritatem naturæ potissimum ab Arist. aliisq; Philosophis intelligitur prioritas originis. Illud enim dicitur *natura prius*, quod origine seu naturali essendi ordine aliud antecedit. Quo pacto vniuersalia priora sunt singularibus, & quibuslibet aliis particularibus, causa effectis, subiectum adiunctis, substantia accidenti, &c.

Prioritas naturæ explicatur.

5 *Quot*

5 *Quot modis dicatur aliquid prius & posterius cognitione?*

ARistoteles lib. 5. Metaphys. cap. 11. vbi prolixe agit de modis prioris & posterioris, docet aliquid *dici prius & posterius cognitione* duobus modis, vel κατ' τὸν λόγον, vel κατ' τὴν αἴσθησιν. Ratio huius assertionis est, quia omnis cognitio nostra, aut est sensitiua, aut intellectiua; quarum vtraque habet certa entia, quæ prius ipsi, quam alia obiiciuntur. Hinc sensu priora dicuntur singularia vniuersalibus, effecta causis. Ratione vero priora dicuntur vniuersalia singularibus, causæ effectis. Cæterum cum cognitio intellectiua rursus sit duplex, vna perfecta & distincta, altera imperfecta & confusa; hinc rursus ratione prius & posterius aliquid dicitur duobus modis, vel secundum perfectam & distinctam cognitionem, vel secundum imperfectam & confusam. Quo pacto vnaquæque res prius confuse, deinde distincte à nobis cognoscitur; & effectus cognitione confusa prior est causa; distincta, vero posterius.

Duobus modis aliquid dicitur prius & posterius cognitione.

Ratione prius & posterius aliquid dicitur duobus modis.

6 *An aliquid possit esse simul prius & posterius alio?*

ETsi fieri non potest, vt vno & eodem modo ac respectu aliquid simul sit prius & posterius alio, propterea quod manifesta existeret implicatio contradictionis; tamen diuerso modo ac respectu nihil obstat, quo minus id contigat, quemadmodum patet ex inductione exemplorum. Nam 1. vniuersalia ratione priora sunt singularibus: sensu vero posteriora. 2. Causa naturæ ordine prior est effectu; sensu vero plerunque posterior. 3. Rex dignitate prior est suis subditis; licet fortassis tempore seu ætate possit esse posterior. Idem iudicandum est de aliis exemplis, quæ breuitatis studio omittuntur.

Thesis affir. defenditur cum distinct.

7 *An omnis ἀταξία sit præter naturam?*

SEntentiam affirmantem statuit Arist lib. 3. De cœlo, c. 6. Ratio autē est, quia omnis verus ordo est secundum naturam; tum quia à Deo suam habet originem; tum quia cum rebus ordinatis maxime congruit. Ergo cum omnis ἀταξία nihil aliud sit, quam perturbatio ordinis, & confusio rerũ quæ ordinem certum habere debebant, sequitur necessario, nullam esse secundum naturam, sed omnem præter naturam. Ac proinde quicquid ἄτακτως fit, præter naturam fieri.

Thesis affir. defenditur.



METAPHYSICÆ LIBER QVARTVS;

De Substantiis.

De substantia in genere, CAP. I.

THEOREMATA.

1 *Hactenus explicata est prima, nempe* Vniuersalis *pars Metaphysicæ. Sequitur altera, nempe* Particularis, *quæ agit de ente incomplexo in specie.*

2 *Eius duæ sunt partes: Vna, de Substantiis; altera de Accidentibus.*

3 *Ens enim incomplexum aut est substantia, aut accidens.*

4 *Substantia est ens incomplexum, per se subsistens.*

IN CAPVT PRIMVM

PROBLEMA I.

Vtrum tractatio specialis de ente incomplexo pertineat ad Metaphysicam?

Thesis affir. defenditur. Ratio I. Statuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia tractatio specialis de ente incomplexo sub rationem formalem subiecti Metaphysicæ cadit, neque eius terminos transgreditur: Siquidem in ea consideratur ens incomplexum, quatenus sine vllo materiæ conceptu est intelligibile. *II.* 2. Quia Metaphysica est ars catholica seu vniuersalis: Ideoque officium eius est explicare doctrinam generalem de substantiis & accidentibus, vtpote cuius vsus per omnia reliquarum disciplinarum genera latissime est diffusus. *III.* 3. Quia omnes Philosophi, qui vnquam Metaphysicam conscripserunt, aut de rebus Metaphysicis disseruerunt, in eo semper consenserunt, esse in illa disciplina de ente incomplexo in specie agendum: Ideoque cum artificibus in sua arte sit credendum, sequitur tractationem specialem de ente incomplexo ex Metaphysicæ finibus non esse eiiciendam.

Obiectio. Verum contra hanc sententiam obiici possunt duo potissi-

potiſſimum argumenta: 1, *Quicquid pertinet ad Logicam, id non pertinet ad Metaphyſicam. Atqui tractatio ſpecialis de ente incomplexo pertinet ad Logicam: Ergo non ad Metaphyſicam.* Aſſumptio probatur: Quia Logica explicat doctrinam Categoriarum. Hæc vero nihil aliud continet, quam tractationem ſpecialem de ente incomplexo, eiuſque ſpeciebus, nempe Subſtantia & Accidente. Hinc etiam Categoria alia dicitur *Subſtantiarum*, alia, *accidentium.* 2, *Si Metaphyſica eſt ars catholica, ſequitur ad illam ſpecialem entis incomplexi tractationem non pertinere.* In generali enim arte generalia ſunt tradenda, & non ſpecialia: *Sed verum eſt antecedens: Ergo & conſequens.* Aſſumptio probatur; quia ſola Metaphyſica, vt teſtatur Ariſtoteles lib. 4. Metaph. cap. 1. conſiderat καθόλȣ, hoc eſt, vniuerſaliter ens quatenus ens; reliquæ vero diſciplinæ tantum partem entis ſibi contemplandam ſumunt. *I.* *II.*

Ad primum argumentum reſpondeo: 1, propoſitionem non eſſe ſimpliciter veram, ſed ſecundum quid, quatenus modo conſiderandi Logicæ vel Metaphyſicæ proprio limitatur. Alias enim vna & eadem res ad Logicam ſimul & Metaphyſicam pertinere poteſt diuerſo modo ac reſpectu. 2, aſſumptionem eſſe falſam. Doctrina enim Categoriarum proprie non pertinet ad Logicam, ſed ad Metaphyſicam. Licet enim illa ab Ariſtotele in Organo tradatur, tamen primum rudis eſt illa explicatio, popularis & imperfecta: Deinde non pars eſt eſſentialis Logicæ; ſed illi extraordinarie procemii loco præmittitur, vt ii, qui Metaphyſicæ ſunt ignari aliquo modo præparentur ad melius intelligendum vſum præceptorum Logicorum. *Reſponſio ad obiectionem.* *I.*

Ad alterum argumentum reſpondeo per inficiationem propoſitionis connexæ. Metaphyſica enim dicitur *ars catholica*, non quia ens duntaxat vniuerſaliter, hoc eſt, ſecundum communem ſuam naturam conſiderat, neque vnquam ad aliquam entis ſpeciem tractandam deſcendit; ſed quia talia de ente tam generaliter, quam ſpecialiter conſiderato præcepta tradit, quæ reſpectu aliarum omnium diſciplinarum ſunt generalia, neque ab vlla alia diſciplina eo modo tradi vel explicari poſſunt. Vbi etiam obſeruandum eſt per ſpecialem tractationem entis incomplexi nihil aliud intelligi quam doctrinam *II.*

de substantiis & accidentibus: Illam vero vel esse vniuersalem, seu generalem, vel particularem seu specialem, quarum prima solius Metaphysicæ est propria; altera vero ad diuersas artes particulares secundum diuersum considerandi modum pertinet.

2 *An diuisio entis incomplexi in substantiam & accidens sit legitima?*

Thesis affir. defenditur. Ratio I. STatuitur sententia affirmatiua propter sequentes rationes: 1, Quia hæc diuisio entis incomplexi habet partes cum diuiso consentientes, & inter se dissentientes. Omnis enim substantia omneque accidens (quale hoc loco intelligitur) est ens incomplexum, neq; vnquam vel substantia potest esse accidens, vel accidens substantia. II. 2, Quia adæquata est suo diuiso, eoque neque angustior neque latior. Nullum enim ens incomplexum esse, vel inueniri potest, quod sub alterutrum diuisionis membrum non cadat. Neque aliquid vel substantia vel accidens esse potest (quale hoc loco intelligitur) quod sub ente incomplexo non contineatur. III. 3, Quia hæc diuisio ab omnibus Philosophis antiquis; præsertim vero ab Archyta Tarentino & Aristotele, eorumque sectatoribus semper fuit approbata, & pro principio verissimo ac certissimo in scholis vsurpata.

Pro thesi neg. Argum. I. Cæterum vt eius diuisionis veritas eo clarior ac illustrior reddatur, age, consideremus & examinemus argumenta, quibus impugnari posse videtur, inter quæ sunt hæc tria præcipua: 1, Quia datur medium inter Substantiam & Accidens, quod simpliciter neque est Substantia, neque Accidens, cuiusmodi in Logicis est argumentum, propositio, syllogismus: in physicis generatio & formæ essentiales accidentium. II. 2, Quia substantia quodam respectu potest esse accidens. Sic pili sunt accidentia capitis, folia accidentia arborum, plantæ accidentia terræ, &c. III. 3, Quia dantur quædam accidentia, quæ tamen entia simpliciter dici non possunt: ideoque neque sub diuisi ambitu comprehenduntur, vt sunt priuationes.

Responsio ad argum. Ad primum argumentum respondeo, impossibile esse, vt inter substantiam & accidens detur medium, quod sit quidem ens incomplexum; & tamen neque substantia, neque accidens; cum differentiæ illæ (per se subsistere & non subsistere) à quibus diuisio entis incomplexi sumi-

ſumitur in ſubſtantiam & accidens, contradictorie opponantur, & ex conſequente ſint immediatæ. Quod vero ad exempla attinet, dico illa, quæ ex Logica afferuntur, ſi ratione rerum conſiderentur, non eſſe entia incomplexa, ſed complexa; ideoque ad præſentem quæſtionem nihil pertinere. Quæ vero ex Phyſica adducuntur, illa eſſe accidentia. Ad alterum argumentum reſpondeo, ſubſtantiam nullo reſpectu poſſe eſſe Accidens, quatenus vocabulum *accidentis*, ſumitur pro certa ſpecie entis incomplexi ſubſtantiæ oppoſita; tum quia perpetua eſt repugnantia inter ſpecies proximas eiuſdem generis, cuiuſmodi ſunt ſubſtantia & accidens; tum, quia definitio eſſentialis accidẽtis nullo reſpectu poteſt competere ſubſtantiæ, ſine manifeſta contradictionis implicatione. Quando igitur pili dicuntur eſſe accidentia capitis, folia arborum, plantæ terræ, tunc vocabulũ *accidentis*, improprie ſumitur pro adiuncto, ſeu omni eo, quod extra eſſentiam alterius entis eſt; non vero proprie pro ſpecie entis incomplexi à ſubſtantia diſtincta. Ad tertium argumentum reſpondeo, non omnia accidentia illa diuiſione comprehendi, ſed tantum poſitiua, hoc eſt, ea, quæ entis incomplexi naturam participant: ideoque exemplum priuationum nihil facere ad impugnandam diuiſionem; cum illæ ſint non entia. *II.* *III.*

3 *Vtrum ens incomplexum ſit genus vniuocum ſubſtantiæ & accidentis?*

SI vocabulum *ſubſtantiæ*, generaliter ſumatur prout ſuo ambitu complectitur ſubſtantiã tam increatam, quam creatã; ſic theſis negatiua quæſtionis eſt vera. Ens enim incomplexum non vniuoce, ſed analogice prædicatur de ſubſtantia increata & creata, quemadmodum tradidimus lib. 1. cap. 3. P. 12. Si vero ſpecialiter ſumatur pro ſola ſubſtantia creata, ſic concedi poſſe videtur, Ens incomplexum eſſe genus vniuocum ſubſtantiæ & accidentis; ſiquidem ex æquo prædicatur de vtraque ſpecie ſibi ſubiecta. Neque obſtat, quod ſubſtantia nobilius ens ſit incomplexum, ac accidens. Illa enim præſtantia qua vna ſpecies antecellit alteram, non tollit identitatem eſſentiæ generalis, ſeu æqualem generis participationem. Nam & homo nobilius animal eſt quam beſtia; neq; tamẽ inde ſequitur, animal nõ eſſe genus vniuocum

Quæſtio deciditur per diſtinctionem. *Obiectio.* *Reſponſio.*

hominis & beſtiæ. Proinde quando Ariſtoteles inquit, ens primario dici de ſubſtantia; ſecundario de accidente; id aut verum non eſt, aut intelligendum eſt vel de ſubſtantia in genere accepta, vel de præſtantia qua ſubſtantia accidens antecedit: Et ſic noſtræ ſententiæ non aduerſatur.

4 *Quid ſit ſubſtantia in genere?*

Duo theoremata præmittuntur. IN veſtibulo huius probl. ante omnia duo theoremata ſunt obſeruanda. Primum eſt, quod vocabulum Subſtantiæ, ſicut etiam Græcum οὐσία, ſit æquiuocum ſeu
I. ambiguum, & modo ſumatur pro eſſentia cuiuſque entis, quæ definitione ſolet explicari; quo ſenſu ſubſtantiale etiam ſæpe pro eſſentiali ſumitur; modo vero pro certa ſpecie entis incomplexi accidenti oppoſita, ab eaque eſſentialiter diſtincta; in qua ſignificatione hoc loco
II. vſurpatur. Alterum theorema eſt, ſubſtantiam in Latina lingua dici à *ſubſtando*, non tantum quatenus ſubſtare idem eſt ac ſubeſſe, ſeu ſubiici accidentibus; ſed etiam, quatenus idem valet ac ſubſiſtere. Hinc Iſidorus lib. 2. Etymologiæ, cap. 27. & Auguſtinus lib. 7. de Trinitate, cap. 4. Subſtantiam à *ſubſiſtendo* dictam eſſe volunt, cui etiam notationi adſtipulatur Græca vox οὐσίας, quæ
Diuerſa definition. Subſtãtia recenſ. ab *eſſendo* fuit dicta. Porro quod ad definitionem ſubſtantiæ generaliter ſumptæ, attinet, illa à diuerſis Autoribus diuerſimode traditur. Archytas Tarentinus in libro περὶ
I. τῶν καθολικῶν λόγων δέκα, definit ſubſtantiam, quod ſit πρᾶ-
II. γμα αὐθύπαρκτον: hoc eſt, *res per ſe ſubſiſtens.* Quam definitionem etiam retinet Damaſcenus cap. 30 & 39. Dialecticæ; ſed explicationis gratia quædam verba hoc modo addit, οὐσία ἐστὶ πρᾶγμα αὐθύπαρκτον, μὴ δεόμενον ἑτέρου πρὸς
III. σύστασιν, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ ὄν, hoc eſt, *Subſtantia eſt res per ſe ſubſiſtens, non indigens alio ad conſtitutionem, ſed in ſeipſo exiſtens.* Cum qua etiam conſentit definitio Fonſecæ, quam tradit lib. 2. Inſtit. Dialect. cap. 10. *Subſtantia eſt ens reale per ſe ſubſiſtens,* hoc eſt, vt ipſe autor ibidem explicat, *non exiſtens*
IV. *in alio tanquam in ſubiecto inhæſionis.* Philippus vero Melanchthon definit ſubſtantiam, modo, *ens, quod proprium eſſe habet, nec eſt in alio, vt habens eſſe in ſubiecto:* modo, *ens, quod proprium eſſe habet, & ſuſtinet accidentia.* Prior definitio cum ſuperioribus in ſenſu plane congruit. Poſterior vero anguſtior eſt ſuo definito, cum ſoli ſubſtantiæ

creatæ competat, non vero increatæ; quippe quæ nulla accidentia sustinet, vt suo loco probabitur. Ad imitationem igitur præcedentium definitionum nos quoque substanriam in genere definiuimus, quod sit *ens incomplexum per se subsistens*. Per *ens* autem intelligimus cum Fonseca *ens reale*, quod Græce vno vocabulo proprie dicitur πϱᾶγμα, Latine *res*. Nullum enim ens rationis est substantia, sed omne est accidens. Addidimus vero *Ens incomplexum*, vt excludamus ens complexum, quod neque substantia, neque accidens dici potest. Loco vero differentiæ specificæ, qua substantia distinguatur ab accidente, posuimus *Per se subsistere*, quod nihil aliud est, quam absque subiecto inhærentiæ subsistere, seu non indigere subiecto inhærentiæ, ad sui existentiam. Etsi vero per se subsistere non est de essentia substantiæ, sed potius proprietas, quæ essentiam substantiæ consequitur; tamen in definitione substantiæ vicem complet differentiæ specificæ, quæ nondum satis adhuc à Philosophis est cognita ac perspecta. *Propria definitio substãtiæ traditur & explicatur.*

5 *An omnis substantia sit res singularis?*

Statuitur sententia negatiua. Substantia enim alia est singularis, alia vniuersalis; quarum prior ab Aristotele in Categoria dicitur *prima substantia*; posterior, *secunda substantia*. Ac substantia quidem singularis dicitur illa, quæ conditionibus indiuiduantibus est circumscripta. Vniuersalis vero quæ à conditionibus indiuiduantibus est exempta. Et huius natura, causæ, proprietates & species partim in Metaphysica, partim in Physica absolute considerantur & explicantur. *Thesis negat. defend.*

Cæterum in contrariam sententiam obiici possunt hæc argumenta; 1, *Omne vniuersale est ens rationis: Nulla substantia est ens rationis: Ergo nulla substantia est vniuersalis.* 2, *Omnis substantia per se subsistit: Nullum vniuersale per se subsistit: quia non est nisi in animo hominis: Ergo nullum vniuersale est substantia.* 3, *Omnis substantia edit ex se actiones aliquas: Nullum vniuersale edit ex se actiones aliquas;* quia hæ sunt propriæ suppositorum, id est, substantiarum singularium: *Ergo nullum vniuersale est substantia.* 4, *Omnis substantia hoc aliquid significat:* siquidem Aristoteles in Categor. Substantiæ inter proprietates substantiæ numerat etiam hanc, nempe significare *hoc aliquod,* *Nullam substan esse vniuers. Argum.* I. II. III. IV.

Nullum vniuersale significat hoc aliquid. Ergo, &c. 5, *Nulla substantia de subiecto aliquo prædicatur: Atqui omne vniuers. le de subiecto aliquo prædicatur: Ergo*, &c. Præmissæ sunt Aristotelis in lib.7. Metaph. cap.13. vbi Philosophus inquit, οὐσία μὲν λέγεται τὸ μὴ καθ' ὑποκειμένου, τὸ δὲ καθόλου, καθ' ὑποκειμένου τινός, hoc est, *Substantia quidem dicitur quæ non*
VI. *prædicatur de subiecto, sed vniuersale prædicatur.* 6, Idem Aristoteles in citato loco expresse asserit, οὐδὲν τῶν καθόλου ὑπαρχόντων οὐσίαν εἶναι, hoc est, *Nihil eorum, quæ vniuersaliter existunt, substantiam esse*; & hanc suam thesin multis argumentis probat.

Responsio ad argum. I. & II. Respondeo, in prioribus duabus obiectionibus committitur paralogismus partim æquiuocationis, partim ignorationis elenchi. Vocabulum enim *vniuersale*, sumitur apud Philosophos modo pro re vniuersali extra animum reipsa existente: modo pro conceptu vniuersali, qui simulachrum est rei vniuersalis in animo existens. In priore significatione falsa est propositio primi syllogismi, & assumptio secundi. In posteriore vero vtraque est vera; sed conclusio hoc respectu non opponitur thesi
III. nostræ. In tertia obiectione negatur assumptio, eiusque probatio. Actiones enim aliæ sunt singulares, aliæ vniuersales, ex quibus illæ sunt propriæ rerũ vniuersalium;
IV. & V. hæ vero singularium. In quarta & quinta obiectione propositio tantum vera est de substantia prima seu singulari; non vero de substantia vniuersali. Idem respon-
VI. deo ad locum ex cap. 13. lib.7. Metaphys. citatum. In illo enim toto capite Philosophus tantum loquitur de substantia prima. Et hoc manifeste patet, tum ex aliis argumentis, tum ex his duobus, quibus probat Aristoteles, *nullum vniuersale esse substantiam*; quia prima cuiusque substantia est, quæ alii non inest. *Vniuersale autem est commune*, hoc est, natura aptum pluribus inesse. 2, quia nullum vniuersale, *hoc aliquid* significat. Iam autem significare *hoc aliquid*, quemadmodum Zabarella monet in Tabulis Logicis, soli primæ substantiæ conuenit, non secundæ. Ratio est, quia sola prima significat vere vnum, quod non est diuisibile in plura, & ideo demonstrabile, & vere *hoc aliquid*.

6 An

6 *An substantia vniuersalis vere insit in substantia singulari, & quomodo?*

STatuitur sententia affirmatiua; eaque probatur sequentibus rationibus: 1, *Quicquid vere de substantia singulari prædicatur, id etiam vere in ea inest: Atqui substantia vniuersalis vere de substantia singulari prædicatur: Ergo etiam vere in ea inest.* Propositionis ratio est, quia dici de aliquo requirit inesse, & oratio eatenus est vera, quatenus congruit cum ipsis rebus, iuxta illud Aristotelis, *οἱ λόγοι ἀληθεῖς ὥσπερ τὰ πράγματα.* Vnde etiam modus prædicandi, si debet esse verus, necesse est vt in modo essendi sit fundatus. Assumptio probatur: quia homo & animal sunt substantiæ vniuersales, & vere prædicatur de Socrate, Platone & Aristotele. 2, Quia vniuersale in genere definitur quod natura aptum est pluribus inesse, vt habetur lib. 7. Metaph. cap. 13. Cum igitur hæc definitio competat etiam substantiæ vniuersali, sequitur illam etiam vere inesse substantiæ singulari. 3, Quia sublatis substantiis singularibus, tolluntur etiam substantiæ vniuersales, teste Aristotele in Categoria Substantiæ, vbi ait: *μὴ οὐσῶν τῶν πρώτων οὐσιῶν ἀδύνατον τῶν ἄλλων τι εἶναι*, hoc est, *primis substantiis non existentibus, impossibile est aliquid aliarum existere.* Ergo necesse est substantiam vniuersalem vere inesse substantiis singularibus. Sed obseruandum diligenter est; 1, substantiam vniuersalem inesse singulari, *οὐσιωδῶς*, hoc est, *essentialiter*, quemadmodum genus & species insunt suis indiuiduis, non vero *ἐνουσιωδῶς*, hoc est, *accidentaliter*, prout accidentia insunt in subiecto inhærentiæ. 2, substantiam vniuersalem inesse singulari mediate, quatenus generis rationem habet; immediate vero quatenus habet rationem speciei infimæ. Atque hinc facile occurri potest obiectioni illorum qui asserunt, Substantiam vniuersalem non per se subsistere, propterea quod dicitur *inesse in substantia singulari.* Neque enim illa inest in singulari, vt accidens in subiecto inhærentiæ, sed vt genus vel species in suo indiuiduo.

Thesis affir. d fend.

Ratio I.

II.

III.

Obseruatio. I.

II.

7 *An vniuersalis substantia sit præstantior singulari?*

ARistoteles in Categoria Substantiæ videtur statuere primā seu singularem substantiam esse præstantiorem secunda seu vniuersali; tum quia substat tanquam fundamentum primæ substantiæ; tum quia sublata in

Vniuersalis substantia præstantior singulari.

vniuersum prima substantia, necesse est simul tolli secundam substantiam. At contra vniuersalem esse præstantiorem singulari, videtur non leuioribus argumentis posse astrui. 1, Quia inter creaturas substantia singularis totam suam essentiam tam genericam, quam specificam accipit a substantia vniuersali. 2, Quia substantia singularis, exceptis paucis exemplis, non semper eadem permanet; sed variis mutationibus est obnoxia: substantia vero vniuersalis semper eadem permanet, & extra mutationis aleam est posita. 3, Quia omne bonum quo est communius & pluribus sese communicat, eo est præstantius: Vniuersalis autem substantia est bonum communius inter creaturas, quam substantia singularis, pluribusque sese communicat. Ergo, &c. 4, Quia sublata substantia vniuersali, necesse est etiam singularem tolli: Si enim animal & homo non essent in rerum natura, neque vllum indiuiduum humanum amplius existere posset. Concludimus igitur, sententiam Aristotelis non simpliciter esse veram; cum etiam certo respectu substantia vniuersalis possit esse præstantior singulari.

Ratio I. *II.* *III.* *IV.*

8 *An substantia alia sit incompleta, alia completa?*

Quæstio deciditur per distinct.

VSitata est apud Scholasticos diuisio substantiæ in *incompletam* & *completam*. Per *incompletam* intelligunt, quæ per se ordinatur ad alterius substantiæ compositionem, seu complementum, cuiusmodi sunt illæ, quæ habent rationem partis, vel essentialis vel integralis. *Completam* vero vocant, quæ rationem partis non suscipit, neque alterius substantiæ compositionem ingreditur. Verum hæc diuisio nisi sano modo intelligatur ac explicetur, non potest concedi. Est enim vera duntaxat de substantia quatenus respectiue consideratur, vel vt pars, vel vt totum. Omnis enim pars, qua pars, est ens incompletum, quia totum non est, sed ad totius constitutionem ac complementum per se ordinatur. Contra vero omne totum, qua totum est ens completum, quia ex partibus suis omnibus constat ac perficitur. Falsa autem est eadem diuisio de substantia absolute considerata, sine respectu vel partis vel totius. Omnis enim eiusmodi substantia in suo genere est perfecta & completa, & nulla imperfecta & incompleta; tametsi instituta comparatione vna perfectior vel imperfectior,

quam

quam altera vere esse ac dici possit. Non igitur hæc diuisio tam est generis in species, quam subiecti in sua adiuncta, eaque non absoluta, sed respectiua.

9 *An idem sit substantia ac suppositum?*

VSitatissimum est apud Scholasticos vocabulum *suppositi*. Ideoque non sine causa quæritur, *vtrum substantia idem sit ac suppositum*. Sciendum autem, substantiam latius patere quam suppositum. Licet enim omne suppositum sit substantia; tamen non omnis substantia est suppositum. Siquidem substantia alia est *vniuersalis*, alia *singularis*. Ac *vniuersalis* quidem substantia nunquam à Scholasticis dicitur *suppositum*; sed duntaxat *singularis substantia*, eaque non omnis; sed illa tantum, quæ *completa* est, hoc est, quæ rationem partis non suscipit, neque alterius substantiæ compositionem ingreditur. Hinc suppositum ab iisdem definiri solet, quod sit substantia completa incommunicabilis, vt videre est apud Fonsecam lib. 5. Metaph. cap. 8. quæst. 5. sectio. 3. vbi prolixe de definitione suppositi disserit. Etsi vero Fonseca & Franciscus Suarez asserunt, primam substantiam & suppositum in creaturis idem esse, ac inter se conuerti: tamen per primam substantiam non intelligunt quamlibet substantiam, sed tantum illam, quæ in serie prædicamentali substantiis vniuersalibus, directè subordinatur, cuiusmodi est, *Substantia singularis completa*, vt ab ipsis appellatur.

Substantia latius patet quam suppositum.

Suppositum quid sit.

10 *An idem sit suppositum, quod persona?*

STatuitur sententia negatiua. Suppositum namque latius patet quam persona. Licet enim omnis persona (quatenus vocabulum illud certam substantiæ singularis quasi speciem significat) sit suppositum; tamen non omne suppositum est persona. Definitur siquidem suppositum, vt in præcedenti Problem. traditum fuit, quod sit substantia completa, incommunicabilis; & sic suo ambitu complectitur omnes substantias creatas singulares & completas, siue sint viuentes siue vitæ expertes, siue intelligentes, siue intelligentiæ expertes. Persona vero definitur à Boetio in lib. de duabus naturis, & vna persona Christi, pag. 3. quod sit *rationalis natura indiuidua substantia*, hoc est, vt alii explicant, *intelligentis natura incommunicabilis substantia*. Cum qua etiã definitione con-

Suppositum latius patet quam persona.

Persona quid sit.

ſentit non tantum illa quæ à Fonſeca traditur Lib. 5. Metaph. cap. 8. Q. 5. ſect. 3. *Perſona eſt ſuppoſitum intellectualis naturæ:* ſed etiam illa, quæ à Zanchio lib. 1. de tribus Elohim, & vno Iehoua, cap. 2 ex communi Patrum Latinorum conſenſu aſſertur, vbi ſic ait: *Definitio perſonæ quam afferre ſolent viri docti retinenda eſt, vt pia, vera, & ſcripturæ conſentanea totique Eccleſiæ probata*; quæ hæc eſt: *Perſona eſt ſubſtantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis.*

Obſeruatio. Vbi etiam obſeruandum eſt vocabulum, *perſona*, in Scriptura ſacra reperiri non tantum, quatenus ſignificat qualitatem, figuram, formam externam, qua vnus homo ab alio differt: quo ſenſu Deus dicitur non eſſe προσωπολήπτης, neque προσωποληψία apud ipſum eſſe; ſed etiam quatenus ſignificat certam ſubſtantiæ ſingularis quaſi ſpeciem. In hac enim ſignificatione vſurpatur in 2. ad Corinth. cap. 1. verſ. 11. interprete Eraſmo, Caſtellione, Beza, Luthero & aliis. Item 2. ad Corinth. 4. v. 6. interprete Caſtellione, à quo tamen alii interpretes diſſentiunt.

11 *An idem ſit hypoſtaſis quod perſona?*

Vox, ὑπόστασις eſt ambigua. VOcabulum Græcum ὑπόστασις, eſt valde ambiguum. Nam 1, ſumitur pro ipſo actu ſubſiſtēdi, qui proprie dicitur ſubſiſtentia. 2, pro ſubſtantia vera oppoſita falſæ, ſeu apparenti: quo ſenſu Ariſtoteles in lib. de Mundo, c. 4. ait: τῶν ἐν ἀέρι φαντασμάτων τὰ μὲν εἶναι κατ' ἔμφασιν, τὰ δὲ καθ' ὑπόστασιν. 3, pro omni eo, quod ſubeſt alteri; quo ſenſu fundamentum in ædibus, feces in vino, ſedimentum in vrina Græce dicitur ὑπόστασις. 4, pro ipſo ente, quod ſubſiſtit, quod proprie dicitur ὑφιστάμενον. 5, pro eſſentia entis: quo ſenſu Patres Concilii Sardienſis cenſuerunt, vt eſt apud Theodoretum in Eccleſiaſtica hiſtoria, lib. 2. cap. 8. *vnam eſſe hypoſtaſin Patris, Filii & Spiritus ſancti.* 6, pro ſuppoſito naturæ intelligentis: quo ſenſu Græci Patres in diuina eſſentia *tres hypoſtaſes* eſſe aſſerunt. Et Dionyſius Areopagita, qui Apoſtolorum coætaneus fuiſſe perhibetur, in lib. De cœleſti Hierarchia vocat *diuinam eſſentiam, vnitatem τρισυπόστατον*, hoc eſt, *in tribus hypoſtaſibus ſubſiſtentem.*

I. ſignif. II. III. IV. V. VI.

Quæſtio deciditur per diſtinctionem. Quod ſi igitur vocabulum *hypoſtaſis*, in vltima ſignificatione accipiatur, tunc idem plane eſt quod *perſona*. Si vero in aliis ſignificationibus ſumatur, concludo illam ab hac plane differre. Atque

que hæc ambiguitas etiam est causa, cur in c. 1. epistolæ ad Hebræos v. 5. cum filius dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, vox ὑποστάσεως, ab aliis reddatur *persona*, ab aliis *essentia*, ab aliis *substantia*.

12 *An idem sit persona quod natura?*

VOcabulum *Natura*, sicut & Græcum οὐσίας vel φύσεως per se quidem est homonymum & πολύσημον: sed in hoc problemate sumitur in ea tantum significatione, in qua vsurpatur à Theologis in doctrina de Deo, & de persona Christi. Et sic dicimus non idem esse *personam*, quod *naturam*; sed illam ab hac multum differre. Per *naturam* enim sic limitatam nihil aliud intelligitur, quam essentia substantiæ intelligentis, siue ea sit vniuersalis, vt humanitas, siue singularis, vt Platonitas. Per *personam* vero intelligitur, vt antea dictum fuit, substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis. Ex quo patet, tale esse discrimen inter personam & naturam, præsertim in creaturis, quale est inter ens & essentiam entis; inter substantiam & essentiam substantiæ; inter concretum & abstractum; inter incommunicabile, & communicabile; inter subsistens & non subsistens, seu, vt clarius Græce loquar, inter αὐθυπόστατον & ἀνυπόστατον. De qua re consuli potest præter Scholasticos etiam doctissimus Theologus Zanchius, in libr. 1. de tribus Elohim, & vno Iehoua, cap. 2. vbi prolixe discrimen inter οὐσίαν & ὑπόστασιν exponit, & inter alia docet, naturam seu essentiam esse id, quo quidque est quod est, ac proinde, exempli gratia, naturam humanam, qua homo est homo, esse essentiam hominis, & essentiam hominis esse ipsam naturam humanam.

Thesis negatiua defenditur cũ distin.

Natura quid.

Persona quid.

Discrimẽ inter naturam & personam.

13 *An ex non substantia possit fieri substantia?*

SEntentiam negantem statuit Aristoteles libr. 1. Physicæ auscult. cap. 6 & lib. 7. Metaph. cap. 13. Ratio præcipua est, quia impossibile est causatum toto genere præstantius esse sua causa principali. Ergo cum substantia toto genere præstantior sit non substantia, sequitur ex non substantia non posse fieri substantiam. Sed videtur in contrariam partem obiici posse exemplum illarum substantiarum, quæ à Deo fuerunt ex nihilo creatæ, &, per consequens ex non substantia, cuiusmodi sunt angeli, materia prima, &c. Vt igitur huic obiectioni oc-

Thesis affir. defend. cum distinct.

Obiectio.

Responsio. curratur, sciendum est sententiam Aristotelis esse veram, ac intelligendam de naturali, non supernaturali productione substantiarum. Hoc enim vult Philosophus, substantiam non posse naturaliter fieri ex non substantia tanquam ex materia, neque componi ex non substantiis tanquam ex partibus essentialibus vel integralibus; sed semper necesse esse vt materia & partes substantiæ sint substantiæ.

14 *An ex duabus substantiis in actu perfecto possit fieri vna substantia per se?*

Pro thesi neg. est Aristot. ETsi hoc problema facile decidi potest ex proble. 6. supra in libr. 2. cap. 2. tradito; tamen vt eius veritas clarius innotescat, visum fuit hoc loco illam paucis attingere. Ac videtur quidem Arist. thesin negantem defendere. Sic enim lib. 7. cap. 13. *ἀδύνατον οὐσίαν ἐξ οὐσιῶν εἶναι ἐνυπαρχουσῶν ὄντων ὡς ἐντελεχείᾳ*, hoc est, *impossibile est, substantiam esse ex substantiis quæ sic insunt, vt actu.* Item paulo post, *μήτ' ἐκ οὐσιῶν ἐνδέχεται ἐντελεχείᾳ εἶναι μηδεμίαν οὐσίαν σύνθετον*, id est, *Nec ex substantiis actu contingit vllam substantiam esse compositam.* Rationes ipsius principales

Ratio I. sunt duæ: 1, Quia quæ sic actu sunt, nunquam sunt vnum actu; sed si potentia duo sint, erunt vnum, vt duplum ex duobus dimidiis potentia: Actus namque separat. Idcirco si substantia est vnum, non erit ex substantiis existentibus Impossibile namque est, vt ait Democritus, ex duo-

II. bus esse vnum. 2, Quia sicut dualitas non est vna, si composita sit ex duabus vnitatibus actu existentibus; ita neque substantia est vna, quæ ex duabus substantiis actu existentibus est composita.

Sententia Aristotelis refutatur. Verum hæc sententia Aristotelis videtur non esse approbanda, cum & creatio & generatio physica corporum naturalium testetur, non tantum ex duabus actu substantiis, quarum vna habet rationem materiæ, altera formæ, fieri vnam substantiam physicam per se; sed etiam ex compluribus partibus substantialibus actu simul vnitis, fieri vnum totum substantiale per se. Et hæc etiam

Scholasticorū interpretatio quatenus sit vera. causa est, cur Scholastici ad emolliendam sententiam Aristotelis asserant, *ex duabus substantiis completis non posse fieri vnam completam per se, sed ex duabus tantum incompletis* Quod quidem verum est de substantiis respectiue consideratis, quatenus habent rationem partis vel totius.

totius. Ex duabus enim ſubſtantiis, quatenus ſunt tota, non poteſt fieri vnum totum per ſe; ſed tantum, quatenus partis rationem induunt. Falſum autem eſt de ſubſtantiis abſolute conſideratis ſine reſpectu. Homo enim compoſitus eſt ex corpore organico & anima rationali, quæ ſi abſolute conſiderentur, ſunt ſubſtantiæ in ſuo genere perfectæ; tametſi, quatenus rationem partium ſuſcipiunt, poſſunt dici ſubſtantiæ incompletæ.

Concludo igitur ex duabus ſubſtantiis in actu perfecto poſſe fieri vnam ſubſtantiam per ſe. Sed reliquum eſt vt ad argumenta Ariſtotelis reſpondeam. In primo concedo duo actu nunquam eſſe vnum actu: Eſt enim manifeſta implicatio contradictionis. Sed nego ex duobus actu, non poſſe fieri vnum actu, e. g. ex materia & forma, quæ ſunt duæ actu ſubſtantiæ, non poſſe fieri vnum actu corpus naturale. In altero nego dualitatem non eſſe vnam, ſi ex duabus vnitatibus actu inexiſtentibus ſit compoſita. Numerus enim ſimplex eſt multitudo ex vnitatibus compoſita; & tamen quælibet eius ſpecies recte dicitur vna.

Concl. vera. *Reſponſio ad argum. Ariſtot.* *I.* *II.*

15 *An ſubſtantia natura prior ſit accidente?*

AD hoc problema non niſi per diſtinctionem reſponderi poteſt. Subſtantia enim conſideratur vel abſolute, quatenus eſt certa ſpecies entis ab accidente diſtincta; idque vel generaliter, vel ſpecialiter; vel reſpectiue, quatenus eſt ſubiectum accidentis. Si abſolute & generaliter conſideretur, hoc modo ſubſtantia natura prior eſt accidente. Subſtantia enim increata fuit, antequam vllum accidens eſſet. Imo poſtquam accidens eſſe cœpit, tamen origine naturali prius fuit ſubſtantia creata generaliter accepta, quam accidens. Si vero ſubſtantia reſpectiue conſideretur quatenus eſt ſubiectum, hoc modo ſubſtantia natura prior non eſt accidente ſibi inhærente, ſed cum eo ſimul. Denique ſi ſubſtantia conſideretur abſolute & ſpecialiter; ſic accidens natura prius eſſe poteſt ſubſtantia. Antequam enim, e.g. homo à Deo eſſet creatus, tum extabant accidentia reliquarum ſubſtantiarum concreata. Atque hinc facile diiudicari ac intelligi poſſunt dicta Ariſtotelis, quorum primum habetur lib. 7. Metaph. c. 1. *Omnium primum ens eſt ſubſtantia & ratione & cognitione, & tempore & natura.* Alterũ in eodem

Quæſtio deciditur per diſtinctionem.

libro cap. 13. *Nec ratione, nec tempore, nec generatione possibile est passiones priores esse substantia.*

16 *An omnis substantia per se subsistat?*

Pro thesi affirmante. STatuitur sententia affirmatiua, eaque probatur sequentibus rationibus: 1. Quia substantia in genere definitur, quod sit ens incomplexum per se subsistens, vt
Ratio I. patet ex Probl. 4. supra tradito. 2, Quia proprietas essen-
II. tialis substantiæ in genere sumptæ, est, non esse in subiecto, scilicet inhærentiæ, vt docet Aristoteles in Categoria Substantiæ. Nihil enim aliud est per se subsistere,
III. quam non esse in subiecto inhærentiæ. 3, Quia omne ens incomplexum quod non per se subsistit, est accidens, & nullo modo substantia; cum definitio substantiæ ei non competat.

Obiectio. At contra hanc sententiam obiici possunt tria potissi-
I. mum argumenta: 1, *Quicquid in alio subsistit, id non per se subsistit: Atqui quædam substantiæ in alio subsistunt: Ergo quædam substantiæ non per se subsistunt.* Propositionis ratio est, quia opponuntur inter se *per se subsistere*, & *in alio subsistere.* Hinc F. Suarez disput. 32. sect. 1. ait: *Ens vel est per se vel in alio.* Ens per se constituit substantiam: Ens vero in alio constituit accidens. Assumptio probatur, 1, Quia secundæ substantiæ subsistunt in primis. 2, quia partes substantiales subsistunt in toto. 3, quia animæ plantarum & bestiarum subsistunt in corporibus earum, & ex-
II. tra illa nusquam reperiuntur. 2, *Quicquid ab alio dependet, sustentatur & conseruatur, id non per se subsistit: Atqui omnis substantia creata ab alio dependet, sustentatur & conseruatur: Ergo nulla substantia creata per se subsistit.* Assumptio probatur, quia omnis substantia creata a Deo dependet, sustentatur & conseruatur. Et hoc testatur etiam Aristoteles in libro De mundo, cap. 6. dum ait: *Ex Deo sunt omnia, & per Deum nobis constant.* Nulla enim natura ipsa per se sibi est sufficiens, si destituatur diuinæ conserua-
III. tionis adminiculo. 3, *Quod solius Dei est proprium, id aliis substantiis attribui nequit: Atqui per se subsistere solius Dei est proprium.* Is enim vere est αὐτοῶν seu πρᾶγμα αὐθύπαρκτον. *Ergo*, &c.

Solutio I. obiect. Ad primum argumentum respondeo, esse in eo elenchum ambiguitatis in phrasi illa *subsistere*, seu *esse in alio*,

que variis modis sumitur. Quandoque enim idem significant ac esse in subiecto inhærentiæ; quandoque idem ac esse in loco; quandoq; idem ac inesse, vel vt genus, & species in suis indiuiduis, vel vt partes in toto, &c. Quod si igitur in syllogismo proposito *subsistere in alio* idem significat, ac *esse in subiecto inhærentiæ*, sic propositio est vera, sed falsa assumptio eiusq; probatio: Siquidem eo modo neque substantia secunda subsistit in prima; neq; partes in toto, neq; animæ plantarum & bestiarum in earum corporibus. Si vero idem significat, ac *esse in alio*, vel tanquam genus & species in indiuiduis, vel tanquam partes in toto, vel tanquam locatum in loco, sic assumptio est vera, sed falsa propositio. Idem enim potest recte dici *per se subsistere*, & *subsistere in alio* triplici illo modo paulo superius à me nominato. Ad alterum argumentum respondeo per inficiationem propositionis. *II.* Non enim pugnat inter se aliquid per se subsistere, hoc est, non indigere subiecto inhærentiæ ad sui existentiam, & ab alio dependere, sustentari ac conseruari; cum vtrumque omni substantiæ creatæ vere attribui possit. Ad tertium argumentum respondeo per inficiationem assumptionis. *III.* Non enim *per se subsistere* est proprium solius Dei; sed *à se subsistere*, hoc est, ab alio principio in existendo non pendere.

17 *An omnis substantia sit capax accidentium?*

PRo thesi affirmante Problematis hæc argumenta possunt afferri. *Pro thesi affirmante.* 1. Quia substantia inde nomen habet, quod substet accidentibus. *Ratio I.* 2. Quia nulla substantia est cui non accidant quædam, quæ ad essentiam illius nihil pertinent. *II.* 3. Quia omnis substantia capax est alicuius vnitatis, qualitatis, relationis & motus, quæ entia omnia sunt accidentia. *III.* 4. Quia omnis substantia eadem numero manens capax est contrariorum, vt docet Arist. *IV.* in Categor. substantiæ. At contra obiici potest exemplum Dei, in quem Theologi propter summam essentiæ simplicitatem nullum accidens cadere posse statuunt: *Obiectio.* At Deus est substantia: Ergo non omnis substantia capax est accidentium. Hinc quidam thesin affirmantem quæstionis limitandam esse censent ad substantiam creatam, ita vt increata, cuiusmodi est Deus, ab ea excipiatur. Alii *Diuersæ aliorū sententiæ explicantur.*

I. vero distinguunt inter accidentia interna & absoluta, ac
II. externa seu respectiua. Ac illa quidem à Deo remouent,
III. cum nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus: Hæc vero eidem recte attribui posse asserunt. In quorum etiam numero est acutissimus Philosophus *Goclenius* in parte 1. Probl. Log. Probl. 40. Alii vero distinguunt inter accidentia proprie dicta, prout opponuntur substantiis, & inter accidentia improprie dicta, quatenus sumuntur pro adiunctis externis & adhærentibus.

IV. Ac illa quidem à Deo remouent, cum non possint existere nisi in subiecto inhærentiæ: hæc vero recte attribui Deo posse autumant, cum absolute Dei simplicitati non aduersentur. Alii denique asserunt, accidentia quidem nulla, qualia sunt in creaturis, cadere in Deum; sed tamen nos cogi in Deo quædam accidentium more concipere; Ideoque accidentia Deo attribui non proprie & realiter; sed improprie & συνθηματικῶς, seu vt Theologi loquuntur, ἀνθρωποπαθῶς. Atque in illorum numero est grauissimus Theologus Cyrillus in thesauro, cuius verba ex libr. 11. cap. 2. citat *Goclenius* in loco supra allegato, ad hunc modum: *Sapienter & vere dicitur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est. Sed tamen cogimur nonnunquam quasi accidentia, etiamsi non omnino accidant Deo, hæc dicere, & mente, accidentium more concipere.* Et paulo post: *Reliquum igitur est, vt voce modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus. Non enim potest humana natura magis aliquid, quam ipsa concipere possit, de Deo dicere.* Sed hac de re pluribus à nobis agetur in sequente capite, quod de Deo instituetur.

Responsio ad Argum. Pro thesi affirmante.

Quod igitur ad argumenta attinet, quæ pro thesi affirmante vniuersaliter accepta, fuerunt allata, in primo
I. nego substantiam inde nomen habere, quod *substet accidentibus*; cum potius à *substando* in significatione *subsistendi* videatur esse denominata. In altero concedo nul-
II. lam substantiam esse, cui non quædam accidant, quæ ad essentiam illius nihil pertinent; sed inde non sequitur, quod omnis substantia tam increata, quam creata sit capax accidentium proprie dictorum; quatenus oppo-
III. nuntur substantiis. In tertio concedo omnem substan-

tiam

tiam esse capacem alicuius vnitatis, qualitatis, relationis & motus: Sed nego illa entia in omni substantia tam increata quam creata esse accidentia proprie dicta. De quarto argumento quid sentiendum sit, ex peculiari Probl. intelligetur, quod in hoc capite de hac ipsa re tradetur. *IV.*

18 *An substantia recipiat magis & minus?*

ARistoteles in Categoria Substantiæ inter proprietates substantiæ ponit, *non recipere magis & minus*, hoc est, non posse intendi & remitti, seu non variari gradibus. Sed contra hanc proprietatem obiici potest: 1, quod ipse Aristoteles in citato loco primas substantias asserit esse magis substantias quam secundas. 2, quod recipere magis & minus nihil aliud sit quam alterari. Substantia vero proprie dicatur alterari, non accidens. Respondendum igitur est, substantiam non recipere magis & minus ratione suæ essentiæ. Infans enim ratione humanitatis non minus est homo, quam vir; neque mas magis homo, quam fœmina. Sic homo ratione animalitatis, non magis est animal quam bestia; neq. bestia minus animal, quam homo. Interim tamen negari non potest substantiam recipere magis & minus ratione accidentium, præsertim mutabilium & contingentium. Sic substantia prima dicitur magis substantia quam secunda, respectu modi, quo existit. Licet enim vtraque per se subsistat; tamen secunda non subsistit per se, nisi in prima fundetur. Similiter substantia proprie quidem dicitur *alterari*, ratione qualitatum mutabilium & contingentium; sed non ratione suæ essentiæ. Ratio huius diuersitatis est, quia essentia substantiæ, quemadmodum cuiusque entis ita est comparata, vt sit indiuisibilis secundum gradus. Vnde etiam ab Aristotele comparatur numero, cui si addas vel demas aliquid, statim essentia ipsius mutatur. Qualitates vero mutabiles sunt diuiduæ secundum graduum diuersitatem, quam in suis subiectis admittunt: Ideoque mirum non est, si secundum diuersos ac distinctos gradus à substantiis aliter, atque aliter recipiantur. Errat igitur Auerroes, dum formas substantiales elementorum ratione essentiæ suæ intendi ac remitti posse asserit.

Thesin negantem Arist. defend.
Obiectio. I. II.
Responsio ad obiectionem per distinct.
Error Auerroïs taxatur.

19 *An substantia nihil sit contrarium?*

Sententia Arist. exponitur & impugnatur.

SEntentiam negantem statuit Arist. in Categor. Substantiæ, eamque probat inductione tam primæ, quam secundæ substantiæ. Sed illa impugnari posse videtur, non tantum exemplis, sed etiam ratione. Exempla sunt, quia oui contrariatur lupus, columbæ accipiter, igni aqua; imo homini contrariatur bestia tanquam rationali irrationale; & Deo Diabolus, tanquam optimo pessimum. Ratio est, quia si substantiæ nihil esset contrarium, nulla ἀντιπάθεια posset reperiri inter corpora naturalia. Id quod pugnat cum communi experientia. Proinde nonnulli sententiam Aristot. ita interpretantur, vt statuant *substantiæ nihil esse contrarium* ratione essentiæ, sed duntaxat ratione accidentium.

Interpretatio aliorum exponitur & reiicitur.

Sed hæc interpretatio non potest consistere, cum homini ratione essentiæ sit contraria bestia; adeoque species oppositæ vnius generis essentialiter inter se sint contrariæ.

Sententia Arist. in bonũ sensum trahitur.

Melius ergo est respondere, effatum Aristotelis esse intelligendum de substantia absolute considerata, quatenus est substantia; non vero de substantia, quatenus consideratur talis vel talis, & per consequens, quatenus contrariis attributis ab aliis substantiis dissidet. Et in hoc sensu neque oui lupus, neque columbæ accipiter, neque igni aqua, neque Deo Diabolus, neque homini bestia contrariatur.

20 *An substantia eadem numero manens sit capax contrariorum?*

Sent. Arist. exponitur & impugnatur.

ARistoteles in Categoria Substantiæ maxime proprium substantiæ esse ait, *vt eadem numero manens sit capax contrariorum.* Sed ex aduerso obiici potest:

Obiectio.

I. 1, contraria non posse simul esse in eodem numero subiecto.
II. 2, ignem non esse capacem tam frigoris, quam caloris; neque niuem tam nigredinis quam albedinis.
III. 3, Deum esse substantiam, neque tamen capacem contrariorum.

Responsio ad obiectionem.

Vt igitur his obiectionibus occurratur, respondendum esse videtur
I. 1, substantiam esse capacem contrariorum, non simul, sed successiue.
II. 2, substantiam esse capacem contrariorum, quatenus neutrum cum eius natura & adiunctis essentialibus pugnat: Ideoq; neq; ignem frigoris, neque niuem nigredinis per naturam esse capacem; cum frigus cum igni, & nigredo cum niuis natura pugnet.
III. 3, effatum Aristotelis proprie esse intelligendum de substantia

tia creata. Interim tamen improprie & ἀνθρωποπαθῶς etiam Deum dici posse capacem contrariorum, qualia sunt amor & odium, clementia & seueritas, electio & reprobatio, saluatio & damnatio, & id genus alia.

21 *An omnis substantia sit incommunicabilis?*

STatuitur sententia negatiua. Nam 1. omnis substantia secunda seu vniuersalis est communicabilis, quia per naturam apta est pluribus inesse. 2. Inter substantias primas & singulares etiam Deitas est communicabilis respectu personarum diuinarum; tametsi plane sit incommunicabilis ratione creaturarum. Proinde thesis affirmatiua problematis tantum vera est. 1. de personis diuinis. 2. de substantiis primis seu singularibus creatis. *Pro thesi negante. Argum. I.*

De Substantia increata, nempe Deo,

CAPVT II.

THEOREMATA.

1 *Substantia alia est increata, alia creata.*

2 *Substantia increata est, quæ à seipsa & per seipsam existit. Et hæc nulla alia est, quam solus* Deus.

3 *Est autem Deus ens primum, simplicissimum, & perfectissimum, principium omnis boni in natura.* *Deus quid sit.*

4 *In eoque secundum nostrum concipiendi modum consideranda veniunt duo in genere, essentia & attributa diuina.*

5 *Essentia diuina est actus purus, per quem Deus est id, quod est & ab aliis omnibus entibus discernitur.*

6 *Eaque non est vniuersalis, sed singularis, neque vel genere, vel specie, sed numero duntaxat vna.*

7 *Attributa diuina vel sunt proprietates, vel actiones Dei.*

8 *Proprietatum Dei duo quasi summa genera possunt constitui, nempe summa simplicitas & perfectio.* *De proprietatibus Dei.*

9 *Summa simplicitas est proprietas Dei, secundum quam ille est simplicissimus expers omnis compositionis realis.*

10 *Summa perfectio est proprietas Dei, secundum quam ille est perfectissimus expers omnis defectus.*

11 *Eius varia ac diuersa sunt quasi species in certas ac distinctas classes distributa.*

12 *Prima classis sunt summa infinitas, & vbiquitas.*

13 *Summa infinitas est perfectio Dei, secundum quam ille est absolute infinitus, expers omnis determinationis, limitationis ac mensurationis passiua.*

14 *Vbiquitas est perfectio Dei, secundum quam ille est omnipræsens, expers omnis existentiæ localis.*

15 *Secunda classis sunt summa immutabilitas, & æternitas.*

16 *Summa immutabilitas, est perfectio Dei, secundum quam ille absolute est immutabilis, expers omnis passiuæ ad mutationem in se recipiendum potentiæ.*

17 *Eius quasi species sunt absoluta necessitas & immortalitas.*

18 *Absoluta necessitas est, secundum quam Deus simpliciter in sua essentia se aliter habere nequit.*

19 *Absoluta immortalitas est, secundum quam Deus nunquam moritur, neque vllo modo morti est obnoxius.*

20 *Æternitas est perfectio Dei, secundum quam ille expers est omnis principii, successionis & finis.*

21 *Tertia classis sunt summa bonitas & beatitas.*

22 *Summa bonitas, est perfectio Dei, secundum quam ille est optimus, expers omnis mali.*

23 *Eaque vel est absoluta, vel respectiua.*

24 *Absoluta est, secundum quam Deus in se est bonus; sine respectu ad creaturas. Ab aliis dicitur* bonitas naturalis.

25 *Respectiua est, secundum quam Deus erga suas creaturas est bonus. Ab aliis dicitur* bonitas moralis.

26 *Eaque vel est generalis, vel specialis.*

27 *Generalis est, quam Deus erga omnes suas creaturas exercet; cuiusmodi sunt amor & benignitas generalis.*

28 *Specialis est, quam Deus erga creaturas intelligentes, præsertim genus humanum exercet; cuiusmodi sunt veracitas, fidelitas, misericordia, iustitia, clementia, longanimitas, & id genus alia.*

29 *Beatitas summa est perfectio Dei. secundum quam ipse est seipso contentus, nullius boni indigens.*

30 *Quarta classis sunt summa sapientia & potentia; seu, quod idem est,* omniscientia & omnipotentia.

31 *Summa sapientia est perfectio Dei, secundum quam ille est perfecte sapiens, nulli ignorantiæ aut errori obnoxius.*

32 *Sum-*

32 *Summa potentia est perfectio Dei, secundum quam omnia velle & facere potest, quæ cum eius natura non pugnant.*

33 *Quintæ . . . sunt summum dominium, & summa libertas.*

34 *Summum dominium, est potestas absoluta Dei, quam habet in omnes suas creaturas.*

35 *Summa libertas, est indifferentia absoluta Dei ad agendum, & non agendum, tam hoc quam illud, ab omni necessitatis externæ violentia seiuncta.*

36 *Sic de proprietatibus Dei. Sequuntur actiones Dei; quarum aliæ sunt interna, aliæ externæ; seu, quod idem est,* aliæ immanentes, aliæ transeuntes. De actionib. Dei.

37 *Internæ actiones Dei sunt, quæ in Deo terminantur, & in aliud extra Deum, obiectum non diriguntur; cuiusmodi sunt illæ, quibus Deus seipsum cognoscit, vult & amat.*

38 *Externæ actiones sunt, quæ in aliud extra Deum obiectum diriguntur.*

39 *Eaque vel sunt generales, vel speciales.*

40 *Generales vel sunt æternæ, vel temporales.*

41 *Æternæ sunt præordinatio & præcognitio.*

42 *Præordinatio est actio Dei externa, qua ille ab æterno pro libero suo beneplacito decreuit, quid suo quoque tempore futurum esset, ac certa etiam media ad id ordinauit.*

43 *Præcognitio est actio Dei externa, qua ille omnes res futuras ab æterno præsciuit.*

44 *Temporales sunt creatio & gubernatio rerum.*

45 *Creatio est actio Dei externa, qua in principio temporis mundum omnesque rerum species in eo contentas modo hyperphysico produxit, & adhuc nonnullarum indiuidua suo tempore producit.*

46 *Gubernatio rerum, est actio Dei externa, qua mundum à se conditum, omniaque quæ in eo sunt, sapienter & potenter administrat ac conseruat.*

47 *Eaque vel est ordinaria, vel extraordinaria.*

48 *Ordinaria est, qua Deus secundum vsitatum & communem Naturæ cursum à se sancitum res mundanas administrat ac conseruat.*

49 *Extraordinaria est, qua Deus præter communem & vsitatum Naturæ ordinem à se sancitum, quædam in mundo administrat & conseruat.*

50 *Adhuc de actionibus Dei generalibus. Restant speciales,*

quæ creaturas intelligentes, præsertim genus humanum attingunt; cuiusmodi sunt redemptio, regeneratio, iustificatio, saluatio, & id genus alia, quarum tractatio non ad Metaphysicam, sed ad Theologiam sacrosanctam pertinet.

IN CAPVT SECVNDVM

PROBLEMA I.

An doctrina de Deo in Metaphysica sit tradenda, & quomodo?

Thesis affir. defenditur cum distinct.

OMnes Philosophi qui Metaphysicam vel inuenerunt vel tradiderunt, vel explicarunt, semper soliti sunt in ea de Deo agere. Vnde etiam Aristot. lib. 6. Metaph. cap. 1. & libr. 11. cap. 7. hanc disciplinam vocat Θεολογικὴν. Et ex Scholasticis nonnulli eandem nuncupant *Theologiam naturalem*; ad differentiam *Theologiæ supernaturalis.*

Sententia aliorum exponuntur de modo tractandi de Deo in Metaph.

Sed quomodo in Metaphysica instituenda sit tractatio de Deo, in eo non omnium est concors sententia. Quidam enim putant non alio modo de Deo agendum esse in Metaphysica, quam quatenus est prima causa, tum efficiens, tum exemplaris, tum finalis omnium entium. Alii vero existimant Deum non tantum quatenus est prima causa; sed etiam quatenus est ens in illa arte esse considerandum. Atque hæc postrema sententia per se quidem vera est; sed tamen non sufficienter omnes modos, quibus Deus à Metaphysico considerari solet, explicat. Idcirco, vt veritas clarius innotescat, ante

Propria sententia traditur per Theor.

omnia obseruanda sunt duo theoremata. 1, Doctrinam de Deo aliam esse naturalem, aliam supernaturalem: nec naturalem quidem esse, quæ ex libro naturæ, & ex principiis naturalibus ab homine acquiritur; supernaturalem vero, quæ ex libro scripturæ sacræ, & ex principiis

I.

II.

supernaturalibus percipitur. 2, Doctrinam de Deo naturalem aliam esse generalem, aliam specialem; ac generalem quidem esse, quæ de Deo agit vel absolute, quatenus est ens, vel respectiue quatenus est prima omnium rerum causa. Specialem vero, quæ tractat de Deo, quatenus est substantia increata ab omnibus aliis substantiis creatis longissimo interuallo distincta. His ita præcognitis, facile est diiudicare, quomodo doctrina de Deo in Metaphysica sit tradenda, nimirum non quatenus est

super-

supernaturalis; Eo enim modo in sola Theologia sacra est explicanda, sed quatenus est naturalis siue generalis, siue specialis. Ac generalis quidem hactenus in prima seu vniuersali parte Metaphysicæ fuit tradita. Specialis vero in hoc ipso capite secundo lib. 4 quod præ manibus habemus, est tradenda, & quidem propter nullum alium finem, quam solius cognitionis gratia, quam omnis Metaphysica disquisitio & disputatio sibi vnice habet propositam.

2 *An homini naturaliter sit notum Deum esse?*

Sensus huius problematis potest esse triplex. 1, *Vtrum homo habeat naturalem facultatem cognoscendi Deum esse.* 2, *Vtrum cognitio de Dei existentia homini sit innata.* 3, *Vtrum homini ex naturalibus principiis notum sit, Deum esse.* Quod si igitur problema in primo sensu intelligatur, thesis illius affirmatiua est vera. Omnis enim homo, sicut habet animam rationalem; ita etiam habet facultatem naturalem intelligendi, omne id quod ipsi est intelligibile. Hæc enim immediate fluit ab anima rationali tanquam effectum à causa sua efficiente proxima, & tam indissolubili vinculo cum ea cohæret, vt illa negata, ipsam animam rationalem in homine negari necesse sit. Adde quod facultas illa intelligendi est proprietas hominis essentialis, quæ ab eo abesse non potest, salua manente ipsius essentia, quemadmodum omnes Physici testantur. Si vero in secundo sensu Problem. intelligatur, thesis illius negatiua est vera. Id enim propriè dicitur actu innatum esse homini, quod simul ac homo in vtero matris est genitus, cœpit ipsi inesse. Iam autem tantum abest, vt homo infans siue in vtero matris adhuc conclusus, siue in lucem editus, statim actu cognoscat Deum esse, vt neque vocabulum ipsum, quo Deus in sua lingua materna nominatur, ob rationis infirmitatem intelligat, donec progressu ætatis vsus rationis per naturam ipsi concedatur. Præterea omnis intellectio & cognitio humana naturaliter primam suam originem ducit à sensu: quemadmodum id Aristoteles, tum alibi, tum lib. 2. Poster. analyt. cap. vltimo demonstrat: Et nos idem in Physicis alibi multis rationibus fuse probauimus. Ergo cum etiam sensus primum omnium nos deducat ad

Triplex quæstionis sensus exponitur.
I.
II.
III.
In primo sensu thesis affir. est vera.
Ratio I.
II.
In secundo sensu thesis neg. est vera.
Ratio I.
II.

cognoſcendum, quod Deus ſit, ſequitur eiuſmodi cognitionem non eſſe homini innatam. Quod enim ſenſu ab homine acquiritur, id non recte & proprie dicitur ipſi innatum, vt ex primo argumento apparet. Poſtremo certum eſt, omnem cognitionem Dei ab aliqua eius patefactione oriri, ſiue naturali, quæ fit in libro naturæ, ſiue ſupernaturali, quæ fit in libro Scripturæ ſacræ. Quod ſi ergo homo ex patefactione Dei ſiue naturali, ſiue ſupernaturali, quatenus ſub ſenſum & intellectum ipſius cadit, cognoſcit, Deum eſſe, ſequitur neceſſario, eiuſmodi cognitionem ipſi actu non fuiſſe innatam. Reſtat igitur vt Probl. in tertio ſenſu explicetur, in quo ſenſu theſis illius affirmatiua eſt vera. Nemo enim hominum ratione vtentium eſt, qui ex principiis naturalibus, cuiuſmodi ſunt ſenſus, & recta ratio, non cognoſcat, Deũ eſſe. Et hoc etiam teſtatur ſub perſona Marci Bruti Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſtionum, dum ait, *Nullam gentem tam feram, neminem omnium tam immanem eſſe, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio: ac etiamſi multi de Diis praue ſentiant ex vitioſa conſuetudine, omnes tamen, eſſe vim & naturam diuinam arbitrari.* Cui etiam aſtipulatur Auicenna medicus Arabs, inquiens: *Quicunque Deum aut numen non agnoſcit, non tantum ratione caret, ſed etiam ſenſu.*

III.

In tertio ſenſu theſis affir. eſt vera.

Cæterum vt veritas theſis illius fiat clarior, ſubiiciendæ ſunt demonſtrationes præcipuæ, quæ ex principiis naturalibus deducuntur ad probandum & notificandum, Deum eſſe. Prima demonſtratio ſumitur ab ortu mundi, quem quotidie oculis noſtris intuemur. Hic enim aut a ſe extitit, aut ab alio. Sed à ſe non extitit, cum habeat rationem effecti. Nullum enim effectum à ſe exiſtit, ſed omne exiſtit ab alio, cum nihil poſſit eſſe ſuiipſius cauſa. Ergo neceſſario mundus ab alio fuit productus, quod ita mundi fuit cauſa efficiens, vt tamen ab alia cauſa efficiente ſe priore tanquam effectum non fuerit ortum, ſed à ſeipſo & per ſeipſum extiterit. Et hoc nullum aliud eſſe poteſt, quam ſolus Deus. Altera demonſtratio ducitur à neceſſaria dependentia entis finiti ab ente infinito. Omne enim ens quod eſt in mundo, eſt finitum, ſiue eſſentiam ipſius, ſiue virtutem agendi ſpectes. Omne autem quod finitum eſt, ab alio finiri neceſſe eſt, cum nihil ſeipſum finire poſſit. Ac cum in nullo rerum ordine

Deum eſſe demonſtratur ex principiis naturalibus.

I.

II.

ordine & genere detur progressus in infinitum, necesse est vt tandem perueniamus ad vnum aliquod ens, quod ab alio non finiatur; sed sua natura & virtute sit infinitum. Illud autem nullum aliud esse potest, quam Deus.

III. Tertia demonstratio sumitur à necessaria dependentia causæ secundæ à prima. Impossibile enim est inter causas per se subordinatas dari secundam absque prima; tum, quia natura ordinis requirit, vt primum antecedat secundum; tum, quia non datur progressus in infinitum. Cum igitur in genere causarum tum efficientium, tum finalium multæ dentur causæ secundæ, per se sibi subordinatæ: necesse est dari quoque causam aliquam primam, tum efficientem, tum finalem, quæ aliam se priorem ac superiorem causam non agnoscat. Illa autem nulla alia esse potest, quam solus Deus. Hac via vsus etiam est Aristoteles passim in sua Philosophia ad inuestigandum & probandum primum motorem. Cum enim dentur multi motores secundi sibi per se subordinati; & inter illos non liceat progredi in infinitum: inde conclusit Philosophus, necessario dari aliquem primum motorem, à quo omnes alii motores secundi pendeant, ipse vero à nullo alio.

IV. Quarta demonstratio, petitur à necessaria dependentia entis contingentis ac temporalis ab ente absolute necessario & æterno. Omne enim ens contingens & temporale aliquando non fuit, & aliquando cœpit esse. Cum igitur absurdum sit statuere, aliquando nihil omnino fuisse; aut id quod aliquando non fuit, aliquando à seipso cœpisse esse; necesse est vt concedamus esse ens aliquod absolute necessarium & æternum, quod semper fuit, & nullo vnquam temporis momento cœperit esse. Id autem nullum aliud esse potest, quam solus Deus.

V. Quinta demonstratio sumitur à necessaria dependentia bonorum inferiorum à summo aliquo bono. Videmus enim in mundo quædam esse magis bona, quædam minus bona. Cum autem singula talia sint, prout magis vel minus de eo participant, quod maxime est tale; sequitur necessario dari aliquod summum bonum quod sit principium & mensura reliquorum bonorum. Illud autem nullum aliud esse potest, quod solus Deus.

VI. Sexta demonstratio ducitur à gubernatione mundi. Cum

enim constanter permaneat ordo ille rerum in Natura semel constitutus, perpetuæque sint corruptionum & generationum naturalium vices, omnesque res tam inanimatæ quam animatæ, tam irrationales quam rationales ad finem certum suæque naturæ conuenientem ferantur; necesse est esse summum aliquem rectorem & gubernatorem mundi, à cuius nutu ac directione omnia pendeant. Ille autem nullus alius esse potest, quam solus Deus.

VII. Septima demonstratio sumitur ab vniuersali consensu omnium populorum, etiam barbarorum, qui omnes sicut religionem aliquam esse concedunt: ita etiam Deum aliquem esse fatentur, qui religiose est colendus. Est enim primum principium & quasi fundamentum religionis, *scire esse Deum:* Si enim Deus est, necessario quoque est religio, qua Deus colendus. Hinc Aristoteles libr. 1. Top. c. 9. castigatione & pœna dignos iudicat eos, qui dubitant, *vtrum Deus sit honorandus.* Quod si igitur omnium gentium consensus Naturæ vox est, vt ait Cicero, sub persona Marci Bruti libr. 1. Tuscul. quæst. omnes autem populi, qui vbique sunt, consentiunt esse aliquem Deum; sequitur nobis quoque idem esse existimandum, nisi velimus

VIII. Naturæ voci reclamare. Octaua demonstratio sumitur à testimonio historiæ mundanæ. Illa enim testatur omnibus seculis ordinem politicum, ecclesiasticum & Oeconomicum mirabiliter esse conseruatum, & illius violatores atrocibus pœnis fuisse affectos.

Cum igitur illa conseruatio facta fuerit non casu fortuito, neque vi solius naturæ, neque humanis consiliis, necessario statuendum est esse Deum, à cuius prouidentia

IX. triplicis illius ordinis conseruatio pendeat. Nona demonstratio ducitur à testimonio propriæ cuiusque conscientiæ. Illa enim pro qualitate factorum hominem intus in animo clanculum vel accusat, vel excusat, vel cruciat, vel exhilarat. Et sic tacite clamat ac dictitat, esse iudicem aliquem supremum & omniscium, qui vt improbis pœnas, ita probis præmia constituat. Ille autem iudex nullus alius esse potest, quam solus Deus.

Obiectio I. Verum audiamus obiectiones nonnullas, quæ contra quæstionem propositam, in secundo & tertio sensu à nobis probatam, moueri possunt: inter quas hæc prima est: *Quod lex naturæ dictitat, eius cognitio nobis est innata:*

Atqui

Atqui Deum esse lex naturæ dictitat: Ergo eius cognitio nobis est innata. Propositionis ratio est, quia vt Paulus docet 2. capite Rom. v. 15. *lex naturæ omnium gentium cordibus est inscripta.* Assumptio probatur, quia inter omnes gentes firma constat hæc sententia, esse Deum. Omni autem in re omnium gentium consensio lex naturæ est putanda, vt ait M. Brutus lib. 1. Tuscul. quæst. 2, *Quacunque cognitio neque doctrina & institutione est acquisita, neque consuetudine vel lege constituta, illa est homini innata: Atqui cognitio de Dei existentia neque doctrina & institutione est acquisita, neque consuetudine vel lege constituta,* teste Cicerone libr. 1. Tuscul. quæst. & lib. 1. de natura Deorum: *Ergo ea est homini innata.* 3, *Si cognitio de Dei existentia homini non est innata, sequitur Ciceronem in libris de natura Deorum grauiter errasse, qui hanc sententiam aliquoties defendit.* In primo enim libro sub persona Vellæi Epicurei asserit, ipsam naturam in omnium animis notionem Dei impressisse. In lib. vero secundo, sub persona Lucilii clare pronuntiat omnibus innatum esse, & animo quasi insculptum esse Deos. 4, *Nullum dogma fidei ex naturalibus principiis est notum homini: Atqui esse Deum, est dogma fidei: Ergo ex naturalibus principiis non est homini notum.* 5, *Si ex naturalibus principiis homini esset notum Deum esse, nullus hominum ratione recte vtentium reperiretur, qui Deum esse aut negaret, aut saltem dubitaret. Sed fuerunt olim nonnulli, qui ita fuerunt ἄθεοι vt Deum esse vel negauerint, vel dubitarint.* vet. gr. Pythagoras Melius Poeta, Theodorus Cyrenaicus, & alii, quemadmodum Cicero horum mentionem facit in principio lib. 1. de natura Deorum: *Ergo ex naturalibus principiis homini notum non est, esse Deum.* Ad 1. obiectionem respondeo per inficiationem propositionis. Lex enim naturæ nihil aliud est quam recta ratio, aut iussum saltem rectæ rationis. Recta autem ratio non habet locum in infantibus, quippe qui nondum capere ac intelligere possunt, quid recta ratio dictitet. Propterea neque cognitio eius, quam lex naturæ dictitat, infantibus est innata. Neque Paulus in loco citato expresse & directe dicit. *Legem naturæ omnium gentium cordibus esse inscriptam:* sed de ἔργῳ τοῦ νόμου. hoc affirmat, & verborum ipsius sensus est, Gentibus, quæ legem Mo-

[Margin notes: II. (beside "Quacunque cognitio"); III. (beside "3, Si cognitio"); IV. (beside "4, Nullum dogma"); V. (beside "5, Si ex naturali-"); *Responsio ad obiect. I.* (beside "Ad 1. obiectionem")]

ſaicam non habuerunt, ipſam tamen rem lege Moſaica expreſſam, probe fuiſſe cognitam atque perſpectam. Sed inde non poteſt euinci, quod cognitio Legis ipſis fuerit
II. innata. Ad 2. obiectionem ſimiliter reſpondeo per inficiationem propoſitionis. Non enim ſequitur, cognitionem illam homini eſſe innatam, quæ neque doctrina & institutione eſt acquiſita, neque conſuetudine vel lege conſtituta. Multarum enim rerum notitiam homo ſibi comparat propria ſenſus & rationis vi, etiamſi ab alio præceptore in iis non fuerit edoctus & inſtitutus: neque vel ex conſuetudine, vel ex lege in illarum notitiam inductus. Et huius generis ſunt omnia principia ſeu axiomata tum theorica, tum practica, quæ propter ſummam euidentiam ab Ariſtot. dicuntur αὐτόπιστα, ἀναπόδεικτα.
III. Ad 3. reſpondeo, non eſſe abſurdum ſtatuere, Ciceronem in libro de natura Deorum erraſſe, ſi proprie & abſque tropo putauit, cognitionem de Dei exiſtentia homini eſſe innatam. Nihilominus tamen ad bonum ſenſum verba ipſius trahi poſſe, ſi dicamus, illum hoc ſenſiſſe, ex naturalibus principiis omnibus eſſe notum, *Deum eſſe*, ita vt tam in verbo *innaſci*, quam *inſculpi* & *inprimi*, Me-
IV. taphora conſtituatur. Ad 4. reſpondeo per inficiationem propoſitionis. Fieri enim poteſt, vt vnum & idem ſit dogma fidei & dogma naturæ, & per conſequens, etiam naturaliter notum. Neque diſſenſio eſt inter librum naturæ, & ſcripturæ; ſed potius ſumma conſenſio. Hinc recte dicitur liber naturæ deducere hominem ad librum ſcripturæ. Et Thomas in ſumma Theolog. quæſt. 2. art. 2. ait, fidem præſupponere cognitionem naturalem, ſicut
V. gratia, naturam. Ad 5. reſpondeo, paucorum delirantium errorem non euertere omnium populorum conſenſum vniuerſalem; neque paucorum obſtinatam ignorantiam, euertere aliorum omnium cognitionem. Multa enim ex naturalibus principiis poſſunt cognoſci, quæ tamen ab omnibus actu non cognoſcuntur; vel quia illi nolunt cognoſcere, ob ſupinam negligentiam, vel quia animum habent prauis præiudiciis & affectibus, aliſque curis excæcatum. Quod vero ad Melium Poetam, & Theodorum Cyrenaicum attinet, qui vulgo dicuntur Deum negaſſe, illi non tam verum Deum, quam idola & gentili-

gentilitios Deos negasse putamus, quemadmodum Mornæus docet cap. 1. de veritate relig. Christianæ, quod totum consumit in probanda thesi illâ, *Deum esse*.

3 *An Deus naturaliter quid & qualis sit, ab homine cognosci possit, & quomodo?*

SVnt multi, ex Philosophis etiam, qui negant Deum naturaliter, quis & qualis sit ab homine posse cognosci. Hinc Plato in libris de Legibus censet non esse quærendum, quid omnino sit Deus, quia nec inueniri possit, nec enarrari. Et Cicero libr. 1. de nat. Deorum, sub persona Cottæ inquit: *Rogas me quis & qualis sit Deus, auctore vtar Simonide, de quo cum quæsiuisset hoc idem Tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi vnum diem postulauit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petiit. Cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret, cur ita faceret? quia, inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res obscurior videtur.* Et sane non leuia argumenta pro hac sententia adduci possunt, inter quæ sunt hæc præcipua: 1, Quia omnis cognitio naturalis à sensu originem ducit. Deus autem non cadit sub sensum. 2, quia inter cognoscentem & rem cognoscendam debet esse aliqua proportio: iam autem inter hominem cognoscentem, & Deum cognoscendum nulla est proportio, cum ille sit creatus & finitus; hic increatus & infinitus. Vnde etiam Aristot. lib. 2. Metaph. ait: *infinitum non esse scibile*. 3, Quia Deus definiri non potest, tum quod non est sub aliquo genere, sed supra omne genus; tum quod ex genere & differentia non est compositus, cum sit actus purus & summe simplex. 4, quia nulla vocabula propria nobis suppetunt, quibus naturam Dei possimus significare. Hinc Cyrillus, *In his*, ait, *quæ de Deo dicuntur, maximam scientiam esse, confiteri suam ignorantiam.* Et Iulius Scaliger asserit, *nullis vocibus tam plene Deum significari, quam iis, quæ ignorantiam nostram prætendunt.* Etsi vero negari non possit, facilius esse dicere & nosse, quid Deus non sit, quam quid sit; tamen superior sententia simpliciter concedi non potest, sed cum certa duntaxat limitatione. Distinguendum enim omnino esse videtur, inter cognitionem DEI perfectam ac distinctam, & inter cognitionem eiusdem imperfectam &

Sententia aliorum exponitur.

Pro thesi neg. Ratio I. *II.* *III.* *IV.*

Quæst. decid. per distinct.

confusam. De priori libenter concedo thesin negantem probl. propositi; de posteriori autem minime. Quod enim Deus, quid & qualis sit naturaliter ab homine possit cognosci secundum cognitionem imperfectam & confusam, id manifestum euadere potest ex sequentibus argumentis. 1, Quia Deus in libro naturæ tantum seipsum homini patefecit, quantum ab eo sensu ac ratione naturali cognosci potest, & quidem in hunc finem, vt nullam excusationem suæ impietati prætexere queat, quemadmodum testatur Paulus Roman. cap. 1. v. 19. 20.

Deus quid & qualis sit ab homine natura cognosci potest imperfecte.

Ratio

I.

II. 2, quia omnes Philosophi saniores egregias nobis sententias in suis scriptis de Deo reliquerunt, quæ ad naturam Dei intelligendam plurimum faciunt. Hinc Aristot. libro 12. Metaphys. cap. 7. dicit, *Deum esse viuens, æternum & optimum:* Item paulo post, *esse substantiam æternam, immobilem, magnitudinis expertem, indiuisibilem, infinitam, impassibilem & immutabilem, à sensilibus separatam.* Idem vocat passim *Deum Ens primum, motorem primum, principium primum, à quo omnia sint, & per quem omnia consistant.* Similiter Plato in Timæo, *Deum dicit esse summe bonum, supra omnem substantiam, & Naturam; quod cuncta expleat, cum ipse sit plenæ perfectionis & nullius societatis indigens.* Idem in citato loco Deum appellat *genitorem vniuersitatis.* Et in libro de Legibus ait. *Deum esse bonum, & causam bonorum omnium.* Cum igitur tales de Deo sententias Philosophi Ethnici proferre non potuissent, si Deus quid & qualis sit naturaliter plane ab homine cognosci non posset, sequitur, thesin Negantem Problematis simpliciter non esse reiiciendam.

Responsio ad argument. Pro thesi neg.

I. Quod igitur ad argumenta attinet pro contraria sententia allata, in 1. concedo, Deum per se non cadere sub sensum, cum sit substantia incorporea; interim negari non potest, Deum cadere sub sensum per accidens ratione creaturarum, quæ sunt ipsius propria effecta, & in quibus varia ac luculenta diuinitatis suæ simulachra expressit.

II. In 2. nego assumptionem: cum enim ad imaginem Dei homo sit creatus; inter imaginem autem, & id cuius est imago, semper sit aliqua proportio & analogia; necessario statuendum est, inter hominem quoque cognoscentem, & Deum cognoscendum, esse aliquam analogiam. Neque obstat, quod homo est creatus & fini-

& finitus, Deus autem increatus & infinitus. Nam etiam inter increatum & creatum, infinitum & finitum est analogia quædam, quatenus in genere analogo entis & substantiæ inter se conueniunt. In 3. concedo, Deum in se eo modo, quo creaturas, proprie definiri non posse; interim tamen secundum nostrum concipiendi modum potest definitio aliqua Dei constitui; quatenus nos consideramus Deum vt speciem entis & substantiæ, eique differentiam ab attributis ipsius petitam assignamus. Licet enim compositio realis generis & differentiæ Deo non competat, ob summam essentiæ simplicitatem; tamen compositio notialis κατ' ἀνθρωποπάθειαν instituta de eo non videtur simpliciter neganda. In 4. argumento nego, simpliciter verum esse, quod nulla vocabula propria suppetant, quibus naturam Dei possimus significare. Licet enim paucus sit eorum numerus, tamen aliqua esse certum est, vt patet ex attributis supra à nobis enumeratis. Restat ergo vt quomodo Deus naturaliter ab homine quid & qualis sit cognosci possit, explicemus. Ac cum duplex sit via aliquid cognoscendi, vna qua progredimur à simpliciter prioribus ad posteriora; altera qua à simpliciter posterioribus ad priora sciendum est, posteriorem tantum naturaliter hominem sequi in cognoscenda Dei natura. Itaque progreditur à sensili ad insensile, à corporeo ad incorporeum, à composito ad simplex, à temporali ad æternum, à finito ad infinitum, à naturali ad supernaturale, ab effectu denique ad causam primam efficientem.

III. *IV.* *Quomodo Deus naturaliter ab homine quid & qualis sit cognosci possit.*

4 *Vtrum Deus sub genere aliquo ponatur?*

SEnsus problem. est, *vtrum Deus habeat genus aliquod, sub quo, tanquam species collocetur.* Ac pro sententia negante afferri possunt hæc argumenta: 1, quia quicquid sub aliquo genere ponitur, id habet aliquid se prius: genus enim natura prius est suis speciebus: Deus autem cum sit primum ens, nihil habet se prius. 2, quia quicquid sub aliquo genere ponitur, id cum aliis homogeneis conuenit essentia generica: & rursus ab iisdem differentia specifica distinguitur. Deus autem cum nullo ente essentia generica conuenit: Nulla enim datur identitas essentialis inter infinitum & finitum, inter æternum & temporale. Neq; habet differentiam specificam,

Pro thesi neg. Ratio. *I.* *II.*

qua ab aliis distinguatur, cum sit summe simplex, & propter infinitam perfectionem ad certam speciem non
III. possit contrahi & limitari. 3, quia quod essentiæ infinitæ est, id non potest gurgustiolo aliquo generis inclu-
IV. di. Deus autem est essentiæ infinitæ. 4, quia si Deus sub genere aliquo poneretur, illud esset vel ens, vel substantia. Sed ens esse non potest; tum quia Deus est supra omne ens; tum quia Deus est essentia potius quam ens.
Pro thesi affirmante Argument. Neque substantia potest esse, tum quia Deus est ὑπερούσιος, tum quia Deus non substat accidentibus, quod tamen proprium est substantiæ. Pro sententia autem affir-
I. mante videntur pugnare hæc argumenta: 1, quia omnis substantia est sub genere entis incomplexi. Diuiditur enim ens incomplexum in substantiam & accidens: Deus autem est substantia; siquidem definitio substantiæ ei competit: Ergo Deus est sub genere entis incom-
II. plexi. 2, Omnis spiritus est sub genere substantiæ. Diuiditur enim substantia in Spiritum & corpus: Deus au-
III. tem est Spiritus: Ergo in genere Substantiæ. 3, quia Arist. 1. Ethicor. ad Nicomach. cap. 6. ad Categoriam substantiæ refert Deum; & libr. 12. Metaphysic. aliquoties
Quæstio deciditur per theoremata. substantiam diuidit in *Mobilem* & *Immobilem*: Et immobilem quidem asserit esse ipsum Deum. Pro resolutione probl. propositi obseruanda sunt duo theoremata.
I. 1, Multa Deo attribui secundum nostrum concipiendi modum, quæ ipsi in se considerato, proprie non compe-
II. tunt. 2, genus aliud esse vniuocum, quod essentiam habeat realem omnibus speciebus sibi subiectis ex æquo communicabilem; aliud vero esse analogum, quod essentiam habet notionalem, quam speciebus sibi subiectis, secundum analogiam, seu secundum prius & posterius communicat. Hinc igitur patet, thesin negantem quæstionis cum suis argumentis esse veram, si intelligatur tum de Deo in se considerato, tum de genere vniuoco; affirmantem autem esse veram, si intelligatur de Deo respectu nostri captus, & quidem de genere non vniuoco, sed analogo.

5 *An Deus recte dicatur actus purus, expers omnis potentia?*

Quæstio explicatur per distinct. VSitatum est apud Philosophos vocare Deum actum purum omnis potentiæ expertem. Atque hæc assertio, partim vera est, partim falsa. Vera est, si per actum intel-

intelligatur ens seu substantia actu existens; per potentiam vero mutabilitas passiua. Falsa vero est, si per actum intelligatur forma, & per potentiam actiua agendi virtus. Deus enim proprie non potest dici forma, cum omnis forma essentialem respectum habeat ad formatum, & sine eo neque esse, neque definiri, neque cognosci possit. Ac licet Deus expers sit omnis potentiæ passiuæ, qua disponatur ad mutationem ab alio in se recipiendam, tamen potentiam actiuam habet omnia, quæ cum ipsius natura non pugnant, volendi & faciendi.

6 *Vtrum essentia Dei differat ab ipso Deo?*

PRo thesi affirmante adduci posse videntur hæc argumenta: 1, quia abstractum differt à concreto. Essentia autem Dei est abstractum & Deus ipse est concretum. 2, quia essentia Dei est actus purus, per quem Deus est id quod est, & ab omnibus aliis entibus discernitur. Semper autem id, per quod aliud est, differt ab eo quod est. 3, quia ab essentia Dei ipse Deus denominatur: semper autem denominans differt à denominato. 4, quia id quod habetur differt ab eo, quod habet. Essentia autem Dei habetur, & Deus habet essentiam. 5, quia in creaturis semper essentia differt ab ente. Cum igitur creaturæ similitudinem habeant cum Deo, tanquam effectum cum suis causis, sequitur in Deo quoque essentiam Dei, ab ipso Deo differre. Cæterum hæc opinio iam probata videtur ex diametro pugnare cum absoluta Dei simplicitate. Illa enim à Deo excludit omnem compositionem non tantum materiæ & formæ, sed etiam entis & essentiæ. Quod si igitur Deus non est compositus ex ente & essentia, sequitur essentiam Dei ab ipso Deo non differre. Et hoc etiam testatur Thomas quæst. 3. art. 3. in part. 1. vbi idem esse asserit Deum, ac suam essentiam seu Naturam, seu Deitatem: Idque etiam inde probat, quod Deo tam abstracta, quam concreta vocabula vere attribuuntur. Cui etiam addi potest alia ratio de proprietatibus Dei essentialibus, quarum vnaquæque in se, & omnes simul sumptæ, non differunt ab ipso Deo; ergo multo minus Dei essentia,

Pro thesi affirmante. Ratio. I. II. III. IV. V.

Pro thesi negante. Argument. I. II. III.

Pro decisione probl. sciendum est, dupliciter aliquid dici *differre ab alio* vel *realiter*, vel *ratione*. Priori modo

Quæstio deciditur per distinct.

falsa est thesis affirmatiua problematis, posteriori autem est vera. Essentia enim Dei non differt realiter ab ipso Deo, sed tantum ratione, quatenus intellectus noster ad similitudinem rerum creatarum & compositarum aliter concipit ipsum Deum, aliter essentiam Dei.

Responsio ad argumen. pro thesi affirm. Ad argumenta igitur superius adducta respondeo tria in genere: 1, de ente simplici hominem commode loqui non posse, nisi per modum compositorum, à quibus primam cognitionem accipit.

I. 2, in creaturis quidem semper & realiter inter se differre abstractum & concretum,

II. actum & actuatum, denominans & denominatum, habitum & habens, essentiam & ens. Sed in Deo hæc eadem non realiter, sed ratione duntaxat differre.

III. 3, in Deum non cadere compositionem realem, sed duntaxat rationis, quæ non pugnat cum essentia Dei absoluta.

7 *An essentia Dei ulli creaturæ vere & proprie communicari possit?*

Pro thesi neg. Ratio. Statuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, quia essentia diuina est indiuidua, & vna tantum numero;

I. ideoque multiplicabilis non est. 2, quia essentia Dei est

II. infinita, ideoque nullius entis finiti compositionem in-

III. gredi potest, neque fieri alterius pars constituens. 3, quia nulla creatura capax est essentiæ diuinæ, neque fieri potest Deus, proprie dictus. Omnis enim creatura sicut est ens finitum, ita etiam habet essentiam finitam: neque ex

Obiectio pro thesi affirm. ente finito vllo modo potest fieri ens infinitum. At pro contraria sententia obiici potest: 1, quod veri Christia-

I. ni dicantur participes fieri diuinæ naturæ. 2, quod Deus

II. vere dicatur suam bonitatem, quæ non differt ab essen-

III. tia eius, creaturis communicare. 3, quod nomen Dei

Responsio ad obiect. etiam creaturis quibusdam vere soleat attribui. Respondendum igitur est, aliquid dici communicari alteri duobus modis, vel proprie, vel improprie, siue per Metaphoram, siue per Metonymiam. In priori sensu non potest essentia Dei vlli creaturæ communicari; in posteriori vero potest, quatenus Deus suæ essentiæ simulachra in creaturis exprimit, & propter similitudinem seu conuenientiam quam habent cum Deo, etiam creaturæ diuinitatem habere dicuntur. Et hoc etiam innuit Thomas in 1. parte summæ Theolog quæst. 13. art. 5. dum ait: *Naturam diuinam non esse communicabilem, nisi secundum similitu-*

militudinis participationem. Vnde etiam recte colligitur, quicquid Deus creaturis de suo communicat, id esse effectum Dei, ac donum creatum; dici tamen posse Metaphorice diuinum, propter similitudinem, quam cum natura Dei habet.

8 *An naturaliter cognosci & probari possit, Deum esse tantum vnum numero?*

ETsi apud Ethnicos, partim ex errore & prauo figmentorum Poeticorum intellectu, partim ex superstitione & idololatria inueterata introducta fuit πολυθεΐα, hoc est, *multitudo Deorum*; tamen negati non potest, Deum in libro naturæ tam clare se patefecisse, & vnitatis suæ vestigia reliquisse, vt omnibus, qui ductum recte rationis sequi voluerint, bene constare potuerit ex principiis naturalibus, non esse reuera multos Deos proprie dictos, sed tantum vnum numero, hoc est, essentia indiuidua & singulari. Cæterum vt veritas huius Problem. illustrior fiat, considerabimus demonstrationes ex principiis naturalibus exstructas, quæ conuincere possunt, etiam Ethnicos sanæ mentis cognouisse proprie duntaxat vnum numero Deum; inter quas prima sumitur ab vnitate entis simpliciter infiniti. Impossibile enim est, vt duo sint Entia simpliciter infinita, quemadmodum à nobis fuit probatum lib. 2 cap. 4. probl. 4. Cum igitur ens simpliciter infinitum sit vnum numero tantum: Deus autem sit ens simpliciter infinitum: necessario statuendum est, Deum esse tantum numero vnum. Altera demonstratio ducitur ab vnitate Entis absolute simplicis & perfectæ. Impossibile enim est dari duo entia absolute simplicia & perfecta: Cum igitur ens absolute simplex & perfectum sit vnum numero tantum; Deus autem sit tale ens: sequitur, Deum quoque esse vnum duntaxat numero. Tertia petitur ab vnitate causæ simpliciter primæ, tam efficientis, quam finalis. Fieri enim nō potest vt in genere causarum vel efficientium, vel finalium sint plures causæ simpliciter primæ, siue totales, siue partiales: Ergo cum causa efficiens & finalis simpliciter prima sit vna tantum numero; Deus autem sit causa efficiens & finalis simpliciter prima: sequitur Deum quoque esse vnum tantum numero. Quarta sumitur ab vnitate summi Monarchæ. Non enim possunt esse plu-

Deum esse vnum numero demonstr.

I.

II.

III.

IV.

res mundi Monarchæ, siue eiusdem siue diuersæ potestatis ac maiestatis: Ergo cum summus mundi Monarcha sit vnus; Deus autem sit summus mundi Monarcha; sequitur Deum quoque esse tantum numero vnum.

V. Quinta demonstratio sumitur à typis naturalibus, qui nos quasi manu ducunt ad primam, summam ac perfectissimam vnitatem. Videmus enim mundum hunc amplissimum esse vnum, & omnia quæ in mundo existunt, sicut ab vno sunt orta, ita ad vnum ordinari ac dirigi. Videmus singulum hominem, qui instar parui mundi est, & ad imaginem ac similitudinem Dei creatus, esse vnum numero, omniaque quæ in eo reperiuntur, in vnum quasi coire ac conspirare. Videmus solem à quo totus mundus illuminatur, esse vnum numero. Cernimus Oceanum, qui totam terræ molem ambit, esse vnum numero. Deniq; certum est, omnem multitudinem ab vnitate procedere, nec esse posse multitudinem, nisi præcedat vnitas. Ex his igitur omnibus colligitur, Deum quoque, qui per typos illos naturales voluit sese repræsentare, esse vnum modo perfectissimo.

VI. Sexta demonstratio petitur à testimonio Philosophorum saniorum, cuiusmodi fuerunt, Mercurius Trismegistus, Socrates, Pythagoras, Plato, Aristoteles, Epictetus, Cicero & alii. Illi enim vnum tantum verum Deum agnouerunt, quemadmodum ex dictis, quæ Mornæus cap. 3. libro de veritate Christianæ religionis citat, satis luculenter apparet. Vbi idem etiam testimonia veterum Poetarum & Sybillarum, eandem vnitatem comprobantium, allegat.

Error aliorũ taxatur. Verum reperti olim nonnulli fuerunt, qui ex diuersitate & contrarietate rerum, quæ in mundo cernuntur, partim duos Deos, vnum bonum, alterum malum; partim plures Deos, quibus summus aliquis præesset, concludere voluerunt. In quo certe vtraque secta grauiter hallucinata est. Nam primum cum natura Dei pugnat esse malum, cum Deus sit ens primum & perfectissimum; deinde non tantum ratio, sed etiam communis experientia testatur, ab vna causa efficiente præsertim libere agente, posse diuersos ac contrarios effectus produci. Ac proinde sicut ex diuersitate effectuum non necessario colligitur diuersitas causæ efficientis; ita neque ex diuersitate rerum, quæ in mundo cernuntur, colligi potest pluralitas Deorum, quemad-

modum prolixius de ea re disserit Mornæus in libro De veritate Christianæ religionis.

9 Vtrum Trinitas diuinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci?

HOc Problema totidem verbis à Thoma Aquinate proponitur in summa Theolog. quæst. 32. art. 1. vbi etiam tandem concludit, impossibile esse per rationem naturalem ad Trinitatis diuinarum personarum cognitionem peruenire. Ac sane hæc assertio Thomæ videtur veritati valde consentanea, propter sequentia argumenta: 1. Quia ratio naturalis nullo modo comprehendere potest, quomodo vna numero essentia diuina sit in tribus numero distinctis personis. 2. Quia ex libro naturæ tantum ea de Deo cognosci possunt, quæ pertinent ad vnitatem essentiæ diuinæ, non autem ea, quæ pertinent ad Trinitatem personarum diuinarum: In illo siquidem tantum conceditur nobis progressus à creaturis tanquam effectis ad cognoscendum creatorem tanquam primam omnium Entium causam. 3. Quia dogma de Trinitate personarum diuinarum duntaxat in libro scripturæ est reuelatum, & ex illo solo cognosci potest, imo non tam sciri, quam credi oportet. Cæterum inueniuntur nonnulli, qui hanc sententiam non omnino approbant: Licet enim concedant, clare & distincte non posse mysterium Trinitatis per rationem naturalem cognosci, siue reuelatione in scripturis sacris facta; tamen obscuram & confusam eiusdem cognitionem putant per rationem naturalem ab homine posse ex libro naturæ acquiri. Et hanc suam sententiam probant sequentibus argumentis: 1. Quia quemadmodum in creaturis certi typi extant repræsentantes vnum Deum: ita etiam in iisdem trium personarum diuinarum certa vestigia & simulachra reperiuntur. Videmus enim solem gignere ex se radium, & ex vtroque procedere lumen, quod in hæc inferiora spargitur; & tamen in his tribus vnam & eandem esse lucem. Videmus ex fonte oriri fluuium, & ab vtroque riuum; & tamen in his tribus vnam esse aquam. Videmus ex radice arboris oriri truncum, & ex vtroque ramum, & tamen vnam duntaxat esse arborem. Denique notum est, vnicam hominis animam habere

Pro thesi neg. argument.
I.
II.
III.
Pro thesi affirmante Argument.
I.
II.

tres facultates, quæ tamen ab ipsa anima realiter non differunt. 2, quia ex principiis naturalib. certæ demonstrationes peti possunt ad probandam Trinitatem diuinarum personarum, cuiusmodi sunt: 1, quia bonum infinitum & perfectissimum infinito & perfectissimo modo sese aliis communicat. Deus autem est bonum infinitum ac perfectissimum: Ergo Deus infinito ac perfectissimo modo sese aliis communicat, & per consequens, ab eo per æternam generationem & spirationem duæ distinctæ personæ eiusdem essentiæ originem trahunt.

II. Demonstr. ex princ natural. petita.

I.

II. 2, quia Deus habet intellectum & voluntatem infinitam; cuius vi ab æterno seipsum tanquam summum bonum tum concipit & cognoscit, tum appetit & amat. Ergo quatenus seipsum concipit, gignit ex se perfectissimam sui imaginem; quatenus vero seipsum appetit & amat, spirat ex se amorem perfectissimum. Ac cum nihil in Deo sit, quod non sit ipse Deus, sequitur, tum imaginem, tum amorem illum, esse hypostases diuersas eiusdem essentiæ cum eo, à quo procedunt.

III. 3. quia nullius boni sine consortio potest esse iucunda possessio. Cum igitur Deus habeat essentiam optimam & sufficientissimam, non credibile est, eum sine consortio eam possidere.

IV. 4, quia summa perfectio, vt Aristot. docet ex sententia Pythagoræorum libr. 1. de cœlo, cap. 1. in numero ternario cõsistit. Cum igitur Deus sit Ens omnium perfectissimum, sequitur in ipso quoque certo respectu numerum ternarium locum habere.

V. 5, quia apud Philosophos veteres tam Græcos, quam Latinos multa egregia dicta reperiuntur, quorum alia obscure, alia expresse videntur notare Trinitatem personarum in vna essentia diuina subsistentium, quemadmodum videre est apud Mornæum cap. 6. vbi magnum catalogum eiusmodi locorum recenset. E si vero hæc argumenta speciem aliquam veritatis habent, tamen si ad recti iudicii lancem examinentur, videntur non multum ponderis habere, ad probandam conclusionem illam, nempe obscuram Trinitatis cognitionem posse per rationem naturalem ab homine ex libro naturæ acquiri.

Responsio ad argumen. pro thesi negãte.

I. Nam quod ad primum argumentum attinet, adhuc valde controuersum est, vtrum illa vestigia & simulachra naturalia in creaturis reperiantur, ex quibus propter analogiam homo possit

possit in cognitionem Trinitatis, vi rationis naturalis peruenire. Illa enim exempla & similia, quæ fuerunt adducta, si ad accuratam Physicæ veritatis trutinam ponderentur, videntur plus falsitatis & dissimilitudinis, quam veritatis & similitudinis continere. In primo enim falsum est, partim lumen à radio oriri; cum radius nihil aliud sit, quam lumen; partim vnam & eandem esse lucem solis & radii, cum radius non sit capax lucis, neque vnum & idem numero accidens possit esse in diuersis numero subiectis. Præterea etiamsi concederetur, solem, radium & lumen esse res tres distinctas, tamen Trinitatem diuinarum personarum repræsentare non possunt, cum non sint eiusdem inter se essentiæ, siue specificæ, siue numericæ. In altero exemplo fons, fluuius & riuus, sunt res essentia specifica diuersa. Ac licet constent ex eadem specie aqua, tanquam ex materia; tamen non habent eandem numero aquam. In tertio verum quidem est in vna & eadem arbore tres esse distinctas partes integrantes, nempe radicem, truncum & ramum; sed de neutra illarum partium potest συνωνύμως prædicari ipsa arbor. Neque inter se tres illæ partes sunt eiusdem essentiæ, vel specificæ, vel Numericæ. In quarto exemplo falsum est, tres facultates quæ vulgo vni animæ hominis attribuuntur, essentialiter ab anima non differre; cum anima sit substantia; facultates vero sint accidentia ab anima promanantia, vt fusius à nobis in Physicis de ea re disputatum fuit. Hinc etiam Mornæus in libr. de veritate Christianæ religionis, c. 5. postquam asseruit in singulis naturæ partibus trium hypostaseon vestigia tanquam opificis signum & characterem notari posse; tum statim subiicit, ea vestigia neminem hominum perspicere potuisse, antequam hæc doctrina cœlitus humano generi (nempe in libro Scripturæ sacræ) fuerit patefacta: non secus ac quæ notis scribuntur, legi ac discerni non possunt, nisi aliunde per suspicionem aut coniecturam, qua de re in literis agatur, vtcunque rescisscatur. Ex quibus verbis constat, sine scriptura sacra non posse hominem ex libro naturæ obscuram saltem Trinitatis cognitionem per rationem naturalem sibi comparare.

Examen exempl. — *I.* — *II.* — *III.* — *IV.*

Progrediendum igitur nunc est ad alterum argumentum, in quo primum negatur, ex principiis naturalibus *Responsio ad argum. I.*

vllas firmas demonstrationes posse peti, ad probandam Trinitatem personarum diuinarum, in vna & eadem numero essentia subsistentium. Deinde, quia nonnulla demonstrationum exempla afferuntur, respondetur, in primo falsum esse propositionem quatenus de Deo absolute & ἀσχέτως accepto, intelligitur. Ille enim hoc respectu, nulli sese infinito ac perfectissimo modo communicat siue per generationem, siue per spirationem æternam, sed duntaxat quatenus ὑποστατικῶς consideratur. In altero male ex intellectu & voluntate Dei infinita, trinitatem diuinarum personarum concludi: cum intellectus & voluntas Dei sint attributa non personalia, sed essentialia, neque ab essentia diuina realiter differant. In tertio, propositionem non esse simpliciter veram, sed tantum secundum quid; nempe quando persona aliqua quæ bonum possidet, non est perfecte bona, nec sibi sufficiens: illa enim indiget ad plenam bonitatis suæ fruitionem, bono alterius sibi consociati, quemadmodum docet Thomas, in 1. part. summæ Theolog. quæst. 32. art. 1. In quarto propositionem valde esse dubiam & controuersam: Licet enim Pythagoræi crediderint in ternario numero summam perfectionem consistere; tamen alii Philosophi non concedunt, & per consequens, inde nihil certi potest concludi.

Examen demonstrat. — I. — II. — III. — IV.

Responsio ad argum. III.

Restat vt ad tertiũ argumentum respondeamus, in quo negari quidem non potest, apud Philosophos veteres multa dicta reperiri, quæ videantur personarum diuinarum trinitatem, in vna & eadem essentia diuina subsistentium notare. Sed primum pleraque sunt ambigua, vt in diuersum sensum facile trahi possint: e. g. Mercurius Trismegistus in libro, qui dicitur *Pimander*, dial. 4. inquit: *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Ex illo quidam conantur probare, Trinitatem illi Philosopho notam fuisse: Per *Monadem* enim *primam* intellexisse *patrem*, per alteram *filium*, denique per *ardorem*, Spiritum sanctum. Sed Thomas in loco toties citato ait, illud dictum non esse referendum ad generationem filii, vel processionem Spiritus S. sed ad productionem Mundi. Vnum enim Deum produxisse vnum mundum, propter sui ipsius amorem. Deinde etiamsi concederemus, illos autores in suis dictis voluisse notare Trinitatem, inde tamen non sequitur,

tur, eos hanc notitiam ex lib. Naturæ per rationem naturalem sibi comparasse, cum ab antiquis patribus, qui veram Dei cognitionem ex supernaturali Dei reuelatione habuerunt, quasi per traditionem potuerint eam accipere, aut etiam ex lectione librorum V. T. vt quidam volunt, haurire. Concludimus igitur Trinitatem personarum diuinarum in vna & eadem numero essentia subsistentium esse eiusmodi mysterium, quod non ex libro naturæ per rationem naturalem apprehendi potest, sed opus habet, vt ex libro Scripturæ sacræ per reuelationem supernaturalem cognoscatur, & propterea etiam de eo in Metaphysica nihil doceri posse; sed eius dogma solius Theologiæ supernaturalis esse proprium.

10 *An diuersa sint Dei attributa, & quomodo distribuenda in genere?*

CVm Deus sit ens simplicissimum, videtur in eo non posse habere locum diuersitas attributorum. Illa enim infert compositionem diuersorum Entium, quæ cum absoluta Dei simplicitate pugnat. Sed tamen dicendum videtur, Dei naturam non posse à nobis concipi & intelligi vno aliquo modo simplicissimo; sed necesse omnino esse, vt sub diuersis conceptibus, instar entium compositorum à nobis apprehendatur. Ideoque secundum nostrum concipiendi modum multa & varia esse Dei attributa, partim in libro naturæ, partim in scripturæ libro reuelata, per quæ vnica ipsius & simplicissima natura nobis exprimatur, & cognoscenda proponatur. Neque hanc diuersitatem attributorum diuinorum pugnare cum absoluta Dei simplicitate, cum non realem, sed notionalem duntaxat compositionem diuersorum Entium inferat. Porro quod admodum attinet distribuendi illa diuersa Dei attributa, ille non est vniusmodi, sed varius & multiplex. Nam 1, alia sunt verbalia, alia sunt realia. Verbalia sunt ipsæ appellationes, quæ Deo attribuuntur, eorumque magna est copia & diuersitas, secundum diuersarum linguarum idiomata. Realia sunt res ipsæ, quæ per appellationes significantur. 2, alia sunt propria, alia impropria. Propria sunt, quæ sine tropo Deo attribuuntur; impropria, quæ Deo nisi per tropum attribui nō possunt. 3, alia sunt absoluta, alia respectiua. Absoluta sunt, quæ Deo sine relatione ad aliud attribui possunt.

Diuersa sunt Dei attributa, secundum nostrum concipiendi modum.

Quomodo attributa Dei distrib.

I.

II.

III.

vllas firmas demonstrationes posse peti, ad probandam Trinitatem personarum diuinarum, in vna & eadem *Examen demonstrat.* numero essentia subsistentium. Deinde, quia nonnulla demonstrationum exempla afferuntur, respondetur, in I. primo falsum esse propositionem quatenus de Deo absolute & ἀπολύτως accepto, intelligitur. Ille enim hoc respectu, nulli sese infinito ac perfectissimo modo communicat siue per generationem, siue per spirationem æternam, II. sed duntaxat quatenus ὑποστατικῶς consideratur. In altero male ex intellectu & voluntate Dei infinita, trinitatem diuinarum personarum concludi: cum intellectus & voluntas Dei sint attributa non personalia, sed essentialia, neque ab essentia diuina realiter differant. III. In tertio, propositionem non esse simpliciter veram, sed tantum secundum quid; nempe quando persona aliqua quæ bonum possidet, non est perfecte bona, nec sibi sufficiens: illa enim indiget ad plenam bonitatis suæ fruitionem, bono alterius sibi consociati, quemadmodum docet Thomas, in 1. part. summæ Theolog quæst. IV. 32. art. 1. In quarto propositionem valde esse dubiam & controuersam: Licet enim Pythagoræi crediderint in ternario numero summam perfectionem consistere; tamen alii Philosophi non concedunt, & per consequens, inde *Responsio ad argum. III.* nihil certi potest concludi. Restat vt ad tertiũ argumentum respondeamus, in quo negari quidem non potest, apud Philosophos veteres multa dicta reperiri, quæ videantur personarum diuinarum trinitatem, in vna & eadem essentia diuina subsistentium notare. Sed primum pleraque sunt ambigua, vt in diuersum sensum facile trahi possint: e. g. Mercurius Trismegistus in libro, qui dicitur *Pimander*, dial. 4 inquit: *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Ex illo quidam conantur probare, Trinitatem illi Philosopho notam fuisse: Per *Monadem* enim *primam* intellexisse *patrem*, per alteram *filium*, denique per *ardorem*, Spiritum sanctum. Sed Thomas in loco toties citato ait, illud dictum non esse referendum ad generationem filii, vel processionem Spiritus S. sed ad productionem Mundi. Vnum enim Deum produxisse vnum mundum, propter sui ipsius amorem. Deinde etiamsi concederemus, illos autores in suis dictis voluisse notare Trinitatem, inde tamen non sequitur,

tur, eos hanc notitiam ex lib. Naturæ per rationem naturalem sibi comparasse, cum ab antiquis patribus, qui veram Dei cognitionem ex supernaturali Dei reuelatione habuerunt, quasi per traditionem potuerint eam accipere, aut etiam ex lectione librorum V. T. vt quidam volunt, haurire. Concludimus igitur Trinitatem personarum diuinarum in vna & eadem numero essentia subsistentium esse eiusmodi mysterium, quod non ex libro naturæ per rationem naturalem apprehendi potest, sed opus habet, vt ex libro Scripturæ sacræ per reuelationem supernaturalem cognoscatur, & propterea etiam de eo in Metaphysica nihil doceri posse; sed eius dogma solius Theologiæ supernaturalis esse proprium.

10 *An diuersa sint Dei attributa, & quomodo distribuenda in genere?*

CVm Deus sit ens simplicissimum, videtur in eo non posse habere locum diuersitas attributorum. Illa enim infert compositionem diuersorum Entium, quæ cum absoluta Dei simplicitate pugnat. Sed tamen dicendum videtur, Dei naturam non posse à nobis concipi & intelligi vno aliquo modo simplicissimo; sed necesse omnino esse, vt sub diuersis conceptibus, instar entium compositorum à nobis apprehendatur. Ideoque secundum nostrum concipiendi modum multa & varia esse Dei attributa, partim in libro naturæ, partim in scripturæ libro reuelata, per quæ vnica ipsius & simplicissima natura nobis exprimatur, & cognoscenda proponatur. Neque hanc diuersitatem attributorum diuinorum pugnare cum absoluta Dei simplicitate, cum non realem, sed notionalem duntaxat compositionem diuersorum Entium inferat. Porro quod admodum attinet distribuendi illa diuersa Dei attributa, ille non est vniusmodi, sed varius & multiplex. Nam 1, alia sunt verbalia, alia sunt realia. Verbalia sunt ipsæ appellationes, quæ Deo attribuuntur, eorumque magna est copia & diuersitas, secundum diuersarum linguarum idiomata. Realia sunt res ipsæ, quæ per appellationes significantur. 2, alia sunt propria, alia impropria. Propria sunt, quæ sine tropo Deo attribuuntur; impropria, quæ Deo nisi per tropum attribui nō possunt. 3, alia sunt absoluta, alia respectiua. Absoluta sunt, quæ Deo sine relatione ad aliud attribui possunt.

Diuersa sunt Dei attributa, secundum nostrum concipiendi modum.

Quomodo attributa Dei distrib.

I. *II.* *III.*

Respectiua sunt, quæ Deo nonnisi cum relatione ad aliud
IV. attribui possunt. 4, alia sunt essentialia, alia accidentalia. Essentialia sunt, quæ Deo semper & necessario competunt, & nunquam ab eo abesse possunt. Accidentalia sunt, quæ Deo non semper & necessario competunt, sed quandoque ab eo absunt, aut saltem absuerunt.
V. 5, alia sunt Affirmata, alia Negata. Affirmata sunt, quæ in Deo aliquid ponunt; Negata, quæ aliquid re-
VI. mouent à Deo. 6, alia sunt Abstracta, alia Concreta. Abstracta sunt, quæ per modum simplicis significationis Deo attribuuntur. Concreta sunt, quæ per modum compositæ significationis Deo attribuuntur. Etsi vero hæ distributiones per se sunt satis bonæ & conuenientes, tamen breuitatis studio, omissis illis, visum fuit attributa diuina in genere diuidere in *proprietates & actiones*. Quemadmodum enim in creaturis proprietates seu qualitates propriæ præcedunt actiones; ita etiam propter nostrum captum, ad similitudinem creaturarum, visa fuit attributa Dei ita in methodo didascalica disponere, vt primum agatur de proprietatibus Dei; deinde vero de eiusdem actionibus.

II *An quicquam sit in Deo quod non sit ipse Deus?*

Pro thesi vniuers. negā. te Argum.

VVlgatum & tritum est in Scholis axioma, *nihil esse in Deo, quod non sit ipse Deus.* Quod vt recte intelligatur, visum fuit paucis hoc loco problema propositum in vtramque partem ventilare. Ac pro thesi quidem v-
I. niuersali negante faciunt hæc argumenta: 1, Quia Deus est ens simplicissimum, ideoque expers omnis composi-
II. tionis realis. 2, Quia Deus est summe vnus. Ideoque nihil in Deo est ab essentia ipsius realiter diuersum; & quæ in nobis multa sunt & diuersa, ea in Deo sunt reipsa
III. vnum & idem, ipsa nimirum essentia diuina. 3, Quia Deus non ab alio, vel per aliud; sed à seipso & per seipsum
IV talis est, qualem se esse prædicat. 4, Quia in infinito nihil nisi infinitum esse & cogitari potest. Ergo cum Deus sit infinitus, sequitur quicquid est in Deo, esse infinitum &, per consequens, ipsum Deum. Alioquin enim necessario statuendum erit, aut solum Deum non esse infinitum, aut Deum simul esse infinitum & finitum; infinitum respectu essentiæ; finitum respectu eius, quod in ipso est ab essentia diuina realiter diuersum. Quorum v-

trumque

trumque est absurdum, & pugnat cum natura Dei. Cæterum pro thesi particulari negante adduci possunt hæc argumenta: 1, Quia ideæ & decreta diuina ante mundi creationem fuerunt in Deo; neque tamen sunt ipse Deus. 2, Quia nullum ens temporale est ipse Deus, cum Deus sit simpliciter æternus. Cum igitur quædam attributa Dei sint temporalia, & non æterna, sequitur aliquid esse in Deo, quod non sit ipse Deus. 3, Quia nullum accidens est ipse Deus. Cum igitur omnes relationes externæ ac temporales, quæ Deo attribuuntur, sint accidentia, sequitur aliquid esse in Deo quod non sit ipse Deus. 4, Quia voluntas Dei differt ab essentia Dei: Ergo non potest esse idem ac ipse Deus; cum essentia Dei ab ipso Deo non differat, vt supra Probl. 6. probatum fuit.

Pro thesi particul. negante Argum. *I.* *II.* *III.* *IV.*

Pro decisione igitur quæstionis notandum est: 1, In Deo aliquid dici esse dupliciter, vel proprie, vel improprie & tropice. 2, in Deo multa quidem ac diuersa considerari secundum nostrum intelligendi modum, quæ tamen ab ipso Deo non realiter, sed ratione duntaxat differunt. 3, non omnia attributa Dei vere & proprie dici esse in ipso Deo. His ita præmissis, asserendum esse videtur, nihil esse in Deo proprie, quod realiter idem non sit, ac ipse Deus: Atque in hoc sensu vera est thesis vniuersalis negatiua problem. propositi cum suis argumentis.

Quæstio deciditur per theoremata. *I.* *II.* *III.*

Quod ergo ad argumenta attinet, pro contraria thesi allata, ad primum respondeo, ideas & decreta proprie non posse Deo attribui; sed tantum improprie κατ' ἀνθρωποπάθειαν. Ideæ enim sunt nihil aliud, quam simulachra res intelligibiles alicui repræsentantia ac notificantia. Talibus autem ideis Deus non indiget ad exercendum intelligendi actum, cum infinitam virtutem intelligendi habeat. Præterea omne decretum proprie est effectum consultationis seu deliberationis antegressæ. Hæc autem proprie non cadit in Deum omniscium & sapientissimum: sed tantum improprie & humano more de Deo loquendo. Nihil igitur illud argumentum, ab ideis & decretis diuinis sumptum valet, ad infringendam thesin supra positam, præsertim cum decreta Dei, quatenus per ea intelliguntur τὰ θελήματα, non sint in Deo ὑπαρκτικῶς, seu subiectiue, sed tantum obiectiue, sicut omnes aliæ res extra Deum.

Responsio ad argumen. pro thesi negãte.

II. Ad secundum argumentum respondeo, attributa Dei temporalia non proprie dici esse in Deo, tanquam adiuncta inhærentia in subiecto inhærentiæ, sed tantum improprie secundum nostrum concipiendi modum: Ideoque inde concludi nō posse, aliquid esse in Deo proprie quod ipse Deus non sit.

III. Ad tertium argumentum respondeo: 1, nullum accidens proprie acceptum, prout opponitur substantiæ, esse Deum: sed si vocabulum accidentis sumatur pro adiuncto, nihil absurdi committi, si quis ἀνθρωποπαθῶς, proprietates diuinas vt certa *accidentia propria Dei*, &, per consequens, ipsum Deum. 2, relationes & actiones externas ac temporales Dei esse quidem ab essentia diuina diuersas; ideoque posse quodam modo, si nō vera, saltem quasi accidentia vocari. Sed quia in alio extra Deum subiecto terminantur, videtur inde nō sequi, aliquid esse in Deo proprie & ὑπαρκτικῶς, quod non sit ipse Deus.

IV Ad quartum argumentum respondeo, voluntatem Dei sumi tripliciter. 1. pro facultate volendi. 2, pro actu volendi. 3, pro re ipsa volita. In prioribus duabus significationibus concedo quidem illam ratione differre ab essentia diuina, sed realiter nego: siquidem eiusmodi voluntas æque ac ipsa essentia diuina est absolute simplex, infinita, optima, immutabilis & æterna. In postrema significatione concedo voluntatem ratione & realiter differre ab essentia diuina; sed quia illa non est in Deo ὑπαρκτικῶς, sed tantum obiectiue; idcirco inde non concludi potest, esse aliquid in Deo proprie, quod non sit ipse Deus.

12 *An Deus sit Spiritus?*

Pro thesi affirmante. IN hoc probl. vocabulum *Spiritus*, sumitur pro substantia incorporea, & statuitur thesis affirmatiua. Rationes

Ratio. sunt. 1, Quia Deus est actus simplicissimus, expers omnis

I. compositionis realis. 2, Quia est substantia absolute in-

II. finita, illocalis & æterna. 3. Quia est substantia ἀμεγέθης

III. καὶ ἀμερής, hoc est, expers magnitudinis extensiuæ & par-

IV. tium. 4, Quia est substantia per se inuisibilis & impalpa-

V. bilis. 5, Quia est primum & omnium nobilissimum ens.

Obiectio. At in contrariam partem obiici potest: 1, Quod Deo

Iob c 14. v 8 in scriptura tribuitur trina dimensio, nempe longitudo, latitudo & profunditas. 2, partes corporeæ, nempe oculi, aures, brachia, pedes. 3, situs differentiæ, vt sunt statio,

tio, sessio. 4, termini locales, à quo & ad quem, dum homines ab eo dicuntur modo recedere, modo ad eum accedere. Quæ omnia videntur Spiritui non competere. Respondeo cum Thoma, *Spiritualia & diuina nobis in sacra scriptura tradi sub similitudinibus corporalium.* Ideoque illa omnia attributa, quorum fit mentio in obiectione, non esse propria, sed metaphorica. *p. 1. S T. Q. 3. art. 1.* *Responsio ad obiect.*

13 *An Deus in vllius entis creati compositionem venire possit?*

FVerunt olim nonnulli ex Philosophis & Poetis, qui videntur statuisse, Deum in alicuius entis creati compositionem venire posse; siquidem illorum alii dixerunt Deum esse animam mundi, vel saltem cœli; alii Deum esse substantialem cuiusque rei formam, alii, Deum esse materiam primam omnium rerum. Sed hæc opinio, si proprie & absque tropo intelligatur, est falsissima & absurdissima, propter sequentes rationes: 1, Quia nulla causa efficiens potest venire in compositionem sui effecti, ita scilicet, vt fiat pars ipsius compositi. Deus autem est prima causa efficiens omnis entis creati. 2, Quia quicquid venit in compositionem alicuius entis creati, id ab alio tanquam causa efficiente habet originem. Deus autem non est ab alio tanquam causa efficiente; sed à seipso, cum sit primum ens. 3; Quia quicquid venit in compositionem alicuius entis creati, id sua natura est finitum & mutabile: Deus autem sua natura non est finitus & mutabilis; sed infinitus & immutabilis. Concludimus igitur, Deum in nullius entis compositionem venire posse, neque vt principium formale, neque vt principium materiale. Neque aduersus hanc veritatem quicquam valet, si obiiciatur, *Deum esse in omnibus rebus. Dei omnia esse plena: In Deo nos viuere, moueri & esse,* Actor. 17. Deus enim est in omnibus rebus, non vt pars compositi, vel materia, vel forma; sed vt causa efficiens & conseruans. Et in dicto illo ex actis Apost. citato, propositio, *In*, more Hebraico, sumitur pro *Per*, referturq; ad causam efficientem & conseruantem; vt sit sensus, per ipsum, tanquam causam efficientem & conseruantem nos viuere, moueri & esse. Eodem modo fortassis etiã intelligenda sunt dicta veterum philosophorum & Poetarum, quando asserunt *Deum esse animã cœli vel mundi, Deũ esse in omnib. Dei omnia esse plena.*

Thesis negatiua, defend. *Ratio I.* *II.* *III.* *Prolepsis.*

Non enim credibile est illos tam crasse errasse, vt has locutiones voluerint proprie & absque tropo intelligi, sed potius statuendum videtur, illos his phrasibus indicare voluisse Deum tanquam efficientem omnia implere, viuificare & conseruare.

14 *Vtrum in Deo sint omnium rerum perfectiones?*

Pro thesi affirmante Argument. Sententiam affirmantem defendit Thomas Aquinas in 1. P. S. T. Q. 4. art. 2. Argumenta præcipua sunt: 1, Quia Deus est summe perfectus. In summe autem perfecto nulla perfectio deesse aut desiderari potest. 2, Quia quicquid perfectionis est in effectu, id oportet inueniri in causa efficiente. Cum igitur Deus sit prima causa efficiens omnium rerum, necesse est, vt in eo quoque omnium rerum sint perfectiones. 3, Quia Deus est ens non ab alio vel per aliud, sed à seipso & per seipsum existens: Ergo omnis essendi perfectio in ipso continetur.

I.
II.
III.

Pro thesi neg. argument. At pro sententia negante afferri possunt hæc argumenta: 1, Quia Deus est summe simplex Ideoque omnium rerum perfectiones, quæ sunt realiter multæ diuersæ, in Deo esse non possunt. 2, Quia opposita non possunt simul esse in eodem. Perfectiones autem rerum sunt oppositæ, siue essentiales species, siue accidentales. 3, Quia nullum creatum & finitum est in Deo. Cum igitur perfectiones omnium creaturarum sint creatæ & finitæ, sequitur illas in Deo non esse.

I.
II.
III.

Quæstio deciditur per distinct. Pro resolutione problematis sciendum est, in Deo dici esse omnium rerum perfectiones non proprie & formaliter; sed improprie & effectiue, quatenus nimirum ab eius perfectione infinita omnium aliarum rerum perfectiones suam habent originem. *Responsio ad argumen. pro thesi affirm.* Quod igitur ad argumenta attinet pro sententia affirmante adducta; in primo concedo, nullam perfectionem in summe perfecto deesse vel desiderari posse, quæ scilicet ad naturam ipsius pertinet: sed inde non sequitur, omnium rerum perfectiones in eo esse; cum illarum nulla in summe perfectum, nempe DEVM proprie & formaliter cadere possit, sine contradictionis implicatione. In altero dico, propositionem partim esse veram, partim falsam: veram, quatenus perfectio effecti intelligitur esse in causa efficiente improprie & ἐνεργητικῶς: falsam, quatenus intelligitur esse proprie & formaliter. In tertio dico, omne essendi

I.
II.
III.

essendi perfectionem in Deo esse proprie & formaliter, quæ naturæ Dei est conueniens. Cum igitur nulla creata & finita perfectio naturæ Dei sit conueniens; sequitur quoque nullam in Deo proprie & formaliter esse; sed tantum improprie & effectiue. Vnde porro satis manifeste liquet, quid statuendum sit de argumentis pro sententia negante allatis. Illa enim sunt vera, quatenus ita intelliguntur, vt nullius creaturæ perfectionem in Deo statuamus esse proprie & formaliter.

15 *An solus Deus sit primum & summum bonum?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia solus Deus est primum & summum ens. Omne autem ens, quatenus ens, est bonum, & quo magis ens aliquod excellit in genere entium, eo etiam magis excellit in genere bonorum. 2, Quia Deo nihil est perfectius, præstantius, admirabilius & gloriosius. 3, Quia solus est αὐταρκής, hoc est, sibi ipse sufficiens, ita vt nihil boni deesse, nihil boni in eo desiderari possit. 4, Quia non tantum in se essentialiter est bonus, & ab omni mali admixtione immunis; sed etiam ipsa bonitas. 5, Quia nullum bonum est, quod sua natura magis sit appetibile, & sui communicatiuum, quam ipse Deus. 6, Quia solus Deus non tantum est prima causa efficiens, sed etiam primum exemplar, & vltimus finis omnium bonorum. Omnis autem creatura est bona per participationem diuinæ bonitatis; & quo magis congruit cum primo omnis bonitatis exemplare Deo, eo est melior; imo per naturam ad Deum tanquam vltimum finem est destinata. Verum posset quis contra hanc sententiam, quæ verissima est obiicere tale argumentum. Si Deus esset summum bonum, sine dubio omnia entia creata illud omnium maxime appeterent. Vnumquodque enim appetit sui perfectionem, & ad id, in quo eius perfectio consistit naturali quodam desiderio fertur. Sed experientia contrarium testatur. Videmus enim maximam partem hominum ad terrena & caduca bona appetitum suum conuertere, & de Deo aut nihil, aut parum esse solicitam. Videtur ergo Deus non esse summum bonum.

Pro thesi affirmante. Ratio I. II. III. IV. V. VI. Obiectio.

Respondeo, primum distinguendum esse inter id, quod sua natura & in seipso bonum est, & quod peruerso ho-

Responsio ad obiect.

minum iudicio bonum æstimatur. Deus igitur licet sua natura & in seipso sit summum bonum, & per consequens, maxime appetibile, seu dignum quod appetatur; tamen non ab omnibus ob depravatum ipsorum iudicium summum bonum æstimatur. Vnde fit, vt multi Deum non appetant tanquam summum bonum; sed potius ea sequantur, quæ sibi videntur esse bona; etiamsi multa sæpe ex illorum numero sint, quæ in se simul & ipsis sint mala. Qui autem vere & ex animo Deum pro summo bono habent, illi relictis bonis terrenis naturali quodam desiderio ad Deum feruntur, & obnixe dant operam, & similitudinem, quam eum Deo habent, conseruent, & augeant, scientes, quo quid similius est Deo, eo esse melius, & quo dissimilius, eo peius.

II Deinde negatur connexa propositio. Ex antecedente enim non recte infertur consequens. Proprium enim boni non est, ab omnibus appeti, sed esse appetibile, hoc est, tale quod appeti possit, seu quod dignum sit, vt appetatur.

Prolepsis. Neque obstat definitio boni tradita ab Arist. libr. 1. Ethicorum, cap. 1. *Bonum est, quod omnia appetunt.* Illa enim non est vniuersaliter vera, cum bonum non semper ab omnibus actu appetatur; tametsi sit appetibile, hoc est, ita comparatum vt possit ab omnibus appeti, quibus est bonum. Multo minus obstat ratio connexæ propositionis. Illa enim videtur semper vera esse, de entibus, quæ solo naturæ & sensus instinctu feruntur, vt sunt res inanimatæ, plantæ, bestiæ; non autem de entibus, quæ ratione & libero arbitrio sunt prædita. Præterea sæpe enti videtur perfectio esse posita in eo, quod reuera ipsi bonum non est, sed potius malum. Vnde fit vt non raro malum sub ratione boni appetatur.

16 *An Deus ex æquo sit bonus erga omnes suas creaturas?*

Thesis negatiua defend. NOn dubium est Deum communicare suam bonitatem omnibus creaturis partim creando, partim gubernando & conseruando, partim aliis modis. Sed an ex æquo erga omnes creaturas sit bonus, id non immerito in controuersiam vocatur. Est autem sententia negatiua vera, eaque probatur à posteriore ex inductione creaturarum, inter quas non est æqua bonitatis diuinæ participatio. Sunt enim aliæ spirituales, aliæ corporales, aliæ

aliæ rationis compotes, aliæ rationis expertes. Et ex his aliæ tantum sunt, aliæ sunt & viuunt, aliæ sunt, viuunt & sentiunt. Imo in singulis creaturarum generibus, videmus alia maiora & excellentiora dona seu beneficia à Deo habere, alia minora. Vnde non immerito comparatur Deus patrifamilias, qui in totam quidem familiam bonus & beneficus est, ita vt neque iumenta, neque canes, neque feles expertes sint bonitatis ipsius; sed tamen longe alio modo affectus est erga vxorem & liberos, quam erga famulos & iumenta. Quod si quæratur, *cur Deus inæqualiter sua dona distribuat*, illa partim est liberum diuinæ voluntatis beneplacitum, partim inæqualis rerum capacitas, siue ex naturæ principiis oriatur, siue aliunde ex certis obstaculis existat, quæ impediunt quo minus Deus possit suam bonitatem, prout cuperet, erga creaturas suas exercere. Sic inter homines Deus per naturalem generationem vnum hominem efficit ingeniosiorem, pulchriorem & saniorem, quam alium. Causa prima est libera & gratuita Dei voluntas. Secunda, eaque propinquior, est inæqualis hominum capacitas, orta ex inæquali intemperie tam seminis, ex quo homo generatur, quam totius corporis generati. Sic inter eosdem homines Deus vni maiora dona tam intellectualia, quam moralia largitur, quam alteri. Causa prima, est libera & gratuita Dei voluntas. Secunda, eaque propinquior secundum ordinarium naturæ cursum, est inæqualis hominum capacitas, orta vel ex naturæ principiis, vel ex inæquali orandi, discendi & laborandi studio. Vnde recte Saluator ait, *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit; quisquis quærit, inuenit; quisquis pulsat, huic aperietur.* Quicunque igitur non auide petit & quærit, neque instanter pulsat, is ex hac hypothesi non est capax bonorum illorum, quæ alias Deus libenter ipsi communicaret. Vnde recte a Philosophis dici solet, *Vnumquodque recipi secundum modum, non dantis, sed recipientis.* Vas enim tantum recipit in se aquæ, quantum per naturam aptum est recipere.

Cur Deus inæqualiter sua dona distrib.

Eodem modo homo tantum donorum vel naturalium, vel moralium accipit a Deo, quantū aptus est recipere ex modo capacitatis vel naturalis vel moralis. Nullum

enim agens potest agere in patiens, vltra potentiam illius passiuam; & nullum patiens potest pati vltra suam potentiam passiuam, vt alibi prolixius explicabitur.

27 *An Deus recte dicatur aliquo modo esse similis creaturæ, & contra creatura Deo?*

Thesis affir. defenditur ex vtraq; parte. THomas Aquinas in parte prima, S.T. quæst. 4. art. 3. statuit creaturam quidem esse similem Deo secundum quandam analogiam, sed negat vllo modo Deum esse similem creaturæ. Sed hæc sententia quoad posteriorem partem videtur non omnino esse concedenda. In similibus enim mutua est similitudo: siquidem simile est simili simile. Quod si ergo creatura est similis Deo secundum quandam conuenientiam analogicam, quemadmodum nemo sanæ mentis homo negare potest; sequitur non peccare eum, qui Deum dicit eodem modo

Exceptio. esse similem creaturæ. Neque valet exceptio Thomæ, quam affert ex Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus, nimirum mutuam similitudinem habere locum inter similia eiusdem ordinis, non vero diuersi, cuiusmodi sunt causa & effectum, imago & id cuius est imago. Illa enim exceptio falsa est, & à nobis non admittitur nisi proba-

Responsio. tur. Vbi etiam obseruandum, 1, nullam creaturam vlla re

Obseruatio. I. II. Deo exæquari posse. 2, vnam & eandem creaturam Deo, esse similem & dissimilem: similem quidem secundum cõuenientiam analogicam, quatenus Deum aliquo modo repræsentat & imitatur, dissimilem vero secundum conuenientiam vniuocam, quatenus imperfecte Deum repræsentat & imitatur, & sub nullo genere vniuoco cum Deo contineri potest.

18 *An in Deo summa libertas cum summa necessitate consistere possit?*

Thesis affir. defenditur. CVm Deus dicatur agens liberrimum, existimare quis posset, eundem ens summe necessarium dici vere non posse. Sed fallitur quisquis ita iudicat. In Deo enim summa libertas, cum summa necessitate non pugnat: sed amice conspirat. Quatenus enim Deus in se absolute consideratur, sine respectu ad aliud extra se obiectum; ita ei conuenit summa necessitas. Quatenus vero idem consideratur, relate, hoc est, cum respectu ad aliud extra se obiectum, ita ei competit summa libertas. Est enim

nim hoc modo Deus primum principium & prima causa efficiens omnium entium, quæ liberrime agit quicquid agit, cum sua natura omnino sit indifferens ad vtrumque oppositum, ita vt tam agere quam non agere, & tam hoc, quam illud agere possit, si modo velit, vt infra in alia quæstione copiosius explicabitur.

19 *An omnia possibilia cadant sub omnipotentiam Dei?*

Reperiuntur nonnulli qui asserunt, omnia possibilia cadere sub omnipotentiam Dei, & ab ea nihil excludi, nisi quod simpliciter est impossibile. Et hoc etiam inde probant. 1, Quia Deus dicitur omnipotens, propterea quod omnia potest facere, quæ vllo modo possunt habere rationem entis, seu quæ non implicant contradictionem, cuiusmodi sunt ea quæ dicuntur possibilia. 2, Quia solum non ens non potest à Deo fieri; tum, quod non ens Deo nullo modo est simile; tum, quod facere non ens, non est facere, sed deficere: ac proinde ad illud non potentia, sed impotentia requiritur. Verum hæc sententia non videtur simpliciter esse vera, siquidem multa sunt creaturis possibilia, quæ tamen Deo non possunt attribui, v. g. Possibile est hominem naturaliter generari, corrumpi, augeri, diminui, loco moueri, edere, bibere, dormire, errare, peccare, decipi: Et tamen illa Deo non sunt possibilia. Adhibenda igitur est sententiæ supradictæ necessario limitatio aliqua, & dicendum sub omnipotentiam Dei cadere omnia, quæ Deo ipsi sunt possibilia, cuiusmodi sunt omnia ea, quæ in Dei essentia & natura non implicant contradictionem; seu, vt clarius loquar, quæ Dei naturæ sunt consentanea, & cum ea nullo modo pugnant. Vnde porro sequitur, Deo impossibilia esse nō tantum ea, quæ nullam habent rationem entis, neque in Deo, neque in creaturis; sed etiam ea, quæ in creaturis quidem habent rationem entis; sed tamen quia arguunt infirmitatem & defectum quendam, in Deo locum habere non possunt. Neque inde sequitur, Deum non esse causam efficientem omnium entium, quatenus sunt entia. Multa enim Deus causatur & efficit in creaturis, quæ simpliciter impossibile est in Deo subiectiue locum habere.

Sent. aliorū exponitur cū rationibus.

I.

II.

Quæstio deciditur per distinct.

20 *An quæ apud homines sunt impossibilia, apud Deum sint possibilia?*

Thesis affir. non simpliciter, sed secundum quid est vera.

SEntentia affirmatiua huius Problem. in sensu particulari est vera, in sensu vniuersali, falsa. Multa enim sunt, quæ tam apud Deum, quam apud homines sunt impossibilia, ver.gr. ens esse sine essentia; subiectum sine proprietatibus suis essentialibus, accidens, sine subiecto; effectum sine causa, &c. illa enim omnia implicant contradictionem, non tantum in creaturis, sed etiam in ipso Deo. Ideoque a possibilium numero excluduntur. Neque huic sententiæ aduersatur dictum Christi, quod habetur Matth 19 & Lucæ 18. Illud enim hoc tantum vult, apud homines quidem impossibile esse, vt diues auarus, qui fiduciam suam collocat in diuitiis, quamdiu talis manet, saluetur; sed tamen apud Deum omnia esse possibilia, quæ naturæ scilicet ipsius sunt consentanea; ideoque diuitem etiam auarum a Deo per prædicationem Euangelii conuerti posse ad studium veræ pietatis, atque ita saluari.

Prolepsis.

21 *An vllus affectus in Deum cadat?*

Thesis affir. defenditur. aduers. alios.

SVnt quidam qui secuti sententiam Stoicorum, asserentium omnem affectum sua natura esse vitiosum, & nihil aliud quam turbidum animi motum rectæ rationi aduersum, existimant Deo non posse sine absurditate affectum vllum attribui. Sed hæc sententia non videtur omnino esse concedenda. Nam primum falsa est hypothesis illa Stoicorum, qua nititur: cum omnis affectus in se absolute consideratus, sit naturaliter bonus & ab ipso Deo homini inditus; tametsi possit fieri moraliter malus, quatenus rectæ rationi aduersatur. Deinde licet eo modo affectus in Deo non sit, quo in creaturis intelligentibus; tamen simpliciter negari non potest, affectus in Deo esse; siquidem desiderium, amor, odium, ira, fauor, misericordia, & id genus alii affectus, Deo vere attribuuntur, quatenus omnis imperfectio, quam in creaturis sibi habent admixtam, ab iis remouetur & excluditur.

22 *An Deo omnia sint præsentia?*

Sensus quæst. triplex.

VVlgatum est in scholis axioma, *Deo omnia esse præsentia.* Quod vt rectius intelligatur, excutiendi sunt

I. diuersi illius sensus; quorum primus est, Deo omnia, quæ actu

actu existunt, adesse, & nihil ab eo abesse; cum sit vbique & in omnibus rebus: Alter est, *Deum omnia intelligere & cognoscere, siue sint praeterita, siue praesentia, siue futura, cum sit omniscius*; Tertius est, *Deo nullum ens esse vel praeteritum, vel futurum, sed omne praesens, quocunque modo consideretur.* Priores duo sensus sunt verissimi: Postremus vero videtur esse falsus. Deus enim non aliter concipit ac apprehendit res, quam eo modo, quo sunt. Alioquin enim conceptio & apprehensio Dei esset falsa, cum non congruat cum natura rerum. Proinde res praeteritas habet pro praeteritis, praesentes pro praesentibus, futuras pro futuris, non vero res praeteritas vel futuras pro praesentibus reputat.

II. *III.* *In prioribus sensib. thesis affirm. est vera, in postremo falsa.*

23 *An Deus omnia intelligat & cognoscat, & quomodo?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia Deus est omniscius & summe sapiens, hoc est, infinitam intelligentiam & scientiam habet. 2, Quia nulla ignorantia in Deum cadere potest, quippe quae cum omniscientia ex diametro pugnet. 3, Quia Deus intelligit & cognoscit non tantum seipsum, sed etiam alia omnia extra se, siue illa actu sint, siue fuerint, siue futura sint, siue quocunque modo esse aut fieri possint, etiamsi actu nunquam sint aut fuerint; siue denique illa bona sint, siue mala, siue vniuersalia, siue singularia, siue totum, siue partes. Hinc Thomas p.1.S.T.quaest.14.art.9. ait: *Quaecunque per creaturam possunt fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quaecunque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint.* Idem docet Mornaeus in cap. 5. de veritate Relig. *Deus ab aeterno intelligit, quod fuit, quod est, quod erit, totum & partes, vniuersa & singula, genus & species, indiuidua demum ipsa & indiuiduorum ortus, progressus, successiones, facta, dicta, cogitata.* Restat igitur vt explicemus, quomodo Deus omnia intelligat & cognoscat, vbi sciendum est Deum omnia intelligere & cognoscere. 1, non ab alio vel per aliud, sed à seipso & per seipsum. 2, non successiue, hoc est, multis ac diuersis intelligendi actibus; sed simul, hoc est, vno simplicissimo intelligendi actu. 3, non imperfecte, confuse & incerto; sed perfecte, distincte ac certo. 4, non per discursum ab vno ad aliud, à noto ad ignotum; sed sine omni

Pro thesi affirmante. Ratio. I. II. III.

Quomodo Deus intelligat & cognoscat.

Intelligentia & cognitio Dei non differt realiter ab ipsius essentia.

discursu. 5. non in tempore, sed ab æterno. Vnde porrò manifestum est, in Deo intelligentiam & cognitionem diuinam non realiter differre ab ipsius essentia; sed tantum ratione. Vtraq; enim est simplicissima & perfectissima, hoc est, absolute infinita, immutabilis & æterna. Et hoc etiam testatut Thom. q. 14. att. 4. dum ait, *intelligere Dei est eius substantia.* Et paulo post: *In Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligit, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnia vnum & idem.* In quo tamen postremo dicto notandum, illud esse simpliciter verum, quando Deus seipsum intelligit; quando autem alia extra se intelligit, tunc id quod intelligitur, realiter differt in Deo à cæteris tribus prænominatis. Idem comprobat Mornæus in capite prius citato, dum ait, *in Deo non modo intellectum esse, qui summus sit ab æterno infinitus, sed intellectum ipsius esse essentiam, nempe diuinam.* Et paulo post, *Esse & intelligere idem in Deo esse.*

24 *An in Deum cadat præscientia futurorum contingentium?*

Thesis affir. defenditur.

ETsi huius problematis veritas ex præcedentis explicatione satis nota est & manifesta; tamen visum fuit seorsum ipsam paucis declarare. Ac pro thesi quidem affirmante, quæ verissima est, faciunt illa argumenta, quæ in superiori problem. fuerunt adducta, quibus etiam duo alia addi possunt. 1, quod omnia futura, siue sint necessaria, siue contingentia, siue bona, siue mala, præsupponant præordinationem Dei æternam. Nihil enim futurum est, nisi quod Deus ab æterno decreuit vel ipse facere in tempore, siue immediate, siue mediate; vel permittere, vt ab alio sine sua cooperatione fiat. Iam autem certum est, quicquid Deus ab æterno præordinauit seu decreuit futurum, id etiam infallibiliter præscit. Absurdum enim est & diuina maiestate indignum, statuere, Deum quædam decreuisse futura, quæ tamen ipse certo non sciat esse futura. 2, Si homo quædam futura contingentia certo præscire potest ex præcognitione causarum efficientium, secundum ordinarium Naturæ cursum, semper eodem modo operantium; multo magis Deus potest præscire futura contingentia; cum ille sit omniscius, ac infinitam virtutem sciendi habeat. Sed verum

Ratio I. (beside "duo alia addi possunt. 1,")

II. (beside "non sciat esse futura. 2,")

sum & antecedens, vt testantur partim prædictiones astrologicæ, præsertim eclipsis solaris & lunaris, partim prædictiones nonnullæ physiognomicæ: Ergo verum etiam est consequens. Cæterum pro contraria sententia obiici potest hoc argumentum: *Quicquid Deus præscit, id determinate est verum & necessario futurum: Iam autem nullum futurum contingens determinate est verum & necessario futurum: Ergo nullum futurum contingens Deus præscit.* *Obiectio.*

Respondeo, assumptionem non esse simpliciter veram. Futurum enim contingens, licet non sit determinate verum & necessario futurum respectu suæ causæ efficientis proxime, in cuius potentia actiua contingenter quasi latitat: tamen est determinate verum & necessario futurum respectu præscientiæ Dei, qui certe ac infallibiliter cognoscit omnia; non solum quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia tam sua quam creaturæ. *Responsio ad obiect.*

25 *An præscientia Dei sit causa efficiens præscitorum?*

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia non ideo aliquid futurum est, quia id præscit Deus futurum; sed quia futurum est, idcirco illud Deus præscit futurum, antequam fiat. 2, Quia posita causa ponitur causatum. Si igitur præscientia Dei esset causa efficiens præscitorum, sequeretur inde, sicut præscientia Dei est æterna; ita etiam præscita esse æterna; quod tamen longe absurdissimum. 3, Quia sub præscientiam Dei cadunt etiam mala, quatenus sunt mala. Si igitur præscientia Dei esset causa efficiens præscitorum, sequeretur inde, Deum esse autorem malorum, quatenus sunt mala: quod tamen dictu & cogitatu est impium *Prothesi neg.* *Ratio I.* *II.* *III.*

At pro contraria sententia, quem Thomas videtur defendere in 1. p S.T. qu.14. art 8. obiici possunt hæc argumenta: 1, Quia præscientia diuina non differt realiter ab ipso Deo, neque à voluntate ipsius. Quod si igitur Deus seu voluntas Dei est causa efficiens præscitorum, sequitur idem etiam de præscientia diuina vere dici posse. 2, Quia præscientia Dei habet se ad præscita, sicut præscientia artificis, ad artificiata: Iam autem præscientia artificis est causa efficiens artificiatorum: Ergo etiam præscientia Dei est causa efficiens præscitorum. 3, Quia August. lib.15. de Trinitate, cap. 13. ait, *Vniuersas creaturas* *Pro thesi affirmante.* *Ratio I.* *II.* *III.*

Ca

Intelligentia & cognitio Dei non differt realiter ab ipsius essentia.

discursu. 5, non in tempore, sed ab æterno. Vnde porrò manifestum est, in Deo intelligentiam & cognitionem diuinam non realiter differre ab ipsius essentia; sed tantum ratione. Vtraq; enim est simplicissima & perfectissima, hoc est, absolute infinita, immutabilis & æterna. Et hoc etiam testatur Thom. q. 14. art. 4. dum ait, *intelligere Dei est eius substantia.* Et paulo post: *In Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligit, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnia vnum & idem.* In quo tamen postremo dicto notandum, illud esse simpliciter verum, quando Deus seipsum intelligit; quando autem alia extra se intelligit, tunc id quod intelligitur, realiter differt in Deo à cæteris tribus prænominatis. Idem comprobat Mornæus in capite prius citato, dum ait, *in Deo non modo intellectum esse, qui summus sit ab æterno infinitus, sed intellectum ipsius esse essentiam, nempe diuinam.* Et paulo post, *Esse & intelligere idem in Deo esse.*

24 *An in Deum cadat præscientia futurorum contingentium?*

Thesis affir. defenditur.

ETsi huius problematis veritas ex præcedentis explicatione satis nota est & manifesta; tamen visum fuit seorsum ipsam paucis declarare. Ac pro thesi quidem affirmante, quæ verissima est, faciunt illa argumenta, quæ in superiori problem. fuerunt adducta, quibus etiam

Ratio I. duo alia addi possunt. 1, quod omnia futura, siue sint necessaria, siue contingentia, siue bona, siue mala, præsupponant præordinationem Dei æternam. Nihil enim futurum est, nisi quod Deus ab æterno decreuit vel ipse facere in tempore, siue immediate, siue mediate; vel permittere, vt ab alio sine sua cooperatione fiat. Iam autem certum est, quicquid Deus ab æterno præordinauit seu decreuit futurum, id etiam infallibiliter præscit. Absurdum enim est & diuina maiestate indignum, statuere, Deum quædam decreuisse futura, quæ tamen ipse certo

II. non sciat esse futura. 2, Si homo quædam futura contingentia certo præscire potest ex præcognitione causarum efficientium, secundum ordinarium Naturæ cursum, semper eodem modo operantium; multo magis Deus potest præscire futura contingentia; cùm ille sit omniscius, ac infinitam virtutem sciendi habeat. Sed ve-

ſum & antecedens, vt teſtantur partim prædictiones aſtrologicæ, præſertim eclipſis ſolaris & lunaris, partim prædictiones nonnullæ phyſiognomicæ: Ergo verum etiam eſt conſequens. Cæterum pro contraria ſententia obiici poteſt hoc argumentum: *Quicquid Deus præſcit, id determinate eſt verum & neceſſario futurum: Iam autem nullum futurum contingens determinate eſt verum & neceſſario futurum: Ergo nullum futurum contingens Deus præſcit.* ***Obiectio.***

Reſpondeo, aſſumptionem non eſſe ſimpliciter veram. Futurum enim contingens, licet non ſit determinate verum & neceſſario futurum reſpectu ſuæ cauſæ efficientis proxime, in cuius potentia actiua contingenter quaſi latitat: tamen eſt determinate verum & neceſſario futurum reſpectu præſcientiæ Dei, qui certe ac infallibiliter cognoſcit omnia; non ſolum quæ actu ſunt, ſed etiam quæ ſunt in potentia tam ſua quam creaturæ. ***Reſponſio ad obiect.***

25 *An præſcientia Dei ſit cauſa efficiens præſcitorum?*

Statuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, Quia non ideo aliquid futurum eſt, quia id præſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, idcirco illud Deus præſcit futurum, antequam fiat. 2, Quia poſita cauſa ponitur cauſatum. Si igitur præſcientia Dei eſſet cauſa efficiens præſcitorum, ſequeretur inde, ſicut præſcientia Dei eſt æterna; ita etiam præſcita eſſe æterna; quod tamen longe abſurdiſſimum. 3, Quia ſub præſcientiam Dei cadunt etiam mala, quatenus ſunt mala. Si igitur præſcientia Dei eſſet cauſa efficiens præſcitorum, ſequeretur inde, Deum eſſe autorem malorum, quatenus ſunt mala: quod tamen dictu & cogitatu eſt impium. ***Pro theſi neg.*** ***Ratio I.*** ***II.*** ***III.***

At pro contraria ſententia, quem Thomas videtur defendere in 1. p S.T. qu.14. art 8. obiici poſſunt hæc argumenta: 1, Quia præſcientia diuina non differt realiter ab ipſo Deo, neque à voluntate ipſius. Quod ſi igitur Deus ſeu voluntas Dei eſt cauſa efficiens præſcitorum, ſequitur idem etiam de præſcientia diuina vere dici poſſe. 2, Quia præſcientia Dei habet ſe ad præſcita, ſicut præſcientia artificis, ad artificiata: Iam autem præſcientia artificis eſt cauſa efficiens artificiatorum: Ergo etiam præſcientia Dei eſt cauſa efficiens præſcitorum. 3, Quia Auguſt. lib. 15. de Trinitate, cap. 13. ait, *Vniuerſas creaturas* ***Pro theſi affirmante.*** ***Ratio I.*** ***II.*** ***III.***

& spirituales & corporales non ideo nosse Deum, quia sunt, sed ideo esse, quia novit Deus.

Responsio ad argument. Pro thesi affirmante.

I. Respondeo ad primum argumentum. 1, præscientiam diuinam non quidem realiter differre ab ipso Deo, neque à voluntate ipsius; sed tamen differre ratione. Ideoque cum de præscientia & voluntate Dei ἀνθρωποπαθῶς secundum nostrum intelligendi modum sit nobis loquendum: In nobis autem præscientia, nullius præsciti causa sit efficiens: idcirco neque de præscientia Dei idem esse affirmandum. Hinc etiam Thomas in citato loco non audet simpliciter affirmare scientiam Dei esse causam rerum; sed cum hac conditione, quatenus voluntatem sibi habet adiunctam. 2, concedo Deum seu voluntatem Dei esse causam efficientem præscitorum, quatenus sunt bona; non autem quatenus sunt mala.

II. Ad alterum argumentum respondeo per inficiationem assumptionis. Non enim præscientia artificis est causa efficiens artificiatorum; sed voluntas & operatio

III. eius, quatenus actum causandi exercet. Ad tertium argumentum respondeo, Originem, qui fuit ante Augustinum, longe aliter de præscientia Dei sensisse. Sic enim inter alia scribit supra cap. 8. epist. ad Rom. *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat.*

25 *An solus Deus sit καρδιογνώστης?*

Quæstio explicatur per distinct.

Videtur solus Deus non esse καρδιογνώστης. Nam etiam Angeli & homines prudentes ac sagaces sæpe aliorum arcanas cordis cogitationes indagare & cognoscere solent. Sed distinguendum est inter καρδιογνωσίαν quæ Deo, & quæ creaturæ competit. Illa enim est perfecta, distincta & certa; hæc, imperfecta confusa & incerta; illa non indiget signis externis; sed pendet à virtute infinita sciendi, quæ est in Deo: Hæc vero semper indiget signis externis, & sine iis nullo modo acquiri potest. Proinde si priorem καρδιογνωσίαν spectes, solus Deus est καρδιογνώστης: Si vero posteriorem, etiam Angeli & homines prudentes, ac sagaces possunt quandoque esse καρδιογνῶσται.

27 *An scientia Dei sit variabilis?*

Statui-

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia Deus non potest plura scire quam scit, neque iam aliquid cognoscit, quod prius ignorauit. 2, Quia scientia Dei est simplicissima, infinita & interna. 3 Quia non differt realiter ab ipsa essentia Dei, sed vt Thomas ait in p. 1. S. T. q. 14. artic. 15. *scientia Dei est eius substantia.* Ac proinde sicut substantia Dei est omnino immutabilis; ita oportet scientiam eius omnino immutabilem esse. Neque obstat quod scibilia, circa quæ scientia Dei versatur, variis modis mutentur. Illa enim obiecti varietas & mutatio in creaturis quidem secum importat aliquam scientiæ variationem & mutationem, in Deo vero minime. Nam scientia creaturarum est multiplex, finita & temporalis, & ab essentia scientis realiter distincta. Scientia autem Dei est simplicissima, infinita & æterna, & ab essentia Dei realiter non distincta, vt antea dictum fuit.

Pro thesi negante.
Ratio I.
II.
III.
Obiectio.
Responsio ad obiect.

28 *An voluntas Dei realiter differat ab essentia Dei?*

CVm Deo tribuatur intellectus, necessario etiam tribuenda est voluntas: siquidem neque intellectus sine voluntate, neque voluntas sine intellectu consistere potest. Sed quæritur hoc loco, *an voluntas Dei realiter differat ab essentia Dei?* In qua quæstione explicanda ante omnia excutienda est homonymia vocabuli *voluntatis*, quod apud Latinos tribus modis vsurpatur. 1, pro facultate volendi. 2, pro actu volendi, qui proprie dicitur *volitio*, Græce βούλησις, θέλησις. 3, pro obiecto volendi, quod proprie dicitur *volitum*, Græce βούλημα, θέλημα. Quod si igitur voluntas in prima significatione accipiatur, certum est voluntatem Dei non realiter differre ab essentia Dei, sed tantum ratione. Est enim proprietas essentialis ipsius Dei. Si vero in tertia significatione accipiatur, dicendum est voluntatem Dei realiter differre ab ipso Deo, quatenus alia extra se vult, non autem quatenus seipsum vult, tanquam summum bonum. Si autem in secunda significatione accipiatur, quæstio adhuc est inter viros doctos controuersia. Alii enim simpliciter asserunt volitionem Dei ab essentia Dei realiter differre: Alii vero distinguunt inter volitionem internam, qua DEVS seipsum vult; & externam qua Deus

In Deo est voluntas.
Vocabulum voluntatis sumitur tripliciter.
I.
II.
III.
Declaratur quæst. per distinct.
De volitione Dei sententia aliorum.

alia extra se vult. Priorem concedunt ab essentia Dei
realiter non differre; posteriorem vero negant. Alii de-
nique reperiuntur, qui negant volitionem Dei ab essen-
tia ipsius realiter differre, siue internam siue externam.
Et hæc sententia est omnium fere Scholasticorum, quam
etiam princeps eorum Thomas approbat in 1. p. S. T. Q.
Volitio Dei non realiter ab essentia ipsius differt. 19. artic. 1. vbi inquit: *Voluntas Dei est eius essentia.* Item
artic. 2. *Velle diuinum est eius esse.* Rationes præcipuæ,
quibus hæc sententia probari potest, sunt hæ: 1, Quia
nihil in Deo proprie est, quod realiter idem non sit ac
Ratio I. ipse Deus, vt supra probatum fuit. Quod etiam axio-
ma sæpe inculcat Mornæus in libro de veritate Christia-
næ religionis, præsertim cap. 5. vbi ait: *Quicquid in Deo
residet & subsistit, Dei essentiam esse.* Cum igitur volitio
Dei proprie sit in Deo siue internum, siue externum ob-
iectum respiciat; sequitur volitionem Dei realiter ab es-
II. sentia Dei non differre. 2, Quia volitio Dei est simpli-
cissima & perfectissima, hoc est, absolute infinita, immu-
tabilis, æterna & bona. Quicquid autem tale est, id
realiter ab essentia Dei non differt; cum illa attributa
III. essentialia solius Dei sint propria. 3, Quia volitio Dei
dicitur prima causa efficiens omnium entium, non mi-
nus, ac ipse Deus seu essentia Dei. Aut igitur statuendum
duas esse primas causas efficientes omnium entium,
quod est absurdum; aut necessario asserendum est voli-
tionem Dei ab ipso Deo, seu essentia Dei realiter non dif-
IV. ferre. 4, Quia sicut se habet intellectio ad essentiam
Dei; ita etiam volitio. Sed intellectio Dei non differt
realiter ab ipso Deo, siue Deus seipsum, siue alia extra se
intelligat. Ergo neque volitio Dei realiter differt ab ipso
Deo, siue Deus seipsum; siue alia extra se velit. Atque hoc
argumento vtitur etiam Thomas Quæst. 19. artic. 1. dum
inquit: *Sicut Dei intelligere est Dei esse; ita etiam Dei velle:*
Cui astipulatur etiam Mornæus in loco prius citato, as-
serens, *In Deo, qui summe vnus est, esse, intelligere, velle
Obiectio. idem prorsus essentiam esse.* Cæterum in contrariam par-
I. tem præter alia obiici potest. 1, nullam actionem trans-
euntem esse in agente, cum aliud sit transire, aliud im-
manere: Ideoque neque intellectionem, neque volitio-
nem Dei, qua alia extra se intelligit & vult, esse in Deo;
II. cum sint actiones Dei transeuntes. 2, volitionem Dei esse
liber-

liberrimam; essentiam vero summe necessariam. Ideoque fieri non posse, vt volitio Dei idem realiter sit, ac essentia Dei.

Respondeo ad primam obiectionem, propositionem esse falsam. Omnis enim actio est in agente, tanquam in subiecto recipiente. Dicitur autem a Philosophis alia *immanens, alia transiens*, non ratione subiecti recipientis, sed ratione obiecti circa quod occupatur, quod vel est internum, vel externum. Si internum, dicitur immanens, seu interna actio; si externum, dicitur transiens seu externa, vt infra libr. 5. in cap. de motu fusius demonstrabitur. *Responsio ad obiect.* *I.*

Ad alteram obiectionem respondeo, summam libertatem & summam necessitatem tam volitioni quam essentiæ diuinæ competere diuerso respectu. Vtraque enim est summe necessaria in se absolute considerata. Vnde etiam non minus volitio Dei, ac essentia Dei dicitur vnica, simplicissima & perfectissima, hoc est, absolute infinita, immutabilis, æterna & bona. Similiter vtraque est summe libera, quatenus respectum habet ad effecta, & obiecta sua externa, ad quæ per se indifferenter sese habet, ita vt possit ea causari vel non causari, & tam in hoc, quam in aliud dirigi. *II.*

29 *An voluntatis diuinæ causa aliqua proprie assignari possit?*

IN hoc Problem. explicando iterum respiciendum est ad tria significata voluntatis diuinæ. Si enim voluntas diuina sumatur pro obiecto externo volitionis diuinæ, seu quod idem est, pro ipso volito externo; certum est illam proprie dici habere causam. Si vero sumatur pro facultate volendi in Deo, aut pro ipsa volitione diuina, tunc nulla eius causa proprie assignari potest. Rationes sunt: 1, Quia prima causa tum efficiens, tum finalis nullam aliam proprie habet causam se superiorem. Voluntas autem Dei est prima causa tum efficiens, tum finalis omnium rerum. 2, Quia voluntas Dei realiter non differt à Deo seu essentia Dei, vt præcedente quæstione probatum fuit. Cum igitur nulla causa Dei, seu essentiæ diuinæ assignari possit, sequitur idem de voluntate Dei esse statuendum. 3, Quia intellectus & voluntas in Deo *Quæstio deciditur per distinct.* *Facultas volendi & ipsa volitio nullã proprie habet causam.* *Ratio I.* *II.* *III.*

sunt vnum & idem, seu ipsa essentia Dei, vt ex superioribus Problematibus liquet. Iam autem intellectus diuini nulla causa proprie assignari potest: Ergo neque voluntatis diuinæ. Sicut enim vno simplicissimo actu ab æterno omnia intelligibilia intelligit ex seipso & per seipsum; ita etiam vno simplicissimo actu ab æterno omnia volita vult ex seipso & per seipsum.
IV. 4, Quia si voluntatis diuinæ causa aliqua assignari posset; sequeretur illam esse causatum, & per consequens, primam causam omnium rerum dici non posse. Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Verum contra hanc sententiam obiici possunt hæc argumenta:

Obiectio.

I. 1, *Si Deus nihil vult sine ratione, sequitur voluntatis diuinæ causam aliquam proprie assignari posse: Sed verum est antecedens, nisi quis velit statuere voluntatem Dei irrationabilem, quod est absurdum: Ergo verum etiam est consequens.*
II. 2, *Si Deus vult media propter finem, sequitur in Deo volitionem finis esse causam volitionis mediorum: Sed verum prius: Ergo & posterius.*
III. 3, *Sicut se habet intellectus humanus ad voluntatem humanam; ita intellectus diuinus ad voluntatem diuinam. Sed intellectus humanus est causa efficiens voluntatis humanæ.* Ideo enim aliquid volumus, quia id bonum esse intelligimus, iudicamus & approbamus: *Ergo etiam intellectus diuinus est causa efficiens voluntatis diuinæ.*
IV. 4, *Si voluntas Dei per se est indifferens ad opposita, sequitur illam ab alio determinari, & sic habere causam efficientem; Sed verum prius: Ergo & posterius.*

Responsio ad Argum.

I. Ad primum argumentum respondeo per negationem connexæ propositionis. Licet enim Deus sine ratione nihil velit; inde tamen non sequitur voluntatis diuinæ causam aliquam proprie assignari posse. Nam vt Thomas ait, Quæstio. 15. artic. 5. *Voluntas Dei est rationabilis, non quod aliquid in Deo sit causa volendi, sed quatenus Deus vult vnum volitum propter aliud.*
II. Ad alterum argumentum respondeo, in creaturis quidem intelligentibus volitionem finis esse proprie causam volitionis mediorum; quia sunt diuersi & inter se distincti actus: Sed in Deo rem longe aliter se habere. Deus enim vno simplicissimo actu ab æterno vult tam finem, quam media. Ideoque in Deo volitio finis & volitio mediorum non sunt diuersi & inter se realiter distincti actus; sed, vt antea dictum fuit, vnicus duntaxat simpli-

simplicissimus, infinitus & æternus. Et, per consequens, cum nihil possit esse causa suiipsius, sequitur neque volitionem finis in Deo, posse esse proprie causam volitionem mediorum. 2, Deum quidem velle, media esse propter finem, ad quem ordinantur & destinantur. sed non propter finem velle media, ita vt finis sit causa volitionis mediorum. Finis enim est finitorum finis, non vero volitionis finitorum. 3, concedo volitionem finis in Deo posse dici aliquo modo causam volitionis mediorum; sed improprie & ἀνθρωποπαθῶς.

Ad tertium argumentum respondeo per inficiationem propositionis. Est enim magna dissimilitudo, seu potius disparitas inter intellectum & voluntatem diuinam & humanam. In homine enim intellectus realiter differt à voluntate, & hæc illum consequitur, tanquam causatum suam causam. In Deo vero intellectus & voluntas realiter inter se non differunt; sed tantum ratione, vt patet ex superioribus problematibus: Ergo intellectus diuinus proprie non potest esse causa voluntatis diuinæ; nisi velimus statuere vnum & idem posse esse causam suiipsius. Interim non negamus improprie & ἀνθρωποπαθῶς posse intellectum diuinum dici causam voluntatis diuinæ. Ad quartum argumentum respondeo, voluntatem diuinam determinare seipsam, ad volitum externum, ad quod habitudinem non necessariam habet; ideoque ab alio non determinari. III. IV.

30 *An quicquid Deus vult, ex necessitate velit?*

PRo thesi affirmante afferri possunt hæc argumenta: 1, Quia Deus omnia vult vnico simplicissimo, infinito, immutabili, & æterno volendi actu. 2, Quia Deus omnia extra se vult propter semetipsum. 3, Quia Deus omnia vult naturaliter, non præter aut contra naturam suam. Quicquid autem naturaliter vult, id ex necessitate vult. At contra obiici potest, Deum omnia ex se velle libertime pro suo beneplacito: ideoque falsum esse, quod quicquid Deus vult ex necessitate velit: Vt igitur veritas huius problematis rectius perspiciatur, sciendum est 1, necessitatem aliam esse absolutam, aliam ex hypothesi seu suppositione. 2, Deum velle aut seipsum, *Pro thesi affirmante Argument.* I. II. III. *Pro thesi neg. argument.* *Decid quæst. per theorem.* I. II.

aut alia extra se: seipsum quidem ex absoluta necessitate; alia vero extra se partim liberrime; partim ex necessitate hypothetica; liberrime, quatenus per se indifferens fuit ad hæc vel illa extra se volendum, ex necessitate hypothetica, quatenus ea, quæ actu vult, non potest non velle, cum voluntas eius sit immutabilis.

Discutiuntur argument. Pro thesi affirmante. Quod igitur ad argumenta attinet superius allata, illa quidem probant, Deum quicquid vult ex necessitate velle; sed si quis inde concludere velit, Deum nihil velle libere, sed omnia ex absoluta necessitate, ille vehementer errabit; cum Deus, vt antea dictum fuit, seipsum tantum velit ex absoluta necessitate: reliqua vero omnia extra se ex necessitate duntaxat hypothetica, quæ cum libertate stare optime potest. Verum vt argumenta illa adhuc melius excutiantur, ad singula ordine respondeo.

I. In primo verissimum est, Deum omnia velle vnico; simplicissimo, infinito, immutabili & æterno volendi actu: sed inde non sequitur, quicquid Deus vult, ex absoluta necessitate velle; cum voluntas diuina, sicut ipse Deus per se sit indifferens ad omnia ea, quæ extra se vult, eaque

II. duntaxat ex necessitate hypothetica velit. In altero concedo Deum omnia extra se velle propter se tanquam vltimum finem: Sed quia Deus est ens perfectissimum, nullius rei indigens, neq; ei quicquam perfectionis accedit ex iis, quæ extra se vult propter semetipsum, imo sine iis esse potest; idcirco inde non sequitur, quod sicut Deus seipsum vult ex absoluta necessitate, ita etiam eodem

III. modo alia extra se velit. In tertio argumento est magna homonymia in vocabulo *naturaliter*, quod modo idem significat ac essentialiter, modo idem ac secundum naturam. In priore significatione verum est, quicquid Deus naturaliter vult, id etiam ex absoluta necessitate velle. In posteriore autem non itidem. Nam etiam ea quæ liberrime vult, secundum naturam suam vult, non præter aut contra naturam.

31 *An voluntas Dei sit mutabilis?*

Quæstio explicatur per distinct. HOc Problema recte & perspicue explicari non potest, nisi diuersa significata voluntatis diuinæ, quorum supra Pr. 28. facta fuit mentio, probe considerentur. Si enim voluntas Dei accipiatur pro ipsa re volita, dubium

non est, illam esse mutabilem. Non enim id, quod Deus vult, semper idem permanet; sed varie mutatur secundum diuersas temporum differentias. Hinc multa sunt quæ Deus olim ante Christi aduentum voluit, quæ iam post Christi aduentum non vult, vt est tota Hierarchia Mosaica. Si vero sumatur pro facultate & actu volendi in Deo, dico illam absolute esse immutabilem. Est enim vnica, simplicissima, infinita & æterna; adeoque ab essentia Dei realiter non differt, vt supra Pr. 28. probatum fuit. Neque Deus vnquam incipit velle, quod prius non voluit, neque vnquam desinit velle, quod prius voluit; sed vno & eodem volendi actu ab æterno vult, quicquid vult. Sicut enim intelligentia seu scientia Dei est immutabilis, ita vt Deus nunquam incipiat aliquid nosse, quod prius ignorauerit, neque desinat nosse, quod prius nouerit. Ita etiam voluntas Dei est immutabilis. Hinc Thomas in p. 1. S. T. Q. 19. art. 17. docet aliud esse, mutare voluntatem; aliud velle mutationem rerũ volitarum. Posse enim aliquem eadem voluntate immota permanente velle, vt nunc fiat hoc, & postea aliud. Sed tunc voluntatem mutari, si aliquis inciperet velle, quod prius non voluit, & desineret velle, quod voluit. Vbi etiam obseruandum est, voluntatem in homine mutari dupliciter; vel quia aliquid incipit homini esse bonum, quod antea non erat; vel, quia homo incipit aliquid cognoscere sibi esse bonum, quod antea ignorauit. Cum igitur nihil Deo incipiat esse bonum, quod antea non erat; neque ipse aliquid incipiat cognoscere sibi bonum, quod antea ignorauit; mirum non est si eius voluntas, perinde ac hominis non mutetur.

32 *An voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat?*

CVm voluntas Dei sit prima & vniuersalis causa omnium rerum quæ sunt extra Deum, eaq; sit immutabilis & ἀνεμπόδιστος, hoc est, talis quæ impediri nequeat: hinc colligere quis posset, voluntatem Dei necessitatem rebus volitis imponere. Sed sciendum est, voluntatem Dei imponere necessitatem non omnibus rebus volitis; sed quibusdam. Cum enim voluntas Dei sit efficacissima; idcirco non solum fiunt ea, quæ Deus fieri vult; sed etiam eo modo fiunt, quo vult. Iam autem Deus quædam vult fieri necessario, quædam contingen- *Causa dubitationis traditur.* *Voluntas Dei imponit necessitatẽ non omnibus rebus volitis, sed quibusd.*

ter, vt sic ordo in rebus ad complementum seu perfectionem vniuersi: Idcirco quibusdam aptauit causas necessarias, quarum vi necessario fiunt; quibusdam vero aptauit causas contingentes, quarum vi contingenter fiunt.

Consectar. I. Vnde patet 1, Necessitatem & contingentiam rerum, quas Deus extra se vult, non tantum pendere à causarum secundarum necessitate & contingentia; sed etiam ab ordinatione voluntatis diuinæ, quatenus iis, quæ extra se vult vel necessario, vel contingenter fieri destinauit causas vel necessarias, vel contingentes. *II.* 2, ex eo quod voluntas Dei est immutabilis & ἀνεμπόδιςος, sequitur non solum fieri; quæ Deus extra se vult fieri, sed etiam contingenter vel necessario fieri, quæ Deus sic fieri vult. *III.* 3, ea, quæ Deus extra se vult, talem necessitatem habere, qualem vult Deus ea habere, nimirum vel absolutam, vel hypotheticam: Et sic non omnia esse absolute necessaria.

33 *An Deus velit fieri vel non fieri mala moralia?*

Thomæ sentent. defend. THomas Aquinas in p 1.S.T q.19 art.9. hanc conclusionem ponit; *Deus neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri: sed vult permittere mala fieri.* Quæ sententia si recte consideretur, videtur à veritate non esse dissentanea. Licet enim *mala fieri*, & *mala non fieri* contradictorie opponantur; tamen velle mala fieri, & velle mala non fieri, non contradictorie opponuntur, cum vtrumque sit affirmatum. Præterea licet quidam asserant, bonum esse & ad perfectionem vniuersi pertinere, vt fiant mala: tamen inde non sequitur, Deum velle mala fieri. Non enim per se bonum est mala fieri, sed per accidens, quatenus præter intentionem peccantis ad aliquod bonum à Deo dirigitur & ordinatur. Nihil autem æstimatur secundum id, quod ei competit per accidens; sed secundum id quod ei competit per se.

34 *An vita Deo proprie attribuatur & quomodo?*

Pro thesi affirmante. Ratio I. STatuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia Deus est omnium entium perfectissimum. *II.* 2, quia est substantia summe intelligens & immortalis. *III.* 3, quia virtutem infinitam agendi & mouendi obtinet. *IV.* 4, quia vitales operationes exercet. *V.* 5, quia est principium omnis vitæ, quæ in creaturis reperitur. Verum diligenter ob-

per obseruandum est Deum longe alio modo viuere, ac creaturas. Hæ enim vitam habent ab alio, & per aliud, nimirum per animam; Deus autem viuit ex seipso & per seipsum: vnde etiam Thomas ait, Q. 18. art. 3. *Sicut Deus est ipsum suum esse, & suum intelligere: ita etiam suum viuere: Et propter hoc sic viuit, vt viuendi principium non habeat.* *Deus alio modo viuit ac creatura.*

35 *An solus Deus sit immortalis?*

CVm Angeli & animæ rationales ab omnibus Philosophis sanioribus censeantur & dicantur immortales, & quidem vere; videtur solus Deus non esse immortalis. Quod enim multis est commune, id solius Dei non potest esse proprium. Sed distinguendum est inter *immortalitatem absolutam* & *restrictam*. Illa est immunitas naturalis tam à potentia, quam ab actu moriendi. Quod enim absolute est immortale, id neque vnquam moritur neque potest mori; cum omnipotentia passiua, ad mortem suscipiendam destituatur. Ideoque in hoc sensu solus Deus est immortalis. Hæc vero est immunitas gratuita ab actu quidem moriendi, sed non à potentia. Et secundum hanc Angeli & animæ rationales dicuntur immortales. Licet enim per naturam suam fiant capaces mortis; tamen ex singulari gratiæ diuinæ priuilegio hoc consecuti sunt; vt actu nunquam moriantur. *Causa dubitationis traditur.* *Per distinct. quæstio soluitur.*

36 *An Deus omnia amet, & quidem æqualiter?*

CVm Deo proprie attribuatur voluntas, necessario etiam proprie attribuendus est amor. Est enim amor prima radix cuiusque volitionis: cum nemo velit nisi bonum amatum. Sed quæritur hoc loco, *an Deus omnia amet & quidem æqualiter.* Ad primam partem quæstionis respondeo, Deum omnia entia amare, quatenus sunt entia, siue sint præsentia, siue præterita, siue futura. Rationes sunt: 1, Quia omne verum bonum amat: Omne autem ens quatenus ens: est verum bonum. 2, Quia amare nihil aliud est, quam velle bonum alicui. Deus autem omni enti vult bonum; siquidem cuilibet enti largitur bonitatem suam naturalem, siue per creationem, siue per generationem. 3, Quia simile, simile amat: Omne autem ens, quatenus ens, habet aliquam similitudinem cum Deo. Ad alteram partem quæstionis respondeo, Deum non omnia æqualiter amare, sed inæqualiter, *Amor Deo proprie tribuitur.* *Deus omnia entia amat, quatenus sunt entia:* *Ratio I.* *II.* *III.* *Deus non æqualiter omnia entia amat.* *Ratio.*

I. hoc est, vnum magis quam alterum. Rationes sunt: 1, quia vnum ens magis est bonum, quam alterum, pro inæquali tum Dei dantis liberalitate, tum accipientis ca-
II. pacitate. 2, quia Deus vni maius bonum quam alteri
III. vult. 3, quia vnum magis accedit ad similitudinem Dei, quam alterum.

Obiectio. Restat vt obiectiones quasdam soluamus, quæ in con-
I. trariam partem afferri possunt. Inter quæ prima est: *Si Deus omnia amat, sequitur illum nihil odisse: Non enim potest aliquid simul amari & odio haberi: Sed consequens est falsum;*
II. *Ergo & antecedens.* 2, *Si Deus non omnia æqualiter amat, sequitur amorem Dei suscipere magis & minus: Sed consequens est absurdum*; tum quia amor Dei est eius essentia: Essentia autem Dei non recipit magis & minus, tum quia Deus omnia amat vno simplicissimo & immutabili voluntatis

Responsio ad obiect. actu. Respondeo ad vtramque obiectionem per inficiationem connexæ propositionis. Vnum enim & idem potest ab alio amari & odio haberi diuerso respectu. Sic Deus amat peccatores, quatenus sunt creaturæ suæ; odit autem, quatenus sunt peccatores, hoc est, transgressores legis suæ. Præterea Deus dicitur inæqualiter amare creaturas suas, non ex parte sua, quasi amor Dei modo intendatur, modo remittatur; sed ex parte boni, quod Deus vult creaturæ. Illud enim est effectum Dei; ideoque nihil prohibet, quo minus intendatur, vel remittatur, hoc est, maius sit vel minus.

37 *An Deus extra se quicquam agat ex absoluta Naturæ necessitate?*

Pro thesi negante. Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia quidquid Deus ex absoluta naturæ necessitate agit, id ab
Ratio I. æterno agit. Iam autem nihil extra se, ab æterno agit,
II. sed omnia in tempore. Ergo nihil extra se agit ex absoluta naturæ necessitate. 2, Quia quicquid Deus extra se agit, id agit pro liberrimo voluntatis suæ beneplacito, ita vt possit agere, & non agere, si modo velit. Vnde etiam hoc respectu summa libertas ipsi attribuitur, adeo-
III. que liberrimum agens nuncupatur. 3, Quia si quicquam Deus extra se ageret, ex absoluta naturæ necessitate, sequeretur inde primum, Deum non recte dici liberrimum agens respectu eorum, quæ extra se agit. Deinde quoddam ens creatum & finitum ab æterno fuisse. Quicquid enim

enim extra se Deus agit, id est ens finitum & creatum: At quicquid ab æterno Deus agit extra se, id etiam ab æterno existit: Sed hæc duo consectaria sunt longe absurdissima: Ergo absurda etiam est hypothesis, ex qua inferuntur. Interim non negamus, Deum omnia quæ extra se agit, agere ex hypothetica necessitate, quatenus omnia agit secundum formulam decretorum à se factam, & nihil agere potest, quod Naturæ ac voluntati suæ non sit congruum. Sed hæc necessitas hypothetica non pugnat cum summa Dei libertate, quam habet respectu eorum, quæ extra se agit. *Obseruatio.*

38 *An creare sit solius Dei proprium?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia solus Deus est ens primum, & ab alio independens. 2, Quia solus est causa efficiens simpliciter prima omnium entium. Vnde etiam solus dicitur creator omnium rerum. 3, Quia solus, sicut essentiam habet infinitam; ita virtutem infinitam agendi quæ ad creationem necessario requiritur. 4, Quia solus, sine concursu alterius causæ, vel efficientis, vel materialis ex nihilo aliquid producit. 5, Quia nulla creatura siue incorporea, siue corporea apta est ad creandum, cum virtutem finitam agendi habeat. *Pro thesi affirmante. Ratio I. II. III. IV. V.*

Sed contra hæc argumenta excipi potest. 1, creationem primo & per se quidem solius Dei esse propriam; sed tamen secundarie & per accidens communicari posse creaturæ. 2, creaturam concurrere posse ad creationem, non tanquam principale agens; sed tanquam agens instrumentale. *Exceptio contra argum. I. II.*

Ad primam exceptionem respondeo, creationem ita solius Dei esse propriam, vt nulli creaturæ communicari possit, perinde ac ipsa etiam virtus infinita agendi, à qua creatio immediate pendet. Ideoque distinctionem illam, qua aliquid dicitur primo & per se alteri inesse; alteri vero secundario & per accidens, plane in creationis negotio nullum locum habet. *Responsio ad except. I.* Ad alterum respondeo, creationem proprium esse effectum solius Dei per infinitam suam virtutem agentis: Ideoque creaturam ad illam perficiendam neque vt principale agens, neque vt agens instrumentale concurrere posse; nisi velimus statuere virtutem Dei non esse sufficientem ad perficiendam creationem sine creaturæ cooperatione; quod omnino est absurdum & impium. *II.*

39 *An Dei prouidentia mundus regatur, & quomodo?*

HOc Problema omnibus seculis variis dissentientium certaminibus fuit expositum. Vnde etiam factum est, vt mira opinionum de eo varietas etiam apud Philosophos extiterit. Sed nos hoc loco breuiter primum ipsam veritatem declarabimus & probabimus; Deinde præcipuas obiectiones, quibus veritas impugnari solet, diluemus. Quod igitur ad primum caput attinet, communis Philosophorum saniorum sententia est. *Dei prouidentia mundum regi.* Argumenta principalia sunt hæc: 1, Quia nihil fit in mundo quod ab æterno non fuerit à Deo præordinatum & præuisum. 2, Quia Deus est conditor mundi: Eiusdem autem est mundum condere, & conditum procurare & conseruare. 3, Quia Deus est supremus Monarcha mundi, & quidem summe sapiens, bonus & potens. Boni autem Principis & Regis est regnum suum procurare ac regere. 4, Quia mundus est veluti domus amplissimà, cuius paterfamilias est Deus: Boni autem patrisfamilias est, domum suum procurare ac regere. 5. Quia videmus in mundo pulcherrimum omnium rerum ordinem; eumque perpetuum & constantem, quo vnaquæque res in suum finem, ad quem ordinata est, dirigitur ac tendit. Is autem ordo sicut à Deo omnium bonorum autore suam originem habet; ita etiam ab eodem conseruatur. 6, quia quod in naui est nauclerus; in curru auriga, in choro præsultor, in ciuitate lex, in exercitu Dux; hoc Deus est in mundo, vt docet Aristoteles libro De mundo, cap. 6. Vbi etiam in principio capitis idem Philosophus ait, *à Deo esse omnia, & per Deum consistere: neque vllam naturam ipsam per se sibi esse sufficientem, si diuinæ conseruationis adminiculo destituatur.* Et sub finem cap. 7. ex sententia Platonis asserit, *Deum tenere principium, medium & finem omnium rerum.* 7, Si Dei prouidentia mundus non regeretur, neque vllam Deus rerum humanarum procurationem haberet, sequeretur inde, vanam esse omnem religionem & pietatem qua Deum colimus & timemus: Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens.

Pro thesi affirmante. Ratio I. II. III. IV. V. VI. VII.

Quomodo Mundus Dei prouidentia regatur.

Ex his igitur argumentis satis liquet Dei prouidentia mundum regi. Sed de modo regiminis huius nondum satis constat. Proinde sciendum est. 1, Deum ita regere mun-

mundum, vt non tantum generalem; sed etiam specialem omnium & singulorũ entium, quæ in mundo sunt, etiam vilissimorum & minimorum curam habeat. 2, Deum, sicut est summe sapiens, bonus & potens; ita etiam sapientissime, optime & potentissime mundum gubernare. 3, Deum mundũ ordinarie quidem regere per media, h.e. per causas secundas; extraordinarie vero sine mediis, h.e. sine causis secundis, aut saltem præter communem causarum ordinem & cursum. 4, Deum quibusdam effectis destinasse causas necessarias, vt necessario fiant, quibusdã vero contingentes, vt contingenter fiant, teste Thoma Q. 22. art. 4. 5, Deum non mutare & euertere naturam rerum, sed potius conseruare; ideoque omnia in mundo non solum fieri; sed etiam eo modo fieri, quo ab æterno fuerunt à Deo præordinata, nempe vel necessario, vel cõtingenter. Hinc etiam Thomas Q. 22. art. 4. ait: *Diuinam prouidentiam quibusdam rebus necessitatem imponere, non vero omnibus.* Effecta enim prouidentiæ diuinæ non solum esse, aliquid euenire quocunq; modo; sed aliquid euenire, vel contingenter, vel necessario. Et in hoc consistere certum ac immobilem prouidentiæ diuinæ ordinem, quod ea quæ ab ipso scil. Deo prouidentur, cuncta eueniunt eo modo, quo ipse prouidit siue necessario, siue contingenter. Errant igitur 1, illi Philosophi, qui statuunt, Deum non habere curam sublunarium; aut habere quidem, sed generalem duntaxat, non specialem, quæ etiam ad singula indiuidua sese extendat. 2, qui asserunt, Deum regere mundum aut immediate tantum per seipsum; aut mediate per causas secundas. 3, qui existimant omnia in mundo fieri necessario, & nihil contingenter. Cæterum restat vt diluamus obiectiones, quæ contra veritatem superius positam afferri solent, inter quas prima est: *In quocunque est magna ἀταξία, id Dei prouidentia non regitur: Atqui in mundo est magna ἀταξία Ergo mundus Dei prouidentia non regitur.* Assumptio probatur. 1, quia in mundo mala sunt admixta bonis, & bona malis. 2, quia bonis & iustis hominibus plerunq; male est in hoc mundo; malis vero seu iniustis bene. Altera obiectio est, *In quocunque multa fiunt casu & fortuito, id Dei prouidentia non regitur: Atqui in mundo multa fiunt casu & fortuito, vt quotidiana experientia testatur: Ergo,* &c. Tertia obiectio

[Margin notes: *Theoremata.* I. II. III. IV. V. — *Error aliorũ taxatur.* I. II. III. — *Obiectio.* I. II. III.]

est. *Quod Dei maiestate est indignum, id ei non est tribuendum: Sed cura specialis rerum singularum, quæ in mundo fiunt etiam vilissimarum ac minutissimarum, Dei maiestate est indigna:* siquidem neque humani principis dignitati conuenit, cuilibet operi incumbere; multo minus Dei maiestati.

IV. Quarta obiectio est, *Si Deus mundum regit per causas secundas, sequitur illum ex se non habere vires sufficientes, & per consequens non esse omnipotentem; Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens.*

Responsio ad obiect. Ad primam obiectionem respondeo, assumptionem non esse veram. Licet enim nobis videatur magna esse in

I. mundo ἀταξία propter defectum seu vitiositatem aduenticiam, quæ in quibusdam rebus particularibus apparet; tamen si rationem & finem diuinæ gubernationis altius ac rectius consideremus, reipsa intelligemus tantum abesse, vt ἀταξία aliqua per se sit in mundo, vt potius summa sit vbique εὐταξία. Deus enim mundum à principio vsque in finem sapientissime & optime gubernat, omniaque quæ in mundo sunt, eo dirigit, vt cedant tum ad commune bonum totius vniuersi, tum ad vltimum finem, ad quem sunt destinata, hoc est, gloriam Dei. Quod vero ad rationes attinet, quibus assumptio fuit probata, negari quidem illæ in se simpliciter non possunt, cum vniuersalis experientia veritati illarum astipuletur. Sed tamen ex his nullo modo concludi potest, Dei prouidentia mundum non regi. Deus enim permittit mala fieri, & bonis admisceri propter perfectionem vniuersi. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent vniuerso. Hinc Augustinus in Enchiridio cap. 101. ait: *Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus, nisi vsque adeo esset omnipotens & bonus; vt benefaceret.* Et Zanchius libr. 5. de diuinis attributis inquit, *Omnia mala propter maiora bona à Deo permitti, & nisi mala permitterentur fieri, multo plura & maiora bona, ne fierent, impeditum iri.* Eandem ob causam Deus etiam permittit, vt bonis in hoc mundo plerumque sit male, & malis bene.

II. Ad alteram obiectionem respondeo multa in mundo fieri casu & fortuito non respectu primæ causæ, nempe Dei, qui omnes causas ad singula effecta sapienter præordinauit; sed respectu secundarum causarum, quæ quandoque

doque exorbitant à suo ordine & rectitudine, aut saltem ab homine perspici non possunt. Sic concursus duorum seruorum in vno loco est fortuitus, non respectu domini, qui ambos sciens ad vnum & eundem locum misit; sed respectu ipsorum seruorum, quorum vnus de altero nesciuit. Quocirca etiam concludo propositionem non esse simpliciter veram.

Ad tertiam obiectionem respondeo: 1, nobis non esse integrum ex nostro cerebro, aut ex consuetudine hominum iudicare de iis, quæ Dei maiestate digna sunt, vel indigna. 2, non indignum esse Dei maiestate curare ea, quæ non sine graui consilio fecit, ad patefaciendam & illustrandam gloriam suæ sapientiæ, bonitatis & potentiæ. *III.*

Ad quartam obiectionem respondeo, Deum vti ordinarie causis secundis in gubernatione mundi, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, quam creaturis vult communicare, & hoc modo testatam facere. Nihil dicam iam, quod ad dignitatem Regis pertinet, habere ministros suæ voluntatis executores. *IV.*

40 *An Deus immediate per seipsum omnia operetur in omnibus?*

Sententia affirmatiua olim à quibusdam Philosophis fuit defensa; qui idcirco etiam dixerunt, neque solem lucere, neque ignem calefacere, neque panem alere, neque animal generare; sed Deum in sole lucere, in igne calefacere, in pane alere, in animali generare. Argumenta ipsorum præcipua videntur hæc fuisse. 1, quia Deus est actus omnium rerum; vt ait Mercurius Trismegistus. 2, quia Deus, cum infinitam efficiendi virtutem habeat, non indiget cooperatione creaturarum. 3, quia proprium Dei est; agere; creaturæ pati, vt ait Philo in libro de cherubin & flammeo gladio. 4, quia si Deus non omnia per seipsum immediate operaretur in omnibus, sequeretur Deum non omnia facere tota; sed partem illorum Deum, partem creaturam: quorum vtrumque est absurdum. *Sententia aliorum exponitur.* *Ratio I.* *II.* *III.* *IV.*

Verum hæc opinio valde est absurda. Nam 1, negat sensum, qui clare & euidenter testatur, solem lucere, ignem calefacere, &c. 2, creaturis adimit omnes naturales agendi & efficiendi vires, quas ipse Deus in pri- *Refutatur superior [illegible] ex absurdis.* *I.* *II.*

III. ma creatione ipsis concessit. 3, creaturas omni actio-
IV. ne & operatione spoliat. 4, tollit discrimen inter ope-
rationes vitales, & non vitales, quæ inter se hac potis-
simum ratione distinguuntur, quod illæ à principio in-
trinseco actiuo pendent; hæ vero a principio extrinseco.
V. 5, negat omnem resistentiam in creaturis, quæ neque esse,
neque intelligi potest, nisi respectu rei contra agentis.
VI. 6, funditus euertit omnem creaturæ rationalis liberta-
VII. tem, cum statuit illam non agere, sed pati. 7, tollit ordi-
nem causæ & causati in creaturis ab ipso Deo institutum.
VIII. 8, statuit creaturas frustra à Deo esse conditas; cum vna-
quæque sit propter operationem suam tanquam finem.

Refutatio rationum pro thesi affirm.

Neque sane argumenta, quibus confirmatur, quicquam
momenti habent: Nam 1, dico Deum à Mercurio Tris-
megisto vocari actum omnium rerum, non quod ipse
I. omnia agat, sed quia omnis creatura vim agendi à Deo
II. habeat. 2, concedo Deum non indigere simpliciter co-
operatione creaturarum, sed inde nō sequitur Deum sine
III. cooperatione creaturarum omnia operari. 3, dico sensum
Philonis fuisse, Deum solum agere independenter, & qui-
dem ita agere, vt pati nullo modo possit, creaturam au-
IV. tem non tantum agere, sed etiam pati posse. 4, nego con-
nexam propositionē in vltimo argumento, & assero, to-
tum id, quod facit creatura, facere etiam Deum; sed hunc
vt primam causam independenter, illam vero, vt secun-
dam causam dependenter.

Veritas probl. explicatur per theorem.

Restat igitur, vt veritatem
ipsam probl. propositi breuiter per certa theoremata
explicemus, inter quæ primum est; Deum per se quidem
sufficientem virtutē habere efficiendi omnia entia, modo
I. quodam diuino & supernaturali, sed ex abundantia bo-
nitatis suæ voluisse etiam cuilibet creaturæ secundū pro-
portionem & conditionem suæ naturæ, certas vires effi-
ciendi largiri, quarum virtute modo sibi cōuenienti pos-
sint certa effecta causari: Ideoque Deum non omnia per
seipsum immediate operari in omnibus; sed ea duntaxat,
quæ creaturæ vires omnino excedunt: reliqua autem,
quæ à creaturis fieri possunt, illum ordinarie operari
II. mediate per creaturas tanquam causas secundas. 2, crea-
turas non solum vim agendi per se habere; sed etiam ve-
III. re agere aliquid. 3, in iis quæ Deus per creaturas opera-
tur, non habere se semper creaturas ad Deum tanquam
pura

pura instrumenta passiua; sed sæpe vt instrumenta actiua. 4, non solum Deum tanquam primam causam recte dici causam principalem respectu suorum effectorum; sed etiam multas ex secundis causis, inter causas principales recte numerari, respectu suorum effectuum; tametsi ad Deum relatæ, dicantur instrumenta Dei. 5, Deum dici operari omnia, in omnibus effectiue, tanquam primam causam efficientem, à qua secundæ omnem vim causandi acceperunt, adeoque ad causandum excitantur, per influxum, vel ordinarium, vel extraordinarium, non autem subiectiue, quasi Deus, e.g. in sole luceat, in igne calefaciat, in pane nutriat, in animali generet. Omnis enim operatio, omneque opus creaturæ Deo recte tribuitur, quatenus consideratur vt effectum; non autem quatenus est adiunctum. Hoc enim respectu soli creaturæ competit, e.g. Nutritio, accretio, procreatio, sensus, ambulatio, manducatio, bibitio, Deo vere attribuuntur, quatenus considerantur vt effecta: Omne enim effectum bonum, causæ secundæ est suo modo effectum primæ: Sed quatenus considerantur, vt adiuncta Dei, ita soli creaturæ competunt, & Deo sine magna absurditate attribui nullo modo possunt.

IV.

V.

De Substantia creata in genere, CAP. III.

THEOREMATA.

1 *Hactenus de substantia* increata, *Deo nempe. Sequitur substantia* creata, *quæ à Deo suam in tempore originem habet.*

2 *In ea generaliter sumpta, consideranda veniunt duo, Essentia & Accidentia*

3 *Essentia substantiæ creatæ, est actus primus, per quem illa est, id quod est.*

4 *Eaque à substantia creata non tantum ratione, sed etiam realiter est distincta.*

5 *Accidentia substantiæ creatæ vel sunt proprietates, vel motus.*

6 *Proprietates in genere sunt compositio, & perfectio creata.*

7 *Compositio est proprietas, secundum quam substantia creata est composita.*

8 *Perfectio creata est proprietas, secundum quam substantia creata in suo genere & ordine est perfecta.*

9 *Eius species sunt variæ, in classes distributæ.*

10 *Primæ classis sunt finitudo & localitas. Omnis enim substantia creata est finita & localis.*

11 *Secundæ classis sunt mutabilitas, & tempus. Omnis enim substantia creata est mutabilis & temporalis.*

12 *Tertiæ classis sunt naturalis tum bonitas, tum potentia mouendi. Omnis enim substantia creata naturaliter est bona & apta ad mouendum.*

13 *Motus sunt actus, secundum quos substantia creata dicitur agere, vel pati.*

14 *Suntque vel actiones, vel passiones. Omnis enim substantia creata, vel agit aliquid, vel patitur.*

IN CAPVT TERTIVM

PROBLEMA I.

Quomodo Substantia creata sit definienda in genere?

CVm oppositorum ea sit natura, vt vnum per aliud facile intelligi ac cognosci possit: substantia autem creata & increata sint inter se opposita; non inepte videtur agere is, qui ex substantiæ increatæ definitione colligit definitionem substantiæ creatæ. Iam autem substantia increata definitur, modo quæ nunquam, & à nullo est facta: modo quæ à seipsa & per seipsam semper existit. Ergo etiam substantia creata rectè in genere definiri potest, quæ ab aliquo & aliquando facta est; seu, quæ ab alio & per aliud in tempore existit; seu, vt clarioribus verbis vtar, *quæ à Deo suam in tempore habet originem.*

2 *Quæ sint accidentia substantiæ creatæ generaliter acceptæ?*

Quæstio explicatur exegetice.

IN omni substantia creata reperiuntur accidentia, quæ ipsi tanquam subiecto recipienti inhærent, & ab essentia illius realiter sunt distincta. Sed quia hoc loco substantiam creatam consideramus tanquam genus, quod diuersas sub se continet species; idcirco etiam tantum generalia illius accidentia sunt recensenda, illorum vero alia à nobis dicta sunt proprietates, alia motus. Ac proprietatum duo, docendi gratia, genera constituimus, nempe compositionem & perfectionem creatam. Omnis enim substantia creata primum realiter est composita, partim ex ente & essentia; partim ex subiecto & acciden-

accidente; partim ex genere & differentia; deinde perfectionem habet creatam suæ naturę conuenientem. Quoniam vero perfectio creata multas sub se species complectitur; idcirco illas in certas classes voluimus distribuere. Ad primam classem retulimus finitatem & localitatem: Omnis enim substantia creata est finita, siue essentiam ipsam spectes, siue potentiam, siue operationem. Et quia est finita; idcirco etiam est localis, hoc est, in vno aliquo certo loco existit, quemadmodum in lib. 2. probauimus. Ad alteram classem retulimus mutabilitatem & tempus. Omnis enim substantia creata est mutabilis, siue essentiam ipsius spectes, siue accidentia separabilia; & quia aliquando cœpit esse, eiusque duratio est finita ac successiua; idcirco etiam est temporalis. Ad tertiam classem retulimus naturalem tum bonitatem, tum potentiam mouendi. Omnis enim substantia creata naturaliter est bona, & à Deo non tantum accepit naturalem vim patiendi, sed etiam agendi. Nam quod olim quidam fuerunt Philosophi, qui potentiam agendi solis substantiis incorporeis attribuerunt; patiendi vero solis corporeis; illa sententia manifeste falsa est, & refutatur à Fonseca lib. 5. Metaph. c. 2. q. 6. sect 4 Hinc etiam motus substantiæ creatæ, alios diximus esse actiones, alios passiones; quarum illæ præsupponunt potentiam agendi, hæ vero potentiam patiendi.

De Angelis, Cap. IV.

Theoremata.

1 *Porro substantia creata, vel est spiritus vel corpus.*

2 *Spiritus est substantia creata, molis corporeæ expers.*

3 *Eius affectiones sunt: 1, ex nihilo immediate produci. 2, esse* ἄϋλον καὶ ἄμορφον, h. e. materiæ & formæ expertem. 3, *esse* ἀμεγέθη καὶ ἀμερῆ, h. e. magnitudinis & partium expertem. 4, *esse per se insensilem. 5, esse in loco sine spacii localis occupatione seu repletione.*

4 *Estque vel Angelus, vel forma substantialis.*

5 *Angelus est spiritus intelligens, immortalis, per se ab omni corporis vnione liber, in ministerium Dei & hominum conditus.*

6 *In eo consideranda veniunt partim qualitas, partim motus.*

7 *Qualitas Angeli vel est innata, vel aduentitia.*

8 *Innata est facultas partim intelligendi, partim volendi, partim loco mouendi.*

9 *Aduentitia est, vel intellectualis, vel moralis.*

10 *Intellectualis est noticia, quam Angelus de rebus habet.*

11 *Estque vel naturalis, vel supernaturalis, quarum illa à naturali, hæc à supernaturali Dei reuelatione pendet.*

12 *Moralis est habitus, per quem Angelus ad morales actiones disponitur.*

13 *Motus Angeli vel est actio, vel passio.*

14 *Actio vel est interna, vel externa*

15 *Vtraque vel est naturalis, vel moralis, vel artificialis.*

16 *Etsi vero omnis Angelus naturaliter est bonus; tamen moraliter alius est bonus, alius malus, quemadmodum in Theologia sacrosancta fusius sub tali considerandi modo tractatur.*

IN CAPVT QVARTVM

PROBLEMA I.

An substantia creata rectè distribuatur in spiritum & corpus?

Causa dubitationis exponitur. Videtur hæc distributio non esse bona, tum quia spiritus non semper opponitur corpori; tum quia Deus etiam est spiritus, qui tamen sub distributo non continetur. *I.* Verum ad defendendam distributionem *II.* propositam dicendum est, vocabulum *Spiritus*, esse homonymum, & modo sumi pro spiritu increato, modo pro spiritu creato. *Homonymia vocabuli Spiritus excutitur.* Et in hac postrema significatione similiter sumi modo pro substantia incorporea & spirituali; modo pro substantia corporea, cuiusmodi est ventus & halitus vitalis. Quatenus igitur vocabulum *Spiritus*, accipitur pro substantia creata incorporea eatenus semper opponitur corpori; neque Deo vllo modo attribui potest. *Quæst. decid.* Quod si tamen alicui hæc distributio non placet, ob homonymiam vocabuli *Spiritus*; ille vtatur alia æquipollente, qua substantia creata alia dicitur esse *incorporea* alia *corporea*. *Obseruatio.* Vbi etiam obseruandum est, Philosophos nonnullos substantiam creatam diuidere in *immaterialem* & *materialem*: sed illam diuisionem præcedenti non æquipollere; cum etiam materia prima sit corpus; & tamen sit immaterialis, vt infra suo loco probabitur.

2 An

2 *An omnis substantia creata incorporea immediate à Deo ex nihilo producatur?*

Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt duæ principales: 1, Quia duplex tantum est productio substantiæ creatæ, vna creatio, altera generatio. Iam autem nulla substantia incorporea creata producitur per generationem; cum hæc solius substantiæ corporeæ sit propria. Ergo statuendum est, illam produci per creationem. Porro quicquid producitur per creationem, illud producitur vel ex aliquo, vel ex nihilo. Iam autem nulla substantia incorporea producitur ex aliquo; tum quia est materiæ expers; tum quia nullum ens est, ex quo tanquam materia produci possit. Impossibile enim est vllam substantiam incorpoream produci, vel ex substantia aliqua materialiter siue corporea, siue incorporea, vel accidente aliquo. Necesse igitur est illam immediate produci à Deo ex nihilo. *Pro thesi affirmante. Ratio I.*

Altera ratio est, quia omnis substantia incorporea quæ interit, immediate in nihilum abit, quemadmodum testatur exemplum animarum, quæ plantas & bestias informant. Id autem fieri non posset, si ex materia aliqua esset producta. Quicquid enim ex materia est productũ, id non resoluitur in nihilum, sed in aliquid. Ergo necessario statuendum est, omnem substantiam creatam incorpoream à Deo ex nihilo, hoc est, ex nulla materia produci. Quicquid enim in nihilum resoluitur, id ex nihilo ortum fuit. *II.*

3 *An omnis substantia creata incorporea expers sit materia & forma?*

Statuitur thesis affirmatiua, eaque probatur sequentibus argumentis: 1, *Quicquid immediate à Deo ex nihilo producitur, id expers est materia & forma: Atqui omnis substantia creata incorporea immediate à Deo ex nihilo producitur, vt patet ex præcedenti Problemate: Ergo expers est materia & forma.* Propositionem probo primo, quia quicquid habet materiam, id est ex aliquo. Quicquid autem immediate est ex nihilo, id non est ex aliquo. Ergo non habet materiam. Deinde, quia quicquid habet formam, habet etiam materiam. Materia enim est receptaculum cuiusque formæ; neque vlla res potest fungi officio formæ, nisi vniatur materiæ. Cum igitur nulla *Pro thesi affirmante. Ratio I.*

ſubſtantia incorporea habeat materiam, vt paulo ante probatum fuit; ſequitur illam neque habere formam. 2,
II. *Quæcunque ſubſtantia ex aliis ſubſtantiis non eſt compoſita, illa expers eſt materiæ & formæ: cum vtraque tam materia, quam forma ſint ſubſtantiæ. Atqui ſubſtantia incorporea ex*
III. *aliis ſubſtantiis non eſt compoſita: Ergo*, &c. 3, *In quacunque ſubſtantia nulla alia eſt compoſitio niſi entis & eſſentiæ, ſubiecti & accidentis: generis & differentiæ, actus & potentiæ paſſiuæ: illa expers eſt materiæ & formæ: Atqui in ſubſtantia incorporea nulla alia eſt compoſitio, quam prædicta, quemadmodum omnes ſaniores Philoſophi teſtantur: Ergo*, &c.
IV. 4, *In quacunque ſubſtantia nulla res inueniri ſeu oſtendi poteſt, cui competat definitio materiæ & formæ, illa expers eſt materiæ & formæ: Atqui in ſubſtantia incorporea nulla res inueniri ſeu oſtendi poteſt, cui competat definitio materiæ & formæ.* Licet enim habeat genus, tamen illud non ſuſcipit
V. rationem materiæ & formæ. *Ergo*, &c. 5, *Cui Deus immediate eſſentiam largitur ſine vllius cauſæ ſecundæ interuentu, id expers eſt materiæ & formæ.* Hæ enim numerantur inter cauſas ſecundas: *Atqui ſubſtantiæ incorporeæ Deus immediate largitur eſſentiam ſine vllius cauſæ ſecundæ inter-*
VI. *uentu, Ergo*, &c. 6, *Si ſubſtantia incorporea habet materiam, illa vel eſt prima, vel ſecunda. Sed prima eſſe non poteſt:* quia quicquid ex ea eſt productum, illud eſt corpus naturale; Nec ſecunda eſſe poteſt, quia illa ex prima ſuam habet originem: *Ergo ſubſtantia incorporea non habet materiam,*
VII. *& per conſequens, neque formam.* 7, *Si ſubſtantia incorporea habet materiam & formam ſubſtantialem, ſequitur primo illam non recte dici liberam ab omni materiæ concretione.* 2, illam æque compoſitam ac corpus naturale, adeoque ab ea non differre. *Sed conſequens eſt abſurdum: Ergo & ante-*
VIII. *cedens.* 8, *Si materia prima, quæ eſt ſubſtantia corporea, expers eſt materiæ & formæ, multo magis ſubſtantia incorporea. Sed verum prius, vt infra ſuo loco probabitur: Ergo & poſterius.* Hinc Scaliger exerc. 359. ſect. 2. ait, *intelligentiam* (hoc eſt, Angelum) *eſſe ens, cui nihil cauſa poteſt euenire quo ſit hoc quod eſt.* Item, intelligentiam non eſſe compoſitam ex materia & forma.

Pro theſi negante. Cæterum in contrariam partem obiici poſſunt hæc argumenta. 1, *Omne cauſatum conſtat ex materia & forma: At-*
I. *qui ſubſtantia incorporea eſt cauſatum, Ergo conſtat ex materia & for-*

& forma. 2, *Quicquid habet essentiam, habet etiam causas essentiales essentiam constituentes: Atqui substantia incorporea habet essentiam. Ergo habet etiam causas essentiales, essentiam constituentes, & per consequens, materiam & formam.* II.
3, *Quicquid compositum est tum ex genere & differentia, tum ex potentia & actu, id constat ex materia & forma: Atqui substantia incorporea est composita, tum ex genere & differentia, tum ex potentia & actu, Ergo, &c.* Propositionis ratio est; primo quia materia habet rationem potentiæ, sicut forma actus; secundo quia genus sumitur ex materia, sicut differentia ex forma. 4, *Quicquid habet aliquid per quod est id quod est, & ab omnibus aliis essentialiter discernitur, id habet formam: Atqui substantia incorporea habet aliquid per quod est id quod est & ab aliis essentialiter discernitur: Ergo habet formam,* &, per consequens, *materiam:* cum forma non possit esse absque materia. III. IV.

Responsio ad argument. Pro thesi neg.

Ad primum argumentum respondeo, propositionem non esse simpliciter veram, sed tantum secundum quid, nempe de illo causato, quod ex aliqua materia producitur: non autem de illo, quod immediate à Deo ex nihilo producitur, cuiusmodi est substantia incorporea, & materia prima. I. Ad alterum respondeo, propositionem esse tantum veram de eo, quod essentiam habet compositam, quæ à Deo enti per causas secundas communicatur; non vero de eo, quod habet essentiam simplicem, quæ à Deo enti sine causæ secundæ interuentu communicatur. II. Ad tertium respondeo, propositionem esse falsam, vna cum rationibus duabus, quibus illa probatur. Nam neq; materia habet rationem potentiæ, neque omnis actus habet rationem formæ, neque genus sumitur ex materia, neque differentia semper ex forma. III. Ad quartum respondeo per inficiationem propositionis. Non enim omne id per quod ens est id, quod est, & essentialiter ab omnibus aliis discernitur, est forma entis. Substantia enim incorporea per simplicem suam essentiam est id quod est, & essentialiter ab aliis discernitur; neque tamen illa essentia est formæ substantiæ incorporeæ. IV.

4 *An omnis substantia incorporea sit expers magnitudinis & partium?*

Pro thesi affirmante.

Statuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia magnitudo quatenus sumitur pro quantitate *Ratio I.*

molis, est idioma essentiale solius substantiæ corporeæ, ideoque incorporeæ attribui non potest. 2, quia substantia incorporea per se est indiuisibilis & impartibilis, hoc est, neque in partes essentiales, neque integrales diuidi potest. 3, quia nullam habet figuram, quæ est qualitas ex magnitudinis dispositione resultans. 4, quia non est extensa in longum, latum & profundum. 5, quia est alicubi sine spatii localis occupatione & repletione. At pro contraria sententia obiici potest autoritas Iulii Scaligeri, qui exercit. 359. sect. 3. attribuit intelligentiis & Angelis quantitatem non quidem prædicamentalem, hoc est, corporalem & sensilem; sed intelligibilem, vt intellectus intelligat in eis vnam partem, quæ non sit alia. Et sect. 4. iisdem attribuit figuram. Probatio ipsius hoc syllogismo comprehendi potest: *Quicquid est finitum & terminatum, illud habet quantitatem & figuram: Intelligentiæ autem sunt finitæ et terminatæ: Ergo habent quantitatem & figuram.* In quo syllogismo propositio ex parte est falsa, cum multa sint entia finita & terminata suæ essentiæ terminis, quæ tamen quantitatis & figuræ sunt expertia. Proinde cum sententia Scaligeri nitatur hypothesi falsa; sequitur illam quoque non immerito tanquam falsam & absurdam reiiciendam esse.

II. *III.* *IV.* *V.* *Obiectio ex Scaliger.*

5 *An omnis substantia incorporea per se sit insensilis?*

Pro thesi affirmante. *Ratio I.* *II.* *III.*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia nihil per se est sensile, nisi corpus, aut accidens externum corporis. 2, quia nullum accidens inest in substantia incorporea, quo mediante sensui per se obiici possit. 3, quia substantia incorporea per se neque est visibilis, neque audibilis, neque olfactilis, neque gustabilis, neque tactilis. Interim non negamus omnem substantiam incorpoream esse sensilem per accidens, ratione effectorum ipsius, quæ per se sub sensum cadunt.

6 *An omnis substantia incorporea sit in loco & quomodo?*

Thesis affir. defenditur. *De modo quo substãtia incorporea est in loco.*

PRobatum à nobis fuit lib. 2. Metaph. c. 5. Pr. 5. omnem creaturam esse in loco. Cum igitur etiam substantia incorporea, de qua hoc loco differimus, sit creatura, sequitur illam quoque esse in loco. Sed quomodo illa sit in loco, de eo non est omnium Philosophorum sententia.

Scho-

Scholastici tres ponunt modos existendi in loco. Primum vocant repletiuum, quem soli Deo tribuunt; alterum definitiuum, quem creaturis incorporeis assignant, tertium circumscriptiuum, quem creaturis corporeis competere asserunt. Quid autem sentiendum sit de illa distributione, id expositum à nobis fuit libr. 2. Metaph. c. 5. Pr. 2. sub finem. Alii dicunt substantiam incorpoream esse in loco per contactum virtualem, hoc est, per applicationem virtutis ad locum aliquem, seu per præsentiam virtutis ad operandum applicatæ; non vero per contactum quantitatis dimensiuæ. Sed si hæc sententia est vera, sequitur substantiam incorpoream non esse in loco, quando quiescit, & nihil operatur, hoc est, quando virtutem suam ad operandum in aliquo loco non applicat, quod tamen est absurdum. Alii igitur asserunt substantiam incorpoream esse in loco, non per circumscriptionem vel operationem; sed per definitionem seu designationem, ita vt hic esse, & alibi simul non esse recte dicatur. Sed neque hæc sententia modum existendi in loco soli substantiæ incorporeæ conuenientem recte explicat. Nam etiam corpora vere dici possunt esse in loco per definitionem seu designationem; cum ita sint in hoc vel illo loco, vt alibi simul non sint. Proinde alii statuunt substantiam incorpoream esse in loco non συμμετρικῶς, sed νοητῶς. Quæ sententia si ita intelligatur, vt idem sit συμμετρικῶς esse in loco, ac occupare & replere certum spatium locale suæ substantiæ commensuratum; νοητῶς vero idem ac existere in loco sine vllius spatii localis occupatione & repletione; tunc est verissima & omnibus modis amplectenda: Neque hac videtur vlla melior, & magis perspicua inueniri ac excogitari posse. Atque hinc etiam patet substantiam incorpoream non recte dici commensurari loco, neque per se esse in maiore vel minore loco; cum nullam extensionem habeat; multo minus in loco aliquo situm habere, cum expers sit magnitudinis & partium, vt supra probl. 4. traditum fuit.

Sent. alior. *I.* *II.* *III.* *IV.* *Quomodo substantia incorporea vere sit in loco.*

7 ***An vlla substantia creata incorporea possit naturaliter generare aliam, vel eiusdem vel diuersæ speciei?***

STatuitur thesis negatiua Rationes sunt: 1, quia facultas naturalis generandi a Deo tantum cōcessa est sub-

Prothesi neg. *Ratio I.*

stantiis corporeis, iisque non omnibus, sed tantum quibusdam.
II. 2, quia nihil potest ex se gignere naturaliter aliud eiusdem speciei, nisi proprie nutriatur & semen habeat ex optima nutrimenti parte intra se genitum. Cum igitur nulla substantia incorporea proprie nutriatur, neque semen habeat, &c. sequitur quoq; nullam ex se naturaliter posse gignere aliam eiusdem speciei.
III. 3, quia nihil potest generare aliud diuersæ speciei, nisi sit materiatum & qualitatibus tactilibus instructum, aut saltem vim habeat illas excitandi. Cum igitur nulla substantia incorporea sit materiata & qualitatibus tactilibus instructa, neque vim vllam habeat excitandi eas; sequitur non posse naturaliter generare aliam diuersæ speciei.

8 *An Angeli sint substantiæ?*

ETsi nemo est ex sanioribus vel Philosophis vel Theologis, qui dubitet Angelos esse substantias; tamen quia olim in populo Iudaico secta Sadducæorum fuit; quæ statuit *Angelos non esse veras substantias*; sed motus duntaxat & affectus animorum siue bonos siue malos, aut virtutes, quas Deus in natura excitat; idcirco pro thesi affirmante obseruanda sunt sequentia argumenta;

Pro thesi affirmante. *Ratio I.* 1, quia nomina; quibus Angeli appellantur, proprie nihil aliud significant, quam rem, per se subsistentem, nempe substantiam, cuiusmodi sunt, cum dicuntur Dæmones, genii, custodes, vigiles, &c.
II. 2, quia Angeli sunt præditi facultate intelligendi & volendi.
III. 3, quia varios ex se edunt motus, qui soli substantiæ competunt, cuiusmodi sunt accedere, recedere, ascendere & descendere, seruire Deo eiusque mandata & iudicia exequi, assumere corpora, in iisque apparere, curam habere hominum, lætari, contristari, &c.
IV. 4, quia vitam agunt in cœlo beatam & immortalem, teste ipso Aristotele libro 1. De cœlo, c. 9.
V. 5, quia non indigent subiectis inhærentiæ ad sui existentiam.

9 *An Angeli sint substantiæ incorporeæ vel corporeæ?*

Sent. aliorũ recens. HOc Probl. est valde controuersum inter Philosophos & Theologos tum veteres tũ recentiores. Alii
I. enim statuunt *Angelos esse substantias simpliciter corporeas*; in quorum numero non tantum fuerunt Philosophi Platonici;

tonici; sed etiam ex patribus Tertul. August. Basilius & Bernhardus. Alii vero asserunt *Angelos esse substantias simpliciter incorporeas:* in quorum numero fuerunt Philos. Aristot. & ex patribus Dionys. Areopagita. Chrysost. Damascen. & alii. Alii denique mediam viam sequentes, asserunt *Angelos esse substantias incorporeas respectu nostri, corporeas vero respectu Dei.* Argumenta pro prima sententia sunt: 1, quia angeli sunt animalia rationalia, vt testatur Chalcidius in Timæum Platonis, & Athanasius libro de communi essentia patris, filii & S.S. 2, quia angeli localiter mouentur. Motus autem localis est proprius substantiæ corporeæ. 3, quia sensu sunt prædita. 4, Quia sæpe apparent hominibus & cum iis loquuntur. 5, Quia vim habent generandi & emittendi semen. 6, Quia angeli alii dicuntur lucidi, alii tetri seu caliginosi, vt testatur August. in libr. de cognitione veræ vitæ, c. 5. 7, quia si Diaboli non essent corporei, ab igne infernali non possent pati & torqueri. Argumenta pro secunda sententia sunt: 1, Quia sunt expertes magnitudinis & figuræ. 2, Quia per se sunt insensiles. 3, quia sunt in loco non σωματικῶς, sed νοητῶς. 4, Quia ad nullum genus corporum referri possunt. Licet enim Platonici doceant, angelos habere corpora, alios cœlestia, alios æthérea, alios aerea, alios aquea, alios denique terrea; illa tamen sententia ita manifeste est absurda, vt refutatione nulla indigeat.

Argum. pro I. sentent. *I.* *II.* *III.* *IV.* *V.* *VI.* *VII.*

Argum. pro 2. sentent. *I.* *II.* *III.* *IV.*

Argumenta pro tertia sententia sunt: 1, quia nihil incorporeum & inuisibile credendum est, nisi solus Deus, qui ideo recte incorporeus creditur, quia vbiq; est; ideoque inuisibilis omnibus creaturis; quia incorporeus, vt tradit autor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 19. 2, Quia si angeli simpliciter essent incorporei, respectu huius attributi, Deo essent æquales: Sed absurdum est statuere vllam creaturam respectu vllius attributi Deo esse æqualem: Proinde absurdum etiam est, angelos esse simpliciter incorporeos.

Argum. pro 3. sentent. *I.* *II.*

Cæterum ex his tribus sententiis sola secunda veritati maxime est consentanea. Nam quod ad primam attinet, illa videtur nullo modo esse concedenda; tum, quia in se absurda est; tum, quia argumenta, quibus probatur, partim manifeste sunt falsa, vt primum & quartum; par-

Secunda sentent. approb. *Prima sententia ref. cũ suis rationib.*

tim infirma, vt reliqua quatuor. Non enim omnis motus localis est proprius substantiæ corporeæ; neque angelis proprie tribuitur sensus, vt animalibus: sed impropriè & metaphorice. Et quando apparent hominibus, & cum iis loquuntur, tunc eiusmodi actiones exercent, non in sua propria substantia, sed in corporibus ad tempus assumptis. Similiter angeli alii dicuntur lucidi, alii tetri, & caliginosi non proprie, sed metaphorice, quatenus alii sunt moraliter boni, alii mali. Præterea adhuc disceptatur inter Doctos, qualis sit futurus ille ignis infernalis, quo Diaboli sunt torquendi, *vtrum proprius & corporeus, an vero alius.* Ideoque ex re dubia firmum argumentum sumi non potest.

Tertia sententia secundũ quid refutatur cum suis ration. Restat igitur vltima sententia, quæ si hoc tantum vellet, angelos non eo plane modo esse incorporeos, quo Deus est & dicitur incorporeus, tunc facile posset concedi & admitti: Sed quia videtur statuere angelos, si cum Deo comparentur, non omnino esse incorporeos, sed aliquo modo corporeos; idcirco tanquam falsa est reiicienda. Neque valent quicquam argumenta ad probandum hunc sensum. Primum enim est omnino falsum. In altero vero negatur ex antecedente sequi consequens. Licet enim angeli in se absolute considerati sint incorporei, & nullo modo corporei, inde tamen non sequitur, illos eo modo & gradu esse incorporeos, quo est ipse Deus; cum substantia incorporea non sit genus vniuocum Dei & creaturæ inuisibilis; sed genus duntaxat angelorum, quod de vna specie magis, de altera minus prædicatur.

10 *An Angeli sint substantiæ naturales?*

Sententia aliorum exponitur. SVnt quidam ex recentioribus Philosophis, qui angelos inter res, seu substantias naturales numerant; ideoque de iis in Physica existimant esse tractandum. *Argument.* Argumenta illorum sunt: I. *I.* *quia res naturalis definitur essentia creata sua natura constans. Angeli autem sunt essentia creata sua natura constantes: Ergo angeli sunt res naturales.* *II.* 2, *quia quicquid habet internum principium motus, id est res naturalis. Atqui angeli habent internum principium motus: Ergo,* &c. Propositionis ratio est, quia Natura definitur, quod sit principium internum motus: Assumptio probatur, quia angeli naturales ex se edunt motus & actiones.

Verum

Verum hæc sententia vt noua & inaudita est in Schola Philosophica; ita etiam non videtur esse admittenda; tum, quia contra communem & receptum recte sentientium & loquentium consuetudinem, omnes creaturas tam incorporeas & inuisibiles, quam corporeas & visibiles in ordinem rerum naturalium redigit; tum, quia omne discrimen tollit inter substantias naturales & non naturales; & sic in vnum chaos confundit quæ Deus & Natura maximę voluerunt esse distincta. *Sent. superius expos. refut.*

Neque est, quod argumentis allatis, quibus hæc noua sententia à suis autoribus probatur, quicquam moueamur. Primum enim nititur falsa definitione *Rei naturalis:* siue genus spectes, siue differentiam. Essentia enim non potest esse genus vllius entis; cum ens & essentia sint species oppositæ, vt supra lib. 1. docuimus. Et quia vocabulum *Natura* valde est æquiuocum, & modo sumitur pro essentia rei; modo pro substantia, modo pro proprietate naturali, modo pro causa efficiente secunda, præsertim naturali, modo pro materia physica, modo pro forma physica, modo pro vtraque simul, &c. idcirco non potest fungi officio differentiæ, nisi ad certam significationem restringatur ac determinetur. Nihil dicam quod ipsum definitum est æquiuocum; cum intelligi non possit, vtrum sumatur ab autore definitionis in genere pro quolibet ente creato, siue sit substantia, siue accidens, an vero duntaxat pro substantia creata. *Responsio ad Argument.* *I.*

Alterum argumentum nititur partim falsa propositione, partim definitione imperfecta & æquiuoca Naturæ. Non enim omne quod internum habet principium motus, est res naturalis. Nam etiam Deus dicitur habere internum principium suarum actionum externarum, neque tamen inter res naturales numeratur, vt quidam ex illis ipsis, qui thesin affirmantem thesis propositæ defendunt, testantur. Ac licet Aristoteles libro 2. Physicæ auscult. capite 1. *Naturam definiat esse principium & causam motus & quietis, in eo, in quo inest primo, per se, & non per accidens:* inde tamen non potest concludi, omne internum principium motus, in quacunque creatura insit, proprie esse naturam. Philosophus enim in loco citato per *naturam* intelligit materiam & formam substantialem, ex quibus corpus naturale *II.*

constat: Et eiusmodi naturam dicit esse principium internum motus & quietis in corpore naturali primo & per se existens. Cum autem nulla substantia incorporea constet ex materia & forma, sequitur etiam vocabulum *Natura*, in hoc sensu nulli posse proprie attribui. Neque est quod patrocinium quæratur in noua & recens ab ipsis excogitata definitione Naturæ, quando illam dicunt esse vim & facultatem vnicuiq; creaturæ à Deo in creatione insitam. Sicut enim non integrum est cuilibet priuatæ personæ, nouum valorem imponere monetæ; ita neque vocabulis imponere nouas significationes. Ac licet concederemus definitionem illam competere aliquo modo Naturæ, quatenus sumitur pro proprietate naturali; tamen inde non sequitur, omne id cui eiusmodi natura tribuitur, esse rem seu substantiam naturalem; cum substantia naturalis ex communi omnium Philosophorum consensu tantum illa dicatur quæ ex materia & forma substantiali est composita.

II *Vtrum angeli sint substantiæ simplices, an compositæ?*

Angeli sunt absolute compositi. *Ratio I.* *II.*

AD hoc Problema breuiter respondeo, angelos absolute esse compositas substantias, comparate vero simplices. Rationes sunt: 1, quia omnis creatura absolute considerata est composita, vt supra libro 2. probatum fuit. 2, quia angeli realiter sunt compositi primum ex ente & essentia; cum non sint sua essentia; sed essentiam suam per participationem habeant. Deinde ex actu & potentia; cum actu sint id, quod sunt; & possint esse id, quod actu non sunt, aut desinere esse id, quod actu sunt. Tertio ex subiecto & accidente inhærente; cum aliud sit id quod recipit accidens inhærens; aliud id quod recipitur. Interim negamus compositionem ex materia & forma cadere in angelos, cum omnis substantia incorporea sit expers materiæ & formæ, vt supra Probl. 3. probatum fuit. Et hoc etiam testatur Scaliger in exerc. dum negat *intelligentiam esse compositam ex materia & forma.* Item Thomas in 1. p. S. T. q. 50. art. 2. Errant igitur illi qui statuunt angelos esse substantias vel tantum formatas, vel simul formatas & materiatas.

Angeli non sunt compositi ex materia & forma.

12 *An Angeli sint à Deo creati, & quando?*

CVm Angeli sint substantiæ finitæ; ideoque non à se, sed ab alia tanquam causa efficiente extiterint, necesse est, vt initium suum habuerint vel per creationem, vel per generationem. Iam autem supra Probl. 2. probatum fuit, omnem substantiam finitam incorpoream non per generationem, sed per creationem produci: Proinde idem etiam de angelis necessario est statuendum. Sed quando angeli à Deo fuerint creati, de eo diuersæ doctorum virorum reperiuntur sententiæ. Prima sententia est, ante mundum hunc corporeum à Deo fuisse creatos angelos. Eius patroni fuerunt omnes fere Græci Theologi, & nonnulli ex Latinis, præsertim qui ante Augustinum vixerunt & scripserunt, cuiusmodi sunt Origenes, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Isiodorus Seuerianus, Cassianus. Item ex Philosophis Plato, qui in Timæo ait angelos, quos vocat Deos iuniores, fuisse antiquiores mundi opificio. Argumenta præcipua sunt: 1, quia conueniens erat, vt angeli mundum corporeum sicut dignitate; ita antiquitate antecellerent; cum τὰ νοητὰ sint meliora & vetustiora τοῖς αἰσθητοῖς. 2, quia angeli mediam naturam obtinent inter Deum & mundum corporeum. Cum igitur Deus ab æterno; & mundus in principio temporis extiterit; probabile est angelos ante tempus, & post æternitatem fuisse creatos; præsertim cum angelis tribuatur æuum, quod medium est inter æternitatem & tempus. Altera sententia est, angelos fuisse creatos post mundum corporeum, sexto nimirum die, quo homo fuit creatus. Ratio est, quia probabile est substantias intelligentes simul vno die a Deo fuisse creatas. Tertia sententia est, angelos simul cum mundo corporeo esse creatos, & quidem primo die creationis, cum cœlum & terra à Deo ex nihilo produceretur. Argumenta sunt: 1, quia Moses Genes. 1. narrat *in principio creasse Deum cœlum & terram.* Aut igitur statuendum est, principium illud non fuisse primum omnium rerum conditarum principium, aut concedendum est ante illud principium angelos non fuisse conditos, sed in illo principio: præsertim cum multi præstantissimi Theologi per *cœlum*, cuius hic fit mentio in versu primo, intelligant cœlum

Angeli à Deo sunt creati ex nihilo.

Quãdo creati [illegible] Diuersæ [illegible] sentent. Prima sentent.

Argum. pro 1 sentent.

I.

II.

Secũda sent.

Tertia sent.

Argum. pro 3. sentent.

I.

ſupremum vna cum angelis: & per *terram* metonymicè materiam primam, ex qua terra & omnia corpora naturalia fuerunt formata.
II. 2, Quia idem Moſes narrat Geneſ. 1. & 2. intra ſextiles perfecta fuiſſe omnia opera creationis à Deo. Cum igitur angeli inter opera creationis numerentur, neceſſario ſequitur angelos etiam ſpatio illius temporis fuiſſe creatos. Ac cum inter opera creationis, quæ poſtremis quinq; diebus à Deo fuerunt facta, nulla plane fiat mentio angelorum; credibile eſt illos primo die vna cum & in cœlo ſupremo, quod eſt domicilium ordinarium angelorum, fuiſſe creatos.
III. 3, Quia angeli ſunt pars totius vniuerſi. Cum igitur pars extra ſuum totum non ſit perfecta; probabile eſt angelos vna cum toto vniuerſo fuiſſe creatos.

Tertia ſent. approb. *Sent. 2. reiicitur.* *Sent. 3. ſecundũ quid reiicitur.*

Cæterum ex his tribus ſententiis vltima videtur maxime veritati conſentanea, quam idcirco etiam diſerte amplectitur Thomas quæſt. 61. art. 3. Quod igitur ad reliquas duas attinet, ſecunda debili admodum fundamento nititur; neque ex ſacra Scriptura vllo modo probari poteſt. Prima vero ob ambiguitatem duplicem ſenſum poteſt admittere, nimirum 1, angelos fuiſſe creatos in principio, antequam ex materia prima mundus hic viſibilis formaretur. Et in hoc ſenſu videtur non eſſe reputanda erronea, neq; reiicienda; cum tertiæ ſententiæ non repugnet. 2, angelos fuiſſe creatos multis ſeculis ante mundum corporeum. Et in hoc ſenſu tanquam erronea videtur
I. repudianda propter ſequentes rationes: 1, quia cœlum ſupremum eſt pars mundi corporei & domicilium ordinarium angelorum. Non igitur credibile eſt angelos multis ſeculis extitiſſe prius, quam ipſum cœlum ſupremum.
II. 2, Quia angeli, cum ſint ſubſtantiæ finitæ, opus habent aliquo loco, & extra locum eſſe non poſſunt. Iam autem ante mundum corporeum nullus fuit locus, in quo angeli exiſtere potuerint. Licet enim quidam ex recentioribus dicant, cœlum ſupremum eſſe domicilium Dei increatum, infinitum & æternum, & in illo angelos ſicut nunc ordinarie, ita etiam multis ſeculis ante mundum conditum habitaſſe: illa tamen ſententia, vt noua eſt, ita non eſt admittenda; cum nullum ens ſit increatum, infinitum & æternum, niſi ſolus Deus,
III. vt patet ex ſuperiori doctrina. 3, Quia nuſquam legitur in

tur in ſacris literis vllam creaturam extitiſſe multis ſeculis ante mundi creationem ; imo contrarium potius habetur, nimirum intra ſex dies Deum omnia opera creationis abſoluiſſe; & per conſequens, tam viſibilia quam inuiſibilia creaſſe.

Reſtat igitur, vt ad argumenta pro prima ſententia allata reſpondeamus, quorum primum non neceſſario, ſed tantum probabiliter concludit, cum homo ſit præſtantior beſtiis, & tamen vltimo loco creatus. Interim concedi poteſt, quatenus dirigitur ad probandam illam ſententiam in primo ſenſu. *Reſponſio ad argument. I.*

Alterum argumentum nititur falſa hypotheſi, nimirum dari medium inter tempus & æternitatem, nempe æuum, cum tantum tempus competat omni creaturæ; ſicut æternitas ſoli Deo, vt ſupra lib. 1. probatum fuit. *II.*

13 *An omnes angeli ſint vnius ſpeciei?*

SEntentiam negantem defendit Thomas in p. S. T. q. 60. art. 4. Ait enim expreſſe *impoſſibile eſſe duos angelos eſſe vnius ſpeciei.* Argumentum ipſius præcipuum eſt, quia angeli non ſunt compoſiti ex materia & forma. Ea autem quæ conueniunt ſpecie, & differunt numero, conueniunt in forma, & diſtinguuntur materialiter. Verum contraria ſententia affirmatiua videtur longe verior propter ſequentia argumenta: 1, quia omnes angeli vnam & eandem habent naturam ſpecificam. 2, quia differunt inter ſe tantum qualitatibus & officiis, quæ eſſentiam rerum non mutant. 3, quia in angelis non habet locum diſtributio generis in ſpecies; ſed tantum ſpeciei in indiuidua. Ad argumentum igitur Thomæ reſpondeo, falſum eſſe, quod ea quæ conueniunt ſpecie, & differunt numero, conueniant forma, & differant materia. Nam etiam inter corpora naturalia quæ compoſita ſunt ex materia & forma, indiuidua eiuſdem ſpeciei inter ſe differunt tam materia, quam forma numerica ſeu ſingulari. *Pro theſi neg. Ratio Thomæ. Pro theſi affirmante. Ratio I. II. III. Reſponſio ad argument. Thomæ.*

14 *Vtrum Angelorum numerus ſit finitus, an infinitus?*

AD hoc Problema breuiter reſponderi poteſt, angelorum numerum in ſe eſſe finitum; ſed reſpectu noſtræ apprehenſionis eſſe infinitum. Argumenta ſunt, *Angelorum num. finitus.*

Argument. I. 1, quia omnes creaturarum species sunt finitæ, nêque earum indiuidua in infinitum multiplicari possunt. 2, quia *II.* nemo hominum in hac vita numerum angelorum certo cognoscere atque definire potest. Interim scimus ex sacris literis numerum angelorum esse maximum; non vero octonarium, vt voluit Aristoteles. Is enim sicut falso putauit esse octo orbes cœlestes; ita etiam falso credidit octo tantum esse intelligentias seu angelos, quorum vnusquisque suo orbi mouendo assistat.

15 *An duo pluresve angeli possint esse in vno & eodem loco?*

Prothesi neg. argument. Thomæ. SEntentiam negantem defendit Thomas in 1. parte S. T. Q. 52. artic. 3. Ratio ipsius est, quia impossibile est duas esse causas completas, hoc est, totales & immediatas vnius & eiusdem rei. Cum igitur angeli sint in loco secundum suam virtutem contingentem locum per modum continentis perfecti, impossibile est plures esse angelos in eodem loco, sed vnus angelus in vno tantum loco est. *Thesis affir. & vera.* Verum contraria sententia, quam etiam Franciscus Vallesius amplectitur, videtur longe esse verior. Licet enim duo corpora non possint esse in vno loco, propterea quod vnumquodque certum spatium locale occupat & replet, in quo alterum esse non potest, nisi statuatur mutua duorum corporum sine alterius cessione penetratio, à qua tamen Natura abhorret; tamen alia ratio est substantiarum incorporearum. Illæ enim cum sint expertes magnitudinis extensiuæ, idcirco non replent locum, in quo existunt; & quia non replent, possunt in eodem loco secum pati aliam substantiam, siue incorpoream, siue corpoream, vt testatur etiam exemplum hominis illius obsessi, in quo in historia Euangelica legio Diabolorum fuisse narratur. *Refut. argu. Thomæ.* Neque quicquam valet argumentum à Thoma allatum. Nam neque angelus est in loco propter operationem; neq; proprie locum, in quo existit, contingit sua virtute; multo minus inde sequitur, si duo angeli statuantur simul esse in vno loco, duas dari causas completas & immediatas vnius & eiusdem rei; cum plures angeli in eodem loco existentes possint esse causæ partiales vnius actionis aut etiam causæ completæ contrariarum actionum.

16 *An*

16 *An angeli habeant potentiam finitam agendi?*

STatuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia angeli sunt entia creata. 2, quia essentiam habent finitam. Qualis autem est essentia, talis est potentia. 3, Quia non possunt agere, nisi obiectum, in quod agunt, sibi habeant localiter propinquum. 4, quia sine voluntate, aut saltem permissione Dei, tanquam supremi Domini, cui seruiunt, nihil agere possunt. 5, Quia angeli proprie nihil creare possunt, vel vt causæ efficientes principales, vel vt instrumentales; cum creatio præsupponat virtutem infinitam agendi in creante, vt supra cap. 2. traditum fuit. Proinde errant illi, qui potentiam infinitam agendi angelis asscribunt; cum impossibile sit, vt ait Arist. libr. 8. Phys. auscult. cap. vltimo sub finem, τὸ πεπερασμένον ἔχειν ἄπειρον δύναμιν, hoc est, *finitum habere potentiam infinitam.*

Pro thesi affirmante. I. II. III. IV. V.

Error alior. perstring.

17 *An omnes angeli naturaliter sint boni?*

STatuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia omne ens qua ens, naturaliter est bonum, vt supra lib. 2. cap 9. Probl. 14. probatum fuit. 2, Quia omnes angeli à Deo sunt creati. Quicquid autem à Deo est creatum, id naturaliter est bonum, cum historia creationis testetur omnia, quæ Deus fecerat, fuisse valde bona. 3, Quia nisi omnes angeli statuantur naturaliter esse bonι; necessario sequeretur quosdam angelos aut plane à Deo non esse creatos, aut saltem naturaliter malos factos fuisse creatos; quod est absurdum & pugnat cum natura tum ipsius Dei, tum angelorum.

Pro thesi affirmante. I. II. III.

At contra hanc sententiam excipere quis posset, angelos omnes fuisse quidem in principio à Deo creatos naturaliter bonos, sed postea per lapsum quosdam amisisse illam naturalē bonitatem; ideoq; iam vere dici non posse, omnes angelos esse naturaliter bonos. Respon. distinguendum inter bonitatem moralem & naturalem, quemadmodum docuimus lib. 2. Metaph. cap. 9. Probl. 8. Licet enim iam post lapsum non omnes angeli sint moraliter boni; cum quidam post creationem à Deo libera voluntate defecerint, eique facti sint rebelles; tamen negari non potest, omnes angelos siue à Deo defecerint, siue non defecerint, iam etiam esse naturaliter bo-

Obiectio.

Responsio ad obiect.

nos. Sicut enim essentiam & naturam suam non amiserunt, quam à Deo in creatione acceperunt; ita neque bonitatem naturalem, quæ cum essentia & natura cohæret inseparabili nexu, amisisse illos est credendum. Alioquin enim necesse erit statuere, angelos rebelles non amplius creaturas Dei esse; cum omnis creatura Dei naturaliter sit bona, & nulla mala; tametsi moraliter quædam sit bona, quædam mala.

18 *An angeli sint immortales?*

Quæstio explicatur per distinct.

IMmortale aliquid dicitur duobus modis: 1, quod immune est non tantum ab actu, sed etiam à potentia moriendi. 2, quod immune quidem est ab actu, sed non à potentia moriendi. Priori modo solus Deus est immortalis, quippe qui actus simplicissimus est, expers omnis potentiæ passiuæ. Posteriori modo angeli sunt immortales. Deus enim ex gratia hoc priuilegium angelis, sicut etiam animabus rationalibus concessit, vt actu nunquam moriantur. Vnde Damasc. lib. 2. de orthodoxa fide, cap. 3. asserit angelos immortales esse non natura, sed gratia. Interim cum sint creaturæ, & per consequens, sua natura mutabiles, negari non potest, in angelis esse potentiam passiuam moriendi. Alioquin enim nisi hoc ita esset, necessario statuendum foret, angelos ratione immortalitatis Deo esse æquales, quod est absurdum. Errat igitur Plutarchus in libr. de oraculorum defectu, & cum eo alii, qui Dæmones seu genios statuunt post longissima temporum spacia tandem mori.

19 *An angelis proprie attribuatur facultas intelligendi & volendi?*

Thesis affir. defenditur.

REperiuntur nonnulli Philosophi, qui existimant, angelis non posse attribui facultatem intelligendi & volendi; tum quia hæ potentiæ sunt effecta animæ rationalis; tum quia sunt idiomata essentialia hominis. Sed decipiuntur illi, dum non distinguunt inter facultatem angelicam, & humanam intelligendi & volendi. Sola enim humana est effectum animæ rationalis, & idioma essentiale hominis: angelica vero immediate promanat ab ipsa essentia angeli. Non enim angelus posset esse angelus, nisi haberet facultatem intelligendi & volendi. Et hoc etiam patet ex operationibus angelorum, siqui-

ſiquidem intelligunt & volunt, actioneſque intelligentes & voluntarias ex ſe edunt. Id autem fieri non poſſet, ſi facultate intelligendi & volendi eſſent deſtituti. Omnis enim operatio præſupponit potentiam; & omnis potentia, eſſentiam: ac ſicut potentia non poteſt eſſe ſine eſſentia; ita neque operatio ſine potentia.

20 *An angeli omnia cognoſcant, & quomodo?*

CVm angeli ſint creaturæ finitæ, finitamque habeant intelligendi potentiam, fieri non poteſt, vt omnia cognoſcant: ſiquidem omniſcientia eſt proprietas eſſentialis ſolius Dei; neque in vllam creaturam cadere poteſt. Cæterum vt Problema rectius explicetur, agendum eſt partim de obiecto, partim de modo cognitionis angelicæ. Quod ad obiectum attinet, angeli cognoſcunt omnia, quæ Deus ipſis reuelat, ſiue mediate, ſiue immediate, ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter; non autem ea, quæ Deus ipſis nullo modo patefacit. Hinc credibile eſt, angelos noſſe omnia entium creatorum genera, ſpecies, naturas, & vires; non autem ſingula entium indiuidua, ſingulorumque actiones & paſſiones, cum intellectus angelorum ſit finitus, neque eo vſque ſeſe extendere poſſit. Modus autem cognitionis angelicæ conſiſtit in eo, quod τὰ γνωστὰ cognoſcant, primo non à ſeipſis, & per ſeipſos, ſed ab alio & per aliud. 2, non per ſenſum, ſed per intellectum: neque per ſpecies ſenſiles; ſed per ſpecies intelligibiles, ſiue creatas, vt vult Thomas, Scaliger, & alii Scholaſtici; ſiue quod veriſimilius eſt, ab angelis in ſeipſis formatas. 3, non ſimul, vno ſimpliciſſimo intelligendi actu, ſed ſucceſſiue diuerſis intelligendi actibus. 4, non certo & diſtincte omnia, ſed quædam certo & diſtincte, quædam incerto & indiſtincte. 5, denique cum compoſitione & diuiſione rerum ſimplicium, adeoque cum diſcurſu ab vno ad aliud, à noto ad ignotum. Errant igitur illi, qui ſtatuunt 1. angelos perfectam habere omnium rerum cognitionem. 2, angelos cognoſcere tantum res vniuerſales, non ſingulares, cum ſenſu deſtituantur, qui circa ſingularia verſatur, ſecundum Ariſtotelem, ſicut intellectus circa vniuerſalia. Ad ſingulariũ enim cognitionem ſenſus quidem neceſſarius eſt hominibus; ſed nõ Deo & angelis, cum illis ſolus intellectus

Angeli non omnia cognoſcunt.

Obiectum cognit. angel. quod ſit.

Quomodo angeli cognoſcant res.

Errores alior. taxantur. I. II.

ad cognoſcendum tam ſingularia, quam vniuerſalia ſit
III. ſufficiens. 3, angelos cognoſcere res, citra omnem, quæ in nobis eſt, compoſitionem, diuiſionem & diſcurſum; neque per ſpecies intelligibiles, ſed per ſuam eſſentiam. Vtrique enim modus cognoſcendi Deo competit, neque in vllam creaturam poteſt cadere.

21 *An angelorum notitia poſſit augeri & diminui?*

Angelorum notitia augeri poteſt. Ratio I. NOtitiam angelorum augeri poſſe manifeſtum eſt ex his argumentis: 1, quia ſæpenumero noua, quæ prius ignorarunt, addiſcunt, partim per reuelationem Dei, partim per experientiam, partim per coniecturam.
II. 2 quia quæ aliquando imperfecte nouerunt, progreſſu
III. temporis perfectius cognoſcunt. 3, quia ſolius Dei ſcientia augeri non poteſt. Omnis autem creaturæ intelligentis notitia ita eſt comparata, vt paulatim incrementa capiat, donec ad ſummum perfectionis ſuæ naturæ conuenientis gradum perueniat. Verum an notitia angelorum etiam imminui poſſit, de ea re nihil certi videtur poſſe affirmari. *Probabile eſt angelorum notitiam non imminui.* Probabilior tamen eſt ſententia negatiua, quam affirmatiua. Non enim poteſt notitia angelorum imminui, niſi per obliuionem, vt ſcilicet obliuiſcantur eorum, quæ prius nouerant. Iam autem certa ratio dari non poteſt, qua demonſtretur, obliuionem cadere in angelos, niſi dicamus, Deum immediate angelos notitia, quam prius habuerunt, priuare. Sed cum hoc ex ſacra Scriptura certo probari non poſſit, melius eſt, vt ſuſpendamus aſſenſum, quam vt temere aliquid pronunciemus de angelis.

22 *An angeli ex ſeipſis, & per ſeipſos poſſint cognoſcere arcanas hominum cogitationes & affectus?*

Pro theſi negatiue. Ratio I. NEgatiua ſententia ſtatuitur. Rationes ſunt: 1, quia ſolius Dei eſt ex ſeipſo & per ſeipſum ſecreta hominum ſcrutari. 2, quia angeli nihil cognoſcunt niſi ab
II. alio, & per aliud. Ac proinde neq; arcanas hominum voluntates & cogitationes cognoſcere poſſunt, niſi à Deo ipſis reuelentur, vel per ſigna externa ſeſe prodant, vel denique ab ipſis angelis hominibus ſuggerantur. Qua ratione ſæpe etiam homines ſagaces, & Medici prudentes in cognitionem rerum, quæ intra hominem latitant occultæ,

occlusæ, perueniræ solent. Hinc recte dici solet, nullam creaturam scire posse ea, quæ intus in animo hominis latitant, nisi aliunde ipsi patefiant. Quo etiam respexisse videtur Paulus 1. Cor. 2. dum ait: *Nemo nouit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.*

23 *An futurorum præcognitio cadat in Angelos?*

VT hoc Probl. rectius explicetur, ante omnia sunt notanda tria theoremata: 1, præcognitionem aliam esse certam, aliam incertam. 2, futura alia esse necessaria, quæ secundum ordinarium Naturæ cursum à Deo sancitum pendent à causis necessariis; alia contingentia, quæ pendent à causis contingentibus. Et ex his alia naturalia esse, quæ plerunque fiunt à suis causis naturalibus, sed non semper; alia voluntaria, quæ pendent à libero hominis arbitrio. 3, futura alia innotescere per peculiarem Dei reuelationem, alia sine Dei peculiari reuelatione per alia media. His ita præmissis, pono tres distinctas conclusiones: 1, Angelos posse sine peculiari Dei reuelatione certo præcognoscere futura necessaria. Ratio est, quia possunt certo præcognoscere causas, à quibus illa pendent, & tempus quo actum causandi exercent. 2, angelos non posse sine peculiari Dei reuelatione certo præcognoscere futura contingentia, præsertim voluntaria. Ratio est, quia non possunt certo præcognoscere causas omnes, à quibus pendent, cum multæ illarum sint abditæ & occultæ, neque tempus, quo actum causandi exercent, cum facile impediti possint. Præterea certa cognitio futurorum contingentium est solius Dei propria. 3, angelos coniecturalem posse habere præcognitionem multorum futurorum contingentium. Ratio est, quia cum sint Spiritus sagaces & prudentes, qui ex diuturna obseruatione variorum euentuum maximam rerum experientiam sibi comparatunt, non mirum est, si ex certis signis coniecturam faciunt de rebus contingenter futuris. Errant igitur qui simpliciter asserunt, cognitionem rerum futurarum, quatenus sunt futuræ, solius Dei esse propriam, neque angelis vllo modo attribui posse.

Præmittũtur quæst. explicationi Theorem. *I.* *II.* *III.* *Subiiciuntur conclus. tres.* *I.* *II.* *III.* *Error aliorũ taxatur.*

24 *An angeli possint prædicere futura, & quomodo?*

Thesis affir. defend. secũdum quid.

CVm futurorum prædictio semper præsupponat futurorum præcognitionem; hæc autem in præce-

denti probl. fuerit angelis attributa suo modo, necessario sequitur, illam quoque iisdem non esse simpliciter derogandam. Sed qualis sit prædictio angelorum, certa ne an incerta, de ea re non immerito dubitatur. Ac in genere videtur statuendum esse, talem in angelis esse prædictionem futurorum, qualis est futurorum præcognitio: vt si hæc sit certa, vel incerta, etiam illa certa, vel incerta sit habenda. In specie vero distinguendum esse videtur, inter prædictionem bonorum & malorum angelorum. Cum etiam angeli boni sint Spiritus veraces & nihil hominibus soleant prædicere futurum, nisi quod ipsi certo præcognoscunt, aut saltem credunt futurum; idcirco prædictiones eorum sunt certæ habendæ, donec euentus ex occulto Dei consilio profectus contrarium testetur. Contra, cum Diaboli sint Spiritus mendaces & fallaces, & nihil aliud quærant, quam vt hominem decipiant & ludant, aut saltem in superstitione antiqua confirment; idcirco prædictiones ipsorum pro certis non sunt habendæ, nisi euentus contrarium testetur. Vbi etiam obiter obseruandum, diabolum non semper prædicere futura immediate, sed sæpe mediate, vel per homines viuos, cuiusmodi sunt, qui artem magicam exercent, vel per spectra, mortuos repræsentantia.

25 *An omnes angeli per naturam sint participes liberi arbitrii?*

Pro thesi affirmante. STatuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, *Ratio I.* quia liberum arbitrium est proprietas essentialis cuiusque creaturæ intelligentis, & per consequens, Angelorum. *II.* 2, quia angeli habent facultatem naturalem, per quam sua natura indifferentes sunt ad vtrumque oppositum, tam contrarium quam contradictorium, cuiusmodi est facultas approbandi, & improbandi, volendi & nolendi, seu, vt alii loquuntur, *eligendi & repudiandi.* *III.* 3, quia non coacte & inuite, sed sponte ac libere se suasque actiones naturales determinarunt, alii ad bonum, alii ad malum morale. *IV.* 4, quia angeli sunt creati ad imaginem Dei: Ergo cum Deus habeat liberum arbitrium, sequitur angelis non esse adimendum. Sed obiicere quis posset, angelos bonos ita iam esse confirmatos in bono, vt peccare amplius non possint; malos vero ita confirmatos in malo, vt bene agere non possint. Ideoque

eoque neque illis ad malum, neque his ad bonum liberum arbitrium esse concedendum. Resp. aliud esse, non posse, aliud non habere potentiam naturalem, quemadmodum supra docuimus libr. 2. cap. 7. Probl. 9. Licet enim omne, quod non habet potentiam naturalem ad hoc vel illud, recte dicatur non posse; tamen non omne, quod non potest, recte dicitur non habere potentiam naturalem: siquidem non posse, non semper includit negationem potentiæ naturalis; sed sæpe duntaxat negationem actus, vt inductione multorum exemplorum, si opus esset probari posset.

26 An angeli propria virtute vllum corpus naturale possint producere?

Statuitur sent negatiua. Rationes sunt: 1, quia quicquid producit corpus naturale, producit illud aut per creationem, aut per generationem physicam. Sed creatio est actio solius Dei propria, neque in vllam creaturam cadere potest, vt supra cap. 2. probatum fuit. Ac proinde nullus angelus, siue bonus siue malus, per creationem vllum corpus naturale producere potest. Generatio autem physica est actio & operatio propria, & immediata solius corporis naturalis, tum quia est species motus physici, qui omnium Philosophorum consensu soli corpori naturali competit; tum quia nulli substantiæ Deus in creatione communicauit virtutem naturalem generandi, nisi soli corpori naturali; tum, quia nihil physice generare potest corpus aliquod naturale, nisi habeat qualitates primas tactiles; siue formaliter, siue virtualiter. Quocirca, neq; per generationem physicam, vllus angelus, siue bonus siue malus, vllum corpus naturale potest producere; præsertim cum impossibile sit, substantiam corpoream à substantia creata incorporea naturaliter generari. 2, quia ad quamlibet productionem corporis naturalis, requiritur materia & forma substantialis. Licet igitur angelis non desit materia substantialis, tamen deest forma; cum illam neque generare neque creare queant; ac proinde neque corpus vllum producere possunt.

Prothesis neg. *Ratio I.* *II.*

Errant igitur grauissimum errorem 1, illi, qui statuunt, angelos siue bonos siue malos posse ex aere, aut alia materia corporea, siue tenui, siue crassa aereum cor-

Error aliorũ perstringũtur I.

pus naturale formare; quod simile sit non tantum corpori alicuius bestiæ, sed etiam corpori humano, atque
II. ita in eo assumpto hominibus apparere. 2, illi, qui credunt & asserunt, diabolos posse corporaliter congredi cum sagis, & semen virile aliunde acceptum, in vterum muliebrem effundere, atque ita liberos humanos ex eiusmodi mulieribus concipere. Licet enim hæc sententia à multis approbetur; tamen non tantum est absurda, sed etiam impia; quippe quæ contra generalem ordinem naturæ ab ipso Deo institutum procreationem veri hominis Diabolis asscribit, quæ tamen post Deum est actio solius hominis propria.

Prolepsis. Neque obstant exempla liberorum, qui narrantur à Diabolis esse procreati. Illi enim aut fuerunt Diaboli, in forma infantum humanorum apparentes; aut veri quidem infantes humani, sed vel supposititii, vel ex mulierum, quæ eos pepererunt, congressu cum propriis maritis, aut aliis viris, geniti. Non enim incredibile est, Diabolū posse phantasiam mulieris, præsertim sagæ, ita corrumpere, vt falso credat, se cum Diabolo coiuisse, atque ex illo coitu concepisse, ac tandem sobolem peperisse. Sed de hac re pluribus dicetur in sequenti probl.

27 *An concubitus Diabolorum cum hominibus sit verus, an imaginarius?*

Pro vero cōcubitu Diabolorum cum hominibus, Argum.

COmmunis & vulgatus rumor est, Diabolos quandoque concumbere cum hominibus, & vel succubi, vel incubi officium sustinere. Sed adhuc controuertitur inter viros doctos, vtrum ille concubitus Diabolorum cum hominibus sit verus, an vero tantum imaginarius? Alii enim statuunt, illum esse verum, in quorum numero etiam fuit Augustinus, Ludouicus Viues, Thomas Aquinas, Psellus, Benedictus Pererius, Iacobus
I. Wekerus & alii. Argumenta ipsorum sunt: 1, quia Diabolus potest corpus humanum assumere, & in illo hu-
II. manæ vitæ officia præstare. 2, quia licet semen proprium non habeat, neque in se, neque in assumptis corporibus; tamen aliunde potest semen virile accipere, extra vasa naturalia effusum; præsertim quando succubum agit.
III. 3, quia homines, quibus cum rem habuit Diabolus, constanter asseuerant, & ad testimonium non tantum visus

& au-

& auditus, sed etiam tactus prouocant. 4. quia euentus testatur, mulieres eiusmodi ex concubitu cum Diabolo concepisse, & peperisse fœtum. Alii vero asserunt, concubitum illum esse tantum imaginarium, in quorum numero fuit Cassianus, Scaliger, Wierus & alii. Argumenta ipsorum sunt: 1, quia Diabolus phantasiam sagarum falsis imaginibus corrumpit, vt inter dormiendum credant se cum Diabolo rem habuisse; tametsi id re vera non fuerit factum. 2, quia experientia Medicorum, & Anatomicorum testatur in veneficis virginibus, quæ fatentur se corporalem diaboli concubitum sæpe passas esse, membranam illam, quæ virginitatis claustrum ac signum est, & à Medicis *Hymen* dicitur, non fuisse corruptam, sed saluam & incorruptam, etiam tunc, cum ad rogum essent ducendæ. Id autem fieri non posset, si diabolus vere & corporaliter cum iis rem habuisset. 3, quia incubus est species morbi, qui cum hominem noctu inter dormiendum inuadit, putat homo, sibi pondus magnum incumbere, respirationem & vocem impediens, ita vt clamare non possit, tametsi velit. Cum igitur eiusmodi morbus etiam sagas quandoque diaboli opera possit inuadere, hinc fit, vt putent, se diabolicum incubum passas esse. Cæterum ex his duabus sententiis prior videtur omnino falsa & absurda; posterior autem vera. Itaque restat, vt ad argumenta allata paucis respondeamus. In primo nego, corpora humana, quæ à Diabolis assumuntur, semper esse vera corpora, ant etiamsi sint, diabolos in iis assumptis, posse humanæ vitæ officia vere & proprie exercere, vt infra in alio problemate probabitur. In altero concedo quidem, posse diabolum semen virile extra sua vasa effusum suffurari, & alio transportare; sed nego illud semen extra naturalia receptacula effusum, posse manere incorruptum & fœcundum, aut per verum & naturalem coitum in vterum muliebrem à diabolo infundi. In tertio assero, nihil valere ad probandum concubitum diabolorum cum hominibus, testimonium hominum, quorum sensus & animus à diabolo fascinatus est ac dementatus. In quarto dico, euentum illum non fuisse verum, sed falsum ac imaginarium, ortum ex deprauato sensus & rationis in hominibus illis, quibus negotium fuit cum

IV.

Pro imaginario concubitu Argum.

I.

II.

III.

Posterior sententia approbatur reiecta priori.

Responsio ad argumen. pro vero concubitu.

I.

II.

III.

IV.

Diabolo, iudicio, vt dictum fuit sub finem præcedentis problematis.

28 *An angeli vere possint substantiam vnam transmutare in aliam?*

Pro thesi neg. Ratio I. STatuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, quia nihil potest vere transmutare vnam substantiam in aliam, nisi habeat vim producendi substantiam. Cum igitur angeli nullam plane vim habeant producendi substantiam, vt supra 26. problem. probatum fuit; sequitur illis veram transmutationem substantiarum attribui
II. non posse. 2, quia vera transmutatio substantiarum, aut est naturalis, aut supernaturalis: Sed neutra angelis potest vere competere. Naturalis enim est opus solius Naturæ, quippe quæ constat ex generatione & corruptione naturali, & præsupponit in transmutante vim naturalem generandi & corrumpendi. Supernaturalis vero est opus solius Dei, quippe quæ constat ex annihilatione & creatione mediata, & præsupponit in transmutatione
III. infinitam potentiam agendi. 3, quia diabolus neque secundum materiam, neque secundum formam potest vnam substantiam transmutare in aliam. Nam neque vna numero forma potest ab vna materia migrare in aliam; neque vna numero materia in eadem dispositione manens, potest successiue diuersas ac disparatas formas suscipere.

Error aliorũ taxatur. Errant igitur grauissime illi, qui statuunt, Diabolum posse non tantum vnam substantiam transmutare in aliam, sed etiam homines conuertere in veros lupos, feles, lepores, & id genus alias bestias. Neque sententiæ ipsorum patrocinantur exempla substantiarum, quæ vulgo narrantur à Diabolo aut immediate aut mediate per Magos & Lamias fuisse transmutatæ. Illa enim transmutatio non fuit vera, sed tantum simulata, imaginaria & apparens, præstigiis diaboli facta, ad illudendum & decipiendum homines, vt infra in problemate de fascinatione diabolica pluribus dicetur.

29 *An angeli quandoque assumant corpora, quibus appareant, & qualia illa sint?*

Angeli quãdoq; assumũt corpora. CVm experientia & sacra scriptura testetur, angelos tam bonos quam malos sæpe corporaliter hominibus apparuisse, videtur sine manifesta veritatis suppressio-

pressione negari non posse, angelos quandoque assumere corpora, quibus appareant. Sed qualia sint illa corpora, non immerito dubitatur. Alii enim existimant; corpora illa esse vera & naturalia; alii vero statuunt, illa esse ficta tantum & apparentia, hoc est, spectra & simulachra verorum corporum. Qui priorem sententiam defendunt, illi prouocant ad testimonium sensus triplicis, nempe visus, auditus, tactus, qui videntur simul falli non posse: Sed tamen inter se non consentiunt. Alii enim putant, illa corpora esse viua, cum angeli per ea vitales operationes exerceant, cuiusmodi sunt, locutio, manducatio, incessus & id genus aliæ. Alii vero, illa esse vitæ expertia, & vel ex aere, vel ex alia materia corporea, siue subtili, siue crassa. Alii denique statuunt, illa ab angelis aliunde assumi, siue à natura genita, siue à Deo creata. Qui vero posteriorem sententiam tuentur, illi sequentibus argumentis vtuntur: 1, quia vera corpora non possunt subito & quasi in momento temporis euanescere, quemadmodum solent illa corpora, quæ ab angelis assumuntur. 2, quia operationes vitales, quæ corporum vere viuentium sunt propriæ, non possunt vere & proprie exerceri ab ipsis angelis per vera corpora, nisi simul iisdem anima & facultates vitales ab anima immediate promanantes, attribuantur, quod tamen est absurdum. 3, quia historia & experientia testatur, diabolos sæpe apparere solere in forma hominum mortuorum, quorum corpora iam dudum fuerunt putrefacta, & in puluerem redacta. Cum igitur impossibile sit diabolo, aut corpora mortuorum restaurare, aut alia vera his similia de nouo producere; sequitur illa corpora in quibus apparuerunt, non fuisse vera corpora, sed spectra duntaxat & simulachra verorum corporum. 4, quia illa corpora, quæ ab angelis assumuntur post depositionem, non existunt amplius: Ergo non potuerunt esse vera corpora, nisi velimus statuere, illa ab angelis in nihilum esse redacta.

Qualia sint corpora ab angelis assumpta.

Corpora ab angelis assumpta esse ficta tantum & apparētia.

Ratio I. *II.* *III.* *IV.*

Cæterum in hoc problem. maxime probabile videtur esse, statuere corpora ab angelis assumpta plerumque esse ficta & apparentia; raro autem vera & naturalia, eaque non ab angelis formari; sed aliunde accipi, nempe

Propria sententia explicatur.

vel à natura genita (cuiusmodi sunt corpora tum recens mortuorum, tum viuentium, in quibus angeli localiter
Obseruatio. existunt) vel à Deo creata. Vbi tamen etiam notandum
I. est: 1, probabile esse, angelos duntaxat malos quandoque apparere in corporibus veris recens mortuorum;
II. bonos autem nunquam. 2, credibile esse angelos duntaxat bonos quandoque apparere in corporibus veris, à
III. Deo creatis; malos autem nunquam. 3, apparitiones angelorum bonorum in corporibus assumptis fuisse frequentes in V. T. vt his, veluti typis, hominibus adumbraretur apparitio filii Dei, in humana natura assumpta.

30 *An angeli per se localiter moueantur, & quomodo?*

Quomodo angeli localiter moueantur.

CVm angeli per se sint in loco, neque semper in vno loco maneant, sed modo in hoc, modo in illo existant, modo ascendant, modo descendant, modo accedant, modo recedant; necesse est, vt statuamus, angelos per se localiter moueri. Sed modus, quo angeli per se loco mouentur, est obscurus, & non satis ab omnibus explicatur; proinde ad meliorem illius intelligentiam, sciendum est, angelos per se, quatenus sunt substantiæ
I. spirituales & incorporeæ, moueri localiter: 1, sine resistentia alterius corporis, siue subtilis, siue crassi; &, per consequens, sine vllo labore & molestia. Omnis enim resistentia est inter corpora; ideoque nullum corpus substantiæ incorporeæ resistere potest, neque illud remorari aut molestare; cum hæc etiam per crassissima corpo-
II. ra sine vllorum cessione penetrare possit. 2, sine alterius corporis ex loco suo expulsione; cum nullum spacium
III. locale, perinde ac corpora occupent & repleant. 3, Moueri localiter non in momento, sed in tempore; tum, quia in motu locali angelorum datur successio & ratio prioris ac posterioris; tum, quia angeli ab vno extremo ad aliud extremum localiter moueri non possunt, nisi
IV. per media interiecta transeant. 4, interim tempus illud, quo motus localis angelorum perficitur, ita esse breue, vt à nobis vix percipi possit. Vnde recte dicuntur angeli localiter moueri ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ, hoc est, *intempore imperceptibili,* & propter motus celeritatem comparan-
Obseruatio. tur ventis, & alæ ipsis tribuuntur & assignantur. Quod si tamen angeli vera corpora naturalia assumant, & in iis ap-

iis appareant, negari non potest, ipsos per accidens eo modo, quo corpora, localiter moueri; ideoque resistentiam pati ab aliis corporibus, neque aliud locum posse occupare, nisi corpus, quod prius illum locum occupauit, ex eo expellant, cum impossibilis sit mutua duorum corporum sine alterius cessione, penetratio. Errat igitur Valesius, qui in sacra philosophia pag. 327. *Error aliorũ* videtur statuere, angelos localiter moueri, non per se, *taxatur.* sed per accidens, neque in tempore, sed in instanti. Præterea errant Magi seu Lamiæ, credentes Diabolum verum corpus Capri indutum, posse per paruum foramen fenestræ ingredi & egredi.

31 *An Diabolus quandoque vere corpora hominum obsideat, & quomodo?*

NOn tantum communis experientia, sed etiam sacra *Diabolus* Scriptura passim inductione multorum exemplo- *quandoque* rum probat, Diabolum quandoque vere corpora homi- *vere occupat* num obsidere & occupare, in eaque potestatem & ty- *corp. hom.* rannidem suam exercere. Sed quomodo id fiat, non o- *De modo quo* mnibus satis est notum. Idcirco quæritur vulgo: 1, quo- *occupat quæ-* modo *Diabolus corpus hominis ingrediatur, vtrum per os* *ritur.* *aut alium meatum.* 2, in qua parte corporis præcipue se- *I.* dem suam habeat. 3, vnde potestatem accipiat obsiden- *II.* di corpora. 4, quomodo illam potestatem exerat. 5, in *III.* quem finem obsideat corpora hominum. *IV. & V.*

Vt igitur his quæsitis satis fiat, sciendum est: 1, Dia- *Respondetur* bolum esse spiritum, & sine vlla resistentia corporũ loca- *ad quæsita* liter moueri; ideoque non opus esse, vt vel per os, vel per *per theorem.* alium meatum, siue occultum, siue manifestum, in cor- *I.* pus humanum ingrediatur; cum possit etiam per solidissima, densissima & crassissima corpora, sine vllo impedimento penetrare: Atque proinde meram esse superstitionem hominum, qui quoties oscitant, & alimenta assumunt, signo crucis os muniunt, vt ita Diabolo viam ingrediendi occludant. 2, Diabolũ quidem in toto corpore *II.* obsesso esse tanquam locatum in loco; sed tamen nullam certam partem corporis assignari posse, in qua sedem suam præcipue habeat; cum successiue æque in hac, quam in illa parte, etiam minutissima esse possit. Ac proinde errare eos, qui solum cor sedem Diaboli esse dicunt, eo quod principium sit humanarum actionum. 3, Dia- *III.*

boium potestatem obsidendi corpora humana non aliunde habere, quam a Deo; ideoque tantam habere, quantam Deus ipsi concedit.

IV. 4. Diabolum potestatem illam à Deo sibi in corpora obsessa concessam non posse aliter exercere, quam eo modo, quo Deus ex iusto iudicio permittit, ideoque pro suo libitu illum non posse torquere homines obsessos.

V. 5. finem cur Diabolus corpora hominũ obsideat, alium à Deo intendi, alium à Diabolo. Priorem esse partim punire peccata hominum obsessorum, partim exemplum iræ diuinæ proponere aliis, vt à peccatis sibi caueant: Posteriorem esse, vexare & excruciare homines obsessos, atq; ita voluptatem suam, quam ex hominum vexatione capit, explere.

Obseruatio. Interim etiam hoc sciendum est, sæpe homines superstitiosos credere, quosdam à Diabolo corporaliter obsessos esse, cum illi laborent grauibus morbis, cuiusmodi sunt melancholica passio, epilepsia, incubus, lethargus, iliaca & colica passio, & id genus alii.

32. *An Diabolus ex corporibus obsessis possit expelli, & quomodo?*

Diabolus expelli potest ex corporib. obsessis. NOn dubium est Diabolum ex corporibus obsessis posse expelli; cum id historia sacra passim testetur. Sed quomodo illa expulsio peragatur, de eo non omnium eadem est sententia.

De modo expulsionis sententia aliorum. Alii enim putant per certa verba Diabolos posse fugari, vt si pronuncietur aliquoties nomen *Iesu* & recitetur formula exorcismi. Alii vero per certas res siue sacras, siue naturales; cuiusmodi sunt: 1, res consecratæ, v. g. aqua lustralis, sal, herbæ & cerei benedicti. 2, reliquiæ Sanctorum. 3, signum crucis. 4, figuræ & imagines alicui formatæ. 5, flagra & verbera. Qui priorem sententiam defendunt, illi præter experientiam vulgarem allegant ex veteri testamento citharam Dauidis, per cuius sonum Diabolus, qui Saulum vexabat, fuit profligatus; ex nouo testamento historiam sacram; quæ testatur per nomen *Iesu*, & per exorcismum aliquoties fuisse Diabolum profligatum.

Vtriusq; sententiæ argument. Qui posteriorem sententiam tuentur, illi similiter præter experientiam ex V. T. allegant 1, vim rerum consecratarum. 2, historiam ex 4. Reg. 13. vbi homo quidam defunctus narratur reuixisse, posteaquam cadauer eius in sepulchrum Elisæi prophetæ coniectum, ossa sanctissimi illius viri attigit.

3, histo-

3, historiam ex Tobiæ 4. de fumo excitato ex particula cordis & iecoris piscis carbonibus imposita à Tobia iuniore, quem angelus ait vim habere expellendi Dæmonium. Ex nouo testamento allegant 1, historiam de muliere hæmorrhousa, quæ sanata fuit per contactum fimbriæ in vestimento Christi. 2, historiam de sudariis seu semicinctiis Pauli Apostoli, quæ ad ægrotos delata narrantur profligasse Spiritus malos & morbos.

Cæterum vt veritas probl. rectius intelligatur, aliquot theoremata sunt obseruanda. 1, Nullam substantiam corpoream posse agere in substantiam incorpoream, eique vim aliquam inferre. Ideoque neque Diabolum virtute propria & naturali vllius substantiæ corporeæ expelli posse 2, Nullum hominem posse profligare Diabolum ex corpore obsesso, nisi virtute Dei vel immediate, vel mediate per hominem operantis: Ideoque non hominem esse causam efficientem principalem expulsionis Diabolicæ; sed tantum instrumentalem. 3, potestatem expellendi Diabolos fuisse in primitiua Ecclesia donum miraculosum & extraordinarium à Deo concessum Apostolis eiusque discipulis, ad doctrinæ Euangelicæ confirmationem: ideoque ex temeraria confidentia homines huius seculi illam sibi vendicare & vsurpare. 4, nullam vim Diaboli expultricem inesse vel verbis quocunq; modo recitatis & pronunciatis, vel rebus consecratis, vel reliquiis sanctorum, vel signo crucis, vel figuris & imaginibus, vel denique flagris & verberibus: Ideoque illos omnes, qui his mediis vtuntur ad profligandum Diabolum, esse homines superstitiosos ac impios, adeoque à Diabolo ipso spiritualiter obsessos, 5, Diabolos quandoque se simulare quasi ab exorcista superstitioso cogatur exire ex corpore obsesso; quandoque etiam reipsa vltro exire, vt ita eo magis homines dementet, & in impia sua superstitione confirmet.

Quæstio deciditur per theoremata. *I.* *II.* *III.* *IV.* *V.*

Restat igitur vt ad argumenta Aduersariorum supra allata breuiter respondeatur. Ac primum quidem dico experientiam, ad quam prouocant, esse valde lubricam & fallacem, vt patet ex quinto theoremate. 2, nusquam legi in Vet. Testam. aut Saulum fuisse à Diabolo corporaliter obsessum, aut Dauidem per pulsum citharæ Diabolum ex Saulo corporaliter profligasse; sed illam

Respons. ad argum. aduersariorum. *I.* *II.*

Sathanæ à Saulo recessionem intelligendam esse duntaxat spiritualiter de motibus turbulentis animi per citharæ sonum in Saulo sedatis.
III. 3, In N. T. Diabolos fuisse profligatos per nomen *Iesu* & exorcismum, non virtute verborum pronunciatorum, vt volunt homines superstitiosi, sed iussu & virtute Dei per Apostolos operantis.
IV. 4, rebus consecratis in V. T. per se nullam vim nisi typicam fuisse mundandi homines; per accidens vero quandoque ex singulari virtute Dei ad alia efficaces fuisse: Iam autem illam rerum consecrationem esse abrogatam,
V. non minus, ac alias ceremonias legis Mosaicæ. 5, resuscitationem mortui ad contactum ossium Elisæi factam, fuisse miraculum ab ipso Deo editum, ad veritatis confirmationem: Ideoque non ipsi contactui corporali os-
IV. sium esse asscribendam. 6, Dæmonem non fuisse profligatum per fumum ex iecore & corde piscis super carbones posito excitatum, sed per ipsum angelum bonum, vt patet ex cap. 8. v. 2. & 3. fumum autem tantum fuisse
VII. signum visibile illius expulsionis. 7, exemplum mulieris Hæmorrhousæ nihil valere ad probandam expulsionem corporalem Sathanæ; præsertim cum ille morbus curatus fuerit, non per contactum corporalem fimbriæ, sed
VIII. per contactum spiritualem Christi, qui fit vera fide. 8, Sudaria seu semicinctia Pauli per se nullam habuisse vim profligandi morbos & spiritus malos; sed Deo placuisse per eiusmodi media vilia & abiecta miracula edere, ad doctrinæ à Paulo prædicatæ confirmationem; ideoque Actor. 19. expresse Deus dicitur per manus Pauli virtutes edidisse.

34 *An Diabolus possit præstigiis suis fallere & deludere sensus hominis tam exteriores, quam interiores?*

Pro thesi affirmante. *Ratio I.* STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia Diabolus potest obiicere sensibus nostris exterioribus sensilia plane ficta & apparentia, quæ reuera talia non sunt, qualia esse videntur, vt cum effingit simulachra, vel aurum, vel dapes, vel homines vel alia res re-
II. præsentantia. 2, quia vera sensilia alio modo obiicere potest sensibus nostris exterioribus, quam reuera sunt.
III. 3, quia ex veris sensilibus vnum subito potest occultare vel subtrahere, & statim in eius locum substituere & subii-

cere

cere ſenſile aliud, ita vt homo putet, ſenſile aliquod euanuiſſe, aut vnum in alterum eſſe reuera mutatum. 4, quia media per quæ ſpecies ſenſiles deferuntur ad ſenſoria, poteſt alterare, ita vt ſenſilia non ſub vera & propria, ſed ſub ficta & aliena ſpecie ſenſibus exterioribus occurrant. 5, quia ipſa ſenſoria poteſt alterare per humorum & ſpirituum animalium, tum perturbationem, tum immutationem, ita vt homo aut plane non ſentiat, aut aliter quam par eſt, ſentiat ea quæ ſenſibus obiiciuntur. 6, quia poteſt deprauare tam ſenſum communem, quam phantaſiam, partim per intrinſecam veterum aut nouorum phantaſmatum obiectionem; partim per eorundem inter ſe confuſionem, ita vt homo non tantum dormiens, ſed etiam vigilans ſentire extrinſecus credat, quæ reuera non ſentit. Interim hoc etiam ſciendum eſt, Diabolum maiorem poteſtatem habere deludendi ſenſus impiorum, quam piorum.

IV. *V.* *VI.* *Obſeruatio.*

35 *An Diabolus poſſit ventos, pluuias, grandines & tempeſtates excitare, & quomodo?*

SEntentia affirmatiua probl. videtur ſimpliciter negari non poſſe, cum præter communem experientiam etiam hiſtoria Iobi eam comprobet, & alibi poteſtas aeris Diabolo attribuatur. Sed tota difficultas in eo eſt ſita, quomodo Diabolus hæc opera queat efficere, *vtrum immediate ſine cauſis naturalibus, an vero mediate per cauſas naturales.* Similiter, *vtrum ex plena & naturali liberi arbitrii poteſtate, an vero ſaltem ex permiſſione Dei, ſeu ex poteſtate à Deo ſibi extra ordinem ad tempus conceſſa.* Vt igitur difficultas illa tollatur, & veritas luculentior appareat, obſeruanda ſunt ſequentia tria theoremata: 1, *Diabolum non poſſe excitare vel ventos, pluuias, grandines, vel tempeſtates immediate, hoc eſt, ſine cauſis naturalibus, quæ ad illorum effectorum generationem ex ordinatione Dei ſunt neceſſariæ; poſſe autem mediate*, hoc eſt, per cauſas naturales, quatenus vapores & nubes ex vaporibus generatos ab vno loco in alium transfert, virtutemque efficientium naturalium promouet. 2, *Diabolum hæc opera præſtare non poſſe ex plena liberi arbitrii ſui poteſtate; ſed duntaxat ex permiſſione Dei, ſeu ex poteſtate à Deo ſibi extra ordinem, ad tempus conceſſa.* 3, *Diabolum non poſſe illis mediis, quæ ipſe Lamiis præſcribit, vel ventum, vel pluuiam, vel gran-*

Theſis affir. defenditur. *De modo eſt controuerſia.* *Modus explicatur per theorem.* *I.* *II.* *III.*

dinem vel tempestatem ullam excitare: Ideoque miseras mulierculas ab ipso per eiusmodi mediorum fictorum præscriptionem duntaxat dementari ac deludi.

36 *An Diabolus possit vera miracula edere?*

Pro thesi neg. *Ratio I.* Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia vera miracula sunt opera præter ordinem totius naturæ creatæ facta; ideoque non fiunt nisi virtute Dei, vel immediate, vel mediate per creaturas operantis. *II.* 2, quia vera miracula fiunt propter nullum alium finem, quam ad veritatis cœlestis confirmationem & gloriæ diuinæ illustrationem. Omnia autem mirabilia opera Diaboli fiunt in falsitatis & superstitionis confirmationem, gloriæque diuinæ obscurationem. *III.* 3, Quia vera miracula semper talia sunt, qualia videntur, Diaboli autem opera non semper talia sunt, qualia videntur.

...us po... ...lsa mi... ...ia edere. Interim non negamus Diabolum virtute propria posse falsa miracula edere: siquidem quædam opera ab ipso vel immediate, vel mediate per creaturas proficiscuntur, quæ fiunt præter communem & vsitatum naturæ ordinem, summamque admirationem apud homines, præsertim eos, qui causas illorum ignorant, excitant; cuiusmodi sunt; 1, falsa & præstigiosa metamorphosis seu trāsmutatio creaturarum. 2, falsa & præstigiosa excitatio mortuorum. 3, incessus & loquela statuarum. 4, reciprocus fluxus fluuiorum. 5, aquarum in cibro retentio. 6, miraculosa sanatio quorundam morborum per remedia naturalia nobis ignota.

37 *An diaboli sint autores spectrorum & tumultuum nocturnorum homines terrificantium?*

NOn tantum historia, sed etiam communis experientia multorum hominum restatur, noctu quandoque spectra apparere repręsentantia vel exercitum militarem, vel pompam funebrem, vel candelam accensam, vel laternam fulgentem, vel loculum hominis sepeliendi, vel id genus alia: sed etiam tumultus insolitos audiri, qui sonum vel asseris è loco aliquo delapsi, vel claui magni vi in loculum alicuius mortui impellendi, vel eiulantis, vel alterius corporis sonori referunt. Verum de causa efficiente horum spectrorum & tumultuum, non est eadem

dem omnium hominum sententia. Quidam enim hæc effecta asscribunt animabus mortuorum hominum, ex purgatorio ad nos redeuntium. Quæ sententia simpliciter est reiicienda; cum purgatorium Pontificium sit merum hominum commentum, ex superstitiosa credulitate ab Ethnicis ad nos vsque delatum: & ex sacris literis certum sit, animas piorum à corpore separatas, recta tendere in cœlum beatorum, impiorum vero, in infernum, neque reuerti, donec cum corporibus iterum sunt vniendæ. Idcirco alii sunt, qui hæc effecta à bonis angelis proficisci arbitrantur, propterea, quod eiusmodi spectris ac tumultibus homines de vitæ suæ fine admoneantur, & ad maturam mortis præparationem excitentur. *Diuersa aliorum sententia recens.* *I. Refutatur prima.* *II.*

Sed neque hæc sententia videtur esse approbanda & admittenda; tum, quia nusquam in sacris literis legitur, quod Deus per eiusmodi spectra & tumultus nocturnos ab angelis bonis excitatos, velit homines de vitæ suæ fine admonere, & ad mortis præparationem excitare; tum, quia eiusmodi spectra & tumultus ab ipsis morituris rarissime videntur & audiuntur; sæpissime vero ab aliis, præsertim impiis & superstitiosis hominibus; tum quia eiusmodi spectra ac tumultus terrorem hominibus incutiunt & fiduciam in Dei auxilio collocandam aut plane eripiunt, aut saltem imminuunt; tum denique quia impiorum hominum exitus frequentius, quam piorum præcedunt. *Refutatur secunda sentẽ.* *Ratio I.* *II.* *III.* *IV.*

Hinc igitur alii reperiuntur, qui statuunt hæc effecta à Diabolis originem habere: quippe quæ nihil aliud quærant, quam vt homines suis terriculamentis deludant, delusosque à vero Dei cultu abstrahant, & in superstitione impia confirment. Hunc autem finem & scopum, præter alia à se excogitata media, commode assequi possunt per eiusmodi spectrorum & tumultuum nocturnorum excitationem. Hæc enim terriculamenta homines superstitiosi credunt esse certa signa prognostica, tum aliarum rerum, tum funeris breui futuri: Et sic spem boni à Deo impetrandi, præsertim vitæ à Deo propagandæ, sibi ac aliis adimunt, & in eius locum perpetuum metum ac mœrorem, ex consideratione subsecuturi mali, quod sibi imaginantur, substituunt, & *Tertia sent. exponitur & approb.*

tandem salutem animarum tam suam quam alienam in extrema pericula coniiciunt. Proinde hæc vltima sententia videtur veritati maxime consentanea, meritoque amplectenda.

De Forma substantiali, CAP. V.

THEOREMATA.

1 *Sic de angelo, qui ab aliis præsertim Philosophis antiquis, modo dicitur genius, modo dæmon, modo intelligentia. Sequitur forma substantialis, quæ est Spiritus à Deo creatus in hunc finem, vt cum materia vnitus informet corpus naturale.*

2 *Estque vel natura, vel anima.*

3 *Natura est substantia incorporea ad informandum corpus naturale inanimatum destinata.*

4 *Anima est substantia incorporea, ad informandum corpus naturale animatum destinata.*

5 *Eaque vel est irrationalis, vel rationalis.*

6 *Irrationalis anima est Spiritus brutus, qui extra corpus organicum seorsum subsistere nequit.*

7 *Eius species principales & nominatæ, sunt anima vegetans & sentiens.*

8 *Anima vegetans est, quæ informationi corporis viuentis, quatenus est viuens, est destinata.*

9 *Anima sentiens est, quæ informationi animalis, quatenus est animal, est destinata.*

10 *Rationalis anima est Spiritus intelligens, extra corpus humanum, cum quo naturaliter vnitur, subsistere potest.*

IN CAPVT QVINTVM

PROBLEMA I.

An detur forma substantialis?

Ad constitutionem corp. natur præter materiam requiritur forma.

SEnsus problematis est, *vtrum detur substantia aliqua, quæ respectiue considerata dicatur alterius substantiæ forma.* Ac thesis quidem affirmantis veritas inde patet, quod ad constitutionem corporis naturalis non satis est materia; sed præter materiam etiam necessario requiritur forma; tum, quia materia est receptaculum formæ; tum, quia essentialis & specifica distinctio corporum naturalium potissimum pendet à forma; tum denique, quia omnis facultas naturalis & congenita agendi à forma

Ratio I. *II.* *III.*

forma promanat, non à materia. Illa autem forma, quæ ad constitutionem corporis naturalis requiritur, non potest esse accidens, sed est substantia: 1, quia in ordine corporum naturalium forma non potest esse deterior & ignobilior suo formato. 2, quia nihil potest dare alteri esse substantiale, nisi sit substantia. 3, quia forma corporis naturalis debet esse in eadem categoria cum suo formato. 4, quia pars essentialis cuiusq; substantiæ naturalis est substantia. 5, quia forma corporis naturalis nobilior est eius materia: ideoq; si hæc est substantia, multo magis illa.

Forma corporis natura nō est accidens, at substātia. *Ratio I.* *II.* *III.* *IV.* *V.*

Cum igitur hæc omnia ita sese habeant, necessario concluditur, dari formam substantialem, seu quod idem est, dari aliquam substantiam, quæ respectiue considerata, dicatur alterius substantiæ forma. Atq; hoc etiam claris verbis testatur Aristoteles. Nam in lib. 2. De anima cap. 1. ab initio, & cap. 2. sub finem, tres substantiæ species recenset, quarum primam vocat *materiam*; alteram, *formam*, tertiam, *compositam ex materia & forma*. Idem lib. 7. Metaph. cap. 1. & 2. & in 2. libr. Phys. auscult. cap. 1. docet, corpus naturale componi ex duabus substantiis, quarum vnam vocat materiam, alteram formam: Et hanc quidem nobiliorem naturam esse ait, quam illam; quippe quæ præcipuum sit rerum naturalium principium.

Conclusio. *Testim. Aristot.*

2 *Vtrum forma substantialis sit substantia incorporea, an corporea?*

SVnt multi Philosophi, qui statuunt, formas substantiales alias esse incorporeas, alias corporeas. Et hoc probant: 1, ex vulgata illa diuisione formarum, qua aliæ dicuntur, ἔνυλοι, hoc est, *materiales*, aliæ ἄυλοι, hoc est, *immateriales*. 2, ex inductione exemplorum: quia formæ elementorum, mixtorum, plantarum & bestiarum sunt corporeæ; formæ autem humanæ, puta, animæ rationales sunt incorporeæ.

Sententia aliorum exponitur & reiicitur.

Verum hæc sententia, vtut à multis approbetur; tamen videtur esse reiicienda. Omnis siquidem forma substantialis est substantia incorporea, & nulla corporea: idque probatur his rationibus: 1, quia nulla forma substantialis per se est sensilis, sed omnis insensilis. 2. quia omnis forma substantialis est expers magnitudinis extensiuæ

Omnis forma substantialis est substantia incorporea. *Ratio I.* *II.*

III. & partium, & sic indiuisibilis ac impartibilis. 3, quia omnis forma substantialis est in loco sine certi spatii lo-
IV. calis occupatione & repletione. 4, quia nulla forma substantialis ad certum aliquod genus substantiæ corporeæ referri potest.

Quod igitur ad distributionem formarum substantialium attinet, in *materiales* & *immateriales*, dico sensum illius posse esse duplicem; vel quod formæ substantiales aliæ constent ex materia; aliæ non: vel, quod formæ substantiales aliæ ita sint immersæ materiæ, vt extra eam nunquam actu subsistere possint; aliæ vero ita cùm materia sint vnitæ, vt corrupto toto composito, extra eam actu subsistere valeant. In priore sensu distributio est falsa; in posteriori vera.

3 *An vlla forma substantialis generetur?*

Prothesis neg. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia
Ratio I. nulla substantia incorporea generatur, vt supra cap. 4. Probl. 2. probauimus. Omnis autem forma substantialis est substantia incorporea, vt patet ex præcedente
II. problem. 2, quia quicquid generatur, generatur ex aliqua materia. Nulla autem forma substantialis generatur ex aliqua materia. Hæc enim aut esset substantia, aut accidens. Sed accidens esse non potest. Impossibile enim est ex accidente produci substantiam. Neque substantia esse potest: Hæc enim aut esset incorporea, aut corporea. Sed corporea esse non potest, cum impossibile sit ex corporea substantia generari incorpoream. Neque incorporea esse potest, cum nullus verus ostendi modus possit, quo substantia incorporea, ex alia incorporea ge-
III. nerari queat. 3, quia quicquid generatur, producitur à substantia aliqua corporea. Nulla autem forma substantialis produci potest à substantia aliqua corporea; cum sit substantia incorporea. Impossibile enim est substan-
IV. tiam incorpoream produci à corporea. 4, quicquid à Deo ex nihilo creatur, id non generatur. Atqui omnis forma substantialis à Deo ex nihilo creatur; cum sit substantia incorporea, cuius proprium est ex nihilo produci, vt supra cap. 4. Pr. 2 probatum fuit. Concludimus igi-
Testim. Phil. tur nullam formam substantialem generari. Et hanc sententiam etiam amplectuntur multi præstantissimi Philoso-

losophi, in quorum numero sunt ex veteribus Aristoteles lib. 11. Metaph. cap. 3. Philoponus, Alexander Aphrodisæus; ex recentioribus Bodinus in Theatro naturæ lib. 1. pag. 64. Freig. lib. 2. de cosmopœia q. de causa formali mundi, Fernelius in lib. de abditis rerum causis, &c.

4 *An forma substantialis alia sit simplex, alia composita?*

REperiuntur nonnulli Philosophi, qui corporum quidem cœlestium & elementorum formas statuunt esse simplices; propterea quod materia illorum sit simplex; mixtorum vero formas asserunt ex aliis formis esse compositas, propterea, quod materia ipsorum ex alia materia sit composita. Sed hæc sententia nullo modo potest admitti; siquidem omnis forma substantialis est simplex, & nulla ex aliis formis composita: tum, quia nulla substantia incorporea composita est ex aliis substantiis; tum, quia omnis substantia incorporea est indiuisibilis & impartibilis. Hinc etiam Fernelius libro 1. De abditis rerum causis, cap. 3. ridiculum esse ait formam perinde atque subiectum corpus ex partium differentium nexu compositioneque constare.

Sententia aliorum exponitur.

Omnis forma substan. est simplex.

5 *An forma substantialis recte distribuatur in naturam & animam?*

CVm omne corpus naturale habeat formam substantialem; illud vero vel sit inanimatum, vel animatum, idcirco necesse est vt forma substantialis alia sit corporis inanimati, alia animati. Prior à nobis dicitur *Natura*; posterior, *anima*. Etsi vero vocabulum *natura*, pro forma substantiali acceptum alias ita generale est, vt animam etiam suo ambitu complectatur; tamen doctrinæ distinctioris gratia per synecdochen generis hoc loco à nobis ad specialiorem significationem restringitur, ita vt sumatur pro certa specie formæ substantialis, nimirum ea, quæ informat corpus inanimatum, quæque opponitur animæ. Neque hoc factum iure potest ab vllo Philosopho sani iudicii reprehendi; cum propter inopiam vocabulorum propriorum sæpe ad notificationem eorundem sit confugiendum, & loco propriorum, quæ desunt, impropriis seu tropicis vtendum.

Thesis affir. defenditur.

Prolepsis.

6 *An ulla anima sit substantia corporea?*

Pro thesi negante. Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt; *Ratio I.* 1, quia nulla forma substantialis est substantia corporea, vt patet ex Problemate 2. supra tradito. Omnis autem anima est forma substantialis. *II.* 2, quia omnis substantia corporea vel est inanimata vel animata. Nulla autem anima vel est inanimata vel animata, vt patet ex inductione *III.* specierum cuiusque generis. 3, quia omnis substantia corporea habet trinam dimensionem, longitudinem, latitudinem & profunditatem. Nulla autem anima habet trinam dimensionem; cum neque sit longa, neque lata, *IV.* neque profunda. 4, quia omnis substantia corporea est per se diuisibilis in partes integrantes. Nulla autem anima *V.* est diuisibilis in partes integrantes. 5, Idem restatur Aristot. lib. 2. de anima, cap. 1. vbi expresse negat, animam, quam ibi generaliter considerat, esse corpus. Et cap. 2. sub finem videtur approbare sententiam eorum, qui putant *animam neque esse sine corpore neq; corpus esse*, & postea subiicit, *animam ipsam corpus quidem non esse, tamen aliquid corporis esse, & propterea in corpore existere.* Huic astipulatur Thomas in p. 1. S. T. q. 75. art. 1. vbi inquit: *Anima, quæ est principium vitæ, non est corpus, sed corporis actus.* *Error. alior. taxatur.* Proinde errant illi, qui animam vegetantem & sentientem, reliquasque plantarum & bestiarum proprias, statuunt esse substantias corporeas.

7 *An anima sit ex traduce?*

Thesis negatiua defend. De hoc Problemate tres reperiuntur generales Philosophorum sententiæ. Alii enim asserunt omnes simpliciter animas oriri ex traduce. Alii animam rationalem excipiunt, reliquas vero omnes ex traduce oriri statuunt. Alii denique, nullam simpliciter animam ex traduce oriri autumant. Sed quia illæ diuersæ sententiæ fuse à nobis explanatæ & excussæ sunt in Physicis, non opus esse arbitror hoc loco de iisdem prolixe agere. Pro vltima igitur sententia, quæ veritati maxime est consentanea, obseruentur tria sequentia argumenta. *Ratio I.* 1, *Nulla substantia incorporea oritur ex traduce.* Per traducem enim nihil aliud intelligitur, quam semen. *Ex semine autem, quæ est substantia corporea, non potest oriri, nisi substantia corporea, non autem incorporea.* Cum igitur anima sit substan-

tia

tia incorporea, vt patet ex Probl. 2. & 6. huius capitis, *sequitur animam non oriri ex traduce.* 2, *Quicquid oritur ex traduce, id producitur per generationem: Atqui nulla anima producitur per generationem: tum, quia est substantia incorporea; tum, quia est forma substantialis.* 3, *Quicquid à Deo ex nihilo creatur, id non oritur ex traduce: Atqui omnis anima à Deo ex nihilo creatur; tum, quia est substantia incorporea: tum, quia est forma substantialis. Proinde concludo nullam animam oriri ex traduce.* II. III.

8 *An anima sufficienter distribuatur in vegetantem, sentientem & rationalem?*

Nihil vsitatius est in Schola Philosophorum, quàm distinctio illa animæ in *vegetantem, sentientem,* & *rationalem.* Sed si quis inde velit colligere non dari plures animarum species quam tres illas enumeratas, is profectò grauissime hallucinabitur. Nam præterquam, quod anima specifica plantæ & bestiæ in illa distributione est omissa; dantur etiã multæ aliæ species animarum. Quælibet enim species plantæ & bestiæ præter animam generis propriam, habet etiam suam peculiarem & specificam animam, à qua vltimam & essentialem perfectionem assequitur, & essentialiter ab omnibus aliis speciebus, siue eiusdem, siue diuersi generis discernitur, ex. gr. Leo, præter animã vegetantem, sentientem & bestialem, habet etiam animam peculiarem, per quam est Leo, & essentialiter ab equo, asino, ceruo, tauro, &c. discernitur. Similiter pirus præter animam vegetantem & plantalem habet etiam animam peculiarem, per quam est pirus & essentialiter ab aliis plantæ speciebus distinguitur. Quod autem Aristoteles & alii Philosophi tantum mentionem faciunt animæ vegetantis, sentientis & rationalis, id fit propter duas potissimum causas. 1, quia reliquæ omnes animæ sunt ἄγνωστοι καὶ ἀνώνυμοι. 2, quia illarum tantum trium nominatarum facultas & operationes propriæ sub sensum cadunt, & à nobis manifeste ac distinctè cognoscuntur; reliquarum vero ignorantur & à communibus proprietatibus & facultatibus corporis viuentis & animalis non bene discerni possunt.

Thesis negatiua defend. I. II.

9 *An inter animas sola anima rationalis sit immortalis?*

Thesis affir. approb. IN Anthropologia nostra prolixe à nobis demonstrata est immortalitas animæ rationalis. Idcirco hoc loco tantum differetur, *utrum inter animas sola rationalis sit immortalis* Ac veritas quidem thesis affirmantis patet ex sequentibus argumentis.

Ratio I. 1, quia inter animas sola rationalis extra corpus subsistere potest.

II. 2, quia inter animas sola rationalis proxime ad similitudinem naturæ diuinæ accedit. Vnde Aristot. lib. 10. Ethic. cap. 1. & 8. ait *mentem esse diuinum quippiam & Deo maxime cognatum.*

III. 3, Quia inter animas sola rationalis separata à corpore, migrat vel in cœlum, vel in infernum; Reliquæ vero omnes separatæ à corporibus statim in nihilum abeunt.

10 *An anima rationalis habeat facultates & operationes realiter distinctas à facultatibus & operationibus hominis?*

Pro thesi affirmante. STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt:

Ratio I. 1, quia omnis substantia creata, siue incorporea siue corporea peculiares habet facultates & operationes; quibus ab aliis diuersæ speciei substantiis realiter discernitur: Ideoque etiam idem de anima rationali non est negandum.

II. 2, quia facultates & operationes hominis naturales profluunt ab anima rationali tanquam effecta à causa sua efficiente proxima; facultates autem & operationes animæ rationalis, aliunde promanant, nempe ab essentia ipsius animæ rationalis.

III. 3, quia anima rationalis separata à corpore retinet suas facultates & operationes, quas antea habebat sibi inhærentes, cum adhuc esset cum corpore vnita; Hominis autem facultates & operationes vna cum ipso homine intereunt.

IV. 4, quia quæcunque subiectis inhærentiæ differunt, illa realiter differunt; facultates autem & operationes animæ rationalis & hominis subiectis inhærentiæ differunt. Proinde inter se realiter differunt.

Error. aliorũ perstringuntur. Errant igitur illi, qui vitam, intellectum, & voluntatem animæ rationalis, cum vita, intellectu & voluntate hominis confundunt.

De

De Corporibus, Cap. VI.

Theoremata.

1 *Adhuc explicata est doctrina de Spiritu seu substantia incorporea. Consequens est, vt de corpore agamus, quod est substantia creata per se trina dimensione constans.*

2 *Eius affectiones sunt; 1, esse per se quantum & extensum in longum, latum & profundum. 2, esse mensurabile. 3, esse terminatum superficie. 4, habere per se figuram. 5, habere situm, ordinem & distantiam partium. 6, occupare & replere certum spatium locale 7, esse per se diuisibile in partes corporeas. 8, suscipere rationem termini localis à quo & ad quem. 9, esse per se sensile 10, esse alteri corpori continuum vel contiguum.*

3 *Estque vel immateriatum, vel materiatum.*

4 *Immateriatum est, quod ex nulla materia est productum.*

5 *Eius species sunt duæ, cœlum supremum, & materia prima.*

6 *Cœlum supremum, est corpus à Deo immediate ex nihilo creatum, vt sit spirituum, hominumque beatorum domicilium.*

7 *Eius proprium adiunctum est esse amplissimum, capacissimum, lucidissimum, in supremo mundi loco, super reliquos cœlos aspectabiles collocatum & firmatum.*

8 *Materia prima est corpus à Deo immediate ex nihilo creatum, vt sit principium primum materiale corporum naturalium.*

9 *Corpus materiatum est, quod ex materia aliqua est productum.*

10 *Estque vel naturale vel artificiale, quorum illud in physicis; hoc in aliis artibus, præsertim mechanicis, est considerandum.*

IN CAPVT SEXTVM

Problema I.

An omne corpus per se sit quantum?

Statuitur thesis affirmatiua, quatenus vocabulum *corporis* sumitur, non mathematice pro trina dimensione, sed Metaphysice pro certa specie substantiæ creatæ oppositæ spiritui seu substantiæ incorporeæ. Rationes *Pro thesi affirmante.* *Ratio*

I. ſunt: 1, quia omne corpus per ſe habet trinam dimenſionem, nempe longitudinem, latitudinem & profunditatem. Vnde Ariſtoteles lib.3.Phyſ.auſc.cap.5.ait: σῶμα ἐςὶ τὸ πάντῃ ἔχον διάστασιν, *corpus eſt, quod omni ex parte habet dimenſionem.* Et Zabarella lib.2.de materia prima, cap.17. *corpus de categoria ſubſtantia nihil aliud eſſe dicit, quam ſubſtantiam trinæ dimenſioni ſubiectam.*
II. 2, quia omne corpus per ſe eſt extenſum in longum, latum & profundum.
III. 3, quia omne corpus per ſe eſt diuiſibile in partes corporeas.
IV. 4, quia omne corpus per ſe habet certum ſitum & diſtantiam partium.
V. 5, quia omne corpus per ſe occupat & replet certum ſpatium locale.
VI. 6, quia omne corpus per ſe habet figuram.
VII. 7, quia omne corpus alteri eſt continuum vel contiguum.

2 *An poſſibile ſit, vt corpus aliquod ſine quantitate ad tempus exiſtat?*

Protheſi neg. STatuitur ſententia negatiua. Rationes ſunt: 1, quia
Ratio I. quantitas molis eſt proprietas eſſentialis corporis. Nihil autem poteſt vel ad momentum temporis exiſtere abſque proprietate eſſentiali.
II. 2, quia manifeſtam implicat contradictionem corporis ſine quantitate exiſtentia. Omne enim corpus eſt quantum: ideoque ſi corpus aliquod, ſine quantitate exiſteret, eſſet non quantum, & per conſequens, neque corpus, quod eſt abſurdum. Atque
Teſtim. Phil. hanc veritatem etiam agnouit Ariſtoteles. Idcirco lib. 1. De ortu & interitu, cap. 5. inquit, ἀδύνατον μέγεθος ὕλης εἶναι χωρὶς ὄν, hoc eſt, *impoſſibile eſt à magnitudine materiam eſſe ſeparabilem.* Cui etiam aſtipulatur Zabar.lib.2.De materia, cap.17. vbi ait, *neque poſſibile, neque excogitabile eſſe, vt corpus vllum de categoria ſubſtantiæ detur, quod dimenſiones non habeat.* Proinde grauiſſime errant illi, qui ſtatuunt corpus Chriſti in Euchariſtia ſiue ſub pane, ſiue ſub ſpeciebus panis, ſine quantitate realiter & corporaliter exiſtere.

3 *An omne corpus per ſe ſit finitum & circumſcriptum; nullum vero infinitum & incircumſcriptum?*

CVm omne corpus propriis terminis non tantum ſuæ eſſentiæ, ſed etiam ſuæ quantitatis contineatur & quaſi coerceatur, neceſſario ſtatuendum eſt omne corpus

pus per se esse finitum & circumscriptum; nullum autem simpliciter infinitum & incircumscriptum. Interim concedi potest, quoddam corpus per accidens posse dici infinitum & incircumscriptum duobus modis. 1, quatenus nullum extra se habet corpus, cuius terminis ambiatur. Quo modo cœlum extremum & supremum, quod per se est finitum & circumscriptum, per accidens dicitur infinitum & incircumscriptum. 2, quatenus ita est extensum vel in longitudinem, vel in latitudinem, vel in profunditatem, vt homo nullo sensu exteriore finem ac terminum quantitatis illius, quam tamen reuera habet, apprehendere possit. Quo modo mare, cuius fundum nauta explorare nequit, dicitur infinitum.

4 *An omne corpus per se in infinitum sit diuisibile?*

ETsi nullum corpus est, quod virtute naturæ creatæ vnquam fuerit actu in infinitum diuisum; neq; etiam possibile sit vt actu in infinitum diuidatur; tamen videtur negari non posse, omne corpus per se in infinitum esse diuisibile. Rationes sunt: 1, quia nullum corpus in tam minutas particulas secari potest, quin semper potentiam passiuam habeat ad suscipiendam vlteriorem diuisionem. 2, quia nullum corpus per sectionem resolui potest in non corpus. Quod si ergo omne corpus, quocunq; modo sectum fuerit, semper manet corpus, sequitur illud etiam manere quantum, &, per consequens, semper diuisibile; nisi velimus statuere quoddam quantum esse indiuisibile; quod tamen est absurdum & pugnat cum natura quanti; cum diuisibilitas sit proprietas essentialis quanti, & nullo tempore a quanto, salua manente ipsius essentia, abesse possit. *Thesis affir: defend.* *Ratio I.* *II.*

Sed contra hanc sententiam obiici potest: 1, vanam esse potentiam, quæ nunquam in actum traduci potest. 2, omnem magnitudinem posse resolui in punctū indiuisibile: Ideoque non esse in infinitum diuiduam. Respondeo ad primam obiectionem, illam esse veram de illa potentia, quæ propter actum tanquam finem alicui enti inest, non autem de illa, quæ ex absoluta naturæ necessitate inest, neque ad actum, tanquam finem est destinata; cuiusmodi sunt in angelis & animabus rationalibus; mutabilitas essentialis, itemque in corporibus potentia *Obiectio. I. II.* *Responsio ad obiect. I.*

II. passiua recipiendi semper vlteriorem diuisionem. Ad alteram respondeo, magnitudinem quidem νοητῶς resolui posse in punctum indiuisibile; sed realiter, præsertim per diuisionem non posse. Ideoque hoc respectu magnitudinem in infinitum diuiduam esse.

5 *An omne corpus sit in loco, & quomodo?*

Omne corpus est in loco. CVm omne corpus per se sit finitum & circumscriptum, siue essentiã ipsius spectes, siue quantitatem, negari non potest, omne corpus esse in loco, neque fieri potest vllo modo & respectu, vt corpus aliquod sit corpus, & tamen vel ad momentum temporis extra omnem locum existat. *Quomodo corpus sit in loco.* Sed quæritur, *quomodo corpus sit in loco?* Aristoteles in libro 4. Physicæ auscult. cap. 5. statim in principio ait: *Cui corpori est aliquod extra corpus continens ipsum, id est in loco; cui vero non est, id non est in loco* Ex quibus verbis apparet, Aristoteli dici corpus esse in loco circumscriptiue, quatenus ab alio corpore extrinsecus ambiente continetur. Et hoc etiam testatur definitio Aristotelica loci, in cap. 4 libri superius citati tradita: vbi *locus dicitur esse terminus corporis continentis immobilis primo.* At vero hæc sententia Aristotelis simpliciter non est vera. Licet enim omne corpus, quod cœlo supremo est subiectum, ab alio corpore extrinsecus ambiente contineatur; tamen de ipso cœlo supremo hoc affirmari non potest: quippe quod extra se nullum aliud corpus habet, cuius ambitu comprehendatur. Itaq; aut statuendum est quoddam corpus non esse in loco, quod est absurdum, & simpliciter impossibile; aut concedendum est, Aristotelem verum & essentialem modum, quo corpus est in loco, non attigisse Proinde relicta sententia Aristotelis *Omne corpus est in loco repletiue.* statuendum potius est, omne corpus esse in loco repletiue, quatenus sua mole occupat & replet certum spatium locale. Et hoc etiam inde patet; 1, quod omne corpus est *Ratio I.* quantum, & quatenus quantũ est extensum in longum, latum & profundum: & quatenus est extensum, habet certum situm & distantiam partium; ac proinde certum II. spacium locale replet ac occupat. 2, quod ad extensionem corporis locati etiam extendatur locus, ita vt quo maius, vel minus est corpus locatum, eo etiam maior & minor sit locus ab eo occupatus.

An simpliciter impossibilis sit penetratio duorum corporum, sine alterius cessione?

STatuitur ſententia affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia omne corpus eſt quantū, & quatenus quantum, eſt extenſum in longum, latum & profundum, & quatenus extenſum occupat & replet ſuis dimenſionibus certum ſpatium locale: Et, quatenus in illo ſpacio locali immobiliter permanet fieri nullo modo poteſt, vt ſimul aliud corpus in illud ſpacium ſibi commenſuratum, admittat. 2, quia penetratio corporum ſine eorum ceſſione tantum ſubſtantiis incorporeis competit, & quantitatis expertibus. Quod ſi ergo vnum corpus per aliud penetraret, ſine ipſius ceſſione, ſequeretur, corpus non eſſe corpus, ſed ſubſtantiam incorpoream, quantitatis expertem: quod abſurdum eſt, & manifeſtam implicat contradictionem. 3, quia omne corpus, quatenus eſt vnum, eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocunque alio. Ergo fieri non poteſt, vt vnum per alterum penetret ſine ipſius ceſſione. Illa enim penetratio efficeret, vt id corpus, quod penetrat, non eſſet realiter diuiſum ab eo per quod penetrat, &c. per conſequens, neque eſſet vnum. 4, quia ſi daretur penetratio duorum corporum ſine alterius ceſſione, ſequeretur, duo corpora ſimul & ſemel poſſe eſſe in vno proprio & adæquato loco. Sed conſequens eſt abſurdum, vt paulo poſt probabitur. Ergo etiam antecedens. Hinc etiam Damaſcenus lib. 1. orthodoxæ fidei, cap 3 ait: *ἀδύνατον σῶμα διὰ σωμάτων διήκειν μὴ τέμνον καὶ τεμνόμενον.*

Pro thesi affirmante. *Ratio I.* *II.* *III.* *IV.*

Errant igitur grauiſſime, qui ſtatuunt, corpus Chriſti vel per vterum Mariæ clauſum, vel per ſaxum ſepulchri, vel per ianuas clauſas penetraſſe, ſine illorum corporum ceſſione. Neque ipſos quicquam iuuat exemplum vel halituum in aerem aſcendentium, vel pluuiæ ex aere deſcendentis, vel venti per aerem delati, vel radiorum ſolarium per feneſtras penetrantium. Semper enim corpus tenue cedit craſſiori, in eiuſque locum ſuccedit corpus craſſius. Quod vero ad radios ſolares attinet, illi non ſunt corpora, ſed qualitates à luce in corpore perſpicuo productæ; ideoque ad præſens negotium, exemplum illud plane inconueniens eſt.

Error aliorū taxatur.

7 *An vnum corpus possit simul esse in pluribus locis?*

Pro thesi affirmante. SEntentiam affirmantem defendit Bellarminus in libro 3. de sacram. Eucharist. cap. 3. Argumenta ipsius

Ratio Bellar. sunt: 1, quia apud Deum omnia sunt possibilia: Ergo etiam apud Deum possibile est, vnum corpus esse simul in

I. pluribus locis, præsertim cum non implicet contradictionem. Illa enim, inquit, implicant contradictionem, quæ pugnant cum essentia rei, ita vt dicatur res esse, & non esse: At esse in loco, non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum & accidentarium. Nam vltimum cœlum, est verum corpus, & non est in loco: Ergo non repugnat essentiæ corporis esse in vno vel pluribus locis; cum sint omnia extrinseca, & posteriora ipsa corporis

II. essentia. 2, quia Christus cum Apostolo Paulo Act. 9. & 12. apparuit, fuit simul in summo cœlo, & in terra, siue in aere terræ vicino. Igitur vnum corpus in pluribus si-

III. mul locis esse potest. 3, quia patres docent, rem vnam

IV. posse esse simul in pluribus locis. 4, quia Deus cum sit res vna & simplicissima, atque indiuisibilis; tamen est simul in infinitis locis. Similiter anima rationalis tota est in qualibet corporis parte. Nihil igitur obstat vnitas corporis, quo minus etiam vnum corpus possit esse in pluri-

V. bus locis. 5, quia possibile est, 1. vt vna essentia sit in tribus personis. 2, vt vna Christi hypostasis sit in duabus naturis. 3, vt fiat resurrectio mortuorum. 4, vt aliquid fiat ex nihilo, & ex aliquo nihil. 5, vt æternitas tanquam vnum instans durationis, simul sit in diuersis corporibus. Ergo etiam possibile est, vt vnum corpus simul sit in pluribus locis; cum hoc videatur longe facilius, aut

VI. saltem æque facile, atque illa. 6, quia potest vnus locus capere duo corpora sibi adæquata simul, & tamen neque locus diuiditur in duo loca, neque corpora illa confunduntur in vnum corpus: Ergo poterit etiam vnum corpus replere duo loca, etiamsi nec ipsum corpus diuidatur in duo corpora, nec loca illa conueniant in vnum corpus. Consequentia videtur optima: quia ita se habet locatum ad locum, sicut locus ad locatum. Antecedens autem est certum, ex diuinæ scripturæ exemplis, de egressu corporis Christi ex sepulchro clauso, & aliis. Cæterum hæc sententia Bellarmini nullo modo admitti

potest,

poteſt, cum ſit falſa & abſurda propter rationes, quas ſupra lib. 2. c. 5. Probl. 6. attulimus, ad probandum, *nullam creaturam poſſe ſimul eſſe in pluribus locis.*

Itaque nihil aliud reſtat, quam vt ad argumenta ipſius breuiter reſpondeatur. In primo concedo, *Deo omnia eſſe poſſibilia, quæ non implicant contradictionem:* Sed nego πολυτοπίαν vnius corporis non implicare contradictionem. Non enim id tantum implicat contradictionem, quod pugnat cum eſſentia rei, ſed etiam quod pugnat cum proprietatibus eſſentialibus rei, quæ cum eſſentia indiuiduo nexu cohærent. Ac licet eſſe in loco non ſit de eſſentia corporis, eſt tamen proprietas eſſentialis corporis, quæ ab eo abeſſe non poteſt, ſalua ipſius eſſentia. Itaque falſum eſt, quod Bellarminus ait: 1, eſſe in loco eſſe quid extrinſecum & accidentarium. Deinde vltimum cœlum non eſſe in loco. In ſecundo nego Chriſtum, cum Paulo Act. 9. & 12. apparuit, fuiſſe ſimul corpore ſuo in ſummo cœlo, & in terra, ſiue in aere terræ vicino. Id enim, præterquam quod cum natura veri corporis pugnat, etiam ex textu hiſtoriæ ſacræ nullo modo poteſt probari. Licet enim concedatur, Paulum Chriſtum vidiſſe eo tempore, inde tamen non ſequitur, quod in terra, vel in aere ſibi corporaliter aſtantem viderit; cum potuerit ipſum videre, vel ſpiritualiter; vel corporaliter quidem, ſed vel in ſpecie aliqua corporea & lucida apparentem, vel in cœlo corporaliter exiſtentem, & ſecum colloquentem. In tertio argumento nego, vllum ex orthodoxis patribus affirmare, *vnum corpus poſſe eſſe in pluribus locis:* ac etiamſi quidam reperirentur, qui hoc affirmarent; argumentum tamen ab autoritate humana petitum eſt nimis infirmum ad probandam theſin, quæ rationi omnino eſt abſurda. In quarto nego, 1, Deum eſſe proprie vel in vno, vel in pluribus locis. Eſt enim infinitus & vbique: Quod autem infinitum & vbique eſt, id proprie non eſt locale, vt alibi à nobis fuit probatum. 2, Nego, animam eſſe totam ſimul in qualibet parte corporis, quemadmodũ in phyſicis à nobis fuit demonſtratum. In quinto argum. nego ex antecedente ſequi conſequens. Illud etiam nullam implicat cõtradictionem, hoc vero implicat; ideoque neq; facilius eſt, neque æque facile, quam illud. In ſexto argumento, primo falſum eſt an-

Refut. argu. Bellarm. — I. — II. — III. — IV. — *lib. 2. cap. 5. Q. 2.* — V. — VI.

tecedens, neque ex S. S. vere potest probari. Deinde etiam consequentia est vitiosa. Non enim simpliciter ita se se habet locatum ad locum, sicut locus ad locatum, sed tantum secundum quid. Concludo igitur, *nullum corpus posse simul esse in pluribus locis:* cui etiam conclusioni inscius & ab ipsa veritate quasi coactus astipulatur ipse Bellarminus, dum in eodem capite supra citato ait: *Non posse nos cogitare rem vnam in diuersis locis, nisi cogitemus, aut loca illa fieri vnum locum, aut rem vnam diuidi in plures.*

8 *An duo corpora simul possint esse in vno loco sibi adæquato?*

Pro thesi negante.
Ratio I.

STatuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, quia existentia duorum corporum in vno loco pugnat cum proprietatibus essentialibus corporis; euiusmodi sunt. 1, esse quantum & extensum. 2, habere certum ordinem, situm ac distantiam. 3, occupare certum spatium locale. 4, non pati secum aliud corpus in eodem loco sibi adæquato: Et, per consequens, si localiter moueatur, extrudere seu expellere aliud corpus ex suo loco.

II. 2, quia si duo corpora possent simul esse in vno loco sibi adæquato, sequeretur inde, posse dari penetrationem duorum corporum sine alterius cessione; quam tamen omnes saniores Philosophi, tanquam impossibile reiiciunt & auersantur, propter rationes supra Pr. 6 allatas.

III. 3, quia sicut vnum corpus non potest esse in duobus locis sibi adæquatis, sed tantum in vno; ita duo corpora non possunt esse in vno loco, sed in duobus. Semper enim vnitas corporis requirit vnitatem loci, & vnitas loci vnitatem corporis: sicut contra, diuersitas corporis requirit diuersitatem loci; & diuersitas loci diuersitatem corporum. Idem testatur Arist. lib. 4. Phys. auscult. cap. 5. 6. 8. & alibi, vbi expresse inquit, *impossibile esse, vt duo corpora sint in eodem loco.*

Testim. Phil.

Cui etiam astipulatur Thomas in summa Theolog. parr. 1. quæst. 76. art. 4. vbi ait: *Diuersa corpora non posse esse in eodem loco.*

9 *An corpus possit esse alicubi, sine certi spatii localis occupatione?*

Pro thesi affirmante.
Ratio Bellarmin.

SEntentiam affirmantem defendit Bellarminus libro 3. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 6. vbi ponit expresse thesin hanc, *Posse corpus alicubi esse, & locum non occupare.*

Argu-

Argumenta ipsius sunt hæc: 1, quia apud Deum omnia sunt possibilia, quæ non implicant contradictionem. Corpus autem esse alicubi, & non occupare locum, non implicat contradictionem. Nam id est implicare, repugnare essentiæ; non autem repugnat essentiæ magnitudinis, non occupare locum, cum id sit posterius magnitudine. Prius enim res in se magna est & apta replere locum; deinde replet locum. Nihil autem posterius est de essentia prioris. 2, quia Deo possibile est, vt camelus transeat per foramen acus; ergo etiam possibile est vt corpus sit alicubi, & locum non occupet. Non enim potest camelus transire per foramen acus, nisi locum non occupando, alioquin maius esset minus suo minori. Antecedens autem probatur à Christo Matth. 19. Marci 10. & Luc. 18. vbi ait: *facilius est, camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in cœlorum regnum.* Et cum Apostoli dicerent, *quis ergo potest fieri saluus?* respondet Dominus, *hoc apud homines impossibile est: apud Deum autem omnia sunt possibilia.* Vbi Dominus cum dicit, *possibile esse Deo, id quod difficilius, significat etiam possibile esse id, quod facilius. Facilius autem esse dicit, vt transeat camelus per foramen acus, quam vt diues,* &c. Si Christus suo corpore transiuit per ianuas clausas, per vterum Mariæ clausum, per monimentum clausum, per cœlum, non occupando locum, sequitur corpus posse esse alicubi sine spatii localis occupatione. Sed verum prius secundum scripturas: Ergo & posterius. 4, Si Deus potest efficere, vt graue non ponderet, coloratum non videatur, lucidum non luceat, calidum non calefaciat, sequitur illum etiam posse efficere, vt corpus quantum non occupet locum. Non enim magis conuenit corpori quanto occupare locum, quam graui ponderare, colorato, videri, lucido, lucere, calido, calefacere. Sed verum prius: Ergo & posterius.

I.

II.

III.

IV.

Cæterum hæc sententia Bellarmini est falsa & absurda propter sequentes rationes: 1, quia omne corpus est in loco repletiue, hoc est, occupat & replet certum spatium locale, vt supra Probl. 5. probatum fuit. 2, quia pugnat cum natura veri corporis esse alicubi, neque tamen propter suarum dimensionum extensionem occupare & replere certum spatium locale. Siquidem occupatio certi spatii localis, est proprietas essentialis omnis corporis, &

Refutatur sent. Bellar. I. II.

necessario fluit ab extensione dimensionum illius, tanquam effectum à sua causa efficiente proxima. Vnde etiam August. ait in Epistola 57. ad Dardanum: *Spatia locorum tolle à corporibus & nusquam erunt, & quia nusquam erunt nec erunt.* Et Bellarminus ipse libro 3. De Sacramento Eucharist. cap. 7. ait; *extendi in loco, est effectus formalis extensionis in se:* Ideo enim potest aliquid extendi in
III. loco, quia in se est extensum. 3, quia solius substantiæ incorporeæ proprietas est essentialis, esse alicubi, & tamen certum spatium locale non occupare & replere, cum sit omnis quantitatis extensiuæ expers. Et hoc etiam testatur Bellarminus in cap. supra citato: Non potest Spiritus indiuisibilis in se, extendi in loco, quia per hoc poneretur effectus formalis sine causa, & posterius sine priore; quod fieri nequit. Ideoque hoc idem nulli corpori attribui potest, nisi velimus ex corpore facere non corpus. Hinc quidam ex Theologis scite argumentantur sic: *si non potest vllo modo Spiritus indiuisibilis existere per modum corporis diuisibiliter & extense: Ergo nec potest corpus diuisibile existere vllo modo per modum Spiritus in-*
IV. *diuisibiliter & inextense.* 4, quia si corpus aliquod esset alicubi, neque tamen spatium locale occuparet & repleret, sequeretur inde: 1, illud non esse extensum in longum, latum & profundum, neque certum habere ordinem, situm ac partium distantiam, &, per consequens, neque esse quantum. 2, corpus trium cubitorum posse esse sub dimensionib corporis vnius digiti, &, per consequens, idem corpus maius & minus esse posse, respectu eiusdem. 3, vnam partem corporis non distare ab alia parte secundum maius & minus; cum distantia maior & minor sine relatione ad locum intelligi nequeat, & illa magis vel minus distent inter se, inter quæ maius vel minus internallum est intercedens.

R. ad argum. Bellarm. Quod igitur ad argumenta Bellarmini attinet, in primo nego assumptionem. Nam, vt ante dictum fuit, non id tantum implicat contradictionem, quod repugnat
I. essentiæ; sed etiam id, quod repugnat proprietatibus
II. essentialibus. In secundo argumento etiam nego assumptionem. Quicquid enim implicat contradictionem, Deo est impossibile. Camelum autem manere camelum, & tamen transire per foramen acus, locum
non

non occupando, implicat contradictionem; quia pugnat cum proprietatibus essentialibus cameli: Ergo Deo est impossibile. Neque, quia Christus dicit, *facilius est, camelum transire per foramen acus, quam diuitem introire in regnum Dei*, inde sequitur, prius esse possibile, quia posterius est possibile. Est enim in illis verbis Christi hyperbolica exaggeratio difficultatis, quæ in saluando diuite cernitur; ac perinde sese habet, ac si præceptor dicat ad discipulum stupidum, ignarum & immorigerum; facilius est, vt asinus discat cithara ludere, quam vt tu euadas doctus; facilius est lapidem permoueri bonis admonitionibus, quam te. Sed inde non sequitur, si possibile est, discipulum stupidum, ignauum & immorigerum, tandem adhibita morum correctione, euadere doctum, & permoueri admonitionibus præceptoris, propterea etiam possibile esse, vt asinus discat cithara ludere, aut, vt lapis permoueatur bonis admonitionibus præceptoris. In tertio argumento assumptio est falsissima, neque ex sacra Scriptura vllo modo potest probari; ideoque eadem facilitate reiicitur, qua profertur. In quarto argumento vera falsis sunt admixta. Nam 1. verum est, corpori non magis conuenire occupare locum; quam lucido lucere, & calido calefacere. Est enim in singulis hisce exemplis necessarius & inseparabilis nexus; ideoque cum sine contradictionis implicatione separari non possint, sequitur nullum Deo possibile esse. Falsum vero est, quod corpori non magis conueniat occupare locum, quam graui ponderare, & colorato videri. Non enim est accidens necessarium & inseparabile grauis ponderare, & colorati videri, sed accidens contingens, & separabile. Ideoque licet sine contradictionis implicatione graue possit non ponderare, coloratum non videri, inde tamen non sequitur, quod pari ratione etiam corpus non possit occupare locum. Errant igitur illi, qui statuunt in Eucharistia corpus Christi realiter & corporaliter existere, sed tamen spacium locale non occupare.

III.

Error aliorũ taxatur.

10 *An omne corpus per se sit diuisibile in partes integrantes?*

STatuitur sententia affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia omne corpus per se est quantum; quiequid autem per se est quantum, id est etiam per se diuisibile in

Pro thesi affirmante.

Ratio I.

partes integrantes. Hinc Aristot. lib. 5. Metaphys. cap. 13. inquit: *Quantum dicitur, quod in partes existentes diuisibile est.*
II. 2, Quia omnis spiritus per se est indiuisibilis in partes integrantes; Ergo cum contrariorum sit contraria ratio, sequitur omne corpus per se esse diuisibile in
III. partes integrantes. 3, Quia nulla proprietas essentialis potest abesse ab eo, cuius est proprietas. Cum igitur proprietas essentialis corporis sit, per se esse diuisibile in partes integrantes, sequitur, illam à nullo corpore abesse posse. Proinde errant, qui statuunt, posse aliquod dari corpus indiuisibile per se: Quicquid enim tale est, id nequit esse corpus.

Error aliorũ taxatur.

11 *An omne corpus habeat figuram, & quomodo?*

Thesis affir. defenditur.

QVum figura proprie dicta nihil aliud sit, quam qualitas externa, orta ex quantitatis dispositione, sequitur omne corpus habere figuram; tum, quia per se est quantum; tum, quia per se ordinem & situm habet partium; tum, quia terminatum est superficie, in qua figura maxime apparet. Verum sciendum est, non omne corpus semper certam ac determinatam habere figuram. Liquida enim corpora figuras varias accipiunt à terminis corporum solidorum, quibus continentur. Solida vero corpora quam plurima varias figuras accipiunt, partim à natura, partim ab arte illa disponente & alterante.

Notatio.

12 *An omne corpus per se sit sensile?*

Thesis affir. defend.

CVm omne corpus sua natura ita sit comparatum, vt possit ex se producere speciem sensilem, eamque ad sensorium siue proprium, siue commune transmittere, sequitur necessario omne corpus per se esse sensile, & nullum simpliciter insensile. Verum cum per se sensile vel sit visibile, vel audibile, vel olfactile, vel gustabile, vel tactile, sciendum est.

Theorem.

I. 1, non omne corpus per se esse visibile, sed tantum id, quod est lucidum & coloratum.
II. 2, non omne corpus per se esse audibile, sed tantum id quod est
III. sonorum. 3, non omne corpus per se esse olfactile, sed
IV. tantum id quod est odoratum. 4, non omne corpus per
V. se esse gustabile, sed tantum id quod est sapidum. 5, omne corpus esse tactile, cum nullum inueniri possit,
VI. quod non aliqua qualitate tactili sit affectum. 6, non omne corpus tactile proprie dici palpabile, & contrectabile,

bile, ſed tantum corpus craſſum & denſum, ſiue ſit ſolidum, ſiue liquidum.

13 *An poſſibile ſit corpus per ſe ſenſile fieri inſenſile?*

Pro theſi negante. Statuitur theſis negatiua. Rationes ſunt; 1, Quia proprietas eſſentialis eſt cuiuſque corporis eſſe per ſe ſenſile. Quicquid autem pugnat cum proprietate eſſentiali corporis, id implicat contradictionem, &, per conſequens, non eſt poſſibile. *Ratio I.* 2, quia neque corpus per ſe viſibile, poteſt fieri inuiſibile, neque per ſe audibile, inaudibile, neque per ſe olfactile, inolfactile, neque per ſe guſtabile, inguſtabile, neque per ſe tactile, intactile. *II.* *Obſeruatio.* Vbi tamen diligenter notandum eſt, quæſtionem propoſitam intelligendam eſſe de potentia paſſiua ſentiendi, non vero de actu. Nam quod ad actum attinet, libenter concedimus corpus per ſe ſenſile non ſemper ſentiri; idque propter defectum vel in vno, vel in pluribus requiſitis, ad ſenſum neceſſariis: Hinc etiam legimus in ſacra hiſtoria, Chriſtum ſæpe per medium populum tranſiiſſe, ita vt à nemine fuerit viſus. Sed nuſquam legimus, quod ex viſibili factus ſit reuera inuiſibilis, hoc eſt, quod amiſerit potentiam paſſiuam videndi. Licet enim Luc. 24. Chriſtus dicatur factus eſſe ἄφαντος ἀπὸ τῶν μαθητῶν, ſenſus tamen illorum verborum non eſt, Chriſtum factum fuiſſe inuiſibilem, ſed Chriſtum ſubito diſceſſiſſe, ſeu ſublatum & ſubductum fuiſſe à conſpectu diſcipulorum; ita vt non amplius ipſis apparuerit. Imo etiamſi phraſin illam ἐγένετο ἄφαντος, concedamus verti poſſe per verbum *diſparuit*, ſeu *euanuit*; inde tamen non ſequitur, Chriſtum ex viſibili factum eſſe inuiſibilem. *Diſparere* enim & *euaneſcere* apud Latinos nihil aliud proprie eſt, quam è conſpectu abire, ſeu non amplius cerni.

14 *An continuitas & contiguitas ſit propria corporum affectio?*

Pro theſi affirmante. Statuitur theſis affirmatiua. Rationes ſunt: 1, quia nihil proprie eſt continuum & contiguum alteri, niſi ſit per ſe quantum. *Ratio I.* 2, quia continua dicuntur, quorum extrema ſunt vnum & idem; ſeu, quæ vno & eodem termino continentur; ſeu, quæ vnam & eandem habent ſuperficiem. *II.* Contigua vero ſunt, quorum extrema ſunt ſimul; ſeu, quæ ſecundum ſuperficies ſuas ſe tangunt, ſeu, quæ terminis, quibus coniunguntur, differunt.

Obiectio. Quod si vero quis obiiciat, contactum secundum Philosophos esse duplicem, vnum corporalem, alterum virtualem; & hunc posteriorem etiam competere substantiis incorporeis. Respondeo, contactum virtualem attribui substantiis incorporeis non proprie, sed Metaphorice; ideoq; obiectionem illam nullam vim habere thesin nostram infringendi, quæ loquitur de contiguitate propria.

15 *An omne corpus per se habeat sex positionum differentias?*

Thesis negatiua defend. Sensus problem. est, an omne corpus talem ordinem, situm ac distantiam partium habeat, vt per se alia sit superior, alia inferior, alia dextra, alia sinistra, alia anterior, alia posterior. Etsi vero nonnulli Philosophi olim fuerunt, qui omni corpori sex positionum differentias attribuendas esse censuerunt; tum quod omne est extensum in longum, latum & profundum; tum, quod superius est principium longitudinis; dextrum latitudinis, anterius profunditatis; tamen hanc sententiam reiicit Aristot. lib. 2 de cœlo, cap. 2. Ait enim expresse, non esse quærendum in omni corpore superius & inferius, dextrum & sinistrum, anterius & posterius; sed in corporibus animatis, quæ principium motus in seipsis habent, iisque non omnibus, sed illis duntaxat quæ sunt perfecta: Hinc asserit, quibusdam animalibus inesse omnes sex positionum differentias, quibusdam nonnullas, nempe quatuor; plantis vero tantum duas, superam & inferam videlicet. Vnde porro colligitur, corpora inanimata non habere per se sex positionum differentias, nempe neque superiorem, neque inferiorem, neque dextram, neque sinistram, neque anteriorem, neque posteriorem; sed tantum per accidens, quatenus vel ad nos referuntur: vel ad similitudinem nostri ab artificibus efformantur, vel ad positum cœli & terræ considerantur.

16 *An corpus possit naturaliter transmutari in non corpus, aut ex non corpore fieri?*

Pro thesi negante. Sensus problematis est, *vtrum virtute vllius creaturæ substantia corporea possit conuerti in incorpoream, aut ex incorporea substantia fieri.* Ac veritas quidem thesis negantis probari potest his argumentis: Primo, quia

Ratio I. solius Dei proprium est, sicut ex nihilo aliquid efficere, & ex aliquo nihil; ita ex non corpore, efficere corpus, aut

aut corpus in non corpus transmutare. 2, quia omnis transmutatio naturalis vnius corporis in aliud, requirit, vt vterque terminus tum à quo, tum ad quem sit corpus. Nullum enim corpus generatur, nisi ex materia corporea: Et nullum corpus corrumpitur nisi in materiam corpoream. 3, quia naturaliter quantum non potest transmutari in non quantum, neque ex non quanto fieri. 4, quia Spiritus seu substantia incorporea non potest naturaliter transmutari in substantiam corpoream; multo minus ex corporea fieri. Ergo vice versa, neque corpus potest naturaliter in non corpus transmutari, aut ex non corpore fieri. 5, Idem etiam testatur Erastus in parte altera Disputationum suarum aduersus Paracelsum, dum ait: *Quam fieri non potest, vt à re creata ex non corpore corpus fiat, tam est impossibile, vt à creata potestate corpus reducatur in aliquid incorporeum. Eiusdem namque est potentiæ, virtutisque ex nihilo aliquid, & ex aliquo nihil, ex incorporeo corpus, & ex corporeo incorporeum efficere.* Idem etiam statuit Zabarella libr. 2. de materia prima, cap. 25. *corpus in non corpus; aut ex non corpore, nunquam mutatur.* Proinde grauissime errant Paracelsistæ, qui putant, corpus posse virtute naturali fieri incorporeum.

II.

Error aliorum taxatur.

17 *An corpus possit agere in spiritum, & vicissim spiritus à corpore pati?*

SVnt nonnulli Philosophi, qui statuunt, corpus posse agere in spiritum, & vicissim spiritum à corpore pati. Et hoc probant: 1, exemplo animæ rationalis, quæ à corpore humano, cui est vnita, multa potest pati. 2, exemplo dæmonum, qui possunt partim à lamiis seu magis cogi ad faciendum aliquid; partim flagris seu gladiis, & id genus aliis instrumentis pulsari & cædi; partim denique ab igne infernali, qui corporeus est, non minus ac animæ impiorum cruciari. 3, ratione. Cum enim spiritus possit agere in corpus, & corpus à spiritu pati, vt testatur exemplum tum Dei, tum animæ, tum diaboli corpus mouentis; verisimile est ob parem rationem, etiam corpus posse agere in spiritum, & spiritum à corpore pati. Sed hæc sententia ab aliis Philosophis tanquam falsa & absurda reiicitur. Cum enim corpus non possit agere, nisi in id quod potest contactu corporali contingere, siue immediate, siue mediate; sequitur illud non posse

Thesis negatiua defend.

agere in ſpiritum. Hinc ſiquidem impoſſibile eſt vt contactu corporali contingat; cum expers ſit omnis molis corporeæ.

Refutantur argu. aduerſ. Ad argumenta igitur Aduerſariorum quod attinet, reſponderi poteſt, in illis omnibus peti principium, quatenus partim falſum per falſum, partim dubium per dubium probatur. Nam neque anima rationalis à corpore quicquam pati poteſt, neque Diabolus à Lamiis vel Magis cogi, aut flagris, gladiis, aliiſque inſtrumentis pulſari & cædi: neque certum adhuc eſt, vtrum ignis infernalis, cuius in ſacris literis fit mentio, ſit verus & corporeus ignis, an vero metaphorice ſic dictus; neque pari ratione ſe habet corpus ad ſpiritum, qua Spiritus ad corpus.

18 *An omne corpus ſit materiatum?*

Sententia aliorum exponitur. PRo theſi affirmante militat tota fere philoſophorum tam veterum quam recentiorum cohors. Omnes enim exiſtimant corpus eſſe non poſſe, niſi conſtet ex aliqua materia, præſertim cum propter materiam corpus ab ipſis ſtatuatur eſſe quantum. Hinc etiam Scaliger exerc.359. ſect. 11. ait: *Corpus facere ſine materia, eſt facere inſomnium ſine ſomno.* Veruntamen contraria ſententia

Theſis negatiua defend. videtur potius eſſe amplectenda, nempe, non omne corpus eſſe materiatum. Idque propter ſequentes rationes:

Ratio I. 1, Quicquid ex nihilo immediate eſt productum, id non eſt materiatum. Idem enim eſt ex nihilo immediate produci, quā ex nulla materia produci: Atqui quoddam corpus ex nihilo immediate eſt productum, nempe cœlum ſupremum, & materia prima, vt infra probabitur. Ergo

II. quoddam corpus eſt materiatum. 2, Si omne corpus eſt materiatum, ſequitur in genere cauſarum materialium dari proceſſum in infinitum; &, per conſequens, nullam poſſe dari materiam primam. Omnis enim materia ſubſtantialis eſt corpus. Quod ſi corpus; erit materiata ex ſententia Aduerſariorum: Si materiata; habebit aliam ſe priorem materiam: Si hoc; non erit vlla materia prima. Materia enim prima eſt, quæ aliam ſe priorem

Exceptio. materiam non habet. Neque valet exceptio, quæ a quibuſdam recentioribus eſt excogitata & probata, nempe

Reſponſio ad except. materiam eſſe aliam præxiſtentem, aliam concreatam. Nam etiam materia concreata, ſi qua eſt, erit corpus: & per

&, per consequens, si sententia Aduersariorum est simpliciter vera, illa quoque erit materiata; & sic impossibile erit ad materiam simpliciter primam peruenire: quod tamen est absurdum, & pugnat cum communi omnium Philosophorum sententia. Multo minus valet obiectio illa: Si quoddam corpus non erit materiatum, sequitur quoddam corpus tantum esse formatum, quod est absurdum. Quodcunque enim corpus materiatum non est, id neque est formatum; cum materia sit receptaculum formæ, & vna sine altera esse non possit.

19 *An cœlum supremum sit ens creatum?*

AVgustinus Eugubinus in sua Cosmopœia statuit cœlum supremum esse ens increatum & æternum, nempe lucem & claritatem quandam ex Dei essentia manantem, in qua Deus est, & ad cuius participationem atque fruitionem tam boni angeli, quam homines iusti admittuntur. Et hanc suam opinionem conatur probare partim ex sacra Scriptura, præsertim ex illis locis, vbi Deus dicitur amictus lumine sicut vestimento; lucemque inaccessam habitare: &, vbi Christus petit à patre, vt clarificet seipsum ea claritate, quam habuit, prius quam mundus fieret: partim ex Basilio, qui homilia secunda super Genesin inquit, *arbitrari se ante molitionem huius mundi corporei fuisse lucem quandam & claritatem inenarrabilem, in qua versabantur Angeli, & qua iustis hominibus in scriptura promittitur:* partim denique ex Homero, qui sedem & domicilium Deorum nominat ὄλυμπον, quasi ὁλόλαμπον, hoc est, *totum vndique splendentem & collucentem.* Eandem sententiam approbant nonnulli ex recentioribus, qui locum alium finitum, alium infinitum arbitrantur. Illi enim statuunt cœlum supremum esse increatum, æternum & infinitum habitaculum Dei. Verum hanc sententiam Pererius non tam reuellendam, quam omnino explodendam atque execrandam ac si fieri posset, sempiterna obliuione sepeliendam esse iudicat. Rationes sunt: 1. quia nihil proprie est increatum, æternum & infinitum, nisi solus Deus, vt supra à nobis probatum fuit. 2, quia si præter Deum, etiam cœlum supremum esset increatum

Sententia aliorum exponitur.

Sententia superior impugnatur.

Ratio I.

II.

I. æternum & infinitum, ſequeretur inde 1, hæc attributa
II. non eſſe Deo propria & eſſentialia. 2, non vnum tantum
eſſe ens ſimpliciter primum, quod ſit expers principii,
III. ſucceſſionis & finis. 3, aliquid eſſe Deo coæternum,
IV. quod tamen non ſit Deus. 4, ab æternitate & infinitate
abſoluta non poſſe firmum argumentum ſumi ad pro-
V. bandam Deitatem. 5, inter creationem & creaturam
dari aliquod ens intermedium, quod neque ſit creator,
Theſis affir. neque creatura. Sed cum hæc ſint omnia abſurdiſſima,
defenditur. ſtatuendum potius eſt cœlum ſupremum eſſe ens fini-
Ratio I. tum & creatum. Idque propter ſequentes rationes: 1,
quia ſcriptura in omnibus locis vbi ait, *Deum feciſſe cœ-
lum & terram*, ſimul innuit, nullum cœlum eſſe, quod à
II. Deo non ſit aliquando factum. 2, quia epiſtola ad He-
bræos cap. 11. v. 10. expreſſe aſſerit, *Abrahamum exſpectaſ-
ſe ciuitatem fundamenta habentem, cuius opifex & conditor
ſit Deus.* Per ciuitatem autem illam nihil aliud intelligi
poteſt, quam cœlum ſupremum, ſicut etiam v. 16. innui-
III. tur, dum appellatur *patria cœleſtis*. 3, quia non datur ens
intermedium inter creaturam & creatorem. Ideoque
cum cœlum ſupremum non ſit creator, ſequitur eſſe
creaturam.

Refutantur argumenta Eugubini. Quod igitur ad argumenta attinet ab Eugubino ad-
ducta, in primo committitur fallacia figuræ dictionis;
propter malum intellectum dictorum ſcripturæ. Dici-
I. tur enim *Deus amictus lumine*, vel quatenus in ſpecie lu-
cida apparet; vel quatenus ſua natura eſt lucidus, hoc
eſt, ſapientiſſimus & optimus, expers omnis ignoran-
tiæ & malitiæ. Dicitur etiam habitare lucem inacceſ-
ſam, quatenus thronum ſuum præparauit & conſtituit
in cœlo ſupremo, quod eſt corpus lucidum. In dicto au-
tem ex cap. 17. Iohannis citato, Chriſtus loquitur non
de luce aliqua cœleſti; ſed de gloria ſua diuina in ſtatu
exinanitionis ſuppreſſa & obſcurata, quam apud Deum
II. patrem habuit, priuſquam mundus fieret. In ſecundo
argumento petitur principium, quatenus falſum aut du-
III. bium per æque falſum aut dubium probatur. In tertio
peccatur ex ignoratione elenchi. Licet enim conceda-
tur, ὄλυμπον, dici quaſi ὁλόλαμπον ſecundum Homerum;
inde tamen non ſequitur, cœlum ſupremum eſſe increa-
tum ac æternum.

20 An

20 *An cœlum supremum sit corpus, & quidem immateriatum?*

HOc problema per se satis manifestum videtur; sed difficile & obscurum redditur dissentientium concertationibus. Alii enim cœlum supremum asserunt esse ipsum Deum, seu maiestatem & virtutem diuinam; alii habitaculum Dei & creaturarum beatarum; alii denique ipsam beatitudinem cœlestem. Qui priores duas sententias defendunt, illi videntur statuere cœlum supremum esse substantiam; qui posteriorem, accidens. Beatitudo enim cœlestis, prout competit & inest creaturis, non est substantia, sed accidens. Verum ex his tribus sententiis sola secunda est vera, ita tamen, vt cœlum supremum dicatur habitaculum Dei improprie & ἀνθρωποπαθῶς, creaturarum vero beatarum proprie. Reliquæ vero duæ sunt falsæ & absurdæ; siquidem confundunt partim creaturam cũ creatore, partim sedem Dei cum ipso Deo; partim locum beatitudinis cum ipsa beatitudine cœlesti. Cæterum cum substantia alia sit incorporea, alia corporea, quæritur, ad quam speciem cœlum supremum sit referendum? Respondendũ autem est illud esse substantiam non incorpoream, sed corpoream. Rationes sunt: 1, quia definitio corporis ei competit. 2, quia omnes proprietates essentiales corporis ei competunt. 3, quia capax est aliarum substantiarum tam corporearum, quam incorporearum. 4, quia est pars suprema & extrema mundis. 5, quia in scriptura dicitur *aperiri, findi*, &c. 6, quia in scriptura dicitur modo *domus patris, in qua multa sunt mansiones*, modo *ciuitas fundamenta habens*, quod scilicet sit firmum & perpetuum habitaculum omnium ciuium cœlestium. Porro cum corpus sit aut materiatum, aut immateriatum, statuendum videtur cœlum supremum esse non materiatum, sed immateriatum. Rationes sunt: 1, quia primo die creationis immediate ex nihilo à Deo productum fuit vna cum materia prima, quemadmodum multi præstantissimi Theologi testantur, interpretantes vers. 1. cap. 1. Genes. vbi per *cœlum* intelligitur *cœlum supremum*, per *terram* vero metonymice materia prima, ex qua terra, aliaque corpora naturalia omnia fuerunt a Deo condita. 2, quia nulla materia assignari potest, ex qua cœlum supremum potuerit creari, nisi ma-

Sententiæ aliorum traduntur & examinatur.

Cœlũ supremum est corpus.

Ratio I. II. III. IV. V. VI.

Cœlũ supremum est corpus immateriatum.

Ratio I. II.

teria prima. Sed ex hac nusquam legitur cœlum supremum esse creatum; præsertim cum non sit principium
III. materiale corporum naturalium. 3, quia valde probabile est, eodem modo & tempore fuisse creatum habitaculum angelorum, quo ipsos angelos. Cum igitur angeli primo die creationis immediate ex nihilo, hoc est, ex nulla materia sint creati, vt supra in doctrina de angelis probatum fuit; sequitur idem etiam de cœlo supremo, quod habitaculum est angelorum, non esse negandum.

21 *An cœlum supremum in altissimo mundi loco supra alios omnes cœlos naturales & aspectabiles sit collocatum?*

Thesis affir. defenditur. CVm supra demonstratum fuerit, cœlum supremum esse corpus, inde necessario sequitur, illud esse in loco aliquo. Sed iam quæritur, *vbinam sit?* Ac communis quidem omnium tam Philosophorum, quam Theologorum sententia est, cœlum supremum in altissimo mundi loco, supra omnes alios cœlos naturales &
Argument. aspectabiles esse collocatum. Argumenta, quibus hæc
I. sententia comprobatur, sunt hæc præcipua. Primum sumitur à locis scripturæ, in quibus cœlum supremum appellatur modo cœlum cœlorum à sublimitate, quod supra omnes alios cœlos sit exaltatum: modo cœlum tertium, respectu duorum infimorum cœlorum; quorum vnum dicitur *primum*, alterum *secundum*: modo *sublime,*
II. *excelsum & altissimum Dei habitaculum.* Alterum sumitur à locis scripturæ, quæ agunt partim de ascensione Christi in cœlum, partim de eiusdem in cœlo sessione ad dextram Dei, partim de eiusdem ad iudicium reditu. Illa enim testantur modo Christum ascendisse in altum, modo ascendisse supra omnes cœlos sc. aspectabiles, modo penetrasse omnes cœlos, modo sublimiorem factum esse cœlis, modo sedere in excelsis seu in supernis, mo-
III. do descensurum de cœlo, &c. 3, sumitur à loco scripturæ, quod habetur Luc. 16. Ille enim testatur magnum hiatum seu interuallum esse constitutum inter infernum & sinum Abrahæ, hoc est, inter locum damnatorum & beatorum. Quod si ergo omnium consensu in infimo mundi loco infernus est constitutus, sequitur cœlum supremum, quod dicitur *sinus Abrahæ*, eo quod

quod domicilium est beatum Abrahæ omnibusque eius posteris spiritualibus destinatum, esse in supremo mundi loco collocatum. 4, ducitur à consuetudine omnium hominum, qui quoties orare volunt, toties oculos & manus attollunt & eleuant sursum in cœlum, hoc gestu significantes, cœlum supremum, quod est gloriosum Dei domicilium, esse in supremo mundi loco situm. *IV.*

Proinde errant nonnulli vbiquitatis patroni, qui statuunt cœlum beatorum, in quod Christus suo corpore ascendit, esse vbique tam sursum quam deorsum. Licet enim negari nō possit, cœlum supremum, cum sit corpus sphæricum, ambitu suo totum terrarum orbem complectens, respectu nostri qui in terra habitamus, secundum diuersas partes tam supra, quam infra nos esse; tamen si situm totius terræ consideremus, cœlum beatorum sursum est & supremum mundi locum occupat; terra vero est deorsum, & infimo mundi loco sita. Et hoc etiam manifeste dicta scripturæ testantur, in quibus partim cœlum dicitur *sursum*, & terra *deorsum*: partim de terra dicitur *in cœlum ascendi*, & *de cœlo in terram descendi.* ***Error aliorũ taxatur.*** *Ier 31. v. 37. Iosua 3. v. 12.*

22 *An necesse sit dari aliquam materiam primam?*

Sensus problem. est, *an necesse sit dari aliquod ens absolutum, quod sit principium materiale omnium corporum naturalium?* Etsi vero multi sunt, qui simpliciter negant dari materiam primam, eamque pro mero Philosophorum ethnicorum, præsertim Aristotelis commento habent; tamen contrariam sententiam veram esse demonstrabimus sequentibus argumentis: 1, Quia ex materia prima Deus totum hunc mundum visibilem produxit, teste libro Sapientiæ, cap. 11. v. 18. vbi sic ad Deum fit sermo: *Non difficultatibus destinabatur omnipotens manus tua, quæ creauit mundum ex informi materia.* 2, Quia in nullo genere causarum datur progressus in infinitum; sed necesse est tandem peruenire ad vnam aliquam primam causam, quam alia nulla in eodem genere antecedat. 3, Quia si non datur materia prima, sequitur 1, neque dari materiam secundam. Hæc enim non potest esse sine prima. 2, non tantum in prima creatione; sed etiam nunc omnia corpora naturalia ex nihilo produci. Vbi enim nulla est materia neque prima, neque secunda; ibi omnia ex nihilo fieri necesse est. ***Thesis affir. defenditur.*** ***Argum. I.*** ***II.*** ***III.***

Sed hæc omnia sunt absurda & pugnant nõ tantum cum scriptura sacra; sed etiam cum recta ratione & experientia vniuersali. Ergo absurda quoque est hypothesis, ex qua absurda hæc inferuntur.

23 *An materia prima sit substantia?*

Pro thesi affirmante.

Ratio I. Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia materiæ primæ competit definitio substantiæ supra tradita. Est enim ens per se subsistens, hoc est, non indigens subiecto inhærentiæ ad sui existentiam. *II.* 2, Quia est principium materiale corporum naturalium. Necesse autem est cuiusque substantiæ materiam esse substantiam; cum nihil possit constituere essentialiter substantiam, nisi sit substantia. *III.* 3, Quia si materia prima non esset substantia, esset accidens. Non enim datur medium ens incomplexum inter substantiam & accidens. Sed consequens est absurdum, propter rationem paulo ante adductam: Ergo absurdum etiam est antecedens.

Obiectio. Verum in contrariam partem obiici potest, quod materia prima ab Aristotele, aliisque Philosophis appellatur modo non *ens*, modo *ens in potentia*, modo *pura potentia passiua*.

Responsio ad obiectionem. Respondeo, materiam primam dici non ens, & ens in potentia non simpliciter, sed secundum quid, quatenus nimirum non est actu id, quod inde produci potest; sed tantum potentia. Sic ouum quatenus consideratur vt materia pulli, dicitur non ens, seu ens in potentia: quia non actu est pullus, qui inde potest generari; sed tantum potentia. Quod vero alii nonnulli Philosophi materiam primam vocant puram potentiam passiuam, in eo, quatenus proprie & absque tropo loquuntur grauissime errant. Omnis enim potentia creata est accidens. Cum igitur materia prima non sit accidens, sed substantia, vt supra probatum fuit, sequitur illam proprie non posse appellari puram potentiam passiuam.

14 *An materia prima sit corpus, & quidem immateriatum?*

Pro thesi affirmante.

Ratio I. Statuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia definitio corporis supra tradita ei competit. *II.* 2, quia proprietates essentiales corporis ei conueniunt. *III.* 3, quia est principium materiale corporis naturalis, quod non potest esse substantia incorporea, sed corporea. Hinc etiam Aristoteles lib. 1. de ortu & interitu, cap. 5. materiam primam

primam dicit esse substantiæ corporeæ & à magnitudine inseparabilem. Quod vero quidam obiiciunt, principium corporis non posse esse corpus, non secus ac principium numeri non est numerus; ideoque cum materia prima sit principium corporis, illam non posse esse corpus. Ad illud dico, præmissas non esse simpliciter veras, sed secundum quid tantum. Licet enim nullum principium possit esse id corpus, cuius est principium; cum principium & principiatum inter se differant; tamen non absurdum est vnum corpus esse principium alterius corporis. Proinde verum quidem est, materiam primam, cum sit principium corporis naturalis, non esse corpus naturale; sed inde inferri non potest; illam nullo modo esse corpus. Porro cum corpus aliud sit materiatum, aliud immateriatum, sciendum est materiam primam non esse corpus materiatum, sed immateriatum. Rationes sunt: 1. Quia immediate ex nihilo, hoc est, ex nulla materia est producta, vt in sequenti problem. probabitur. 2, quia manifesta fit implicatio contradictionis, si quis statuat materiam primam esse corpus materiatum. Sicut enim efficiens simpliciter primum est, quod tantum est efficiens, nunquam effectum; ita materia simpliciter prima est, quæ tantum est materia, & nunquam materiatum. Quod si ergo materia prima est corpus materiatum, inde sequitur illam non esse materiam primam.

Obiectio.

Responsio ad obiect.

Materia prima est corpus immateriatum.

Ratio I.

II.

25 *Vtrum materia prima Deo fuerit coæterna, an vero aliquando à Deo ex nihilo creata?*

FVerunt enim multi Philosophi, in quorum etiam numero recensentur Stoici, Pythagoræi, Plato, Hermes Trismegistus, & alii, qui statuerunt materiā primam Deo fuisse coæternam. Quam opinionem postea secuti quoque sunt Hermogenes, Manichæi & nonnulli alii. Rationes ipsorum videntur hæ fuisse: 1, Quia agens æternum requirit patiens sibi coæternum. Deus autem est agens æternum: Ergo requirit patiens sibi coæternum. Hæc autem esse non potest nisi materia prima. Propositio probatur, quia agens & patiens sunt relata; ideoque simul natura. Neque enim agens agere potest, nisi aliquid sit, circa quod actio ipsius occupetur; cum actio sit motus agentis in mobile seu patiens, in eoque reci-

Sententia aliorum exponitur.

Ratio I.

piatur; nec sine contradictione dici possit, in nihilo occupari. II. 2, Quia ex nihilo nihil potest fieri. Ergo cum mundus à Deo sit factus, necesse est materiam primam, ex qua fuit factus, Deo coæternam fuisse.

Sententia superior impugnatur. Verum hæc sententia veterum Philosophorum videtur nullo modo esse admittenda: 1, Quia duo entia prima, increata, & æterna statuit, essentialiter inter se distincta, vnum Deum, alterum materiam primam. I. II. 2, quia negat Deum esse primum principium efficiens omnium extra se entium; cum materiam primam ab ipso factam esse neget. III. 3, quia inter creatorem & creaturam medium ens fingit, quod neque sit creator, neque creatura. IV. 4, quia omnium substantiarum etiam corruptibilium infimæ & imperfectissimæ attribuit summā perfectionem solius Dei propriam, nimirum αὐθυπαρξίαν, absolutam æternitatem, & essendi necessitatem. V. 5, Quia statuit ex ente increato, & Deo coæterno tanquam ex materia mundum esse factum.


Cum igitur hæc omnia sint absurda, & ex diametro pugnent non tantum ex sacra Scriptura; sed etiam cum recta ratione, hoc est, cum principiis Philosophicis in superioribus libris à nobis explicatis & probatis; statuendum potius est cum omnibus sanioribus Philosophis & Theologis, materiam primam aliquando à Deo esse creatam, & quidem ex nihilo, propter sequentes rationes: *Materia prima aliquando ex nihilo est creata.* *Ratio* I. 1, Quia fuit ens extra Deum existens. II. 2, quia fuit massa rudis & indigesta. III. 3, quia fuit corpus variis mutationibus tam essentialibus, quam accidentariis subiectum. IV. 4, quia non habuit aliam materiam se priorem, ex qua potuerit produci, & pugnat cum natura materiæ primæ esse materiatam. Restat ergo vt ad rationes Aduersariorum supra adductas respondeamus. *Refutantur rationes Aduers.* In primo syllogismo vtraque præmissa non est simpliciter vera, sed tantum secundum quid. I. Nam 1, agens æternum, non semper requirit patiens sibi coæternum, si scilicet per patiens intelligatur ens, quod veram & realem passionem ab agente recipit, non vero ipsum obiectum. 2, agens & patiens proprie dictum, non semper neque per se sunt relata, sed tum demum, quando agens extra se agit in aliud, quod veram & realem passionem ab agente recipit. 3, Deus est agens æternum, quatenus intra se

agit.

agit, non autem quatenus extra se aliud producit. Ideoque cum nihil extra se ab æterno produxerit, neque opus habuit materia sibi coæterna. 4, Producens proprie refertur ad id, quod producitur, non ad id ex quo producitur. Efficiens enim & effectum sunt relata; non vero efficiens & materia. Ideoque Deus nullam necessariam σχέσιν habet ad materiam primam. In altero syllogismo propositio est vera, de physica productione, quæ fit virtute causæ secundæ, non vero de productione hyperphysica, quæ fit virtute infinita Dei. Ac etiamsi concedatur, mundum à Deo non esse factum ex nihilo; sed ex præiacente materia; inde tamen non sequitur, materiam primam, ex qua mundus est factus, Deo coæternam fuisse; nisi simul statuatur mundi productio ab æterno esse à Deo facta: quod est absurdum, & pugnat cum natura cuiusque entis à Deo facti. II.

26 *An sit discrimen inter corpus naturale & artificiale?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia corpus naturale immediate est vel à Deo, vel à Natura; artificiale vero ab arte, seu potius artifice manuario. *Pro thesi affirmante. Ratio I.*
2, quia corpus naturale pro forma essentiali semper habet substantiam aliquam, artificiale vero nunquam. 3, quia corpus naturale est principium materiale corporis artificialis; non autem retro. 4, quia corpus naturale per se est mobile propter naturam à Deo sibi insitam; corpus vero artificiale est per accidens mobile, quatenus constat ex corpore naturali. 5, quia forma corporis naturalis nobilior est eius materia; forma autem corporis artificialis non item. *II. III. IV. V.*



METAPHYSICÆ LIBER QVINTVS;

De Accidentibus.

De Accidente in genere, CAP. I.

THEOREMATA.

Altera pars Metaphys. specialis.

1 *Hactenus de prima specie entis incomplexi actũ fuit, nempe de substantia. Sequitur altera, quæ accidens nuncupatur.*

2 *Illud est ens incomplexum, in alio tanquam subiecto inhærentiæ existens.*

Accidens quid sit. Adiuncta accidentis.

3 *Eius affectiones sunt: 1, inhærere alicui, seu inesse subiecto inhærentiæ. 2, esse imperfectius substantia. 3, natura posterius esse suo subiecto, & per consequens, non constituere essentiam absolutam sui subiecti; sed eam constitutam consequi vel necessario vel contingenter. 4, prædicari de suo subiecto παρωνύμως, hoc est, non in abstracto, sed in concreto. 5, notificare suum subiectum. 6, non posse transire de vno subiecto in aliud. 7, produci vel per motum, vel sine motu, nempe per simplicem emanationem seu resultantiam.*

4 *Estque vel absolutum, vel respectiuum.*

5 *Absolutum accidens est, quod essentiam habet absolutam.*

Accidens in genere quotuplex.

6 *Eius species sunt tres, quantitas, qualitas & motus.*

IN CAPVT PRIMVM

PROBLEMA I.

An omne accidens vere & proprie sit ens, & num possit dici creatura Dei?

Non omne accidens est ens, sed tantum positiuum.

FVERVNT olim nonnulli Philosophi, in quorum etiam numero recensentur Parmenides & Melissus, qui vnicam tantum entis speciem agnouerunt, nempe substantiam; accidens vero omne ab entium numero excludendum esse putarunt. Quia vero hæc opinio pugnat cum celeberrima illa diuisione entis in *substantiam* & *accidens*, quam vt naturæ rerum congruentem Arist. omnesque sanioris iudicii Philosophi, hactenus approbarunt; idcirco

idcirco sciendum est accidens aliud esse positiuum, aliud negatiuum: ac illud quidem omne vere ac proprie dici ens, cum essentiam & existentiam positiuam habeat; hoc autem vere & proprie non posse dici ens, cum nullam essentiam & existentiam positiuam habeat, cuiusmodi est priuatio. Et hinc etiam facile diiudicari ac decidi potest altera pars Problem. *vtrum scilicet accidens possit dici creatura Dei.* De accidente enim positiuo vera est affirmatio, de negatiuo autem falsa est. Licet enim quidam Philosophus accidens positiuum malit *concreaturam*, quam *creaturam Dei* appellare, existimans creaturæ nomen soli substantiæ conuenire; non autem accidenti, quod substantiæ est concreatum; nihil tamen soliditatis est in illa subtilitate, imo plus falsitatis, quam veritatis videtur in eo latitare; tum, quod ens medium statuit inter creatorem & creaturam; tum, quod omne accidens putat substantiæ concreatum esse, cum tamen experientia testetur multa accidentia esse aduentitia seu ascititia. *Omne accidens positiuum est creatura Dei.* *Prolepsis.*

2 *Quid sit accidens in genere consideratum, quatenus opponitur substantiæ?*

MAgna est homonymia in vocabulo *accidentis*, quæ tamen ad duo generalia eius significata videtur commode reuocari posse, quando vel absolute, vel respectiue consideratur. In priore enim significatione sumitur pro certa specie entis incomplexi a substantia distincta. In posteriore accipitur pro adiuncto, hoc est, omni eo, quod alicui præter essentiam adiungitur, siue necessario siue cõtingenter, siue intrinsecus, siue extrinsecus. Quo sensu etiam vna substantia quandoq; dicitur accidens alterius substantiæ, v. g. pili, accidentia capitis; barba, menti; plantæ, terræ; folia arboris. Hoc autem loco consideratur tantum in priori significatione, non in posteriori: & sic definitur, ens incomplexum in alio tanquam subiecto inhærentiæ existens. In qua definitione loco generis proximi positum est ens incomplexum, vt remoueatur ens complexum: loco vero differentiæ specificæ, qua distinguitur accidens a substantia, adiecta est existentia in alio, tanquam in subiecto inhærentiæ. Sicut enim substantia per se subsistit, hoc est, non indiget subiecto inhærentiæ ad sui existentiam; ita accidens *Homonymia vocab. Accid. excutitur.* *Accidentis absolute considerati defin. traditur & explicatur.*

non per se, sed in alio existit, quod ei tanquam subiectum inhærentiæ substernitur. Hinc etiam clarissimus Philosophus *Goclenius* partim in Categoria substantiæ, partim disp. 5. Metaph. *substantiam dicit esse ens αὐθυπόστατον*, hoc est, *per se subsistens: accidens vero ens ἐτερυπόστατον*, hoc est, *in alio subsistens.* Quod vero ex recentioribus quidam accidens definiunt ens, quod à substantia pendet tam in essendo, quam in existendo, de illius definitionis veritate non immerito dubitatur. Nam primum substantia, cui accidens inhæret, non constituit essentiam accidentis; sed tantum existentiæ illius, tanquam fulcrum subiicitur. Deinde non sola substantia est subiectum accidentium; cum etiam vnum accidens possit inhærere alteri accidenti tanquam subiecto, vt supra lib. 3. c. 3. P. 15. probatum fuit.

Impugnatur definit. alior.

3 *An omne accidens actu insit subiecto inhærentiæ, & quomodo?*

Thesis affir. defend. contra Schol.

ETsi Scholastici Doctores ad defendendum dogma Transsubstantiationis Pontificiæ vnanimo consensu affirmant, possibilem esse accidentis sine subiecto inhærentiæ existentiam, seu, quod idem est, posse accidens aliquod diuina virtute conseruari, etiamsi actu in nullo subiecto existat seu inhæreat; tamen hæc sententia est falsa & absurda, & à nobis fuit refutata, lib. 3. cap. 3. Pr. 9. Proinde vera manet hæc thesis, *omne accidens actu inesse subiecto inhærentiæ.* Sicut enim proprietas essentialis substantiæ est per se, nempe absque subiecto inhærentiæ subsistere; ita contra; proprietas essentialis accidentis est, actu inesse subiecto inhærentiæ. Et hoc etiam inscius à veritate conuictus testatur Fr. Suarez disput. 14. sect. 4. quando asserit, accidens sua natura ineptum esse ad subsistendum, ac proinde indigere aliquo subiecto sustentante. Sed quæritur vlterius, quomodo accidens actu insit subiecto inhærentiæ, vtrum necessario an contingenter: Ad quod quæsitum respondeo, subiectum accidentis considerari posse duobus modis, vel indeterminate vel determinate. Si indeterminate, omne accidens necessario inesse subiecto alicui; quia sine eo nullo modo vel ad momentum temporis existere potest.

Quomodo accidens insit subiecto inhær.

Si de-

determinate, non omne accidens necessario inesse suo subiecto; sed aliud necessario, aliud contingenter. Vnde etiam fit, vt accidens aliud dicatur necessarium & inseparabile, aliud contingens & separabile.

4 *An omne accidens sit imperfectius substantia?*

Pro thesi affirmante.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia omnis substantia est ens αὐθυπόστατον: omne vero accidens est ens ἑτερυπόστατον. 2, quia omnis substantia, quatenus substantia propter se est expetibilis; omne autem accidens quatenus accidens propter aliud est expetibile. 3, quia omne accidens quatenus est accidens, propter substantiam producitur: nulla autem substantia, quatenus substantia, propter accidens producitur. Proinde grauissime errant, qui statuunt, vel accidens quoddam esse substantiam, vt Flacius Illyricus Patrum nostrorum memoria somniauit; vel accidens quoddam perfectius esse substantia.

Ratio I. II. III.

Error aliorũ taxatur.

5 *An omne accidens natura posterius sit subiecto, cui per se inhaeret?*

Pro thesi affirmante.

STatuitur thesis affirmatiua, quatenus subiectum non respectiue, sed absolute consideratur. Rationes sunt: 1, quia nullum accidens constituit essentiam absolutam sui subiecti, sed potius eam constitutam consequitur, siue necessario, siue contingenter. 2, quia omne accidens nullibi incipit esse nisi in eo subiecto, cui per se inhæret: Ergo necesse est, vt subiectum ordine naturæ præexistat, antequam accidenti tanquam fulcrum substernatur. 3, quia si quoddam accidens natura prius esset subiecto cui per se inhærer, sequeretur illius etiam existentiam natura priorem fuisse existentia subiect.: Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Neque est quod quis obiiciat: 1, lucem natura priorem fuisse ipso sole; cum illa primo die creationis, hic quarto demum die fuerit à Deo conditus. 2, qualitates tactiles prius existere in elementis, quam in corporibus mixtis, quæ ex elementis generantur. 3, calorem vitalem prius existere in semine, quam in corpore humano, quod ex semine procreatur.

Ratio I. II. III.

Obiectio. I. II. III.

Responsio ad obiect.

Nam primum falsum est lucem, quatenus est accidens Solis, natura fuisse priorem ipso sole: siquidem per lucem, quæ primo die fuit creata, non est intelligenda

qualitas aliqua naturalis solis; sed potius substantia lucida, ex qua tanquam materia, Sol & reliquæ stellæ à Deo fuerunt conditæ. Deinde licet verum sit, de qualitatibus tactilibus, quod prius existant in elementis, quam in mixtis, itemque de calore vitali, quod prius existat in semine, quã in corpore ex semine genito; inde tamen non sequitur, quoddam accidens natura posterius esse suo subiecto. Non enim eædem numero qualitates tactiles insunt in mixtis, quæ in elementis; neque idem numero calor vitalis inest in corpore ex semine genito, qui in ipso semine fuit: nisi velimus concedere vnum numero accidens posse migrare de vno subiecto in aliud, quod falsum & absurdum esse probauimus libr. 3. cap. 13. Problem. 10.

6 *An omne accidens in concreto prædicetur de suo subiecto?*

Thesis affir. defenditur cum distinct. Distinguendum est inter prædicationem propriam & impropriam. Secundum illam enim omne accidens prædicatur de suo subiecto in concreto, vel expresse, vel implicite. Non enim v. gr. nix dicitur albedo; homo risibilitas; sed nix dicitur alba; homo risibilis; aut saltem in niue dicitur esse albedo; in homine risibilitas. Secundum hanc vero, accidens sæpe prædicatur de suo subiecto, in abstracto, non in concreto, vt cum homo dicitur sapientia & pietas, pro sapiens & pius.

7 *An accidens possit producere substantiam?*

Pro thesi neg. Ratio I. PRo thesi negante valent hæc argumenta: 1, quia imperfectius & ignobilius non potest producere perfectius & nobilius. Accidens autem imperfectius & ignobilius est substantia. *II.* 2, Quia nihil potest dare alteri esse substantiale, quod ipsum plane non habet. Vnde orta sunt illa vulgata Philosophorum axiomata, *Nihil agit vltra speciem suam: Nullus effectus excedit virtutem suæ causæ.* *Pro thesi affirmante. Ratio I.* At pro contraria thesi afferuntur hæc argumenta: 1, Quia accidens vim habet disponendi materiam ad recipiendam formam substantialem, e.g. calor gallinæ incubantis potest disponere ouum ad recipiendam formam pulli; calor vitalis corpus organicum ad recipiendam animam. *II.* 2, Quia refractio radiorum solarium, aut attritio mutua & violenta silicis & ferri potest producere ignem,

gnem. 3. quia ars poteſt producere corpora artificialia, cuiuſmodi ſunt olla, calceus, &c. *III.*

Pro deciſione Probl. diſtinguendum eſt inter principale agens & inſtrumentum, quod principali agenti inſeruit. Licet enim accidens non poſſit ſubſtantiam producere tanquam principale agens; tamen poteſt producere, vt inſtrumentum principali agenti inſeruiens. Quod igitur ad argumenta attinet pro vtráque parte Problem. adducta, priora ſunt vera de agente principali; poſteriora vero de inſtrumento, quod principali agenti inſeruit. *Quaſtio deciditur per diſtinctionem.* *Reſpondetur ad arg pro vtraque parte.*

8 *An accidens poſſit notificare ſubſtantiam?*

DVplex eſt modus ſeu proceſſus notificandi ſubſtantiam. Vnus à priori, alter à poſteriori. Si primum modum ſpectes, accidens non poteſt notificare ſubſtantiam; quia ordine tum naturæ, tum perfectæ cognitionis, eſt poſterius ſubſtantia. Si vero alterum modum ſpectes, accidens poteſt notificare ſubſtantiam, præſertim ſi illud ſit neceſſarium ac proprium; ſiquidem prius ſub ſenſum cadit, quam ſubſtantia: imo nulla ſubſtantia immediate cognoſcitur per ſenſum; ſed ſemper mediantib. accidentibus. Hinc etiam accidentia à quibuſdam dicuntur *principia cognoſcendi ſubſtantiam.* *Theſis affir. defend. cum diſtinct.*

9 *An omne accidens habeat cauſam ſui efficientem; & quanam illa ſit, ac quomodo actum cauſandi exerceat?*

CVm omne ens præter Deum rationem effecti habeat; omne autem effectum habeat cauſam ſui efficientem; irrefragabiliter ſequitur, omne accidens habere cauſam ſui efficientem, ſiue ſit neceſſarium, ſiue contingens. Sed quæritur vlterius, *vtrum cauſa efficiens accidentis ſit ſola ſubſtantia, an vero præter ſubſtantiam etiam aliud accidens.* Etſi vero quidam reperiuntur, qui videntur ortum accidentium ſoli ſubſtantiæ aſcribere tanquam cauſæ efficienti; tamen verior eſt ſententia eorum, qui ſtatuunt quædā accidentia proficiſci à ſubſtantiis, quædam ab accidentibus, quædam ab vtriſque ſimul. Hanc enim comprobat per inductionem variorum exemplorum quotidiana experientia, & doctrina ſana Philoſophorum, cui nemo refragari poteſt, niſi qui ſana mente *Omne accidens oritur à cauſa aliqua efficiente.* *Quæ ſit cauſa efficiēs accidentis in genere.*

Quomodo accidens ab effic. oriatur. est destitutus. Sed præterea sciendum est causam efficientem accidentiū exercere actum causandi, vel per motum intermedium, vel sine motu per nudam ac simplicem accidentis ab ea emanationem ac resultantiam. Priori modo, ex.gr. lumen producitur in aere à sole, frigus in aere, siccitas in terra. Posteriore modo facultates naturales corporis animati producuntur ab anima, & species sensiles ab obiectis sensibilibus.

10 *An omne accidens habeat materiam proprie dictam?*

Sent. aliorū recens. MAgna est controuersia inter Philosophos de materia accidentium. Alii enim simpliciter omni accidenti materiam detrahunt. Alii distinguunt inter materiam ex qua, & in qua; & illam quidem accidentibus detrahunt; hanc vero, attribuunt. Alii vero affirmant accidentibus competere materiam ex qua; sed aliis proprie, aliis improprie & analogice. Vt igitur hæc controuersia dirimatur, sciendum est, non omne accidens habere materiam proprie dictam. *Thesis negatiua defend.* Rationes sunt: *Ratio I.* 1, quia non omne accidens habet causam internam, ex qua fiat seu constet, quemadmodum testantur pleraque exempla accidentium Physicorum, siue sint quantitates, siue qualitates, siue motus. *II.* 2, quia pleraque accidentia secundum essentiam suam pendent à solis causis externis, non secus ac substantiæ incorporeæ. *III.* 3, quia quibusdam accidentibus materia ex qua tribuitur proprie, quibusdam tantum improprie & analogice, sicut testantur exempla nutritionis & accretionis, cuius materiam ex qua, Zabarella statuit esse alimentum.

Mouetur exceptio & obiect. At contra thesin probatam partim excipi, partim obiici potest. Exceptio est, non omnia quidem accidentia habere materiam ex qua constent: omnia tamen habere materiam ex qua fiant, seu educantur. Hinc multi Philosophi asserunt accidentia è potentia materiæ seu subiecti cui inhærent, educti. Obiectio est: Si quædam accidentia non habent materiam proprie dictam ex qua fiant, inde sequitur, illa oriri ex nihilo, &, per consequens, non generari, sed tantum creari.

Responsio ad except. Ad exceptionem respondeo, illam esse vanam & futilem, cum nihil possit fieri ex materia, quin etiam constet

ex ma-

ex materia. Nec nisi valde improprie à Philosophis accidentia dicuntur è potentia materiæ seu subiecti educi; non secus ac animæ plantarum & bestiarum è potentia seminis. Ad obiectionem respondeo, non absurdum esse statuere quædam accidentia fieri ex nihilo, hoc est, ex nulla materia. Sed inde non recte concludi eiusmodi accidentia non generari, sed creari. Licet enim substantia non possit neq; naturaliter, neque artificialiter generari nisi ex materia; tamen nihil obstat, quo minus accidens aliquod absque materia ex qua generetur. *Ad obiect.*

11 *An omne accidens habeat formam proprie dictam?*

TAnta est cognatio inter materiam & formam, vt quicquid habet materiam, habeat etiam formam, & retro. Proinde cum in præcedenti Probl. probatum fuerit, non omne accidens habere materiam proprie dictam, necesse est vt etiam non omne accidens habeat formam proprie dictam. Interim sicut accidentibus quibusdam materia competit proprie, quibusdam improprie & analogice; ita forma quibusdam conuenit proprie, quibusdam improprie. *Thesis negat. defend.*

Errant igitur illi qui singulis accidentibus materiam & formam proprie dictam congruere arbitrantur. *Error aliorũ taxatur.*

12 *An omne accidens habeat finem proprie dictum?*

VVlgatum & receptum est in Philosophia axioma, quod *quicquid habet efficientem, illud habeat etiam finem, & quicquid finem; habeat etiam efficientem.* Atque hoc etiam verum est de omni effecto, quod non temere fit & fortuito. Omne enim efficiens, quod vel Dei directione, vel Naturæ instinctu, vel certo consilio agit, id operatur propter finem, adeoq; finis amore & desiderio ad causandum effectum quasi allicitur, aut saltem destinatur: Proinde recte concluditur, omne accidens habere finem proprie dictum, nisi ab efficiente temere ac fortuito agente proficiscatur. *Thesis affir. defenditur.*

13 *An accidens sit genus vniuocum?*

ETsi nonnulli Philosophi reperiuntur, qui asserunt, accidens non esse genus vniuocum, sed potius genus analogum seu genus ὡϛὸϛ ἑν: tamen contraria sententia longe videtur esse verior. Rationes sunt: 1, quia accidens prout hoc loco vsurpatur, de suis specieb. ex æquo *Pro thesi affirmante.* *Ratio I.*

prædicatur, non de vna magis, de altera minus, de vna primario, de altera secundario. 2, Quia definitio accidentis supra tradita ex æquo competit singulis illius speciebus. Sicut enim quantitas est ens incomplexum in alio tanquam subiecto inhærentiæ existens; ita etiam qualitas, motus & relatio. Quod si quis obiiciat, accidens aliud esse abstractum, aliud concretum, definitionem autem accidentis vtrique non competere; sed tantum accidenti abstracto. Respondeo, diuisionem illam accidentis in abstractum & concretum, non esse generis in species; sed vocabuli æquiuoci, in sua æquiuocata. Accidens enim concretum, vt Fr. Suar. docet disp. 39. sect. 1. contex. 11. non potest proprie appellari accidens, vt à substantia distinguitur; sed potius nuncupandum est ens per accidens, quemadmodum ab Aristotele appellatur 7. Metaphys. c. 6. Non enim est ens incomplexum, sed complexum, nempe compositum ex subiecto & accidente abstracto. Ideoque in suo conceptu semper duo entia includit, non vnum.

II.

Obiectio.

Responsio ad obiect.

14 *Quomodo accidens in genere sit distribuendum?*

Accidens in genere aliud absolutum, aliud respectiuum.

CVm omne ens aut sit absolutum, aut respectiuum, videtur etiam accidens in genere consideratum non inconuenienter distribui posse in absolutum & respectiuum. Aut enim in se consideratur sine respectu, aut cum respectu ad aliud. Si priori modo, dicitur accidens absolutum; si posteriori, dicitur accidens respectiuum, & vno vocabulo *relatio*. Sed præter has distributiones reperiuntur adhuc aliæ, vulgatæ illæ quidem; sed tamen veræ & vtiles, vt cum accidens aliud dicitur singulare, aliud vniuersale, aliud internum, aliud externum; aliud innatum, aliud aduenticium; aliud necessarium, aliud contingens; aliud proprium, aliud commune; aliud separabile, aliud inseparabile, aliud completum, aliud incompletum; aliud permanens, aliud successiuum; aliud naturale, aliud præter aut supernaturale. Quando autē præterea Scholastici Doctores diuidunt accidens in rem & modum rei, illa diuisio videtur esse vitiosa, & non magnopere curanda. Licet enim modus non sit res illa, cuius est modus; tamen ipse modus, in se consideratus, quatenus est accidens, ex rerum numero excludi neq; potest, neque debet.

Alia distributiones accidentis recensentur.

Diuisio accidentis in rem & modum rei refut.

De

De Quantitate; Cap. II.

Theoremata.

1 *Quantitas est accidens, à quo aliquid denominatur quantum.* *Quantitas in genere quid sit & quotuplex.*

2 *Estque vel absoluta, vel comparata.*

3 *Absoluta quantitas est, à qua aliquid dicitur in se quantum, sine comparatione ad aliud.*

4 *Estque vel magnitudo, vel numerus.*

5 *Magnitudo est quantitas absoluta, à qua aliquid dicitur in se magnum.*

6 *Estque vel extensiua, vel intensiua,*

7 *Extensiua magnitudo est, secundum quam aliquid est extensum & mensurabile. Alio nomine dicitur,* quantitas molis.

8 *Estque vel simplex, vel composita.*

9 *Simplex est, quæ vna dimensione constat.*

10 *Estque longitudo, latitudo & profunditas.*

11 *Longitudo, est magnitudo simplex, secundum quam aliquid est longum.*

12 *Latitudo, est magnitudo simplex, secundum quam aliquid est latum.*

13 *Profunditas, est magnitudo simplex, secundum quam aliquid est profundum.*

14 *Composita, est quæ pluribus dimensionibus constat.*

15 *Estque vel superficies, vel corpus mathematicum.*

16 *Superficies, est magnitudo composita ex longitudine & latitudine.*

17 *Corpus mathematicum, est magnitudo composita ex longitudine, latitudine & profunditate. Alio nomine dicitur* moles, *seu* trina dimensio.

18 *Intensiua magnitudo est, secundum quam aliquid recipit in se gradus perfectionis. Vnde etiam ab aliis dicitur* quantitas perfectionis, quantitas virtualis, *seu* gradualis.

19 *Sic de magnitudine. Sequitur numerus, qui est quantitas absoluta, secundum quam aliquid dicitur numerabile.*

20 *Estque vel actiuus, vel passiuus.*

21 *Actiuus numerus est, quo numeramus aliquid. Atque huius respectu aliquid dicitur vnum, vel diuersum numero.*

22 *Estque vel primus, vel à primo ortus.*

23 *Primus numerus est, qui suæ est originis, cuiusmodi est sola vnitas, quatenus per eam numeramus.*

24 *A primo ortus est, qui ab vnitate suam trahit originem.*

25 *Numerus passiuus, est multitudo rerum diuersarum numerata.*

26 *Adhuc de quantitate absoluta. Sequitur comparata, à qua aliud dicitur quantum, non simpliciter, sed cum comparatione ad aliud.*

27 *Eius species sunt 1, magnitudo & paruitas. 2, longitudo & breuitas. 3, latitudo & angustia. 4, altitudo & humilitas. 5, grauitas & leuitas. Quantum enim comparatum cum alio aut est magnum aut paruum; aut longum aut breue; aut latum aut angustum; aut altum & humile; aut graue aut leue.*

Quantum in genere quid sit & quotuplex.

28 *Porro quantum est, quod effectum est quantitate.*

29 *Estque primum aliud per se, aliud per accidens quantum.*

30 *Per se quantum est, cui quantitas per se inhæret.*

31 *Per accidens quantum est, quod propter aliud, cui adiungitur, dicitur quantum.*

32 *Deinde aliud est absolute, aliud comparate quantum.*

33 *Absolute quantum est, quod affectum est quantitate absoluta.*

34 *Estque vel extensiue, vel intensiue quantum.*

35 *Extensiue quantum est, quod est mensurabile, & reipsa diuisibile in partes ex quibus constat.*

36 *Intensiue quantum est, quod graduum est capax, & in eos mentis cogitatione diuidi potest.*

37 *Comparate quantum est, quod affectum est quantitate comparata. Eius proprietas est æqualitas & inæqualitas; seu, quod idem est,* paritas & imparitas. *Omne enim quantum comparatum cum alio aut est æquale aut inæquale; aut par aut impar.*

38 *Hinc æqualia dicuntur proprie quæ comparata inter se habent vnam & eandem quantitatem; inæqualia vero, quæ contrario modo sese habent.*

IN CAPVT SECVNDVM

PROBLEMA I.

Quomodo quantitas in genere recte sit definienda?

Diuersæ definit. aliorum recens.

MVltæ & variæ hinc inde apud Philosophos reperiuntur definitiones quantitatis. Alii enim definiunt mensuram substantiæ; alii, ens per se extensum; alii extensionem entis; alii, ens per se indiuisibile in partes exten-

I. II. III.

extensionis; alii id, quo res sunt æquales, vel inæquales: *IV.*
alii denique, id, à quo magnum vel quorum aliquid di- *V.*
citur. Sed nulla ex his definitionibus est, quæ possit con- *VI.*
sistere, si accurate ad normam veritatis examinetur. Pri- *Exam & ref.*
ma enim partim loco generis ponit mensuram, quæ ac- *praced. defin.*
cidens potius est quantitatis absolute consideratæ, quam *I.*
genus; partim subiectum quantitatis particulare ponit
pro vniuersali. Non enim quantitas generaliter sumpta
inest soli substantiæ; sed etiam aliis entibus, quæ non
sunt substantiæ. Altera confundit abstractum cum con- *II.*
creto, nempe quantitatem cum quanto, & quod soli
quanto competit, eique non omni, sed cuidam, id attri-
buit quantitati in genere. Tertia confundit motum ad *III.*
quantitatem, cum ipsa quantitate. Extensio enim est
species augmentationis, quæ est motus ad quantitatem,
eique opponitur contractio. Quarta laborat eodem cum *IV.*
secunda vitio. Quod enim conuenit quanto, eique non
omni, id attribuit quantitati in genere. Posteriores duæ,
præterquam quod genere carent, videntur etiam non o-
mni quantitati conuenire; sed quinta soli comparatæ; *V.*
sexta, soli absolutæ quantitati. *VI.*

Proinde omissis his definitionibus, quantitas in gene- *Propria defi.*
re à nobis fuit definita, quod sit accidens, à quo aliquid *traditur.*
denominatur quantum. Cum qua plane congruit illa
Goclenii, quæ habetur in Categor. ipsius his verbis: *Quan-
titas est secundum quam res dicuntur quantæ.* Vnde etiam pa- *Error Zabar.*
tet errare Zabarellam, & alios qui statuunt non posse ge- *taxat.*
neralem definitionem quantitatis assignari, cum magni-
tudo & numerus vna aliqua generali notione quantita-
tis tanquam generis synonymi non possint comprehen-
di. Nam etiam illa ratio, quam affert, falsa est, & petit
principium, quemadmodum patet ex definitione à no-
bis tradita.

2 *An quantitas realiter differat à rebus quantis?*

HOc Probl. per se satis est manifestum, & ab omni sa- *Error Schol.*
næ mentis homine facilime diiudicari potest. Ni- *quor. recens.*
hilominus reperti sunt olim Scholastici quidam, *Nomi-
nales* dicti, qui eo vesaniæ in philosophando progressi
fuerunt, vt statuerent quantitatem non solum non
distingui realiter à rebus quantis, sed neque ratione.

Ideoque vnamquamque earum rerum dici quantitatem, quatenus per se dicitur habere partem extra partem, quemadmodum videre est apud Fonsecam libr. 5. Metaphys. cap. 13. Q. 2. vbi etiam argumenta ipsorum recensentur. Fons huius erroris partim fuit prauus intellectus nominis Græci τὸ ποσόν, quod ab Aristotele modo vsurpatur substantiue, seu abstracte, pro ἡ ποσότης, modo adiectiue seu concrete, pro *quanto*, hoc est eo, quod affectum est quantitate: partim falsa definitio quantitatis, cuiusmodi est, quando dicitur *ens per se extensum, aut ens diuisibile in partes extensionis*. Etsi vero alii Scholastici priorem illam sententiam non approbarunt; sed contra senserunt quantitatem non modo formaliter; sed etiam realiter distingui à rebus quantis; tamen quidam ex illis, sicut etiam ex recentioribus, exceperunt quædam exempla, in quibus putant quantitatem non distingui realiter à rebus quantis, verbi grat. figuram globi à magnitudine eius.

Ostenditur causa error.

Error Schol. refuta.

Cæterum hæc opinio tanquam falsa & absurda reiicienda est, propter sequentes rationes: 1, quia confundit inter se abstractum & concretum, adiunctum & subiectum, quæ tamen in rebus creatis omnino realiter inter se sunt distincta. 2, quia confundit inter se species diuersas rerum, vt sunt substantia, quantitas, qualitas & id genus aliæ. 3, quia quantitas in longe alias species distribuitur quam substantia, qualitas & cæteræ res quæ dicuntur quantæ. 4, quia alia sunt effecta rerum quantatum, v.g. substantiæ, qualitatis, quam ipsius quantitatis.

Ratio I. II. III. IV.

3 *An omnis quantitas sit finita?*

Omnis quātitas creata est finita.

STatuitur thesis affirmatiua, quatenus intelligitur Prob. de quantitate creata. Nam quantitas perfectionis, quæ à Philosophis etiam Deo attribuitur, illa simpliciter est infinita; imo realiter ab ipso Deo non differt non secus ac summa illius perfectio & bonitas. Rationes autem quibus thesis affirmatiua probatur, sunt hæ: 1, quia omnis quantitas creata est accidens. Omne autem accidens est finitum. 2, quia omnis quantitas c[illegible] inest in subiecto finito, quod non est capax nisi adiuncti finiti. 3, quia omnis quantitas creata habet initium, medium & finem, ideoque ante & post se terminatur.

Ratio I. II. III.

Verum

Verum contra hanc sententiam Scholastici quidam excipiunt, nempe quantitati creatæ non repugnare infinitudinem, ideoque asserunt quantitatem posse dari infinitam, si non actu, saltem potentia & conceptione mentis. Et hoc probant 1. exemplo Mathematicorum, qui quantitatem concipiunt infinitam, tam secundum multitudinem, quam magnitudinem. 2, autoritate Aristotelis, qui 5. Topic. reiicit definitionem illam rectæ lineæ, cuius medium non exit ab extremis; quia non conuer'tilineæ infinitæ. Quod certe non fecisset, nisi statueret, lineam infinitam posse dari, aut saltem mente concipi. *Exceptio Scholasticorum.*

Vt igitur exceptioni illi, sicut etiam argumentis occurratur, distinguendum est inter infinitatem absolutam, quæ proprietas essentialis est solius Dei, & inter infinitatem restrictam, quæ solum actum terminationis & dimensionis respectu nostri excludit, non vero ipsam potentiam, neq; ipsum actum in se consideratum. Quod si exceptio de priore infinitate intelligatur, dico illam esse falsam & absurdam. Impossibile enim est, vt ens creatum siue actu, siue potentia vere possit esse, aut saltem concipi absolute infinitum. Si vero de posteriore intelligatur, libenter concedo, eiusmodi infinitatem non repugnare quantitati: Ideoque in hoc sensu quantitatem aliquam posse vere concipi & esse infinitam. *Responsio ad except.*

4 *Vtrum quantitas generaliter sumpta recte diuidatur in continuam & discretam, an vero in absolutam & comparatam?*

VSitata & recepta est apud Philosophos generalis illa diuisio quantitatis in *continuam* & *discretam*, quam etiam ipse Aristoteles tradit in suo organo, in Categoria Quantitatis. *Continuam definiunt, cuius partes communi aliquo termino copulantur discretam, cuius partes sunt disiuncta, nulloque communi termino copulatæ.* Verum hæc diuisio si ad trutinam veritatis ponderetur, videtur esse vitiosa propter sequentes rationes: 1, quia continuum & discontinuum seu discretum proprie dicuntur de corporibus quantis; ideoque quantitati sine tropo attribui non possunt. 2, quia licet concedamus per quantitatem continuam nihil aliud intelligi à Philosophis, quam magnitudinem; per discretam vero multitudinem, quem- *Prior pars Quæst. neg.* *Ratio I.* *II.*

admodum Aristot. his terminis vtitur lib. 5. Metaphys. 13: tamen diuisio illa non est adæquata suo diuiso, sed eo angustior: siquidem non omnes species quantitatis generaliter sumptæ suo ambitu complectitur; verum duntaxat species quantitatis absolutæ, easq; non omnes, sed illas tantum, quæ dicuntur magnitudo extensiua & numerus. Intensiuam enim quantitatem, sicut etiam comparatam plane omittit. Idcirco nos omissa hac distributione, tanquam manca & imperfecta aliam substituimus ita, vt quantitas alia sit *absoluta*, alia *comparata*. Hæc enim omnes species quantitatis in se comprehendit, ita vt nulla esse & repetiri possit, quæ non ad alterutrum membrum reuocari possit. Præterea membra habet cum distributo consentientia, & inter se dissentientia. Licet enim omni corpori insit absoluta magnitudo; tamen non omni inest magnitudo comparata; siquidem corpus, quod e. g. absolute est magnum, longum & latum, potest non esse magnum, longum & latum comparate; sed paruum, breue & angustum.

Posterior pars Quæst. affir. *Ratio I.* *II.*

5 *An omnis magnitudo sit extensiua?*

Prothesis neg. *Ratio I.*

STatuitur sententia negatiua. Rationes sunt: 1, Quia magnitudo extensiua est secundum quam aliquid est extensum & mensurabile. Iam autem non omne quod magnitudine est præditum, proprie & per se est extensum & mensurabile, sed tantum corpus. 2, Quia præter extensiuam magnitudinem datur intensiua, quæ competit omnibus entibus, quæ gradus perfectionis in se siue magis, siue minus recipiunt, cuiusmodi sunt qualitates. Etsi vero quidam statuunt magnitudinem intensiuam non esse propriam quantitatem, sed impropriam & translaticiam, tamen hæc sententia non videtur esse admittenda, cum definitio generalis quantitatis vere & ex æquo competat tam intensiuæ quam extensiuæ quantitati.

II. *Prolepsis.*

6 *An magnitudo extensiua recte distribuatur in lineam, superficiem & corpus; & quid per terminos illos sit intelligendum?*

Thesis negat. defenditur.

STatuitur in prima parte Probl. thesis negatiua. Est enim lex bonæ distributionis, vt sit adæquata suo distributo, eoque neq; latior, neque angustior. Hæc autem distri-

distributio magnitudinis extensiuæ in lineam, superficiem, & corpus non est adæquata suo distributo; sed eo angustior. Siquidem non omnes species complectitur, sed omittit *latitudinem* & *profunditatem*. Licet enim Aristoteles lib.5. Metaphys. cap.13. asserat, longitudinem dici lineam; latitudinem, superficiem, profunditatem corpus; tamen sibi ipse repugnat: cum paulo antea dixerit lineam esse magnitudinem vnius dimensionis; superficiem duarum; corpus trium. Proinde, vt vitium illud diuisionis declinetur, magnitudo à nobis fuit distributa primum in simplicem & compositam; quarum illa vna; hæc pluribus dimensionibus constat. Deinde simplex in longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Denique composita in superficiem & corpus Mathematicum. Porro per lineam Mathematici nihil aliud intelligunt, quam magnitudinem vnius dimensionis, nempe longitudinem cuiusque corporis. Ideoque linea Physica, quæ est corpus naturale in longum, latum & profundum extensum, hoc loco omnino est excludenda. Similiter per superficiem nihil aliud intelligunt, quam magnitudinem binæ dimensionis, quæ scilicet constat ex longitudine & latitudine. Denique per corpus nihil aliud intelligunt quam magnitudinem trinæ dimensionis, quæ nempe constat ex longitudine, latitudine & profunditate. Eaque vulgo alio vocabulo dicitur modo *moles*, modo *trina dimensio*, modo ad differentiam corporis naturalis, *corpus Mathematicum*.

Magnitudo extensiua quomodo vere sit diuid.

Superficies quid.

Corpus quid.

Sed occurrendum hoc loco est quibusdam obiectionibus; quarum prima est, lineam quatenus consideratur vt longitudo sine latitudine, esse merum figmentum, vt quæ nec existat re ipsa, nec existere in rerum natura possit. Ideoque non recte numerari inter species magnitudinis realis. Altera est, superficiem esse extremitatem corporis bina dimensione extensam, seu terminum, quo corpus circumscribitur & terminatur; ideoque non posse speciem esse magnitudinis; cum extremitas & magnitudo inter se differant. Tertia est, non tantum tres esse species magnitudinis simplicis, sed quinque, cum præter profunditatem detur etiam altitudo & crassities. Quarta est, corpus Mathematicum non recte dici trinam dimensionem; cum dimensio nihil aliud sit quam mensu-

Obiectio. I.

II.

III.

IV.

ratio ſeu extenſio magnitudinis ab vna loci poſitione
V. ad aliam. Quinta eſt, longitudinem, latitudinem & profunditatem non ſemper inter ſe realiter differre; cum vnam & eandem magnitudinem liceat interdum vel longitudinem, vel latitudinem, vel profunditatem vocare, quando ſcilicet eiuſmodi dimenſiones ſunt æquales, vt patet in globo, & in omni corpore ex parte quadrato.

Reſponſio ad obiectionem. I. Reſpondeo ad primam obiectionem, illam eſſe veram de linea quatenus conſideratur vt longitudo realiter ſeparata & ſeiuncta à latitudine, etiam quoad exiſtentiam; falſam vero de linea, quatenus conſideratur vt longitudo realiter diſtincta à latitudine, quam tamen ſemper in quouis corpore ſibi habet neceſſario adiunctam.

II. Ad alteram obiectionem reſpondeo, ſuperficiem duobus modis poſſe conſiderari, vel abſolute, vel reſpectiue: priori modo, eſſe ſpeciem magnitudinis compoſitæ; poſteriori modo, eſſe extremitatem ſeu terminum corporis: Ideoque nullam eſſe repugnantiam in ſuperficie, quatenus ita diuerſimode conſideratur.
III. Ad tertiam obiectionem reſpondeo, vnam & eandem magnitudinem, quatenus eius dimenſio conſideratur ſecundum locum ſupremum, dici proprie altitudinem; quatenus ſecundum locum inferum, dici proprie profunditatem; quatenus denique ſecundum tranſuerſum; dici craſſitiem ſeu copulentiam; tametſi improprie à Poetis etiam cœlum vocatur *profundum*, & mare *altum*.
IV. Ad quartam obiectionem reſpondeo, dimenſionem quidem eſſe proprie menſurationem ſeu extenſionem magnitudinis ab vna loci poſitione ad aliam; nihilominus per metonymiam adiuncti poteſt etiam vocabulum *dimenſionis* vſurpari pro ipſa magnitudine, &, per conſequens, etiam recte corpus Mathematicum poteſt dici trina dimenſio.
V. Ad quintam obiectionem reſpondeo, verum quidem eſſe, quod quotieſcunque longitudo, latitudo & profunditas inter ſe ſunt æquales, tunc pro arbitrio hominis eadem magnitudo poteſt dici diuerſo reſpectu, vel longitudo, vel latitudo, & profunditas; nihilominus, quatenus conſideratur vt longitudo, eatenus non poteſt dici latitudo vel profunditas, & ſic deinceps; cum hæ tres ſpecies magnitudinis non tantum definitionib. inter ſe differant; ſed etiam in corporibus viuentibus

ita

ita realiter sint distinctæ, vt nullo respectu vna possit dici altera.

7 *An punctum sit ens reale, & quidem principium lineæ?*

MAthematici definiunt punctum minimam, indiuiduamque partem lineæ expertem longitudinis, latitudinis & profunditatis. Et hoc asserunt esse principium lineæ, quatenus ex eius fluxu in longum oritur linea. Verum cum eiusmodi punctum in nullo corpore naturali actu & realiter reperiatur, neque possit reperiri; cum minima etiã illius pars trina dimensione sit affecta; idcirco statuendum est punctum prout supra fuit definitum, non esse ens reale; sed tantum ens rationis à Mathematicis melioris doctrinæ gratia excogitatum. Vnde porro sequitur, punctum non esse principium physicum, seu reale lineæ, sed tantum mathematicum seu imaginarium. Neque obstat quod lineæ partes dicuntur vulgo copulari puncto tanquam communi termino; item quod globus dicitur tangere planum in puncto, & non nisi per puncta plani moueri. Illæ enim formulæ loquendi ortæ sunt nõ nisi ex imaginaria hypothesi Mathematicorum; ideoque secundum illam etiam tantum sunt intelligendæ, neque ad res Physicas accommodandæ.

Punctum secundum Mathem. quid.

Punctũ mathematicum non est ens reale, sed rationis.

Obiectioni occurritur.

Cur autem Mathematici puncta indiuisibilia, in media etiam quantitate continua statuerint, causa duplex à Fonseca assignatur lib.5.metaph.cap.13.Q.6.sect.5 Prima est, vt partes illius copularent. Putabant enim non posse continuum constare ex multis partibus, nisi illa punctis coniungerentur. Altera causa est, vt essent quasi signa ad infinitas diuisiones ex qualibet magnitudine faciendas, quod necessarium erat ad vsum demonstrationum mathematicarum.

Cur mathemat. puncta indiuisibilia statuant.

Causa I.

II.

8 *An vnum corpus vnam tantum habeat superficiem?*

SI superficies physice consideretur, nullum corpus est, quod reuera non habeat vnam tantum superficiem, qua totum circumscribatur, & terminetur; siquidem omnes eius partes inter se sunt continuatæ. Si vero mathematice consideretur, fieri potest, vt vnum corpus multas habeat superficies. Illi enim Mathematici eas omnes diuersas dicunt, quæ angulum continent, quæ autem non continent, vnam esse asserunt. Hinc in qui-

Thesis affir. est vera physice, non mathematice.

busdam corporibus statuunt esse vnam tantum superficiem, v.g in globo; in quibusdam vero plures, vt in pyramide, cubo, &c. Sed contra obiici potest, vnum corpus posse physice quoque habere plures superficies, quam vnam: cum corpora caua habeant superficiem tam internam seu concauam, quam externam seu conuexam.

Obiectio.

Responsio ad obiect.

Respondeo, superficiem conuexam & concauam mathematice quidem considerari tanquam diuersas species; sed tamen physice loquendo, vtramque vnam tantum esse superficiem, qua totum corpus vndiquaque circumscribitur ac terminatur, cum inter se sint continuatæ.

9 *An spatium sit species quantitatis extensiua?*

Quid sit spatium secundum alios.

Diuersæ sunt opiniones de natura spatii, quæ problema propositum multis difficultatum nodis inuoluunt. Alii enim statuunt, spatium, præsertim locale,
I. nihil aliud esse, quam substantiam incorpoream immo-
II. bilem, vt Proclus. Alii, esse quantitatem trinæ dimen-
III. sionis à quantitate locati distinctam, vt Philoponus: Alii, esse extensionem quantitatis cuiusque corporis pro-
IV. priam: Alii, esse ipsum corpus inter latera continentis
V. situm: Alii, esse ipsum vacuum inter latera corporis continentis, quod actu quidem nunquam caret corpore propter perpetuam corporum in mundo contiguitatem & successionem, sed tamen sua natura corpore carere potest, & propterea etiam à mente nostra, vt corpore va-
VI. cans concipi potest, salua ipsius essentia. Alii statuunt essecapedinem corporum, seu aptitudinem ad corpora capienda, quæ maior est vel minor iuxta quantitatem locandorum corporum. Vt igitur veritas probl. quantum fieri potest, explicetur; sciendum est spatium secundum Mathematicos proprie nihil aliud esse, quam interstitium inter duo extrema à se inuicem distantia interiectum. Hinc etiam interuallum, e.g. proprie definitur spatium inter palos vallum castrense constituentes interiectum. Et quoniam mathematicæ disciplinæ subiectum, circa quod versatur, est quantitas à materia sensili abstracta; idcirco non dubium est, quin per spatium mathematice consideratum, non intelligatur res ipsa quanta quæ inter duo extrema à se inuicem distantia est interiecta; sed nuda quantitas rei interiectæ inhærens, siue illud sit corpus naturale, siue aliud quippiam.

Spatium secundum Mathemat. quid sit proprie.

Proinde

Proinde ex his concludo ſpatium eſſe ſpeciem quantitatis extenſiuæ, ſi mathematice, non Phyſice conſideretur. Sed iam quæritur, *ad quam ſpeciem quantitatis extenſiuæ ſpatium ſit referendum.* Reſpondeo, ſi in re quanta, quæ inter duo extrema à ſe inuicem diſtantia conſiſtit, conſideretur, ſola vel longitudo, vel latitudo, vel profunditas; tunc ſpatium quoque nihil eſt aliud quam vel longitudo, vel latitudo, vel profunditas illius rei. Si vero in eadem conſideretur vel ſuperficies, vel trina dimenſio, tunc ſimiliter ſpatium nihil aliud eſt, quam vel ſuperficies vel trina dimenſio illius rei.

Spatiũ Mathemat. conſideratum eſt ſpecies quantitatis extẽſ.

10 *An locus & tempus ſint ſpecies quantitatis extenſiuæ?*

Ariſtoteles in Categoria quantitatis inter ſpecies quantitatis continuæ numerat etiam locum & tempus. Quam ſententiam poſtea multi alii Philoſophi ſecuti ſunt. Ac ſane ſi locus nihil aliud eſt, quam ſuperficies concaua corporis continentis locatum, vt vult Ariſtoteles; aut ſaltem ſpatium mathematice conſideratum; dubium nullum relinquitur, quin ſit ſpecies quantitatis extenſiuæ. Hoc enim manifeſte apparet ex præcedentium problematum explicatione. Verum cum locus non poſſit eſſe ſuperficies, vt alibi à nobis probatum fuit; neque etiam ſpatium mathematice conſideratum, cum abſurdũm ſit, nudam quantitatem ſtatuere locum corporis locati: idcirco nulla ratio ſupereſt, cur locus inter ſpecies quantitatis extenſiuæ ſit numerandus. Quod vero ad tempus attinet, illud vel metaphyſice conſideratur, vel mathematice. Priori modo nihil aliud eſt quam duratio finita cuiuſque entis creati. Et ſic habet ſuam quantitatem, ſecundum quam dicitur modo magnum, modo paruum, modo longum, modo breue: Et propterea nõ eſt ſpecies quantitatis extenſiuæ; ſed potius ſpecies quanti extenſiui. Poſteriori modo nihil aliud eſt quam ſpatium, quo duratio cuiuſque entis creati ſecundum prius & poſterius menſuratur, cuius ſpecies ſunt, hora, dies, menſis, annus, luſtrũ, ſeculũ, &c. Et ſic recte inter ſpecies quantitatis extenſiuæ collocatur; cum nihil aliud ſit, quam longitudo abſoluta, ſecundum quam duratio entis finiti dicitur extenſa. Sed contra quis obiicere poſſet, Ariſt. lib. 4 Phyſ. cap. 11. *tempus* definire: quod ſit *numerus motus ſecundum prius & poſterius.*

Locus non eſt ſpecies quantitatis extenſiua.

Tempus eſt ſpecies quantitatis extenſiua, ſi Mathemat. conſideretur.

Obiectio.

minime. Hinc etiam Aristoteles, aliique Philosophi in definitione numeri plerunque ponunt loco generis multitudinem. Ex quo apparet quod statuerint multitudinem latius patere, quam numerum, siquidem omne genus latius est sua specie.

13 *Quid sit numerus in genere & quotuplex?*

DIuersæ definitiones numeri generaliter sumpti reperiuntur apud auctores. Alii enim numerum dicunt esse *multitudinem vnitatum*, vt Aristoteles libr. 10. Metaphys. cap. 3. Alii, *multitudinem ex vnitatibus collectam*. Alii, *multitudinem finitam quantitatum continuarum singularium*. Alii, *multitudinem mensurabilem vno*. Alii, *collectionem vnitatum in summam*. Sed omnes hæ definitiones, aut angustiores sunt suo definito, siue genus spectes, siue differentiam, vt priores quatuor; aut plane numero non competunt, sed potius numerationi, vt vltima. Idcirco à nobis numerus in genere fuit definitus; quod sit quantitas absoluta secundum quam aliquid est numerabile. Isque distributus fuit in actiuum, & passiuum. Actiuum diximus esse quantitatem, qua numeramus aliquid: Passiuum vero multitudinem rerum diuersarum numeratam, hoc est, actiuo numero determinatam. Vtrum vero hæc distributio à nobis tradita conueniat cum distributione aliorum, qua numerus diuiditur in numerantem & numeratum, abstractum & concretum, formalem & materialem, de eo non immerito quæritur. Ac cum ii, qui hanc postremam numeri diuisionem tradunt & vsurpant, per numerum numeratum, concretum & materialem nihil aliud intelligant quam res ipsas quæ numerantur; idcirco manifestum est illos non idem nobiscum sentire, qui per numerum passiuum intelligimus non res ipsas, quæ numerantur, sed ipsam multitudinem rerum diuersarum, quatenus certo aliquo numero actiuo est determinata.

Quid sit numerus secundum alios.
1. 2. 3. 4. 5.
Definitio propria numeri exponitur.
Numerus alius actiuus, alius passiuus.
Confertur superior distributio numeri cum aliorum distribut.

14 *An vnitas sit numerus?*

COmmunis sententia Philosophorum est, vnitatem non esse numerum, sed principium numeri, non secus ac punctum non est quantitas extensiua; sed principium illius. Verum hæc sententia non videtur simpliciter esse vera. Numerus enim actiuus est quantitas qua numeramus aliquid. Iam autem nemo est, qui negare

Sententia aliorum exponitur, & examinatur.

possit, vnitatem etiam ad numerandum adhiberi. Non enim vnum numerare possumus, nisi per vnitatem. Proinde statuendum omnino est, vnitatem esse numerum actiuum. Et hoc etiam videntur innuere ipsi Grammatici, quando in nominibus considerant numerum singularem & pluralem. Verum cum vnitas à nullo alio numero habeat originem; idcirco numerus actiuus à nobis distributus fuit in primum, & à primo ortum, quorum prior nullus alius est, quam vnitas. Ab hac enim omnis alius numerus actiuus per multiplicationem, primam suam trahit originem, cuiusmodi sunt numerus binarius, ternarius, quaternarius, &c.

Vnitas est numerus actiuus.

15 *An numerus recte diuidatur in finitum & infinitum?*

VSitata est in Scholis diuisio numeri in *finitum* & *infinitum*. Per finitum numerum intelligunt multitudinem rerum certo numero actiuo determinatam: Per infinitum vero multitudinem nullo certo numero actiuo determinatam. Etsi vero hæc diuisio sua vtilitate in artibus non caret; tamen quod ad veritatem attinet, sciendum est, omnem numerum passiuum, quatenus est numerus, proprie esse multitudinem rerum certo aliquo numero actiuo determinatam; Ideoque multitudinem indeterminatam nonnisi impropriè dici numerum, cuiusmodi sunt aceruus, populus, cœtus, grex, &c.

16 *An omnis numerus sit ens reale?*

DIstinguendum primo est inter numerum verum & falsum, quorum ille congruit cum rebus extra animum; hic vero non. Deinde inter numerum verum, quatenus materialiter & formaliter consideratur. Priori enim modo omnis numerus verus est ens reale. Ratio est, quia materia illius, ex qua constat, reuera extra mentem existit citra illius apprehensionem. Posteriori vero modo nullus numerus verus videtur esse ens reale. Ratio est, quia nihil actu & formaliter potest esse & dici numerus, nisi quatenus mente apprehenditur, & ab eadem ad certam speciem determinatur. Nihilominus si accuratius veritatem pensitemus, etiam numerus verus posteriori modo consideratus, est ens reale. Licet enim esse non possit citra mentis apprehensionem; tamen

Omnis numerus verus est ens reale.

quia

quia non est ens fictum, sed verum, potius dicendus est ens reale, quam ens rationis. Hoc siquidem propriè est ens rationis, quod sola mentis cogitatione ad modum entis realis fingitur, & citra eam nihil est, vt supra lib. 1. cap. 3. traditum fuit. Et hoc etiam inde patet; quod secundum Thomas & alios, vltima vnitas in vnoquoque numero est forma illius; cum addita priori speciem numeri compleat.

17 *An oratio sit species quantitatis?*

SVnt multi Philosophi, qui inter species quantitatis discretæ numerant orationem, quatenus pronuntiatur: Et huius etiam sententiæ fuisse asserunt ipsum Aristotelem in Categoria Quantitatis. Verum vtut sit, sententia illa nullo modo videtur esse amplectenda. Quod enim quantum est, id non est species quantitatis. Oratio autem est quanta: Ergo non est species quantitatis. Propositio est manifesta ex problem. 2. huius capitis, in quo probauimus quantitatem à rebus quantis realiter differre. Assumptio probatur, quia oratio est longa & breuis; tum ratione syllabarum quibus constat, tum ratione temporis, quo durat. Vnde etiam non inepte quantitas orationis dicitur consistere in longitudine & breuitate syllabarum. Et ipse Aristoteles in Categ. quantitatis orationem dicit mensurari syllabis longis & breuibus. *Thesis negatiua defend. contra alios.*

Cæterum quæritur, *Vtrum quantitas orationis sit extensiua, an intensiua?* Respondeo, esse extensiuam. In ea enim consideratur extensio secundum partes, non vero intensio secundum gradus. Et hoc etiam inde patet; quod quantitas orationis nihil aliud est quam longitudo partim absoluta, partim comparata, opposita breuitati. *Quantitas orationis est extensiua.*

18 *An motus sit species quantitatis?*

HAnc quæstionem prolixe tractat Fonseca lib. 5. Metaph cap. 13. Q. 8. Sed paucis expediri potest, si dicamus motum non esse in genere quantitatum, sed quantorum extensorum; tum, quia est continuus & successiuus; tum, quia tempore mathematico mensuratur eiusque respectu dicitur vel longus vel breuis. Vbi etiam obseruandum est motum, partim per se, partim per accidens esse quantum: Per se, quatenus sua, non aliena extensione est quantus; per accidens, quatenus respectu vel loci, per quem fit, vel temporis, quo durat, dicitur quantus. *Thesis negatiua defend.*

19 *An quantitas sit separabilis à subiecto cui inest?*

Thesis negatiua defend. cum distinct. quantitatis. Distinguendum est inter quantitatem absolutam & comparatam. Prior nullo modo est separabilis, cum sit adiunctum essentiale rei cui inest: Posterior vero potest separari per motum vel augmentationis vel diminutionis. Potest enim ex re magna fieri parua, ex parua magna, ex longa breuis, ex breui longa & sic deinceps.

Obiectio. Sed contra primam assertionem obiici potest exemplum mathematicorum, qui quantitatem etiam absolutam abstrahunt à materia sensili, hoc est, à subiecto cui inest. Quod facere non possent, si quantitas absoluta esset

Responsio ad obiect. simpliciter inseparabilis. Respondeo, mathematicum non realiter abstrahere quantitatem à materia sensili, sed tantum ratione & cogitatione, quatenus nimirum illam considerat absolute in sese, nullo habito respectu ad subiectum, cui inest. Est enim abstractio mathematica nihil aliud quam consideratio quantitatis, quatenus est quantitas, facta à mente sine respectu ad subiectum, cui per se illa inest.

20 *An quantitatis per se vlla sit vis & efficacia in alterandis mutandisque rebus?*

Pro thesi neg. Ratio I. Sententiam negantem multi præstantissimi Philosophi defendunt his rationibus: 1, quia quantitas, quatenus quantitas, non est principium actiuum motus,

II. sed passiuum. 2, quia ex sola qualitate pendet vis alterandi

III. & immutandi res. 3, quia neque magnitudinis, quatenus est magnitudo, neque numeri, quatenus est numerus, vlla vis est & efficacia. Vnde porro concludunt, meram superstitionem esse eorum, qui morbis mederi conantur figuris certis de collo suspensis, quique in septenario numero aliisque mysteria quærunt.

Pro thesi affirmante. argument. Cæterum pro contraria sententia non leuia argumenta ab aliis afferuntur. 1, quia quo onus est maius vel minus,

I. eo magis vel minus gestantem affligit. 2, quia quo plus, vel minus vini bibitur, eo magis, vel minus inebriat

II. hominem. 3, quia quo maior vel minor est dosis medica-

III. menti purgantis, eo fortior debilior est eius operatio

IV. in homine ægroto, qui eo est vsus. 4, Quia quo maior vel minor est numerus ciuium seditiosorum in aliqua

V. Republica, eo status eius est deterior, vel melior. 5, Quia maius lumen obfuscat minus, & maior flamma

extinguit

extinguit minorem. Videtur autem ad illa argumenta respondeti posse, quod committatur in illis fallacia accidentis. Non enim ipsa quantitas per se, quatenus est quantitas, alterat & immutat res; sed per accidens, propter adiunctam sibi qualitatem. Quo enim corpus aliquod est maius, vel minus, eo etiam qualitas in ipso est intensior & remissior. Similiter quo res sunt plures, vel pauciores, eo maiorem, vel minorem vim ad efficiendum aliquid conferunt. *Responsio ad argum. pro [illegible] affirm.*

De Qualitate, Cap. III.

Theoremata.

1 *Hactenus de quantitate. Sequitur qualitas, quæ est accidens absolutum, à quo ens denominatur quale.*

2 *Estque vel per se sensilis, vel insensilis.*

3 *Qualitas sensilis est, quæ per se sensu apprehendi potest.*

4 *Estque vel vnius sensus propria, vel plurium communis.*

5 *Prior est, quæ vni tantum sensui obiici potest.*

6 *Estque vel visibilis, vel audibilis, vel olfactilis, vel gustabilis, vel tactilis.*

7 *Posterior est quæ pluribus sensibus obiici potest.*

8 *Qualitas insensilis est, quæ per se sensu apprehendi nequit.*

9 *Vtraque qualitas tam sensilis, quam insensilis, vel est innata, vel aduentitia.*

10 *Innata est, quæ enti à primo ortus sui principio inest.*

11 *Estque vel actiua, vel passiua.*

12 *Actiua est, per quam ens aptum est ad naturaliter agendum.*

13 *Estque vel absoluta, vel determinata.*

14 *Absoluta est, per quam ens disponitur ad agendum simpliciter sine determinatione.*

15 *Determinata est, per quam ens disponitur ad bene vel male agendum.*

16 *Passiua est, per quam ens aptum est ad patiendum.*

17 *Aduentitia est, quæ enti extrinsecus aduenit.*

18 *Estque vel infusa, vel acquisita.*

19 *Infusa est, quæ à Deo immediate ex singulari gratia enti alicui communicatur.*

20 *Acquisita est, quæ virtute creaturæ comparatur.*

21 *Estque vel naturalis, vel habitualis.*

22 *Naturalis est, quæ solius Naturæ vi constat.*

23 *Habitualis est, quæ studio & industria creatura intelligentis acquiritur.*

24 *Estque vel intellectualis, vel moralis, quarum prior intellectum posterior voluntatem disponit & informat.*

25 *Porro quale dicitur, quod affectum est qualitate.*

26 *Eique quatenus cum alio comparatur, accidit esse simile vel dissimile.*

27 *Sunt enim proprie similia, quæ vna & eadem qualitate sunt affecta.*

28 *Dissimilia vero quæ contrario modo sese habent.*

IN CAPVT TERTIVM

PROBLEMA I.

An qualitas naturæ ordine posterior sit quantitate?

Quæst. decid. per distinct. SI Problema intelligatur de qualitate, quæ in eodem subiecto inest cũ quantitate, tunc vera est thesis illius affirmatiua. Non enim qualitas eiusmodi inhærere potest suo subiecto, nisi prius in eo existat quantitas, vt patet in substantia corporea. Et hoc etiam testatur Fonseca lib 5 Metaph. cap. 13. in princ pio, dum inquit: Quandocunque qualitas cum quantitate coniungitur, semper quantitas est media inter substantiam & qualitatem. Si vero intelligatur de qualitate, quæ non inest in eodem subiecto, cum quantitate; tunc falsa est thesis affirmatiua. Omni enim creaturæ incorporeæ inest qualitas, quæ tamen non præsupponit quantitatem in eodem subiecto; cum illud non sit capax quantitatis.

2 *Quid sit qualitas in genere?*

Vocabulum Qualitatis, est homonymum. VOcabulum *qualitatis*, non semper vno & eodem modo vsurpatur apud Philosophos. Quandoque enim sumitur pro differentia specifica, quæ addita generi, constituit speciem; Et sic dicitur qualitas essentialis, quandoque pro quolibet accidente opposito substantiæ: *Definitiones aliorum traduntur & refutantur.* Quo sensu quæstio qualis res sit, opponitur quæstioni quid sit; quandoque pro certa specie accidentis, opposita quantitati, motui & relationi; & in hac significatione hoc loco vsurpatur. Definitur autem ab aliis qualitas.

modo

modo forma accidentalis, per quam substantia est efficax; modo forma determinans capacitatem subiecti; modo accidens absolutum consequens formam; modo, accidens absolutum adiunctum substantiæ creatæ, ad complementum perfectionis tam in existendo, quam in agendo. Verum hæ definitiones omnes, si secundum leges definiendi examinentur, sunt vitiosæ. In prioribus enim duabus genus angustius est suo definito; differentia vero partim angustior, vt in prima, partim latior, vt in secunda: In posterioribus vero genus quidem est legitimum, sed differentia partim angustior definito, vt in tertia; partim latior, vt in quarta.

Proinde rectior videtur esse definitio, qua dicitur qualitas accidens absolutum, à quo ens denominatur quale. Cum qua etiam congruit illa Gocleniana: *Qualitas est secundum quam res dicuntur quales*: quam etiam ipse Aristoteles vere totidem verbis ponit in Categoria Qualitatis statim à principio. *Vera definitio qualitatis traditur.*

3 *Quotuplex sit qualitas in genere?*

SI quis diligenter peruoluat totam qualitatum vniuersitatem, reipsa experietur non nisi duplicem distributionem qualitatis in genere consideratæ inueniri posse. Aut enim qualitas consideratur ratione sensus, aut ratione ortus. Si priore modo, qualitas aut est per se sensilis, aut per se insensilis. Si posteriore modo, qualitas aut est innata, aut aduentitia. Vtramque distributionem in tradendis præceptis de qualitate retinui; partim melioris & dilucidioris doctrinæ gratia, partim, quia illam videbam legib. bonæ & perfectæ distributionis congruere. *Duplex diuisio qualitatis traditur.* *I.* *II.*

4 *An qualitas recte ab Aristotele in Categoriis sit distributa?*

VSitata & in Scholis Peripateticis recepta est distributio qualitatis in quatuor species, quarum prima complectitur suo ambitu dispositionem & habitem, secunda potentiam & impotentiam naturalem, tertia patibilem qualitatem & passionem, quarta figuram & formam accidentalem. Etsi vero multi sunt, qui putant hanc distributionem esse retinendam, partim propter autoritatem Aristotelis, qui in Categoria qualitatis eam tradidit, partim propter consensum Philosophorum, qui post Aristotelem ea de re scripserunt *Thesis negatiua defenditur.*

& suo calculo eam approbarunt; tamen non leues subsunt rationes cur illa non sit amplectenda, inter quas præcipuæ sunt quatuor: 1, Quia angustior est suo diuiso, cum ad quatuor illas species haudquaquam possint omnes qualitates reuocari, quemadmodum ipse etiam Aristoteles in loco paulo ante citato innuit, dum inquit: *Fortasse quidem alius modus qualitatis esse videtur: sed hi quos recensui, sunt fere principales.* Vnde etiam Simplicius & Boetius in Categoriarum commentariis, præter illa quatuor ab Ar.stotele posita, plura genera qualitatum esse arbitrantur. 2, Quia membra distributionis inter se non omnino dissentiunt. Nam primum membrum quandoque coincidit cum secundo; secundum, cum tertio; tertium, cum quarto. 3, quia secundum membrum quatenus sub se comprehendit impotentiam naturalem, pugnat cum natura distributi; cum nulla impotentia proprie sit qualitas; sed vel pura negatio, vel priuatio potentiæ. 4, Quia nullus verus est ordo inter membra illa distributionis, siue naturæ siue doctrinæ; sed qualitates sensiles confunduntur cum insensilibus, innatæ cum aduentitiis. Proinde nos omissa distributione Aristotelis aliam in præceptis tradidimus, quæ melior est & perfectior.

Ratio I. *II.* *III.* *IV.*

5 *An omnis potentia sit qualitas?*

Pro thesi affirmante. Argument. I. II.

Videtur thesis affirmatiua probari posse partim à definitione qualitatis, partim à distributione generali potentiæ. Qualitas enim est, secundum quam ens dicitur quale. Iam autem à potentia ens dicitur quale: Ergo potentia est qualitas. Præterea potentia vel est increata & infinita; vel creata & finita. Vtraq; autem est qualitas. A priori enim Deus; à posteriori creatura dicitur qualis. Verum pro thesi negante afferri potest hoc argumentum: *Omnis qualitas est accidens. Non omnis autem potentia est accidens: Ergo non omnis potentia est qualitas.* Propositio probatur à definitione qualitatis supra probl. 2. tradita. Assumptio probatur 1, quia potentia infinita & increata nō est accidens, sed proprietas essentialis Dei, quę reipsa non differt ab ipsius essentia. 2, quia facultates animæ non sunt accidentia, sed substantiæ: Ideoque à multis etiam ad Categoriam non Qualitatis, sed Substantiæ referuntur. Pro decisione problematis sciendum est, vocabulum quali-

Pro thesi negante. Argum.

Quæstio deciditur per distinctionem.

qualitatis, modo generaliter vſurpari, ſine reſtrictione ad certam ſignificationem; modo vero pro certa ſpecie accidentis.

Quod ſi igitur priore modo vſurpetur, verum eſt omnem potentiā eſſe qualitatem. Si vero poſteriore modo accipiatur, falſum eſt, omnem potentiam eſſe qualitatem. Potentia enim increata Dei non eſt eiuſmodi qualitas, quæ ſub genere accidentis contineatur. Ideoque ad differentiam qualitatis accidentalis nuncupari ſolet à quibuſdam δύναμις οὐσιώδης, hoc eſt, *potentia eſſentialis*, ſeu *ſubſtantialis*. Etſi vero quidam magni nominis Philoſophi reperiuntur, qui aſſerunt etiam ex potentiis creatis alias eſſe qualitates ſubſtantiales, alias accidentales, hoc eſt, alias pertinere ad Categoriam Subſtantiæ, alias ad Categoriam Qualitatis; illa tamen ſententia non poteſt concedi. Omnis enim potentia creata, modo vocabulum proprie vſurpetur, eſt in numero accidentium; & nulla inueniri poteſt, quæ rationem ſubſtantiæ participet. Neque eſt quod quis obiiciat facultates animæ. Aut enim per facultates animæ intelliguntur qualitates, quæ vel ipſi animæ, vel corpori animato tanquam ſubiecto inhærent, aut ſpecies diſtinctæ animæ, vt ſunt anima vegetans, ſentiens & rationalis. Si prius; vocabulum facultatis proprie vſurpatur: Si poſterius, improprie; & ſic noſtræ aſſertioni nihil repugnat. *Occurritur obiectioni.*

6 *Quid ſit potentia in genere?*

VOcabulum, *potentia*, quod Græce dicitur δύναμις, apud Latinos appellatur modo *facultas*, modo *aptitudo*, modo *habilitas*, modo barbare *idoneitas*. Etſi vero nulla definitio vniuoca aſſignari poteſt potentiæ, quatenus vocabulum illud indeterminate accipitur pro potentia tam increata, quam creata; tamen analogice videtur potentia in genere definiri poſſe, quod ſit *Qualitas ſecundum quam ens aptum eſt vel ad agendum, vel ad patiendum*. Sed quando poſtea eiuſmodi definitio applicatur ad potentiam vel increatam, vel creatam, tunc ſemper notandum eſt, illam proprie intelligendam eſſe de potentia creata; improprie vero & καθ' ἀνθρωποπάθειαν de potentia increata. Hæc enim ita dicitur qualitas, ſecundum quam Deus aptus eſt ad agendum, vt tamen ab eſſentia non realiter, ſed tantum ratione, & ſecundum *Definitio potentiæ.*

nostrum concipiendi modum sit distincta; illa vero ita dicitur qualitas, secundum quam creatura apta ad agendum, vel patiendum, vt tamen ab essentia creaturæ realiter differat.

7 *An potentia alia sit actiua, alia passiua, & quomodo vtraque definienda sit?*

Potentia alia actiua, alia passiua.

VSitata est apud Philosophos distributio potentiæ in actiuam & passiuam. Eius etiam passim meminit Aristoteles in suis scriptis, præsertim lib. 9. Metaph cap. 1. & seq entibus. Ratio vero huius distributionis sumitur ab actu, cuius gratia potentia suo subiecto inest, qui actus nihil aliud est quam motus. Cum enim motus entis alius sit actiuus, alius passiuus, hoc est, vt clarius loquar, alius actio, alius passio, necesse est vt etiam potentia secundum quam ens aptum est ad motum, sit vel actiua, vel passiua. Nihil enim agit, nisi in se habeat potentiam agendi: & nihil patitur, nisi in se habeat potentiam patiendi. Vnde ortum est axioma illud vulgatum Philosophorum, *Actum semper præsupponere potentiam*, seu, vt Scholastici quidam loquuntur, *Esse, semper præsupponere posse.*

Quomodo potētia actiua & passiua sit definienda.

Cæterum definitur potentia actiua ab Aristotel. libr. 9. Metaphys cap. 1 *principium mutationis in alio quatenus est aliud. passiua vero principium mutationis ab alio, quatenus est aliud.* Quæ definitiones non videntur exprimere naturam potentiæ siue actiuæ, siue passiuæ absolute & in genere consideratæ. Nam primum non competit genus definito, quatenus in se absolute spectatur: Deinde differentia non exprimit obiectum potentiæ adæquatum. Siquidem potentia non tantum est principium mutationis, quæ est motus compositus; sed etiam motus simplicis, neque tantum motus simplicis externi & transeuntis; sed etiam interni & immanentis. Idcirco rectius facere videntur illi, qui potentiam actiuam definiunt principium agendi; passiuam vero principium patiendi. Sed tamen neque hæ definitiones exprimunt essentiam absolutam potentiæ, siue actiuæ, siue passiuæ; sed tantum respectiuam.

Vera definitio poten. act. & pass. traditur.

Proinde omnium optime iudico veritatem attingi, si quis potentiam actiuam definiat qualitatem, secundum quam ens est aptū ad agendum; passiuam vero qualitatem, secundum quam ens aptum est ad patiendum.

8 Quo-

8 *Quotuplex sit potentia actiua in genere?*

Diuersæ reperiuntur distributiones potentiæ actiuæ apud Philosophos. Nam 1, potentia actiua alia est innata, alia aduentitia. Innata est, quæ enti alicui à primo sui ortus principio inest, siue sit concreata siue congenita. Aduentitia est, quæ enti alicui post sui ortum extrinsecus aduenit. Vbi etiam notandum est, potentiam aduentitiam latius patere, quam acquisitam. Licet enim omnis potentia acquisita sit aduentitia; tamen non omnis aduentitia est acquisita. Datur enim potentia diuinitus infusa, quæ quidem est aduentitia; sed tamen non est acquisita. Vnde etiam patet, non recte ab aliis diuidi potentiam in *connatam* & *acquisitam*. *Distributiones variæ potentiæ actiuæ recensentur.* I.

2, potentia actiua alia est absoluta, alia determinata. *Absoluta* est, per quam ens aptum est ad agendum simpliciter, sine determinatione vel ad bonum, vel ad malum. *Determinata* est, per quam ens aptum est ad agendum vel bene vel male. Et hæc postrema ita est comparata vt ordine Naturæ semper præsupponat priorem. Nemo enim potest vel bene vel male agere, nisi possit simpliciter agere. Et hoc etiam testatur Aristoteles lib. 9 Metaph. cap. 2 dum inquit, *potentiam bene agendi sequitur, scil. vi illationis, potentia simpliciter agendi.* Necesse enim est eum qui bene agit, etiam agere. II. *Potentia absoluta præcedit determ.*

3, Potentia alia est prima, alia secunda. Prima potentia est, quæ aliam se priorem potentiam in eodem subiecto non habet. Secunda est, quæ primæ est subordinata. Sic potentia absoluta est prima; determinata vero secunda. III.

4, potentia alia est remota, alia propinqua. Remota est, inter quam & actum datur adhuc alia potentia intermedia. Propinqua vero est, inter quam & actum non datur alia potentia intermedia. Hinc quædam entia dicuntur in potentia remota ad actum; quædam vero in potentia propinqua. IV.

5, potentia actiua alia est ἄλογος, hoc est, *irrationalis*, alia μετὰ λόγου, hoc est, *rationalis*. Prior est quæ enti rationis experti inest, siue sit inanimatum, siue animatũ, cuiusmodi est in magnete potentia attrahẽdi ferrum, in Rhabarbaro potentia purgandi bilem; in bestia potentia sentiendi. Posterior est, quæ enti rationis cõpoti inest, cuiusmodi est potentia intelligendi, volendi, loquendi, & id genus alia. Vtramque vero Aristoteles ita inter se distinguit, vt dicat V.

potentiam irrationalem tantum esse determinatam ad vnum contrariorum, rationalem vero ad vtrumque. Quæ sententia est vera, si intelligatur de obiectis, non vero de actibus contrariis. Licet enim omnis potentia rationalis natura sit indifferens ad obiecta contraria, nulla tamen est indifferens ad actus contrarios; sed vna quæque ad vnum duntaxat actum est determinata.

Error quorundam refutatur. Perinde errant illi, qui statuunt vnam & eandem potentiam esse, v. gr. volendi & nolendi, eligendi & repudiandi, loquendi & silendi. Cum enim potentiarum diuersitas non aliunde colligi possit, quam ex diuersitate actuum; sequitur necessario, cum volitio & nolitio, electio & repudiatio, loquela & silentium sint diuersi actus; etiam potentias, per quas homo aptus est ad eiusmodi actus exercendos, esse diuersas. Interim libenter concedimus ipsum ens, quod in se habet potentias rationales, esse sua natura liberum & indifferens tam ad actus, quam obiecta contraria. Potest enim, verbi gratia, homo non tantum libere & indifferenter velle tam bonum, quam malum, tam hoc quam illud; sed etiam vnum & idem obiectum velle & nolle, velle & non velle. Vnde etiam duplex libertas ipsi à Philosophis attribui solet, vna contrarietatis, altera contradictionis.

9 *An in Deum proprie cadat vlla potentia passiua?*

Positio neg. Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia
Ratio I. Deus est ens simpliciter primum: Ideoque aliud supra se ens non habet, cuius potentiæ actiuæ sit subie-
II. ctum. 2 Quia Deus est ens perfectissimum & absolute
III. immutabile. 3, quia potentia passiua est propria solius creaturæ. Illa enim non tantum sua natura apta est ad agendum, sed etiam ad patiendum: quippe quæ poten-
Obiectio. tia Dei actiuæ est subiecta. At vero in contrariam partem obiici potest, Deum ab hominibus religiose coli & adorari: Ideoque ei inesse potentiam passiuam ad recipiendum sic cultum & adorationem religiosam. Respon-
Responsio. deo, ex antecedente non sequi consequens. Deus enim respectu cultus & adorationis religiosæ, non proprie habet rationem patientis; sed tantum obiecti, circa quod ille cultus citra vllam Dei passionem proprie sic dictam occupatur.

10 *An*

10 *An sit discrimen inter potentiam & potestatem?*

Pro thesi affirmante. *Ratio I.* *II.* *III.*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia potentia Græce dicitur δύναμις: potestas vero ἐξουσία. 2, quia potentia quatenus actiue sumitur, est aptitudo seu habilitas agendi siue innata, siue acquisita: Potestas vero est ius agendi lege siue naturali, siue positiua concessum. 3, quia potentia potest alicui competere, cui tamen non competit potestas, & vice versa. Sic latro habet quidem potentiam spoliandi viatorem, sed non potestatem; contra magistratus semper quidem habet potestatem puniendi latronem; sed non semper potentiam, nisi quando ipsum captiuum detinet. Similiter Rex aliquis sæpe potentiam habet obsidendi & expugnandi aliquod oppidum, in quod tamen nullam habet potestatem. Contra sæpe potestatem habet, cum potentia destituatur. Eodem modo homo potentiam habet peccandi in legem siue diuinam, siue humanam, sed non potestatem. Proinde grauiter errant illi, qui *potentiam* & *potestatem* pro vna & eadem re sumunt; siquidem confundunt inter se entia, quæ sua natura inter se debent esse distincta.

Error aliorũ taxatur.

11 *An omnis potentia sit in numero rerum bonarum habenda?*

Thesis affir. est vera secũdum quid.

SEntentiam affirmantem videtur defendere Aristoteles lib. 4 Top. c. 5. vbi inquit: πᾶσαι δυνάμεις τῶν αἱρετῶν, καὶ γὰρ αἱ τῶν φαύλων δυνάμεις αἱρεταί, hoc est, *omnes potentiæ sunt in numero rerum eligendarum.* Etenim ipsæ malorum potentiæ sunt eligendæ. Hinc etiam non veretur eodem in loco Deo attribuere potentiam male agendi; tametsi ipsum actum longissime à Deo remoueat. Putat enim neminem dici malum, quia possit male agere; sed quia ex proæresi male agat. Et si vero Aristoteles grauiter hallucinatur, dum potentiam peccandi Deo attribuit, quippe quæ cum natura optima & perfectissima pugnat; tamen sententia ipsius, qua asserit omnem potentiam esse in numero rerum eligendarum, &, per consequens, bonarum, non videtur simpliciter reiicienda. Nam primum certum est omne ens naturaliter esse bonum, quatenus est ens. Deinde negari non potest omnem potentiam naturalem, quatenus est naturalis, esse in numero

bonorum naturalium habendam. Illa enim opponitur impotentiæ naturali tanquam bonum naturale malo naturali. Interim libenter concedimus inter potentias acquisitas, omne vitium morale quatenus sumitur pro habitu, esse moraliter malum. Est enim hoc sensu nihil aliud, quam potentia peccandi per assuetudinem a creatura intelligente acquisita, quæ per se est culpabilis & fugienda. Atque hoc respectu sentent. Aristot. non est vera, sed falsa.

12 *An omnis potentia mutari possit salua manente essentia entis, cui inest?*

Thesis negatiua defend. per distinct.

SVnt nonnulli homines rudes, qui sine discrimine videntur statuere quamlibet potentiā esse mutabilem, ita vt non tantum augeri & imminui; verum etiam corrumpi & penitus amitti possit, salua manente essentia entis, cui inest. Hanc vero sententiam esse falsam inde patet, quod inter potentias innatas quam plurimæ dantur, quæ sunt proprietates essentiales entis, profluentes immediate ab essentia illius; ideoque nullo modo variari & mutari possunt, quin necesse sit ipsam etiā essentiam entis mutari & variari. Itaque quando agitur de mutatione potentiarum, tunc semper distinguendum est inter potentias, quæ enti alicui vel necessario inhærent tanquam proprietates essentiales, vel contingenter. Prioris enim generis potentiæ extra omnem mutationis aleam sunt positæ, quam diu ens ipsum, cui insunt, durat. Posterioris vero varie mutantur, etiam salua manente essentia ipsius entia, prout causæ efficientes illarum à quibus profluunt, aliter atque aliter sese habent. Sic in aqua calida est potentia actiua calefaciendi, quæ potest vel intendi, vel remitti, vel etiam amitti, prout calor aquæ, à quo illa potentia proficiscitur, mutatur. Sic in ligno viridi est potentia ad difficilem combustionem, quæ potest vel intendi, vel remitti, vel omitti, prout viriditas seu humiditas ligni, à qua oritur, mutatur. Idem sentiendum est de aliis eiusdem naturæ potentiis, siue innatis, siue aduentitiis.

Sententia aliorum exponitur.

13 *An potentia possit induere rationem impotentiæ?*

NVlla opinio est tam absurda, quin suos patronos & defensores reperiat. Id quod etiam ex hoc Probl. satis

satis liquet, in quo quidam inueniuntur Philosophi qui partem affirmantem defendunt, nimirum potentiam diuerso respectu induere posse rationem impotentiæ; Et hanc probant inductione exemplorum; quippe quod potentia attrahendi ferrum in magnete, sit impotentia depellendi à se ferrum; & potentia calefaciendi in igne, sit impotentia frigefaciendi, & sic deinceps. Verum hæc sententia falsa est & absurda propter sequentes rationes: 1, quia potentia & impotentia opponuntur inter se tanquam habitus & priuatio, vt testatur Arist. lib. . Metaph. c. 12. dum ait, ἀδυναμία ἐστὶ στέρησις τῆς δυνάμεως. Nullus autem habitus potest induere rationem priuationis. 2, quia potentia & impotentia differunt tanquam ens & non ens. Ens autem non potest esse non ens. Quod igitur ad exempla adducta attinet, concedo quidem ex potentia vnius actus posse sæpe concludi negationem contrarii actus; sed nego potentiam vnius actus esse impotentiam contrarii actus.

Thesis negat. defenditur. *Ratio I.* *II.* *Resp. ad exempla superius allata.*

14 *An potentia opponatur actui?*

Communis opinio Philosophorum est, potentię non tantum opponi impotentiam, sed etiam actum. Cæterum de modo oppositionis inter illos controuertitur. Auerroes enim libro 9. Metaphys. context. 11. statuit potentiam & actum opponi relatiue. Sed Zabarella lib. 1 De materia prima, cap. 9. hanc sententiam impugnat tribus potissimum argumentis. 1, quia vera relatiua sunt simul natura, & vtrouis posito alterum necessario ponitur; & vtrouis ablato alterum necessario aufertur. At posita potentia non ponitur actus; neque actu posito ponitur potentia. Imo è contrario dum potentiam ponimus, auferimus actum, & dum ponimus actum, auferimus potentiam. 2, quia eorum quæ vere sunt relatiua, debet reciproca esse relatio. Illa autem non est inter potentiam & actum. Licet enim potentia referatur ad actum; tamen actus nullam habet relationem ad potentiam. 3, quia vere relatorum vnum per alterum definitur & cognoscitur. Id quod non fit in potentia & actu. Licet enim potentia definiatur & cognoscatur per actum; tamen actus non per potentiam. Postea idem Zabarella subiicit suam sententiam, quæ statuit potentiam &

Sent. aliorũ recens. *Potent. non relate opponi actui.* *Ratio I.* *II.* *III.* *Potent. priuat. opponi actui.*

actum opponi priuatiue, nempe tanquam priuationem & habitum. Argumenta ipsius sunt tria: 1, quia potentia semper habet annexam priuationem actus, cui opponitur; imo videtur idem omnino esse potentia & priuatio; distingui autem ratione. 2. quia propria conditio eorum, quæ priuatiue opponuntur, est, vt priuatio definiatur & cognoscatur per habitum; non autem habitus per priuationem. Certum autem est potentiam definiri & cognosci per actum; non autem actum per potentiam. 3, quia potentia & actus neque relatiue opponuntur, vt supra fuit ostensum, neque vel contradictorie vel contrarie, siquidem inter contradictoria & contraria vnum non pendet ab altero, neque definitur per alterum. Potentia autem pendet ab actu & per actum definitur, non secus ac priuatio pendet à suo habitu, & per illum definitur.

Ratio I. *II.* *III.*

Sent. Zabar. improb.

Verum hæc opinio Zabarellæ in Philosophia est absurdissima & nullo modo admittenda, propterea quod contra sensum omnem & rationem potentiam ad genus priuationis refert; cum tamen omnis potentia sit qualitas, &, per consequens, accidens positiuum, adeoque ens, vt supra probatum fuit.

Quæstio deciditur per distinctionem.

Vt igitur veritas propositi Problematis clarius innotescat, ante omnia notanda est æquiuocatio vocabuli *actus*, quod in Philosophia modo sumitur pro substantia absolute considerata, vt cum Deus dicitur actus purissimus; modo pro perfectione entis siue essentiali, siue accidentali; modo pro forma essentiali entis; modo pro motu entis tam actiuo, quam passiuo. Et in hac postrema significatione hoc loco vsurpatur. Et sic potentia & actus in se sunt entia absoluta, & inter se differentia tanquam qualitas & motus, neque vllo modo inter se opponuntur; cum eidem enti secundum idem, ad idem, & eodem tempore attribui possint teste ipso Arist. in libro De somno, cap. 1. dum ait, οὗ ἡ δύναμις, τούτου καὶ ἡ ἐνέργεια, hoc est, *cuius est potentia, eius est actus*. Quorum verborum sensus est, actum in eodem esse subiecto, in quo est potentia. Quod si vero potentia referatur ad actũ tanquam principium ad principiatum, hac ratione relate opponuntur, vt voluit Auerroes; neque argumenta Zabarellæ quibus hanc sententiam impugnat quicquam valet, cum in

singulis

singulis assumptio sit falsa; quatenus potentia & actus non absolute, sed relate, vt principium, & principiatum considerantur.

15 *An posita potentia semper ponatur actus, & vice versa, posito actu semper ponatur potentia?*

IN hoc Problem. prior pars negatur; posterior affirmatur. Rationes pro priore parte sunt: 1, quia potentia nō est proxima causa efficiens actus, sed remota. 2, quia non omne quod potentiam habet operandi, semper operatur. 3, quia si posita potentia semper poneretur actus, sequeretur omne corpus naturale perpetuo agere & pati, quia semper in se habet potentiam agendi & patiendi. Et hoc etiam confirmat trita illa in Scholis regula, *à posse ad esse non valet consequentia.* *Pro priore parte quaest. affirm.* *Ratio I.* *II.* *III.*

Rationes pro posteriore parte sunt: 1, quia nihil operatur, nisi possit operari. 2, quia nulla potentia, quatenus est proprietas essentialis entis, potest ab eo separari salua essentia ipsius. 3, quia si actu posito non poneretur potentia, sequeretur inde 1. aliquid operari quod potentiam operandi non habet. 2, actum non semper praesupponere potentiam: & sic falsam esse tritam in Scholis regulam, *ab esse ad posse valere consequentiam.* *Pro poster. parte qu. neg.* *Ratio I.* *II.* *III.*

Caeterum contrariam sententiam defendit Zabarella lib. 1. de materia prima, cap. 9. In illo enim loco primum asserit potentiam ex sententia Arist. in libr. De interpretatione, duobus modis sumi: 1, proprie pro potentia, quae praecedit actum tanquam illi opposita, & ipso adueniente interit. 2, improprie & aequiuoce pro illa potentia, quae simul est cum actu. Deinde vbi contra sententiam Auerrois disputat, expresse dicit, actu posito non poni potentiam, sed potius tolli. *Zaba. opinio explicatur.*

Ac sane rationes, quae Zabarellam mouerunt ad amplectendam hanc opinionem, videntur hae duae fortassis fuisse: 1, quod oppositorum ea sit natura, vt vno posito, tollatur alterum. 2, quod nihil respectu eiusdem possit simul dici ens actu & ens potentia. Responderi autem potest: 1, potentiam & actum quatenus absolute considerantur, non esse opposita, vt in praecedenti Problem. dictum fuit. 2, duobus modis aliquid dici ens potentia, vel id quod actu non existit, potest tamen existere; vel id *Rationes pro Zabar. opin.* *I.* *II.* *Responsio ad obiect.* *I.* *II.*

quod actu non operatur, potest tamen operari. Similiter duobus modis aliquid dici ens actu, vel id quod actu existit, vel quod actu operatur. Priori modo verum est nihil respectu eiusdem posse simul esse ens, actu, & ens potentia: posteriore vero modo est falsum. Si enim actu operandi posito, destrueretur potentia operandi, tunc in quod operatur, aut nullam amplius haberet potentiam ad alios actus, aut aliam nouam subinde acquireret: quorum vtrumque longe est absurdissimum.

16 *Vtrum ob potentiam vlli enti nomen actus sit tribuendum?*

Pro thesi neg. Ratio I. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia posita potentia non statim ponitur actus. 2, quia nullum
II. ens est tale, quia potest esse tale, v.g. nullus homo dicitur fur, aut calumniator, quia potest furari & calumniari; sed quia furatur & calumniatur, quemadmodum docet
III. Arist. lib. 4. Top. c. 5. 3, Quia nomen actus non est confundendum cum nomine potentiæ; alioquin fit partim confusio rerum diuersarum; partim implicatio contra-
IV. dictionis. 4, Quia contraria sententia aperit Sophistis tutissimum diuerticulum ad suas strophas & fallacias occultandas.

Si enim concedatur ipsis limitatio verborum actum significantium per vocabulum *potentia*; tunc probare poterunt, saltem adhibita distinctione potentiæ & actus, vnum & eundem hominem simul esse sanum & ægrotum, doctum & indoctum, diuitem & pauperem, probum & improbum, &c. Id quod magnam rerum distinctissimarum confusionem inducit, & tollit discrimen veri & falsi, boni & mali.

17 *An omnis potentia aliquando traducatur in actum?*

Pro thesi negante. Ratio I. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia Deus potentiam habet faciendi multa, quæ tamen actu nunquam facit, quia non vult facere, ex. gr. potest ex lapidibus excitare liberos Abrahæ, neq; tamen vnquam
II. hoc facit. 2, quia omnis creatura semper habet in se potentiam passiuam, qua apta est secundum essentiam mutari & in nihilum redigi; neq; tamen omnis creatura aliquando actu secundum essentiam mutabitur, & in nihilum

lum redigetur. 3, quia in omni homine est potentia naturalis videndi & audiendi; quippe quæ ab anima sentiente necessario profluit; & tamen reperiuntur homines, qui nunquam viderunt, vel audiuerunt ob corruptionem sensoriorum.

At contra obiici potest vanam esse potentiam, quæ nunquam traducitur in actum. Respondeo, primum nihil posse dici vanum, quod finis alicuius gratia enti inest. Iam autem omnis potentia, etiam illa, quæ ex absoluta naturæ necessitate ens al quod consequitur, finis alicuius gratia enti inest: Ergo nulla potentia potest dici vana. Deinde dico, distinguendum esse inter potentiam, quatenus refertur ad actum tanquam finitum ad finem, vel tanquam causa efficiens remota ad effectum. Priore modo potentia & actus, semper sunt simul; posteriore, minime. *Obiectio. Responsio. I. II.*

18 *An vlla potentia vere & proprie dicatur agere?*

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia nulla qualitas vere & proprie dicitur agere, cum tantum sit instrumentum, quo substantia vtitur ad agendum: Omnis autem potentia est qualitas. 2, Quia quicquid vere & proprie agit, id habet potentiam agendi. Nulla autem potentia habet potentiam agendi. 3, Quia quicquid agit, ei subiectiue inest actio. Nulli autem potentiæ subiectiue inest actio. 4, Quia actio est propria affectio substantiæ, per qualitatem certam agentis. Ergo potentiæ vere & proprie attribui nequit. 5, Quia absurdum est dicere potentiam loquendi, loqui; ridendi, ridere; ambulandi, ambulare, manducandi, manducare, & sic deinceps: Ergo absurdum etiam est de aliis potentiis dicere, illas vere & proprie agere. Interim concedimus potentiam esse principium seu instrumentum actionis. Quocirca vehementer errant qui facultatibus attribuunt actiones, quæ attribuendæ potius sunt ipsi substantiæ; cui facultates insunt. *Pro thesi neg. Ratio I. II. III. IV. V. Potentia est principium actionis.*

19 *An habitus & dispositio inter se differant, & quomodo?*

Vt hoc Problema rectius explicetur, ante omnia excutienda est homonymia vocabulorum. Vox enim *habitus* sumitur modo pro actu habentis seu rei habitæ; *Homon. vocis habit. & disposit. excut.*

modo pro qualibet re positiua, cuius dari potest priuatio; modo pro certa specie qualitatis. Similiter vox *dispositionis* sumitur modo pro certa specie motus, siue sit ordinatio, hoc est, dispositio partium in toto, siue collocatio, hoc est, dispositio partium in loco, siue alia positio; modo pro ipso ordine, qui ex dispositione resultat; modo deniq; pro certa specie qualitatis. In hoc vero Probl. vtrumq; vocabulum vsurpatur in tertia duntaxat, seu vltima significatione. Et sic ex communi Philosophorum sententia habitus & dispositio inter se differunt. Sed de modo, quo inter se differunt, non eadem est sententia. Alii enim statuunt habitum differre à dispositione, tanquam speciem à genere. Omnem enim habitum esse dispositionem; sed nõ omnem dispositionem esse habitum. Et hoc etiam probant ex Arist. Nam lib 5 Metaph. c. 20. habitum definit, quod sit διάθεσις, καθ' ἣν εὖ ἢ κακῶς διάκειται τὸ διακείμενον, καὶ ἢ καθ' αὑτὸ ἢ πρὸς ἄλλο, hoc est, *dispositio, secundum quam bene vel male disponitur subiectum, & quidem vel erga se, vel erga aliud.* Idem lib. 2. Top. cap. 2. dispositionem dicit esse genus disciplinæ seu artis. Alii vero asserunt dispositionem & habitũ differre tanquam species diuersas vnius generis proximi; ideoque fieri non posse, vt vlla dispositio sit habitus, aut vllus habitus dispositio. Et hanc etiam sententiam defendit Thomas aliique Scholastici, vt videre est apud Fonsecam lib. 5 Met. c. 14 Q. 2. Alii deniq; statuunt habitum & dispositionem non differre specie; sed tantum secundum magis & minus, hoc est, secundum gradus minoris & maioris perfectionis.

[H]abit. & dis[p.] inter se [differ]unt. *[Qu]omodo [ha]b. & dis[p]. inter se differ.* *Sent. alior.* I. II. III.

Argumenta ipsorum sunt: 1, quia Aristoteles in Categoria qualitatis ad vnam & eandem speciem qualitatis refert dispositionem & habitum: Et in eo tantum dicit habitum differre à dispositione, quod habitus sit diuturnior & difficilius abiici seu amitti possit, quam dispositio. Quod certe discrimen non est essentiale, sed accidentarium. 2, quia ex dispositione progressu temporis potest fieri habitus, non secus, ac ex puero fit vir, etiam non mutata specie. Vnde recte à quibusdam dispositio dicitur *gradus ad habitum*, seu potius *habitus inchoatus.*

Argum. pro 3. sentent. I. II.

Pro decisione igitur Probl. sciendum est dispositionem ab Arist. modo late sumi pro genere, sub quo etiam habitus

Quæstio deciditur per distinctionem.

bitus

bitus comprehendatur; modo strictè, pro specie qualitatis, quæ ab habitu non differat, nisi secundum magis & minus. In priore significatione veram esse primam sententiam; in posteriore vero tertiam; alteram vero plane esse falsam; ideoque reiiciendam.

20 *An omnis habitus sit qualitas acquisita?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia habitus quidam corporis homini innascitur, vt sanitas, pulchritudo. 2, quia habitus quidam animi diuinitus infunditur creaturæ intelligenti, cuiusmodi fuit noticia rerũ futurarum in Prophetis, item q; noticia linguarum peregrinarum in Apostolis, die Pentecostes ipsis infusa. Quod si quis obiiciat, definitiones habitus in Scholis receptas, in quibus omnibus habitus dicitur esse qualitas crebris actionibus comparata. Respondendum est, illas esse intelligendas de habitu non generaliter, sed specialiter accepto, cuiusmodi sunt omnes illi habitus, qui per doctrinam vel assuetudinem ab hominib. comparantur. *Pro thesi negante.* *Ratio I.* *II.* *Obiectio.* *Responsio.*

21 *An omnis habitus sit potentia?*

SEntentiam affirmantem defendit Aristot. lib. 9. Metaph. Nam primum cap. 2. distribuit potentias in irrationales & rationales: & inter rationales potentias numerat omnes artes & scientias. Deinde cap. 5 potentias alias dicit esse συγγενεῖς hoc est, *congenitas*, vt facultatem sentiendi; alias consuetudine & doctrina acquiri, vt artes. Ac sane ipsa etiam ratio ducta à definitione potentiæ, hanc sententiam Aristotelis approbat. Omnis enim qualitas, secundũ quam ens aptum est ad agendum, est potentia. Iam autem omnis habitus est qualitas, secundum quam ens aptum est ad agendum: Ergo omnis habitus est potentia. Vnde etiam fit, vt habitus & potentia sæpe pro vna & eadem re sumantur. *Thesis affir. defend.* *Argum. I.* *II.*

22 *An vlla passio possit esse qualitas?*

ARistoteles in Categoria Qualitatis ad tertiam illius speciem refert qualitatem patibilem & passionem. Ideoque secundum Aristotelem dubium non est, quin passio aliqua possit esse qualitas. Verum notanda est homonymia vocabuli *passionis*. Illud enim modo sumitur pro certa specie motus opposita actioni: modo pro re, quam quis patitur, quæ Græce dicitur πάθημα, quo *Thesis affir. defenditur. partic.* *Vocab. passionis est homonymum.*

sensu calamitas & dolor dicitur passio; modo pro quolibet accidente, quo sensu accidens proprium ab Aristotele frequentissime appellatur ἴδιον πάθος: modo deniq; pro certa specie qualitatis sensilis, quæ ex affectu seu perturbatione animi oritur, neque diu permanet, cuiusmodi est rubor in facie, ortus ex pudore; pallor ortus ex metu. In prima significatione passio nunquam potest esse qualitas, in reliquis vero potest.

23 *An forma sit qualitas & quomodo à figura differat?*

Homon. voc. formæ excut.

VOcabulum *formæ* in Philosophia est æquiuocum. Sumitur enim modo pro certa specie causæ, quæ respectum habet ad formatum; modo pro quouis accidente positiuo, cuius potest esse priuatio; modo pro certa specie qualitatis sensilis, à qua aliquis dicitur formosus.

Form. in post. signif. est qualitas. Quomodo differat forma à figura. I. sentent. II. III. Postrem. sent. prob. Porisma.

Et in hac postrema significatione forma recte dicitur esse qualitas. Sed quæritur, quomodo à figura differat. Respondent alii, figuram esse rerum inanimatarum, præsertim pictarum; formam vero animatarum seu viuentium: Alii, figuram esse animatorum simul ac inanimatorum; formam vero tantum animatorum: Alii, figuram esse qualitatem sensilem ex dispositione partium corporis quanti ortam; formam vero esse qualitatem ex coloris mixtura ortam. Atq; hæc postrema sententia omnium maxime veritati est consentanea. Vnde porro sequitur figuram & formam non esse vnam & eandem qualitatem corporis, vt quidam magni nominis Philosophi volunt, sed diuersas.

24 *An figurarum vlla sit vis & efficacia in alterandis & mutandis rebus?*

Thesis affir. def. secundū quid.

SVnt multi tam ex Theologis, quam Philosophis, qui figuris omnem vim & efficaciam alterandi & mutandi res detrahunt, & superstitionis notam iure inuri autumant iis, qui contrarium sentiunt. Etsi vero hæc opinio vera est de illis figuris, quæ ad propulsandos morbos de collo suspenduntur, aliove modo gestantur; tamen simpliciter non potest concedi de omnibus figuris quocunque modo sese habeant.

Ratio I.

Rationes sunt. 1, quia opifices sua instrumenta certis figuris efformant non aliam ob causam, quam vt citius & efficacius operentur. Hinc

serra

ferra & culter acutus plus valet ad secandum, quam obtusus. 2. quia rotunda vulnera tardius sanantur quam obliqua; & corpora rotunda celerius mouentur quam quadrata. 3. quia figuræ alterant organa sensuum, & sic sensionem efficiunt. *II.* *III.*

25 *An qualitas recipiat magis & minus?*

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, quia qualitas diuersos gradus perfectionis admittit. 2, quia qualitas vna intensior est & perfectior, altera remissior & imperfectior. Id quod fieri non posset, nisi reciperet magis & minus. Interim diligenter notandum est; 1, non omnem qualitatem recipere magis & minus; sed tantum illam quæ mutari potest, salua essentia entis. 2, qualitatem recipere magis & minus, non ratione suæ essentiæ, quæ non potest variari; sed ratione quantitatis intensiuæ, seu perfectionis accidentariæ. *Pro thesi affirmante. Ratio I. II. Notatio. I. II.*

De Motu, Cap. IV.

Theoremata.

Demotu simplici.

1 *Tantum de qualitate. Sequitur motus, qui est accidens, secundum quod ens dicitur agere vel pati.*

2 *Estque vel simplex, vel compositus.*

3 *Simplex est, qui ex aliis motibus non constat.*

4 *Estque vel actio, vel passio.*

5 *Actio, est actus agentis, quatenus est agens.*

6 *Estque vel immanens, vel transiens.*

7 *Actio immanens est, quæ ipsum agens respicit & perficit, non aliud, extra agens, obiectum.*

8 *Actio transiens est, quæ ad aliud, extra agens, obiectum fertur.*

9 *Passio est actus patientis, quatenus est patiens.*

10 *Porro motus simplex distribuitur, partim ex modo mouendi, partim ex modo durationis, partim ex termino ad quem.*

11 *Ex modo mouendi motus simplex primum alius est absolutus, alius determinatus.*

12 *Absolutus est, qui sua natura est indifferens ad diuersa seu opposita obiecta.*

13 *Determinatus est, qui ad vnum certum obiectum est limitatus.*

14 *Estque vel naturalis, vel voluntarius.*

15 *Naturalis est, qui vi naturæ ad bonum, vel malum naturale est determinatus.*

16 *Voluntarius est, qui ex certa proæresi constat.*

17 *Estque vel moralis, vel artificialis.*

18 *Moralis est, qui ad bonum, vel malum morale est determinatus.*

19 *Artificialis est, qui ad bonum vel malum artificiale est determinatus.*

20 *Deinde, motus simplex alius est necessarius, alius contingens, quorum ille necessario, hic, contingenter fit.*

21 *Tertio, motus simplex alius est spontaneus, alius violentus; quorum ille sponte; hic, vi quadam fit.*

22 *Quarto, motus simplex alius est physicus, alius hyperphysicus; quorum ille, modo naturali; hic, supernaturali fit.*

23 *Ex modo durationis motus simplex alius est momentaneus, alius successiuus; quorum ille, in momento; hic, cum successione fit.*

24 *Ex termino ad quem, motus simplex alius est substantialis, alius accidentalis.*

25 *Substantialis motus est, qui ad substantiam terminatur.*

26 *Estque vel productio, vel destructio.*

27 *Productio est motus, quo substantia de nouo incipit esse.*

28 *Estque vel creatio, vel generatio.*

29 *Creatio, est productio hyperphysica substantiæ, virtute infinita solius Dei facta, sine cooperatione causæ secundæ.*

30 *Estque vel immediata, vel mediata.*

31 *Immediata creatio, est productio hyperphysica substantiæ ex nihilo.*

32 *Mediata creatio, est productio hyperphysica substantiæ ex aliquo.*

33 *Generatio, est productio substantiæ, virtute causæ secundæ facta.*

34 *Estque vel naturalis vel artificialis; quarum illa, corpus naturale, hæc corpus artificiale producitur.*

35 *Destructio est motus, quo substantia desinit esse.*

36 *Estque vel annihilatio, vel corruptio.*

37 *Annihilatio est destructio hyperphysica substantiæ, virtute infinita solius Dei facta.*

38 *Estque vel immediata, vel mediata.*

39 *Immediata, est destructio hyperphysica substantiæ in nihilum.*

40 *Mediata, est destructio hyperphysica substantiæ in aliquid.*

41 *Corruptio est destructio substantiæ virtute secundæ causæ facta.*

42 *Estque vel naturalis vel artificialis; quarum illa, corpus naturale; hæc, corpus artificiale corrumpitur.*

43 *Sic de motu simplici substantiali. Sequitur motus accidentalis, qui ad accidens terminatur.*

44 *Eius species sunt augmentatio, diminutio, alteratio & motus localis.*

45 *Augmentatio est motus, quo maior quantitas acquiritur*

46 *Diminutio, est motus quo minor quantitas acquiritur.*

47 *Alteratio est motus, quo alia qualitas vel simpliciter, vel secundum quid acquiritur.*

48 *Motus localis est motus, quo alius locus vel simpliciter, vel secundum quid acquiritur.*

49 *Atq; hæc dicta sunt de motu simplici. Restat motus compositus, qui ex simplicibus motibus constat, & uno vocabulo Græce dicitur* μεταβολὴ, *Latine*, mutatio, *seu* transmutatio. *De motu compositi.*

50 *Estque vel substantialis, vel accidentalis.*

51 *Transmutatio substantialis, est conuersio vnius substantiæ in aliam. A Scholasticis barbaro vocabulo dicitur*, transsubstantiatio.

52 *Eaque quatuor conditiones essentiales requirit: 1, vt vterque terminus tam à quo, quam ad quem, sit substantia. 2, vt terminus à quo desinat esse, remanente tamen ipsius materia. 3, vt terminus ad quem de nouo incipiat esse. 4, vt adsit principium efficiens, & quidem substantiale, à quo fiat conuersio.*

53 *Estque vel hyperphysica, vel physica.*

54 *Hyperphysica est, quæ fit virtute solius Dei.*

55 *Eaque constat ex annihilatione, & creatione mediata.*

56 *Physica est, quæ fit virtute naturæ.*

57 *Eaque constat ex corruptione & generatione naturali.*

58 *Transmutatio accidentalis est conuersio vnius accidentis in aliud.*

IN CAPVT QVARTVM

PROBLEMA I.

Quid sit motus in genere, & quotuplex?

Motus secundum Arist. quid.

ARistoteles lib 3. Phys. auscult. cap. 1. & 2. definit motum modo *actum entis in potentia, quatenus est tale*; modo *actum mobilis, quatenus est mobile.* De quarum definitionum intelligentia variæ sunt & intricatæ Philosophorum sententiæ, quemadmodum videre est apud Fonsecam lib. 5. Metaph. c. 13. q. 9. Verum vtut sit, negari non potest, vtramque definitionem ad mentem Philosophi intellectam, esse angustiorem suo definito: siquidē competit duntaxat motui passiuo, non autem actiuo. Interim fateor, priorem definitionem ad bonum sensum posse trahi, si per potentiam intelligatur potentia mouendi tam actiua, quam passiua. Sic enim motus in genere nihil aliud esset, quam actus entis, quod potentiam mouendi habet, quatenus est tale. Antequam enim aliquid vel moueat, vel moueatur, necesse est, vt habeat potentiam mouendi vel actiuam, vel passiuam. Quando vero à potentia transit ad actum, tunc vel mouet vel mouetur. Ac proinde motus est illius actus, non simpliciter, sed quatenus est vel κινητικόν, vel κινητόν. Ab hac definitione non dissentit nostra in præceptis allata; quod scilicet sit *accidens secundum quod ens dicitur agere & pati:* nisi quod hæc proprie est intelligenda de motu creaturæ; improprie vero de operatione Dei creatoris. Porro motus in genere acceptus recte distribuitur in *simplicem* & *compositum*. Aut enim constat ex aliis motibus, aut non constat. Si non constat, dicitur *simplex:* Si constat, dicitur *compositus*, seu vt Fonseca loquitur lib. 5. c. 15. q. 9 sect 1. *complexus.* Et vno vocabulo Græce dicitur μεταβολή, Latine *mutatio*, seu *transmutatio.* Simplex autem motus rursus in genere diuiditur in *actiuum* & *passiuum*, seu quod idem est, in *actionem* & *passionem.* Sicut enim potentia mouendi alia est actiua, alia passiua; ita etiam motus, qui potentiam mouendi sequitur, alius est actiuus, alius passiuus. Proinde errant illi, qui negant motum aliquem essentialiter esse actionem, vel passionem.

Motus in genere quotuplex.

Simplex motus in genere quotuplex.

2 Quid

2 *Quid sit actio & passio in genere, & quomodo inter sese differant?*

IN constituenda definitione generali actionis & passionis, Philosophi inter se non consentiunt. Alii enim actionem definiunt actum agentis, quatenus est agens: alii, accidens à quo ens agere dicitur: alii, operationem, quæ ab agente per certam qualitatem sese exerente proficiscitur: alii, applicationem agentis ad patiens: alii denique, agitationem substantiæ, virium que eius veluti effluxum & executionem. Similiter passionem alii definiunt actum patientis, quatenus est patiens: alii, accidens, à quo ens pati dicitur: alii, receptionem actionis: alii, denique, receptionem formæ ab agente in materiam introductæ. Ex quibus definitionibus priores duæ tam actionis quam passionis, sunt bonæ & legitimæ; reliquæ vero omnes sunt vitiosæ, præsertim ratione generis illegitimi, quod vel angustius est suo definito, vel saltem eo latius. Cæterum quæritur, quomodo actio & passio inter se differant? In qua re duplicem reperio Philosophorum sententiam. Prima, & quidem communis est eorum, qui statuunt actionem & passionem non esse duos specie diuersos motus, sed tantum vnum specie motum, qui ratione agentis dicatur *actio*; ratione patientis *passio*: Ideoque actionem & passionem non realiter inter se differre; sed tantum ratione. Et hanc opinionem prolixe defendit Arist. lib. 3. Phys. ausc. c. 3. Altera sententia est eorum, qui asserunt actionem & passionem esse duos specie diuersos motus: Ideoque non ratione tantum, sed realiter inter se differre. Ex quibus sententiis prima est falsa & absurda; altera autem vera propter sequentes rationes. 1, quia actio & passio habent se ad motum tanquam duæ species oppositæ ad suum genus. 2, quia definitione essentiali inter se differunt. 3, quia subiectis recipientibus inter se differunt; cum illa sit in agente, hæc in patiente. 4, quia agere & pati inter se realiter differunt: Ergo vi coniugatorum etiam actio & passio.

Diuersæ defin. actionis & passionis recens. & exam.

Quomodo actio & passio inter se differ.

Actio & passio realiter differ.

Ratio I.
II.
III.
IV.

3 *An actio recte distribuatur in immanentem & transeuntem?*

VSitatissima est in Scholis distributio actionis in *immanentem* & *transeuntem*. Et quia illa membra

Thesis affir. defenditur.

habet inter se dissentientia, & cum toto consentientia; simulque adæquata est suo distributo, non immerito in censu bonæ definitionis habetur. Sed quia ab omnibus non recte intelligitur, idcirco opus est, vt breuiter vtrumque membrum explicetur.

Actio immanens quid sit. Per actionem igitur immanentem debet intelligi non quælibet operatio, quæ in agente, tanquam accidens in suo subiecto inhærentiæ existit, sed tantum illa, quæ ita intra agens manet, vt ad aliud, extra agens, obiectum, in quo passionem efficiat, plane non dirigatur. *Actio transiens quid sit.* Similiter per *actionem transeuntem* debet intelligi non eiusmodi operatio, quæ ab agente transeat, & in patiente tanquam subiecto recipiatur: Talis enim actio in rerum natura non datur, cum impossibilis sit transitus accidentis de vno subiecto in aliud: Sed eiusmodi operatio, quæ quidem in agente tanquam suo subiecto maneat; sed tamen extra agens ad aliud obiectum, in quo passionem efficiat, dirigatur. Vnde porro sequitur distributionem actionis in internam & externam non æquipollere præcedenti. *Differt actio interna ab immanente.* Licet enim omnis actio immanens sit interna; tamen non omnis actio interna est immanens; cum etiam interna actio possit esse transiens, cuiusmodi est in homine intellectio & volitio, quatenus circa obiectum externum versatur.

4 *An omnis actio sit in agente, tanquam in subiecto inhærentiæ?*

HOc Problema valde controuersum est inter Philosophos, vt videre est apud Fonsecam lib. 5. Metaph. cap. 15 q. 8. & apud Fr. Suarez disput. 48. sectio. 4. Alii enim statuunt omnem actionem esse in agente siue sit immanens, siue transiens: Alii vero concedunt quidem omnem actionem immanentem esse in agente; sed transeuntem asserunt, non esse in agente, sed in patiente. *Pro thesi affirmante.* Argumenta pro prima sententia hæc sunt præcipua: *Argument.* 1, Quia in eodem subiecto est actio, in quo est potentia agendi; *I.* Ideoque cum hæc sit in agente, sequitur illam quoq; esse in agente. *II.* 2, quia perfectio est in eo cuius est perfectio. Cum igitur omnis actio sit perfectio agentis, sequitur *III.* omnem actionē esse in agente. 3, quia omne accidens est in eo subiecto quod denominat. Iam autem omnis actio denomi-

denominat nihil aliud quam agens: Ergo est in agente.
4, quia nulla passio est in agente, quatenus est agens: Ergo neque vlla actio est in patiente, quatenus est patiens. *IV.*
5, Quia si vlla actio esset in patiente, sequeretur inde, vnũ & idem simul esse capax contrariorum actuum, &, per consequens, idem quatenus est patiens simul esse agens: quod tamen est absurdum & implicat contradictionem. *V.*
6, Idem testatur Thomas 2. contra Gent. cap. 9. dum ait: *Actio quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto.* Vnde enim in 2. dist. 40. q. 2. art. 4. probat actionem & passionem esse diuersa accidentia; quia actio est in agente, & passio in passo. *VI.*

Pro thesi negante. Argument.

Argumenta pro secunda sententia sunt: 1, Quia si actio transiens esset in agente, iam non esset transiens, sed immanens. Dicitur enim *actio transiens*, quod ab agente transeat in patiens. *I.* 2, Quia actio transiens nihil mutat in agente, sed in patiente duntaxat. *II.* 3, Quia sicut actio immanens est perfectio agentis; ita transiens est perfectio patientis. *III.* 4, Quia vbi terminus est actionis, ibi necesse est esse ipsam actionem; cum modus necessario comitetur rem, cuius est modus. Iam terminus actionis transeuntis est in patiente ex omnium sententia; non vero in agente. Ergo etiam in eodem est actio ipsa transiens. *IV.* 5, Quia constans Aristotelis sententia est, quam passim in suis scriptis inculcat, *actionem transeuntem non esse in agente, sed in patiente.* Nam lib. 3. Phys. auscul. cap. 3. probat omnem motum esse in mobili. Et lib. 2. de anima cap. 2. asserit actum agentis esse in patiente. Idem lib. 3. De anima, cap. 4. ait, ἡ κίνησις καὶ ἡ πάθησις ἐν τῷ πάσχοντι, καὶ οὐκ ἐν τῷ ποιοῦντι; hoc est, *actio & passio sunt in patiente, non in agente.* Idem lib. 9 Metaph. cap. 9. inquit, actionem esse in re facta, vt ædificationem in re ædificata. *V.*

Thesis affir. approbatur.

Cæterum ex his duabus sententiis sola prior est vera; posterior vero falsa. Neque obstant argumenta pro illius confirmatione adducta. *negat. improbatur.* In primo enim negatur connexa propositio eiusque probatio. *Soluũtur argum. pro thesi negante.* Actio enim transiens non ideo dicitur transiens, quod ab agente in patiens, tanquam in subiectum inhærentiæ transeat: (Eiusmodi enim transitus accidentis de vno subiecto in aliud, est impossibilis, vt supra lib. 3. cap. 3. P. 10. probatum fuit) *I.* sed quod ab ea in patiens externum transeat passio. In *II.*

altero concedo actionem transeuntem nihil mutare in agente, sed in patiente; sed inde non sequitur, illam esse in patiente tanquam in subiecto inhærentiæ.
III. In tertio nego actionem transeuntem proprie & absque tropo esse perfectionem patientis. Licet enim sæpe sit causa efficiens perfectionis illius, quæ in patiens ab agente introducitur; tamen nunquam proprie est ipsa perfectio patientis, nisi fiat confusio causæ & causati.
IV. In quarto negatur propositio. Non enim semper actionem ibi tanquam in subiecto inhærentiæ esse necesse est, vbi est illius terminus. Et falsa est hypothesis Scholasticorum quorundam, actionem realiter non differre à termino formali, qui per eam fit, v. g. calefactionem à calore, qui per calefactionem fit.
V. In quinto argumento quod ductum est ab autoritate Aristotelis, nulla est firmitas; cum Aristoteles æque, ac alius homo errare potuerit. Interim dicta Aristotelis ad bonũ sensum trahi possunt; si dicamus; ipsum statuisse, omnem actionem ab agente incipere tanquam à termino à quo, & in patiens desinere, tanquam in terminum ad quem, non autem in patiente, tanquam accidens in subiecto inhærentiæ recipi.

5 *An sit discrimen inter actionem & effectionem?*

Quæstio explicatur per distinct.

ARistoteles lib. 6. Ethic. cap. 4. distinguit inter πρᾶξιν καὶ ποίησιν, ita vt nullam actionem dicat esse effectionem, & nullam effectionem esse actionem. In quo discrimine explicando multi Philosophi sese misere torquent. Sed facile est illud ex mente Aristotelis explicare, si modo consideremus, qua de re Philosophus eo in loco agat ac disserat, nimirum de discrimine duorum habituum intellectualium; quorum primus dicitur *prudentia*; alter, *ars*. Intelligit igitur per actionem eo in loco non quamlibet operationem, sed tantum actionem moralem, circa quam informandam ac dirigendam prudentia versatur. Similiter per effectionem non intelligit quamlibet operationem, sed tantum effectionem artificialem, circa quam informandam ac dirigendam ars occupatur.
Notatio Interim notandum est 1, Aristotelem alibi,
I. vbi in genere de actione & effectione agit, sæpe vnum
II. vocabulum pro altero vsurpare. 2, actionem transeun-
III. tem plerumque nomine effectionis significari. 3, effectionem quando sumitur pro causatione efficientis,

non

non ſemper eſſe actionem, aut cum actione coniunctam.

6 *An vnaquæque res ſit propter ſuam operationem?*

SEntentiam affirmantem defendit Ariſtoteles libr. 2. De cœlo, cap 3. ſed cum certa limitatione. Sic enim inquit: ἕκαστόν ἐστι ὧν ἔργον ἐστὶν ἕνεκα τοῦ ἔργου, hoc eſt, *vnumquodque eorum, quorum eſt opus ſeu operatio, illud eſt operis, ſeu operationis gratia.* *Thesis affir. defenditur.* Ratio huius aſſertionis videtur duplex poſſe afferri: 1, Quia Deus omne agens deſtinauit ad actionem, tanquam finem: ideoque niſi actionem illam exerceat, vanum eſt & ocioſum in rerum natura. *Ratio I.* 2, quia omnis actio perficit agens, ſi cum vltimo eius fine congruat. Ideoque ſi illa actio intermittatur, neceſſe eſt agens in ſtatu imperfectionis permanere. *II.*

7 *An actio proprie competat ſolis ſubſtantiis?*

SVnt multi Philoſophi, qui actionem proprie tribuunt, non tantum ſubſtantiis; ſed etiam accidentibus, v. gr. calori calefactionem, frigori frigefactionem, humiditati, humectationem; ſiccitati exſiccationem; item potentiæ agendi ipſam actionem. *Pro thesi affirmante.* Verum hæc ſententia videtur nullo modo eſſe concedenda. Rationes ſunt: 1, quia nihil proprie agit, niſi habeat potentiam agendi; Nihil autem habet potentiam agendi, niſi ſit ſubſtantia. Ergo nihil proprie agit, niſi ſit ſubſtantia. *Ratio I.* 2, quia omne accidens aut eſt quantitas, aut qualitas, aut motus, aut relatio. *II.* Sed neque quantitas, neque qualitas, neque motus, neque relatio proprie dicitur agere. Licet enim quidam qualitatem excipiant, illa tamen proprie non agit; ſed eſt forma agentis quatenus eſt agens; vel inſtrumentum quo agens in agendo vtitur: Ergo nullum accidens proprie dicitur agere. Interim non negamus accidentia poſſe eſſe proprie cauſam efficientem actionis; ſed aliud eſt cauſari, aliud agere: neque omnis cauſa efficiens proprie dicitur agere, ſed tantum illa, quæ eſt ſubſtantia.

8 *An omnes actiones ſint ſingularium?*

SEnſus Problematis poteſt eſſe triplex, quemadmodum Fonſeca docet lib 1. Metaph. c. 2. q. 5. 1, *An omnes actiones proficiſcantur à ſingularibus tanquam ab agentibus?* 2, *An omnes actiones exerceantur circa ſingularia?* 3, *An omnes actiones terminentur ad ſingularia?* Quod ad primum ſenſum attinet, Fonſeca ſtatuit omnes actiones proficiſci *Actiones proficiſcuntur nō tatum à ſingul. ſed etiam vniuerſ.*

per ſe ab agentib. ſingularibus per ſe exiſtentibus. Nihil enim per ſe agere, niſi quod per ſe exiſtat. Nihil autem omnino per ſe exiſtere, niſi ſingulare; cum omnia vniuerſalia per ſua ſingularia exiſtant. Verum nos negamus Fonſecæ nihil omnino per ſe exiſtere niſi ſingulare. Licet enim vniuerſalia non ſeorſum extra ſingularia, ſed in ipſis ſingularibus exiſtant; inde tamen non ſequitur, quod per ſe non exiſtant, quatenus ſunt ſubſtantiæ; cum omnis ſubſtantia ſit ens per ſe exiſtens. Vnde porro concludimus, actiones ſingulares proficiſci quidem per ſe a ſubſtantiis ſingularibus; vniuerſales autem ab vniuerſalibus. Et hoc etiam luculenter patet ex doctrina Phyſica, in qua ſicut ſubſtantiæ, ita etiam actiones tantum vniuerſales earundem conſiderantur. Neque obſtat axioma illud Phyſicorum, *actiones ſunt ſuppoſitorum*. Per ſuppoſita enim in illo dicto nihil aliud proprie intelligi, quam corpora naturalia ex materia & forma compoſita, ſiue ſint ſingularia, ſiue vniuerſalia.

Nō omnes actiones exercentur circa ſingularia, neque terminantur ad ſingul.

Cæterum in ſecundo & tertio ſenſu videtur Ariſtoteles ſtatuere omnes actiones exerceri circa ſingularia & terminari ad ſingularia. Sic enim inquit lib. 1. Metaphyſ. cap. 1. *αἱ πράξεις καὶ αἱ γενέσεις πᾶσαι περὶ τὸ καθ' ἕκαστόν εἰσιν.* hoc eſt, *actiones & generationes omnes ſunt circa ſingularia.* Cui etiam adſtipulatur Fonſeca in loco prius citato. Verum hanc aſſertionem non ſimpliciter eſſe veram, id patet ex ſequentibus argumentis. *Ratio I.* 1, quia tum intellectio, tum actus docentis & diſcentis, verſantur non tantum circa ſingularia; ſed vel in primis circa vniuerſalia. *II.* 2, quia obiecta ſenſus, quatenus docentur, conſiderantur vt vniuerſalia, non vt ſingularia. *III.* 3, quia neque Deus, neque Natura poſſunt generare ſubſtantias ſingulares abſque vniuerſalibus. Ideoque tam creatio, quam generatio terminantur ad ſubſtantias tam ſingulares, quam vniuerſales. *IV.* 4, quia Ariſtoteles lib. 2. Rhetor. cap. de amore & odio expreſſe ait, iram ab odio in eo diſtingui, quod ira tantum exercetur aduerſus ſubſtantiam ſingularem, puta Calliam aut Socratem; odium vero aduerſus ſubſtantiam etiam vniuerſalem, puta furem, ſycophantam aut latronem. Quod autem de odio dicit Ariſtoteles, idem etiam de amore poteſt intelligi. Amamus enim non tantum ſcientiam & virtutem ſingularem; ſed

etiam

etiam vniuersalem: neque tantum hunc, vel illum virum bonum, sed virum bonum in genere.

9 *Vtrum cognitio sit species actionis, an passionis?*

VOcabulum *cognitionis*; sumitur modo pro qualitate acquisita, quæ proprie dicitur *notitia*; modo pro ipso actu cognoscendi, eoque vel actiuo vel passiuo. Quatenus igitur cognitio sumitur pro actu cognoscendi, siue actiuo, siue passiuo, eatenus est species vel actionis vel passionis. Et hoc patet ex natura coniugatorum. Si enim cognoscere est agere, sequitur, quod cognitio, prout est in cognoscente, sit actio. Similiter si cognosci est pati, sequitur quod cognitio, prout est in re cognita, sit passio. Quãdo igitur vulgo actio dicitur sequi cognitionem, sciendum est, actionem ibi non generaliter sumi, sed specialiter, nempe vel pro appetitione & auersatione rei cognitæ, vel pro eiusdem executione, hoc est, prosecutione aut fuga. *Quæstio explicatur per distinct.*

10 *Vtrum receptio sit species actionis, an passionis?*

VOcabulum *receptionis*, modo proprie sumitur; modo improprie. Quando proprie sumitur, significat actum recipiendi oppositum actui dandi. Et sic est actio, quatenus est in recipiente; passio, quatenus est in re recepta. Quando vero improprie & metaphorice sumitur, significat subiectionem, hoc est, sustentationem seu terminationem alicuius rei: Et sic non est actio sed passio. Vnde fit: vt multi Philosophi passionem definiant esse receptionem actionis in patiente, aut saltem rei quæ ab agente in patiens introducitur. Patiens enim terminat actionem agentis, & sustentat rem illam, quæ ab agente introducitur. *Quæstio explicatur per distinctionẽ.*

11 *Vtrum vnumquodque recipiatur secundum modum dantis, an vero secundum modum recipientis?*

ETsi sæpenumero aliquid recipitur, non secundum modum recipientis, sed secundum modum dantis, propterea, quod dans pro libera sua voluntate non semper tantum dat, quantum recipiens potest capere; tamen sæpe contrarium euenit, vt scilicet aliquid recipiatur, non secundum modum dantis, sed secundum modum recipientis. Sic vas non tantum capit humoris, quan- *Vtraq; pars defen. secundum quid.*

tum infusor vult infundere, sed quanti per naturam capax est. Similiter discipulus non semper tantum capit doctrinæ, quantum præceptor vult communicare; sed quantum potest capere per dispositionem siue moralem, siue naturalem. Eodem modo homo non tantum semper capit donorum spiritualium, quantum Deus libenter vellet dare; sed quantum capere potest ob dispositionem moralem à se contractam siue probam, siue vitiosam. Hinc etiam fit, vt quædam Dei dona in homine sint imperfecta, non ob defectum Dei dantis; sed ob defectum hominis recipientis. Hoc etiam indicant ipsi Scholastici, quando aiunt, *Receptiuum non recipit per modum imprimentis, sed per modum receptiuitatis*, h. e. capacitatis.

12 *Vtrum resistentia sit species actionis; & qualis sit natura?*

Sententia aliorum recens. IN inquirenda natura, præsertim genere resistentiæ, Philosophi mirum in modum sese torquent, vt videre est apud Zabarellam in libro De reactione, cap. 5. Alii

I. enim statuunt resistentiam neque esse actionem, neque passionem; sed impedimentum actionis: Et hoc probant à coniugatis, quia resistere non est agere, neque pati; sed solum impedire actionem, ne agens agat in id, in

II. quod agere nititur. Alii existimant resistentiam esse impotentiam patiendi; quia scilicet resistere nihil aliud sit

III. quam non posse pati. Alii putant resistentiā esse priuationē actionis & passionis; quia resistere nihil aliud sit, quam agens non agere in patiens, & patiens non pati ab agente, seu, quod idem est, non admittere actionem agentis.

Sententia supra enumerata refelluntur. Verum ex his sententiis nulla videtur simpliciter admittenda. Nam prior licet sit vera, quatenus resistentiam dicit esse impedimentum, hoc est, impeditionem actionis; tamen falsa est, quatenus statuit resistentiam neque esse actionem, neque passionem. Si enim impedire est agere, & resistere est impedire, sequitur resistere esse agere. Et per consequens, si impeditio est actio, etiam resistentiam esse actionem. Posteriores vero duæ resistentiam ex ordine entium remouent; & ad classem non entium transferunt, cuiusmodi est impotentia & priuatio. Hoc autem pugnat cum natura resistentiæ, quippe quæ entis rationem potius, quam non entis recipit.

Resistentia quid sit. Proinde concludo, resistentiam esse speciem actionis,

eamque

eamque recte definiri quod sit motus, per quem actio agentis aut omnino impeditur, aut saltem retardatur, quo minus passionem in patiens inducere possit. Porro resistentia alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta est, per quam actio agentis simpliciter impeditur, ita vt passio ab ea in patiens plane induci nequeat. Imperfecta est per quam actio agentis secundum quid impeditur, ita vt non facile ab ea passio in patiens induci possit. Eaque vel est maior, vel minor pro diuersa ac inæquali causæ efficientis, à qua resistentia pendet, dispositione ac virtute. Hinc fit vt ferrum ob ingentem duritiem perfecte resistat manui imprimentis, neque vllam ab ea impressionem passiuam recipiat. Contra vero cera, ob mollitiem imperfecte resistit manui imprimentis, & prout magis vel minus est mollis, eo facilius vel difficilius ab illa impressionem admittit, ob minorem vel maiorem resistentiam. Sic lignum quo durius est & mollius, eo magis, vel minus resistit actioni secantis; eoque difficilius vel facilius ab eodem secatur. Quod vero Zabarella in citato loco statuit, causam efficientem resistentiæ in corporibus naturalibus esse solam formam, ea sententia plane est falsa. Nam neque potentia resistendi, neque ipsa resistentia prouenit à forma, sed potius à natura & dispositione materiæ, ex qua constat corpus resistens, vt patet ex superioribus exemplis.

Resistentia quotuplex sit.

Causa efficiens resisten. nō est forma.

13 *An agens possit agere in patiens nisi illud ad patiendum sit dispositum?*

SI de actione efficaci agentis problema intelligatur; communis Philosophorum sententia est, agens non posse agere in patiens, nisi illud ad patiendum sit dispositum. Ratio est, quia proportio debet esse inter agens & patiens, ita vt quemadmodum illud habet vim agendi, ita hoc vim patiendi. Proinde si id quod *patiens* vocatur, nullam plane vim habet patiendi, aut saltem nō tantam, quantam agens requirit, tunc agens efficaciter in id agere non potest. Sed videtur hæc sententia non esse vera de agente primo, nempe Deo. Is enim cum infinitam virtutem agendi habeat, adeo quidem, vt ex nihilo etiam aliquid producere possit, sine dubio potest etiam agere in patiens, etiamsi id non sit ad patiendum naturaliter dispositum. Hinc etiā seruator noster Christus ait, *Deum ex*

Quæstio explicatur per distinct.

lapidibus posse Abrahamo excitare liberos: cum tamen lapides nullam potentiam passiuam sua natura habeant, per quam apti sint, vt ex iis homines fiant. Proinde dicendum est, sententiam Philosophorum esse intelligendam non de primo agente, sed de secundis agentibus, nempe de substantiis creatis. Vbi tamen simul diligenter obseruandum est, Deum in iis rebus, quas decreuit non solus efficere, sed mediate per creaturas tanquam concausas, non posse ex vi sui decreti, seu secundum ordinarium Naturæ cursum à se sancitum, efficaciter agere in patiens, nisi illud ad patiendum sit dispositum. Vnde fit vt recte dicamus, Deum non posse, physice loquendo, dare nobis ex terra fruges, nisi agros arando & cōserendo præparemus & disponamus ad frugum generationem. Similiter Deum naturaliter non posse nobis largiri doctrinam, nisi diligenter discamus, & discendo habiles nos reddamus ad capessendam doctrinam.

Obseruatio.

14 *An omne agens realiter differat à patiente?*

Thesis affir. non est simpliciter vera.

SVnt quidam, qui putant, nihil posse agere in seipsum, neque pati à seipso. Ideoque omne agens statuunt realiter differre à patiente. Verum hæc sententia videtur non simpliciter esse vera. Licet enim in actionibus transeuntibus semper agens realiter differt à patiente; tamen in actionibus immanentibus res aliter sese habet. In iis enim idem est realiter & id quod agit, & id quod patitur; tametsi ratione à seipso differat. Sic quando medicus alium hominem curat, tunc agens realiter distinguitur à patiente: Est enim eiusmodi curatio, actio transiens. Quando vero seipsum curat, tunc agens à patiente non realiter, sed ratione duntaxat distinguitur; siquidem eiusmodi curatio est actio immanens.

15 *An omne agens in agendo repatiatur?*

Thesis partis. neg. defend.

HOc Problema copiose tractatur à Zabarella in libro physico de reactione. Nos breuitatis studio paucis eam hoc loco attingemus; præsertim cum vberior eius explicatio ad Physicam pertineat. Sciendum igitur est, non omne agens in agendo repati, sed tantum agens naturale & corporeum; idque non omne, sed tantum primum id, quod proprie per se, & sensibiliter alterat, quodque alteratum immediate & substantialiter attingit, & vtriusque contrarii per naturam est capax.

Nullam enim alterans in alterando repeti potest, quod est vel hyperphysicum & incorporeum; vel corporeum quidem, sed tamen vel improprie, vel per accidens, vel insensibiliter alterat, vel ab alterato loci intervallo est remotum, vel vnius tantum contrarii per naturam est capax: Deinde id quod immediate loco mouet aliud, quod ei resistere potest. Nam quod aliud mediate loco mouet, aut immediate quidem, sed quod ei resistere non potest, id in mouendo rursus non mouetur seu repatitur.

16 *An aliquid possit agere supra virium suarum gradum?*

COmmunis Philosophorum sententia est, *nihil posse agere supra virium suarum gradum.* Ratio est, quia effectum non potest excedere virtutem suæ causæ efficientis. Et hoc esse verum, patet ex omnibus agentium generibus. Agens enim primum non potest agere supra virtutem suam, quippe quæ est infinita & immensa. Agens vero secundum, aut naturale est aut morale, aut artificiale; ex quibus neque naturale potest agere supra vires suas naturales; neque morale supra morales; neque artificiale supra artificiales vires. Proinde nullum agens potest agere supra vires suas. *Thesis negatiua defend.*

17 *An debilius possit agere in validius?*

SVnt quidam Philosophi, qui negant debilius posse agere in validius, seu quod idem est, a debiliori in validius actionem fieri posse. Ratio ipsorum est quia actio non prouenit nisi à victoria & excessu agentis, respectu patientis. Et si vero hæc sententia vera est de actione, qua patiens mutatur seu vincitur ab agente; tamen falsa est de actione, qua patiens resistit aliquo modo agenti, eiusque actionem retardat. Sic enim etiam debilius potest agere in validius ad tempus; tametsi tandem cogatur succumbere actioni validiori. Hoc manifeste apparet in pugna, vbi sæpe debilior pars ad se defendendum agit in validiorem, tametsi plerumque tandem in fine pugnæ à validiore vincatur. *Thesis affir. defenditur.*

18 *An distributio actionis & passionis in realem & intentionalem, seu in corporalem & spiritalem sit legitima?*

FRequenter fit mentio in scriptis Philosophorum distributionis illius, qua tam actio, quam passio distinguitur in realem & intentionalem, seu in corporalem & *Thesis affir. defend. in sano sensu.*

spiritalem. Non igitur immerito quæritur, quid de illa sit sentiendum. Vt autem rectius de ea iudicari possit, sciendum est Philosophos per actionem realem & corporalem nihil aliud intelligere quam actionem sensilem, quæ passionem sensilem in patiens inducit. Similiter per actionē intentionalem, spiritalemque, nihil aliud quam actionem insensilem, quæ passionem insensilem in patiens inducit. Sic calefactio, frigefactio, &c. dicuntur actiones reales & corporales, quia ab iis sensilis passio in patiens transit. Contra διδαξις & institutio moralis, quarum vi ex indocto fit doctus, ex improbo probus, illæ actiones sunt intentionales seu spiritales; quia insensilis passio ab iis in patiens transit. Hoc igitur sensu distributio illa actionis in realem & intentionalem, sed quod idem est, in corporalem & spiritalem, non est reiicienda sed in Scholis omnino tanquam vtilis retinenda. Fundamentum enim illius est quod agens agat in patiens, & patiens ab agente patiatur, aut *insensibiliter*, quod alii vocant, *intentionaliter*, seu *spiritaliter*: aut *sensibiliter*, quod alii vocant *realiter*, seu *corporaliter*. Vbi etiam obseruandum est: 1, actionem corporalem & spiritalem non semper dici talem ex modo agendi siue corporali siue spirituali; sed sæpe etiam ex obiecto, circa quod versatur. Sic in Theologia actio corporalis dicitur, quæ versatur circa rem corporalem; Spiritualis, quæ versatur circa rem spiritualem. Sed in hoc postremo sensu hoc loco termini illi non vsurpantur. 2, passionem illam qua obiectum sensionis, intellectionis, cogitationis, appetitionis & similium actionum dicitur pati, non esse passionem realem, sed tantum intentionalem: quia nulla fit realis & corporalis passio in patiente, sed patiens tantum dicitur pati, quia excipit & terminat actionem agentis.

Obseruatio. I.

II.

19 *An omnis actio determinata præsupponat absolutam?*

Pro thesi affirmante. Ratio I.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt: 1, Quia potētia determinata agendi præsupponit absolutam; cum nihil possit agere vel bene vel male, nisi simpliciter possit agere, vt supra in præcedenti capite dictum fuit. 2, quia omnis actio determinata constat ex actione absoluta tanquam materia, & ex ipsa determinatione tanquam

II.

quam

quam forma. Nam neque actio naturalis determinata neque moralis, neque artificialis esse potest, nisi ad eius constitutionem concurrat actio naturalis absoluta tanquam materia, & ipsa determinatio seu modificatio tanquam forma. Ergo cum omne materiatum necessario præsupponat materiam; sequitur omnem actionem determinatam præsupponere absolutam. Vnde porro concluditur nullam actionem moralem & artificialem fieri posse, sine concursu actionis naturalis absolutæ: Ac proinde merito suspectam esse sententiam eorum, qui ab exercitio actionum moralium & artificialium omnem naturæ vim penitus excludunt. *Porisma.*

20 *An motus recte diuidatur in substantialem & accidentalem?*

VIdetur diuisio motus in substantialem & accidentalem esse vitiosa, propterea quod omnis motus creaturæ est accidens, & nulla substantia. Sed sciendum est diuisionem illã, quæ passim à Philosophis vsurpatur, non esse sumptam ex ipsa natura motus; sed ex termino ipsius ad quem destinatur. Dicitur enim motus substantialis, qui ad substantiam terminatur; accidentalis, qui ad accidens terminatur. Et quia in rebus nihil fit per motum, nisi substantia & accidens, hinc patet diuisionem illam esse legitimam; tum quia membra illius inter se dissentiunt, & cum diuiso consentiunt; tum, quia illa diuiso est adæquata. *Thesis affir. defenditur.*

21 *An omnis creatio sit productio entis ex nihilo?*

SVnt nonnulli & Philosophi & Theologi; qui creationem nihil aliud esse dicunt, quam productionem entis ex nihilo; ideoque si quid ex materia præexistente producatur, eius ortũ nolunt appellare creationem. *Pro thesi affirmante.* Argumenta ipsorum sunt: 1, quia creare est ex nihilo aliquid producere; & creari est ex nihilo aliquid produci. *Argument. I.* 2, quia in eo differt creatio à generatione, quod illa est productio entis ex nihilo; hæc vero productio entis ex aliquo. *II.* Sed huic sententiæ reclamat historia creationis Genes. 1. & 2. descripta, quæ testatur Deum materiam quidem primam ex nihilo produxisse; sed ex illa postea omnia corpora naturalia, adeoque totum mundum visibilem condidisse. Itaq; distinguendũ est inter creationem immediatam & mediatam. Illa enim est productio entis ex nihilo, *Thesis negatiua defend. per distinct.*

Responsio ad argumen. pro thesi affirm. hæc. ex nulla materia: hæc vero non. Neque obstant argumenta illa duo supra allata. Vtrumque enim verum est non simpliciter, sed secundum quid, nempe de creatione immediata. *Creatio mediata differt à gener.* Nam quod ad creationem mediatam attinet, illa quidem conuenit cum generatione in eo, quod vtraque est productio entis ex aliquo; sed differt 1, *I.* quod illa fit virtute solius primæ causæ; hæc vero, non. *II.* 2, quod illa nunquam præsupponit dispositionem & aptitudinem naturalem in materia ex qua ens est creandum; *III.* hæc vero semper. 3, quod illa fit sine alteratione & mutatione successiua; hæc vero minime.

22 *An omnis annihilatio sit destructio entis in nihilum?*

Thesis negatiua defend. QVi nudam vim vocabuli considerant, illi aliter statuere non possunt, quam quod omnis annihilatio sit destructio entis in nihilum. Sed quia tot modis dicitur vnum oppositorum, quot modis dicitur alterum, vt docet Aristoteles lib. 1. Topic cap 13. Creatio autem & annihilatio sint opposita; sequitur tot modis accipi annihilationem, quot modis sumitur creatio. Iam autem creatio est duplex, vna immediata, quæ est productio hyperphysica entis ex nihilo; altera mediata, quæ est productio hyperphysica entis ex aliquo. *Annihilatio alia immediata, alia mediata.* Ergo necesse est vt statuamus annihilationem etiã esse aliam immediatam, quæ sit destructio hyperphysica entis in nihilum, aliam mediatã, quæ sit destructio hyperphysica entis in aliquid. Neque obstat, quod posteriori speciei ipsa vox *annihilationis* reclamet. Cum enim aliud vocabulum haberi non possit quo actio illa exprimatur, ipsa necessitas nos ad ampliandam vocis significationem cogit & impellit.

23 *An vlla substantia creata possit creare vel annihilare aliquid?*

Pro thesi neg. Ratio I. STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia creatio & annihilatio sunt actiones solius Dei propriæ. *II.* 2, Quia omnis substantia creata potentiã habet finitam agendi. Ad creationem autem & annihilationem requiritur virtus infinita agendi. *Exceptio Scholast. quorund.* Sed reperiuntur nonnulli Scholastici, qui concedunt quidem nullam creaturam posse aliquid creare vt principale agens; nihilominus asserunt creaturam posse ad creationem concurrere vt instrumentum: Deum enim posse creaturæ communicare

care potentiam creandi, vt creet per ministerium, non propria autoritate. Verum hæc sententia à Thoma aliisque Scholasticis non approbatur. Idcirco etiam Fonseca lib. 5 Metaph. cap. 2. q. 7. sect. 4 prolixe eam refutat. Argumenta præcipua refutationis sunt: 1, quia instrumentum non assumitur ad quicquam efficiendum, nisi in se aliquam veram & proprie dictam operationem in ipsa effectione habeat. *Refutatur illa except.* I.

Iam autem nulla creatura potest habere veram operationem in creatione rei cuiusquam; cum ad illam virtus infinita agendi requiratur, quæ in creaturam non cadit. Non igitur potest vt instrumentum creare. 2, quia nisi ita solus Deus crearet, vt ei nulla creatura in eo opere ministraret, nullum omnino opus ita esset proprium Deo, vt creaturæ non possit communicari; quod sane indignum est diuina excellentia: siquidem in rebus etiam creatis quædam sunt opera perfectiorum, quæ ne diuina quidem virtute possunt inferioribus communicari, etiam instrumentaliter, vt lapidi aspectus, & bestiæ intelligentia. Est igitur ita proprium Deo creare, vt nulla creatura etiam vt instrumentum id facere possit. Et hoc etiam sensit Augustinus lib. 9 in Genesin ad literam, cap. 15. cum ait, *nullam creaturam posse creare quippiam siue magnum, siue paruum.* II.

Quod si ergo quis obiiciat miracula, quæ Deus per creaturarum ministerium edidit; respondendum esse videtur, Deum in edendis miraculis vsum fuisse ministerio creaturarum, non tanquam causa instrumentali, sed tanquam signo suæ operationis; cum nullam veram actionem illæ creaturæ ad effectionem miraculorum contulerint, aut conferre potuerint. *Obiectio. Responsio.*

24 *Quod sit discrimen inter generationem naturalem & artificialem?*

MAgna quidem est cognatio & similitudo inter generationem naturalem & artificialem: Sed tamen differunt inter se: 1, causa efficiente proxima, quæ in illa est Natura; in hac ars, seu artifex. 2. materia, quæ in illa semper est physica; simpliciter in hac vero modo simpliciter physica, modo secundum quid. 3, forma in materiam introducenda, quæ in illa semper est secundum essentiam suam absolutam substantia; in hac acci- *Generatio naturalis differt ab artific.* I. II. III.

IV. dens. 4. adiuncta duratione, quæ in illa est momentanea; in hac, successiua. 5, effecto, quod in illa est corpus
V. naturale; in hac, corpus artificiale.

25 *An maius opus sit ex nihilo aliquid facere, quam aliquid in aliud conuertere?*

Thesis affir. defenditur. STatuo cum Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 8. sect. 4. thesin affirmatiuam. Etsi enim omnia, quæ fieri possunt, æque Deo sunt facilia; tamen si ipse effectus spectetur; maius opus est ex nihilo aliquid facere, quam quod est, in aliud conuertere. Inter nihil siquidem & aliquid, nulla est proportio: sed videtur inter vtrumque quasi infinitum esse interuallum: inter ea vero, quæ sunt aliquid, manifesta proportio apparet, & interuallum quasi finitum. Quod si igitur Deus ex nihilo potest facere aliquid, multo magis potest vnam substantiam in aliam virtute sua infinita transmutare. Neque tamen inde sumi potest probatio ad defendendum dogma transsubstantiationis Pontificiæ, quemadmodum Scholastici falso arbitrantur. A potentia enim Dei, ad eius operationem non valet consequentia, nisi voluntas eiusdem interueniat, quæ ex sacris literis probari non potest.

26 *An transmutatio substantialis sit motus compositus?*

Ad trāsmutat substant. 4. condition. essent requiruntur. VT hoc problema luculentius explicetur, necesse est, vt ante omnia considerentur conditiones essentiales, quæ ad transmutationem substantialem requiruntur. Illarum autem sunt quatuor, siue physicam, siue hyperphysicam transsubstantiationem spectes. Prima
I. est, vt vterque terminus tam à quo, quam ad quem sit aliquid vere positiuum, hoc est, substantia. Est enim transmutatio substantialis cōuersio vnius substantiæ in aliam.
II. Altera conditio est, vt terminus à quo desinat esse, remanente ipsius materia. Non enim possibile est, vt vna substantia conuertatur in aliam, nisi ea, quæ conuertitur, desinat esse id, quod antea erat. Neque substantia,
III. quæ conuertitur desinit in nihil, sed in aliquid. Tertia conditio est, vt terminus ad quem de nouo incipiat esse. Non enim fit transsubstantiatio, nisi ea substantia, in
IV. quam alia cōuertitur, de nouo producatur. Quarta conditio est, vt adsit principium efficiens, & quidem substantiale,

riale à quo fiat conuerſio. Nullum enim accidens vim habet transmutandi vnam ſubſtantiam in aliam.

Hinc igitur patet, transmutationem conſtare ex duobus motibus ſimplicibus, quorum primus eſt deſtructio ſubſtantiæ conuertendæ; alter productio ſubſtantiæ, in quam alia eſt conuertenda. Et hoc etiam probatur inductione ſpecierum transmutationis ſubſtantialis. Phyſica enim eſt compoſita ex corruptione & generatione. Non enim, e. g. ouum poteſt transmutari naturaliter in pullum, ſanguis in carnem; niſi ouum & ſanguis corrumpantur; contra pullus & ſanguis generentur, per nouæ formæ in materiam relictam introductionem. Similiter Hyperphyſica, compoſita eſt ex annihilatione, & creatione mediata. Quando enim ſubſtantia aliqua à Deo tranſmutatur, primum ea, quæ transmutatur, deſinit eſſe per annihilationem mediatam: Deinde ea, in quam alia transmutatur, de nouo incipit eſſe per creationem mediatam. Id quod teſtantur exempla tranſſubſtantiationis hyperphyſicæ, quorum multa deſcribuntur in Exodo cap. 7. & 8. item conuerſio vxoris Lothi in ſtatuam ſalis, aquæ in vinum. Non enim in illa conuerſione aqua manebat aqua, ſed potius deſinebat eſſe id, quod prius erat; & mox eodem momento in materiam aquæ relictam & diuinitus alteratam introducebatur forma ſubſtantialis vini, atque ita vinum de nouo incipiebat eſſe. *Transmutatio ſubſtant. eſt motus compoſitus.*

27 *Quid ſentiendum ſit de Tranſſubſtantiatione pontificia?*

Pontificii ſtatuunt in celebratione Miſſæ, ſubſtantiam panis conuerti in corpus Chriſti remanentibus accidentibus panis. Hoc vero dogma non tantum pugnat cum ſacris literis; ſed etiam cum principiis ſanæ Philoſophiæ; præſertim vero cum conditionibus eſſentialibus transmutationis ſubſtantialis in præcedente probl. à nobis explicatis. Nam primum aſſerunt ſubſtantiam panis totaliter conuerti & mutari ſecundũ formam ſuam & materiam; cum tamen hoc non tantum cum ſenſibus externis, nempe viſu, guſtatu & tactu manifeſte pugnet; ſed etiam cum ipſa natura tranſſubſtantiationis, quæ fieri nequit, niſi materia eius quod conuertitur, maneat poſt conuerſionem, vt habet ſecunda conditio. *Errores Tr. ſubſtant. Pontificia: recenſentur & refutantur.* *1.*

II. Deinde, licet concedant panis substantiam totaliter desinere esse post conuersionem; tamen negant illam revera annihilari. Id quod manifestam implicat antilogiam. Quicquid enim secundum suam formam & materiam desinit esse, etiam nulla ipsius parte remanente, id necesse est vel corrumpi, vel annihilari. Sed corrumpi non potest, cum omne corpus quod corrumpitur, desinat in aliquam materiam. Ergo necesse est annihilari; siquidem non datur alius modus, quo substantia aliqua desinat esse id, quod prius erat, nisi corruptio & annihilatio.
III. Tertio, negant terminum ad quem, hoc est, corpus Christi, in quod substantia panis mutatur, de nouo produci, ne scilicet cogantur paradoxon illud defendere, quod tamen maiores ipsorum videntur approbasse, nempe *corpus Christi de nouo in Missa vel generari vel creari.* Sed hoc manifeste pugnat cum tertia conditione transsubstantiationis. Licet enim Bellarminus tertiam illam conditionem neget in conuersione semper requiri, & propterea aliam in eius locum substituat, nimirum necessarium esse ad conuersionem veram, vt aliquid succedat in locum eius quod desiuit esse, siue de nouo producatur, siue aliunde adducatur; tamen illa concedi nullo modo potest; tum, quia tantum est excogitata ad tegendam & obnubilandam transsubstantiationis Pontificiæ absurditatem: cum non ita absurdum sit statuere, corpus Christi succedere in locum panis, qui secundum suam substantiam conuertitur & desinit esse, quam credere, corpus Christi in quod substantia panis conuertitur, de nouo creari vel generari; tum, quia pugnat cum omnibus transmutationis substantialis, tam physicæ quam hyperphysicæ exemplis; adeoque cum ipso sensu & ratione.
IV. Quarto statuunt, vt refert Bellarminus, vi desitionis substantiæ panis fieri successionem corporis Christi in locum panis. Sed hoc etiam est absurdum; tum, quia nulla desitio seu destructio vnius substantiæ potest per se esse causa efficiens successionis localis alterius substantiæ; tum, quia nullus motus localis ad veram conuersionem requiritur.
V. Quinto, principium efficiens, cuius vi fit conuersio, aiunt esse consecrationem, seu recitationem verborum illorum, *Hoc est corpus meum.* Sed hoc non minus ac superiora, falsum

falſum eſt & abſurdum; tum, quia illa conſecratio eſt purum accidens, quod non poteſt habere vllam vim conuertendi vnam ſubſtantiam in aliam, vt patet ex quarta conditione ſupra tradita; tum, quia conuerſio fit in momento. Conſecratio autem illa & pronunciatio verborum à Miſſifico fit in tempore ſeu ſucceſſiue. Sexto, aſſerunt panem ita conuerti in corpus Chriſti, vt tamen omnia accidentia ipſius remaneant poſt conuerſionem, quæ prius erant. Sed hoc etiam pugnat non tantum cum natura conuerſionis ſeu transmutationis ſubſtantialis, in qua neceſſe eſt accidentia, quæ per ſe inhærent ſubſtantiæ conuertendæ, vna cum illa deſtrui; ſed etiam cum natura accidentis, quod cum non poſſit exiſtere abſque ſubiecto, in quo inhæret, neceſſe eſt vna cum ſubiecti deſtructione, præſertim totali, deſtrui. VI.

His rationibus addi etiam poteſt hoc argumentum: *Omnis vera tranſſubſtantiatio aut eſt phyſica, aut hyperphyſica: Atqui tranſſubſtantiatio Pontificia neque eſt phyſica, neq; hyperphyſica: Ergo non eſt vera tranſſubſtantiatio.* Aſſumptio probatur: Quia Phyſica tranſſubſtantiatio eſt opus Naturæ, eaque conſtat ex generatione & corruptione phyſica. Tranſſubſtantiatio autem Pontificia non eſt opus Naturæ; neq; conſtat ex generatione & corruptione Phyſica, vt eius etiam patroni teſtantur. Rurſus Hyperphyſica tranſſubſtantiatio eſt opus ſolius Dei, eaque conſtat ex creatione & annihilatione mediata. Tranſſubſtantiatio autem Pontificia non eſt opus ſolius Dei, cum à Miſſifico vi conſecrationis fiat; neq, conſtat ex creatione & annihilatione mediata, vt ex ſuperioribus aſſertionibus apparet. Cum igitur probatum ſit tranſſubſtantiationem Pontificiam non eſſe veram tranſſubſtantiationem, ἀναντιῤῥήτως ſequitur, illam eſſe falſam; ideoque ab omnibus hominibus deteſtandam ac fugiendam. *Tranſſubſtã. Pontif. neque eſt phyſica neque hyperphyſica.*

28 *An arte magica vna ſubſtantia poſſit transmutari in aliam?*

Statuitur theſis negatiua. Rationes ſunt: 1, Quia transmutatio ſubſtantialis eſt opus ſolius Dei & Naturæ: ideoq; arte magica perfici non poteſt. 2, Quia nihil poteſt vnam ſubſtantiam transmutare in aliam, niſi quod vim habet aut phyſicam generandi, aut hyperphy- *Pro theſi negante. Ratio I. II.*

ficam creandi, vt patet ex superioribus Problem. Sed ars magica non habet vim vel physicam generandi, vel hyperphysicam creandi, cum generatio sit opus Naturæ; creatio vero opus solius Dei: Ergo non potest vnam substantiam transmutare in aliam.
III. 3, Si arte magica vna substantia potest transmutari in aliam, sequitur id fieri vel naturaliter vel supernaturaliter. Sed naturaliter fieri potest: Quia ad naturalem transmutationem requiritur, non tantum corruptio eius substantiæ, quæ in aliam est transmutanda, sed etiam generatio eius substantiæ in quam alia est transmutanda. Diabolus autem propria virtute non potest de nouo generare aliquam substantiam. Neque etiam supernaturaliter fieri potest: Quia ad supernaturalem transmutationem requiritur annihilatio & creatio mediata, quarum neutra cadit in Diabolum.

Obiection. Pro thesi affirmante. At in contrariam partem obiici possunt hæc argumenta: 1, *Si natura potest vnam substantiam transmutare in aliam, sequitur etiam artem magicam id posse præstare.*
I. Ars enim non tantum imitatur naturam, vt docet Arist. lib. 2 Phys. cap. 2. sed etiam sæpenumero ea perficit quæ Natura non potest efficere. *Sed verum est antecedens: Ergo & consequens.*
II. 2, *Quod sacra scriptura & communis experientia testatur, id sine dubio est verum: Atqui arte magica posse vnam substantiam transmutari in aliam, id sacra scriptura & communis experientia testatur: Ergo sine dubio est verum.* Assumptio probatur, quia Exod. cap. 7. & 8. expresse legimus Magos conuertisse baculum in serpentem, aquam in sanguinem, &c. Sic olim legimus Arcades mutatos fuisse in lupos, socios Diomedis in aues, socios Vlyssis in sues, Iphigeniam in ceruam. Sic hodie experientia testatur non tantum arte magica quosdam homines transmutari in lupos, lepores & feles; sed etiam tempestates & ventos horrendos sæpenumero à Lamiis produci.

Responsio ad obiect.
I. Respondeo ad primum argumentum per negationem connexæ propositionis. Licet enim ars in suis operibus imitetur Naturam; tamen neque in omnibus eam potest imitari, neq; illa opera, in quibus potest, cum Naturæ operibus sunt eadem, sed tantũ similia Præterea magnum etiam discrimen est inter artes, quæ hominum vitæ sunt vtiles, & inter eas, quæ à Diabolo in perniciem hominum sunt

ſunt excogitatæ, qualis eſt magica. Ideoque non neceſſario ſequitur, *Ars vtilis imitatur naturam in ſuis operibus: Ergo etiam Magia.* Quod vero ad alterum argumentum attinet, reſpondeo per diſtinctionem tranſmutationis. Illa enim vel eſt vera, vel falſa. Vera eſt, quæ ita eſt vt videtur. Eaque eſt opus ſolius Dei & Naturæ. Falſa eſt, quæ videtur quidem ita eſſe; ſed reuera ita non eſt: Eaque eſt opus Diaboli. Ille enim cum ſit ſpiritus callidus & agilis, ſenſus hominum tam exteriores, quam interiores perſtringit, vt exiſtiment ſe aut alios in aliam ſubſtantiam conuerſos eſſe, cum tamen reuera in ſe nullam mutationem ſuſceperint; ſed iidem maneant qui antea fuerint. Itaque quod ſcriptura affirmat *Magos conuertiſſe baculum in ſerpentem, aquam in ſanguinem*, id intelligendum eſt non de vera tranſmutatione, qualis erat illa quæ à Deo per Moſen fiebat; ſed de falſa. Quæ vero poetæ fabulantur *de conuerſione Arcadum in lupos, ſociorum Vlyſſis in ſues*, &c. ea non proprie & hiſtorice, ſed allegorice & tropologice ſunt intelligenda. Eodem modo quod hodie adhuc narratur de quorundam hominum in *lupos, lepores, feles, aliaſque beſtias mutatione*, id accipiendum eſt de falſa; non de vera tranſmutatione. Id quod etiam inde patet, quod poſt aliquod temporis ſpatium rurſus ad priſtinam formam redeunt, & iidem numero ſunt homines qui antea fuerunt. Hoc autem nullius creaturæ, ſed ſolius creatoris virtute fieri poteſt. Vnde etiam ortum eſt illud Phyſicorum axioma: *Quod ſemel interiit, id idem numero naturaliter renaſci non poteſt.*

II. Transſmutatio alia vera, alia falſa.

Denique quod Lamiæ vulgo putantur excitare *ventos, tempeſtates & ſimiles res naturales*, id erroneum eſt & falſum. Tantum enim abeſt vt miſeræ mulierculæ ſuis propriis actionibus quicquam conferant ad productionem eiuſmodi rerum, vt neque Diabolus ipſe omni ſua virtute illas efficere poſſit, niſi vtatur cauſarum naturalium ſubſidio, & congregatis in vnum locum vaporibus naturæ effectum promoueat. Ideoque etiamſi Lamiæ in tortura tali à ſe facta eſſe conſtanter confiteantur; tamen inde ſufficiens aduerſus ipſas probatio, in iudiciis, vbi ratio conſcientiæ habetur, ſumi non poteſt.

De Relatione, Cap. V.

Theoremata.

Relatio quid sit.

1 *Adhuc de accidente absoluta. Restat relatio, quæ est accidens, secundum quod vnum ens refertur ad alterum.*

2 *In ea considerandæ veniunt, tum conditiones essentiales, tum species.*

Conditiones essentiales relationis quinque.

3 *Conditiones essentiales sunt, quæ ad relationis naturam & constitutionem necessario requiruntur.*

4 *Earumque sunt quinque; subiectum, fundamentum, terminus, relatum & correlatum.*

5 *Subiectum relationis, est ens absolutum, quod à relatione sibi inhærente formaliter denominatur, siue substantia sit, siue accidens.*

6 *Fundamentum relationis est ens absolutum, cuius beneficio relatio subiecto suo inest.*

7 *Estque illud in genere triplex, nempe vel quantitas, vel qualitas, vel motus.*

8 *Terminus relationis, est ens absolutum, ad quod subiectum vel à natura, vel à voluntate Dei & hominum ordinatur, siue sit substantia siue accidens.*

9 *Relatum est, quod respectum habet ad relatum.*

10 *Correlatum est, quod respectum habet ad relatum.*

Proprietates rel. quæ sint.

11 *Proprietates relati & correlati sunt; 1, reciprocari inter se. 2, esse simul natura; ideoque se mutuo ponere & tollere. 3, vnum per alterum definiri & cognosci.*

Relatio quotuplex.

12 *Porro relatio alia est rationis, alia realis.*

13 *Relatio rationis est, quæ tota in sola mentis conceptione & fictione consistit, & extra eam nihil est.*

14 *Relatio realis est, quæ enti absoluto citra mentis cogitationem realiter inest.*

15 *Estque vel perfecta, vel imperfecta; seu, vt alii loquuntur, vel* per se, *vel* per accidens.

16 *Relatio perfecta est, quæ nihil essentiæ absolutæ sibi habet admixtum.*

17 *Relatio imperfecta est, quæ contrario modo sese habet.*

18 *Vtraque vel est naturalis, vel voluntaria.*

19 *Naturalis relatio est, quæ enti absoluto per naturam inest.*

20 *Volun-*

20 *Voluntaria relatio est, qua enti absoluto ex pactione aut institutione voluntaria siue Dei siue hominum inest.*

21 *Ex quibus speciebus relationis colligitur, relatum quoque 1, aliud esse rationis, aliud reale. 2, aliud per se, aliud per accidens. 3, aliud naturale, aliud voluntarium.*

IN CAPVT QVINTVM

PROBLEMA I.

An doctrina de relationibus sit necessaria?

ETsi multi reperiuntur qui doctrinam de relationibus parum curant negligenterque docent & discunt; *Thesis affir. defenditur.* tamen eius cognitio in omni disciplinæ & vitæ genere summopere est necessaria propter sequentes rationes: 1, *Ratio I.* quia nullum ens absolutum est in mundo, cui non infinitæ propemodum relationes accidunt, siue sit substantia, siue accidens. 2, quia nulla ars & disciplina est, quæ *II.* sine cognitione relationum possit aut doceri, aut disci; inprimis vero Logica, Theologia & Iurisprudentia. 3, *III.* quia nullus ordo inter res esse, aut intelligi potest sine cognitione relationum. 4, quia nulla societas hominum *IV.* siue publica siue priuata aut constitui, aut seruari potest, nisi relationum quæ hominibus in societatem aliquam coeuntibus, insunt, habeatur ratio.

2 *An relatio sit ens, & in quo genere entis?*

QVoniam relatio veram habet tum essentiam, tum *Relatio est* existentiam, negari non potest, illam esse ens. Et *ens.* propterea etiam nullus Philosophorum fuit inuentus, qui relationem à numero entium excluserit, tametsi omnes fere fateantur, eam cum aliis entibus comparatam esse ens debilissimum, quod scilicet tenuis sit entitatis, & propterea difficulter intelligibile. Cæterum vlterius *Relatio in* quæritur, in quo genere entis relatio sit collocanda. Pro *quo genere* cuius quæst. enodatione obseruentur quatuor Theore- *entis sit.* mata. 1, Relationem aliam esse ens reale, aliam rationis; *Theor.* cum alia citra mentis cogitationem existat; alia non. 2, *I.* relationem omnem esse ens incomplexũ & nullam com- *II.* plexum, cum diuersa entia in suo conceptu non includat. 3, omnem relationem in entibus creatis esse ac- *III.* cidens, & nullam substantiam; cum per se non subsistat, sed semper indigeat subiecto inhærentiæ ad sui existen-

IV. tiam. 4, Relationem in Deo proprie, & absque tropo non esse accidens, sed attributum substantiale; cum proprie nihil in Deo sit, quod ab essentia Dei realiter sit distinctum.

3 *Quid sit relatio in genere?*

Defi. diuersæ alior. recens. IN generali definitione relationis Philosophi inter se non conueniunt partim verbis, partim reipsa. Aliis
I. enim relatio est actus, quo vnum refertur ad alterum: A-
II. liis, habitudo vnius ad alterum; aliis affectio mutua vni-
III. us ad alterum: aliis, respectus mutuus inter duo: Aliis,
IV. respectus mutuus inter relatum & correlatum: Aliis,
V. respectus mutuus fundamenti & termini: Aliis, ordo v-
VI. nius ad aliud: aliis denique, vnio duorum, pluriumque.
VII. & VIII. Ex quibus definitionibus priores quinque verbis tantum inter se discrepant; sed reipsa consentiunt; & propterea in numero bonarum definitionum possunt haberi, si modo per illa, inter quæ relatio dicitur versari, intelligantur entia absoluta, quæ à relatione formaliter relata denominentur: Posteriores vero tres & verbis & reipsa inter se dissentiunt, neq; pro bonis definitionibus possunt haberi; partim, quia angustiores sunt suo definito, vt vltima & penultima, in quibus loco generis ponitur species relationis; partim quia differentia generi adiecta ex parte est falsa, vt in antepenultima, in qua fundamentum confunditur cum subiecto relationis. *Defin. super exam.*

Propria defin. trad. Porro in præceptis relationis supra traditis Relatio à nobis fuit definita, quod sit accidens, secundum quod vnum ens refertur ad alterum. Quæ definitio proprie est intelligenda de relatione creata, non autem de relatione increata & diuina. Illa enim sola est species accidentis proprie dicti; hæc vero non, vt in præcedente Problem. dictum fuit. Quod si vero quæras, vtrum nostra definitio differat à prioribus quinque, quas alii Philosophi assignant, responsio est in promptu, nempe has posse proprie competere relationi tam increatæ, quam creatæ; illam vero tantum creatæ, vt supra dictum fuit.

4 *Quot requirantur ad naturam relationis tum constituendam, tum cognoscendam?*

Ad relat. 5. requir. cõdit. essent. TRadunt Philosophi ad naturam relationis tum constituendam, tum cognoscendam, quinq; requiri tam

quam

quam conditiones essentiales, nempe subiectum, fundamentum, terminum, relatum & correlatum. Ratio huius assertionis est, quia omnis relatio, quæ est in rebus creatis, requirit primo subiectum cui insit, cum sit accidens: Deinde fundamentum, cuius beneficio suo subiecto insit: Id quod nihil aliud est quam causa ipsius efficiens: Tertio, terminum, ad quem tendat, & in quem desinat relatio: Quarto, relatum, quod formaliter ad correlatum referatur. Quinto, correlatum, quod formaliter ad relatum referatur. Atque huius rei veritas luculenter apparet ex exemplis quorum aliquot docendi gratia adducam. 1, Paternitas, est relatio: Eius subiectum inter creaturas, est homo masculus: Fundamentum, est partim potentia naturalis, partim actus procreandi sobolem: Terminus, est soboles procreata: Relatum, est pater; Correlatum, est filius. 2, Dominatus, est relatio: Eius subiectum est, v. g. Simo: Fundamentum, est potestas seu vis imperandi: Terminus est, v. g. Dauus: Relatum, est dominus: correlatum, est seruus. 3, Limitatio, est relatio: Eius subiectum, est lapis: Fundamentum, est ordinatio lapidis ad limitandum: Terminus, est ager: Relatum, est limes: Correlatum, est limitatum. 4, Contractus, est relatio: Eius subiectum sunt personæ certæ quæ contrahunt: Fundamentum, est obligatio mutua personarum ad præstandum aliquid: Terminus, est id, ad quod personæ mutuo sese obligant: Relatum, est vna pars contrahens; correlatum, altera pars contrahens. 5, Fœdus euangelicum, est relatio: Eius subiectum, sunt Deus & homo: Fundamentum, est obligatio mutua Dei & hominis ad faciendum aliquid: Dei quidem ad præstandum id, quod in Euangelio promittit; hominis vero, ad credendum promissis Dei, & obtemperandum præceptis eius: Terminus est id, ad quod tam Deus, quam homo sese obligat: Relatum, est vna pars fœderata: Correlatum est altera pars fœderata. 6, Sacramentatio, hoc est, mystica significatio & obsignatio, est relatio. Eius subiectum, est res terrena sensilis: Fundamentum, est institutio seu ordinatio diuina rei terrenæ & sensilis ad repræsentandum & obsignandum aliquid: Terminus, est res cælestis & insensilis: Relatum, est sacramentum, hoc est, signum mysticum: Correlatum, est sacramentatum.

Exempla subiiciun. super. doctr. illustr.

I. *II.* *III.* *IV.* *V.* *VI.*

VII. hoc est, signatum mysticum. 7, Coniugium, est relatio: Eius subiectum, sunt mas & fœmina: Fundamentum, est consensus legitimus maris & fæminæ in indiuiduam vitæ consuetudinem omniumq; tam bonorum, quam malorum communionem: Terminus est id, in quod consentiunt mas & fæminæ: Relatum, est maritus: Correlatum, est vxor. 8, Æqualitas, est relatio: Eius subiectum
VIII. est vnum ens absolutum: Fundamentum, est vnitas secundum quantitatem: Terminus, est alterũ absolutum: Relatum, est vnum æquale: correlatum, alterum æquale.
IX. 9, Similitudo est relatio: Eius subiectum, est vnum ens absolutum: Fundamentum, est vnitas secundum qualitatem: Terminus, est alterum ens absolutum: Relatum,
X. est vnum simile: Correlatum, est alterum simile. 10, Fraternitas est relatio: Eius subiectum, est vnus homo: Fundamentum, est vnitas parentum: Terminus, est alter homo. Relatum, est vnus Frater. Correlatum, est alter frater.
XI. 11, Argutio, est relatio: Eius subiectum, est vnum ens absolutum: Fundamentum, partim est vis arguendi, partim ordinatio ad arguendum siue naturalis, siue voluntaria: Terminus, est alterum ens absolutum, ad quod arguendum prius est ordinatum: Relatum, est argumen-
XII. tum: correlatum, est argutum. 12, Causatio est relatio: Eius subiectum est vnum ens absolutum: Fundamentum, est partim vis causandi, partim ordinatio ad causandum aliquid: Terminus, est alterum ens absolutum, ad quod causandum prius est ordinatum. Relatum, est causa: Correlatum, est causatum.

Corollaria ex præcedent. doctr. collig. Porro ex his quæ dicta sunt, sequentia corollaria colliguntur: 1, subiectum, fundamentum, & terminum relationis semper esse entia absoluta: Relatum vero &
I. correlatum, entia respectiua. 2, Subiectum relationis in
II. rebus creatis semper esse distinctum realiter tum à fundamento, tum à termino; cum subiectum sit id, in quo relatio inest & à quo incipit relatio; fundamentum, id cuius vi inest suo subiecto; terminus id, ad quod tendit &
III. in quod desinit relatio 3, Relatum & correlatum sem-
IV. per esse distincta realiter inter se, aut saltem ratione. 4,
V. relatum semper ratione distinctum esse à subiecto. 5, relationem non proprie dici versari inter fundamentum & terminum; sed inter duo entia absoluta, quorum vnum à relatio-

relatione formaliter dicitur relatum; alterum correlatum. 6, Relationem in rebus creatis semper differre primum à relato & correlato, tanquam ens abstractum à concreto: Deinde a subiecto & fundamento, tanquam adiunctum & effectum ab eo, cuius est adiunctum & effectum. VI. 7, Relationis subiectum, fundamentum & terminum non semper esse vnum aliquod ens absolutum; sed sæpe etiam plura. VII. 8, Relationis materiale & formale, quorum alii Philosophi faciunt mentionem, nihil aliud posse dici, quam subiectum & fundamentum relationis. VIII. 9, Relationem non male dici suum esse habere à fundamento; siquidem posito fundamento, ponitur relatio, & sublato fundamento, tollitur relatio: Ideoque etiam relatio sine fundamento recte vocatur a quibusdam *vmbra mera, & inanis titulus.* IX.

5 *Quotuplex sit fundamentum relationis?*

Aristoteles lib. 5. Metaph. cap. 15. vt interpretes eius explicant, tria genera Relatorum per se constituit; quorum primum est eorum, quorum rationes fundantur in numero, eiusq; principio vnitate, alterum eorum, quorum relationes fundantur partim in potentia, partim in actu mouendi; tertium eorum, quorum relationes fundantur in mensura. Hinc igitur colligi potest, secundum Aristotelem quadruplex esse fundamentum relationis, nempe quantitatem, qualitatem, motum, & mensuram. *Secundum Arist. fund. rel. est quadrupl.* Verum cum fundamentum relationis per se semper debeat esse ens absolutum: mensura vero non sit ens absolutum; cum ad mensuratũ sese habeat, tanquam relatum ad correlatum; ideirco merito mensura ex numero fundamentorum relationis excluditur. *Mensura nõ est fund. rel.* Atque sic tantum tria remanent fundamenta relationis, nempe quantitas qualitas & motus, quæ tamen singula non cuilibet relationi conueniunt. Nam vbi fundamentum relationis est quantitas, ibi non est qualitas, vel motus: Et, vbi est qualitas, ibi non est quantitas; quanquam vbi qualitas, ibi etiam motus cum ea simul est fundamentum relationis; ita tamen, vt illa sit fundamentum remotum; hic, proximum.

6 *An relatio alia sit realis, alia rationis; & quomodo vtraque sit definienda?*

Sent aliorum exponitur. REperiuntur inter Scholasticos quidam Philosophi, qui asserunt omnem relationem esse ens rationis, & nullum esse ens reale, præter relationes diuinas, quibus personæ diuinæ inter se distinguuntur. Argumentum ipsorum hoc est, quod omnis relatio, quæ est in reb. creatis, pendet ab operatione intellectus & extra illam non existat. Et hoc probant inde: 1, quod nomen relationis nihil aliud notat, quam comparationem, quæ aliunde non pendet, quam ab operatione intellectus, rem vnam cum altera conferentis. 2, quod nulla causa efficiens extra intellectum assignari potest, à qua oriatur relatio. *Sent. super refel.* Verum hanc sententiam esse falsam, patet ex sequentibus argumentis: 1, quia relationes, quæ sunt in *Ratio I.* rebus naturalibus, inter causam & causatum, subiectum & adiunctum, totum & partes reuera existunt, etiamsi *II.* nullus hominum de iis cogitet. 2, quia res in mundo realiter citra mentis humanæ conceptum inter se sunt æquales, vel inæquales, similes, vel dissimiles, propinquæ & distantes. Ergo etiam relationes earum, nempe æqualitas & inæqualitas, similitudo & dissimilitudo, propinquitas & distantia, realiter in mundo existunt, etiamsi *III.* ab intellectu humano non apprehendantur. 3, quia falsæ sunt ambæ rationes, quibus prior sententia fuit probata. Nam relationis nomen non tantum significat comparationem; sed etiam habitudinem vnius ad aliud, secundum quam fit comparatio: Et multæ sunt causæ efficientes extra intellectum, à quibus relationes oriuntur, vt patet ex exemplis in superiore Problem. allatis. Cum igitur constet non omnem relationem esse rationis, sequitur inde veram esse distributionem illam Philosophorum, qua relatio alia dicitur esse rationis, alia realis. Porro in definienda vtraque specie relationis Philosophi inter se non consentiunt, quemadmodum etiam obseruauit & notauit doctissimus *Goclenius* in Categoria re-*Relatio rationis quid sit.* lationis. Aliis enim relatio rationis dicitur, quæ in solo conceptu hominis consistit, comparantis vnam rem cum *I.* alia, vel pro arbitrio, vel pro corporis sui positu; neque *II.* in re ipsa fundatur. Eiusmodi relatio est in cœlo, columna & similibus corporibus inanimatis, in quibus imaginamur nobis superũ & inferum, dextrum & sinistrum, anterius & posterius, quæ tamen naturaliter illis non in-

sunt:

sunt; sed duntaxat, cum ad nostri corporis positum referuntur: siquidem dextrum dicimus, quod nostro sinistro; sinistrum, quod nostro dextro; anticum quod nostro postico, inferum, quod nostro supero opponitur. Similis relatio est illa, quæ enti rationis attribuitur. Aliis vero relatio rationis dicitur, quæ ab institutione voluntaria Dei, vel creaturæ intelligentis immediate pendet, in eaque fundatur, etiamsi enti extra animum vere insit. *III.*

Contra relatio realis aliis dicitur, quæ extra animum vere enti inest, siue per naturam siue ex instituto, pacto, & consensu vel Dei, vel creaturæ intelligentis: Aliis relatio realis dicitur, quæ per solam naturam enti inest citra intellectus & voluntatis actum. Sed prior sententia longe verior est posteriore; ideoque etiam in præceptis illam secuti sumus. *Relat. realis quid sit.* *I.* *II.*

7 *An aliæ præterea sint distributiones relationis?*

COmmunissima distributio relationis est illa, quæ in præcedenti Problemate est explicata. Sed præter illam adhuc aliæ in scriptis Philosophorum reperiuntur. Nam 1, relatio alia est increata, quæ soli Deo competit; alia creata, quæ solis creaturis accidit. 2, relatio alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta est, quæ ita est relatio, vt nunquam possit vllo respectu esse ens absolutum, cuiusmodi est paternitas, filiatio, dominatus, seruitus; &c. Vulgo dicitur *relatio per se.* Imperfecta est, quæ ita est relatio vt alio respectu sit ens absolutum, cuiusmodi est sensio, intellectio, calefactio, frigefactio, &c. Hæc enim entia dicuntur relationes, quatenus considerantur vt respectus mutui inter sentiens & sensile, intelligens & intelligibile, calefaciens & calefactum, frigefaciens & frigefactum; tametsi in se sint entia absoluta in Categoria *motus* locata. Vulgo *relatio imperfecta* nuncupatur *relatio per accidens.* 3, Relatio alia est naturalis, alia voluntaria. Naturalis est, quæ per naturam enti alicui inest, cuiusmodi est paternitas, filiatio, fraternitas, similitudo, æqualitas, &c. Voluntaria est, quæ ex instituto seu pacto & consensu siue Dei, siue creaturæ intelligentis enti alicui inest, cuiusmodi est contractus, limitatio; consulatus, fœdus, sacramentatio, & id genus *Distrib. aliæ relat. recens.* *I.* *II.* *III.*

IV. aliæ. 4, Relatio secundum Scholasticos alia est æquiparentiæ, alia disquiparentiæ. Illa est, quæ est inter relata eiusdem appellationis, cuiusmodi est fraternitas, similitudo, æqualitas, amicitia, distantia, oppositio, contrarietas. Hæc est, quæ est inter relata diuersæ appellationis, cuiusmodi est paternitas & filiatio, dominatus & seruitus, &c. *Obseruatio.* Vbi etiam obseruandum est, relationem sæpenumero certo ac proprio vocabulo destitui; ideoque necesse est, vt quotiescunque hoc accidit, licentiam nobis sumamus τοῦ ὀνοματοποιεῖν, quemadmodum ipse etiam Arist. monet in Categ. τῶν πρός τι.

8 *An omnis relatio per se sit insensilis?*

Relatio alia est sensilis, alia insensilis. ETsi thesin affirmantem videntur hactenus omnes Philosophi defendisse; tamen quia experientia reclamat, statuendum nobis est non omnem relationem per se esse insensilem; sed aliam sensilem, aliam insensilem. Exempla enim relationem per se sensilium sunt; 1, propinquitates & distantiæ corporum. 2, similitudines & dissimilitudines, quæ fundantur in vnitate & diuersitate entium secundum qualitatem, alioqui per se sensilem. 3, æqualitates & inæqualitates, quæ fundantur in vnitate & diuersitate entium secundum quantitatem per se sensilem. Illæ enim relationes per se apprehenduntur vel visu, vel auditu, vel olfactu, vel gustatu, vel tactu.

9 *An omnis relatio reipsa possit separari à suo subiecto, salua ipsius essentia?*

Thesis negatiua defend. STatuitur thesis negatiua. Nam relationes, quæ sunt inter materiatum & materiam, formatum & formam, subiectum & adiuncta essentialia, totum & partes essentiales, non possunt reipsa separari, salua essentia subiecti, siue respectiua, siue absoluta. Homo enim, v. g. quam primum amittit relationem, quam habet, vel ad materiam, vel ad formam, vel ad adiuncta essentialia, vel ad partes essentiales, statim desinit esse materiatum, formatum, subiectum, totum; ac, per consequens, desinit simul esse homo. Proinde hinc concludo, relationem aliam esse separabilem à suo subiecto, aliam inseparabilem.

10 *An relationis nulla sit vis & efficacia?*

Fonse-

Fonseca lib. 5. Metaph. c. 15. q. 2. sect. 2. dicit nullam relationem esse principium agendi aut patiendi, accipiendive. Ex quo pronunciato sequitur, *relationis nullam esse vim & efficaciam.* Verum hæc sententia Fonsecæ non potest approbari propter sequentes rationes. 1, quia relatio confert entibus absolutis essentiam respectiuam, teste ipso Fonseca in cit. ato loco, vbi ait, *relationes dare entibus, quibus insunt, aliquod esse.* 2, quia vi relationum, quæ rebus insunt, ducimur in cognitionem rerum. 3, quia vi relationum admonemur & excitamur ad officia & actiones præstandas illis relationibus conuenientes. 4, quia relationes conseruant societates hominum tam publicas, quam priuatas, tam sacras, quam profanas.

Relat. est aliqua vis & efficacia.

Ratio I. II. III. IV.

II *An relatio alteret ens, cui inest, in eoque compositionem faciat?*

Communis opinio Philosophorum est, relationem neq; alterare ens, cui inest, neque in eo compositionem facere. Rationes sunt: 1, quia alteratio est motus secundum qualitatem, non secundum relationem 2, quia relatione adueniente ens idem manet, quod ante fuit, nullamque in se mutationem recipit. 3, quia relatio potest tolli ab ente, cui inest, nihilo plane in ipso alterato & mutato. Verum pro contraria sententia afferri possunt argumenta: 1, Quia adueniente relatione ex ente absoluto fit respectiuum, v. g. ex homine vel pater, vel filius, vel dominus, vel seruus, &c. 2, Quia sublata relatione ex relato fit ens absolutum, hoc est, relatum desinit esse relatum, & retinet tantum essentiam absolutam. 3, Quia omne accidens additum suo subiecto, facit in eo compositionem siue realem, siue rationis, prout ipsum est vel ens reale, vel rationis. Ergo idem etiam de relatione negari non potest; quippe quæ est accidens, vt ex definitione patet supra allata.

Pro thesi negante. Ratio I. II. III.

Pro thesi affirmante. Ratio I. II. III.

Pro decisione igitur Problem. obseruanda sunt quatuor theoremata: 1, relationem increatam & diuinam proprie non alterare Deum, neque in eo compositionem facere, nisi forte rationis, quæ compositio non pugnat cum summa illius simplicitate. 2, relationem creatam alterare ens, cui inest, vel insensibiliter vel sensibiliter,

Quæstio deciditur per certa theorem. I. II.

III. prout ipsa est vel insensilis, vel sensilis. 3, relationem creatam facere in ente, cui inest, compositionem vel realem, *IV.* vel rationis, prout ipsa est, vel realis, vel rationis. 4, Alterationem primario quidem esse motum secundum qualitatem; secundario vero etiam secundum relationem. His ita positis, manifestum est in superioribus argumentis pro thesi negante adductis, committi elenchum partim petitionis principii, partim à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

12 *An relata omnia sint eiusdem generis?*

Pro thesi negante. Ratio I. Statuitur thesis negatiua. Nam 1, relata alia sunt per se, alia per accidens; quorum illa sunt, quæ suam essentiam totam habent positam in respectu ad aliud, cuiusmodi sunt causæ & causatum, pater & filius, dominus & seruus; hæc dicuntur quæ propter respectum, qui ipsis accidit, referuntur ad aliud, cuiusmodi sunt faber & gladius, Deus & mundus, ala & alatum, viriū & vitiosum. Priora dicuntur ab Aristotele relata κατὰ τὸ εἶναι; posteriora, relata κατὰ τὸ λέγεσθαι. *II.* 2, Relata alia sunt increata, vt personæ diuinæ, alia creata. *III.* 3, Relata alia sunt rationis, alia realia, quorum illa sunt, quæ relationem habent rationis; hæc vero quæ realem. *IV.* 4, Relata alia sunt naturalia, alia voluntaria, quorum illa sunt, quæ relationem habent naturalem; hæc, quæ voluntariam. *V.* 5, Relata alia sunt eiusdem appellationis, vt eadem, diuersa, similia, dissimilia; alia diuersæ, vt pater & filius, dominus & seruus, &c.

Obseruatio. Vbi etiam obiter obseruandum: *I.* 1, relata creata naturæ ordine posteriora esse absolutis. *II.* 2, relata sæpenumero sumi pro correlatis metonymice, verbi gratia, promissionem pro re promissa; spem pro re sperata, &c.

13 *An relata omnia inter se reciprocentur & quomodo?*

Thesis affir. defenditur. Reciprocatio relat. qualis sit. INter proprietates Relatorum Aristoteles in Categoria Relationis numerat reciprocationem Relatorum. Illa vero reciprocatio non consistit in simplici conuersione, qualis est inter definitionem & definitum, distributionem & distributum, subiectum & adiunctum essentiale; sed in mutuo respectu vnius relati ad alterum. Neq; semper fit in eodem casu, sed sæpe in diuerso, prout ipso-

ipsorum vocabulorum vis ac natura patitur. Atque hoc manifeste apparet ex ipsis exemplis. In eodem enim casu reciprocantur, v. g. pater & filius, dominus & seruus, maritus & vxor, patronus & cliens, tutor & pupillus, &c. Pater enim est filii pater, & filius est patris filius; dominus est serui dominus, & seruus est domini seruus, &c. In diuerso vero casu reciprocantur sentiens & sensile, sciens & scibile, mensura & mensuratum. Sciens enim est scibile sciens, & scibile à sciente est scibile, &c. Vbi etiam obseruandæ sunt duæ cautelæ: 1, vt relata non sub nominibus absolutis, sed respectiuis ad se inuicem referantur. Non enim recte dicitur, lapis est agri lapis, sed limes est limitati limes. 2, Vt quotiescunque nomina respectiua desunt, formemus voces nouas secundum cuiusque linguæ vsum & proprietatem.

Cautela. *I.* *II.*

14 *An relata sint simul natura?*

VVlgatum est dogma Philosophorum, *Relata esse simul natura:* cuius ratio non aliunde sumitur, quam ex ipsa natura relationum, quæ consistit in mutuo respectu vnius relati ad alterum. Illa enim facit, vt relata sint sibi mutuæ causæ, simulque se constituant & perimant; neque vnum possit absque altero aut consistere, aut definiri. Vnde etiam ortum est aliud Philosophorum pronunciatum, nempe, *Posito vno relatorum, poni alterum: & sublato vno relatorum, tolli alterum.* Verum autem illud dogma de συνυπαρξία, hoc est, coexistentia relatorum sit Catholicæ veritatis, non immerito dubitatur: Nam causa & causatum, genus & species, sensile & sensio, scibile & scientia sunt relata; neque tamen semper sunt simul natura; cum vnum altero natura sit prius. Hinc etiam Aristoteles in Categoria relationis, non constanter affirmat *relata esse simul natura*; sed ait primum δοκεῖ τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει εἶναι, hoc est, *videntur relata simul esse natura:* Deinde statim subiicit, *hoc verum esse in plerisque, in quibusdam non esse verum.* Idque probat exemplo scibilis & scientiæ, sensilis & sensus, quæ relata sint; tamen non sunt simul natura: cum posito scibili & sensili, non statim ponatur scientia & sensio; neque sublata scientia & sensione, tollatur statim scibile & sensile. Vt igitur veritas problem. propositi intelligatur,

Thesis affir. defenditur. cum distinct. *Mouetur dubium contra thes. affirm.* *I.* *II.*

Pro decisione quæst. notanda sunt theo.

simulque obiectioni occurratur, diligenter notanda sunt
sequentia Theoremata. 1, Vnum & idem ens quatenus
est ens absolutum, habere essentiam & existentiam abso-
I. lutam; quatenus respectiuũ, habere essentiam & existen-
II. tiam respectiuam. 2, duobus modis aliquid dici simul
natura cum altero, vel secundum essentiam & existen-
tiam absolutam, vel secundum essentiam & existentiam
III. respectiuam. 3, Relata mutuum inter se habere respe-
ctum, non tantum secundum eundem modum, nempe
vel potentiam, vel actum; sed etiam secundum idem tem-
pus, nempe vel præsens, vel præteritum, vel futurum. Id-
eoque necesse esse, vt vno relatorum posito, vel potentia,
vel actu, simul alterum quoque eodem modo ponatur;
similiter vno posito in tempore vel præsenti, vel præteri-
to, vel futuro, alterum quoque in eodem tempore pona-
tur.

Expon. quo sensu vera sit thesis affirm. quæst.

Soluuntur dubia prius mota.

His ita præmissis, respondeo omnia relata esse simul natura, quatenus *natura* vox sumitur pro essentia & existentia respectiua; non autem quatenus sumitur pro essentia & existentia absoluta. Secundum hanc enim vnum relatorum potest altero esse vel prius, vel posterius, vt patet in causa & causato, genere & specie: secundum illam vero minime. Quod vero ad reliqua duo exempla relatorum attinet, supra in obiectione allata, respondeo scibile & sensile aliquid dici duobus modis, vel potentia passiua, vel actu. Priori modo non habere respectum ad scientiam & sensionem; sed ad potentiam actiuam sciendi & sentiendi: Ideoque mirum non esse, si posito scibili & sensili, scientia & sensio non ponatur: Posteriori modo respectum habere ad scientiam & sensionem; & sic semper scibile & scientiam, sensile & sensionem esse simul natura, seque mutuo ponere & tollere.

15 *An vnius relati cognitio & æstimatio pendeat à cognitione & æstimatione alterius?*

Vnius relati cognitio pendet à cognitione alterius.

Omnes Philosophi in eo consentiunt, vnius relati cognitionem pendere à cognitione alterius. Sicut enim impossibile est, vnum relatum sine altero esse, aut definiri; ita etiam impossibile est vnum sine altero cognosci: Ac proinde vno cognito, cognoscitur etiam alterum; &, vno ignorato, ignoratur etiam alterum. Id quod adeo

adeo verum est, vt etiam Philosophi asserant, relatorum vnum eodem modo esse notum, vel ignotum, quo alterum. Si enim quis vnum relatorum norit vel confuse & imperfecte, vel distincte & perfecte, necesse est, vt etiam alterum eodem modo norit. Hinc relatorum dicitur esse eadem seu æqualis notitia. Et vere quidam asserunt, creatorem non posse cognosci, sine creaturarum cognitione, neque creaturas, sine cognitione creatoris. Item, errorem in cognitione creaturarum parere errorem in cognitione Dei. Verum vero etiam æstimatio vnius relati pendeat ab alterius æstimatione, de eo dubitari potest. Licet enim de plerisque relatorum exemplis verum sit, quod vno honorato & contempto; etiam alterum honoretur & contemnatur, v. g. de creatore & creatura, de legato & legante, de sacramento & sacramentato, de patre & filio, de marito & vxore, & id genus aliis; tamen non de omnibus videtur idem esse concedendum. Non enim, qui statuas & imagines in templis Idololatricis erectas honorat, aut contemnit, statim etiam res ipsas, quarum sunt signa, honorat & contemnit. Nisi forte velimus hac distinctione vti, quod regula illa sit perpetuo vera de veris relatis, quæ sine superstitione fundantur in legitima ordinatione vel voluntaria, vel naturali siue Dei, siue creaturæ intelligentis, non autem de relatis fictis, quorum relatio pendet ab illegitima & superstitiosa ordinatione creaturæ intelligentis, siue Diaboli siue hominis.

Vnius relati æstimatio nō semper pendet ab æstimatione alterius.

16 *An necesse sit relata esse simul loco?*

Statuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, quia relatorum coniunctio & vnitas non est absoluta, sed respectiua, quippe quæ in solo respectu vnius relati ad alterum consistit. Ideoque ex naturæ suæ conditione contactum localem non requirit. 2, quia sicut propinquitas localis non efficit & conseruat relationem inter duo relata; ita neque distantia localis eandem relationem vel corrumpit, vel impedit. Hinc fit vt relatio sit inter patrem & filium, dominum & seruum, maritum & vxorem, etiamsi vnus sit in extrema India, alter in Germania; vnus in Asia, alter in Europa.

Pro thesi neg. Ratio I.

II.

Errant igitur partim illi, qui in vnione sacramentali signi & signati somniant existentiā localem signati vel in

Error aliorū taxatur.

ſigno, vel cum, & ſub ſigno: partim illi, qui in vnione ſpirituali fidelium cum Chriſto contactum ſeu coexiſtentiam localem rerum vnitarum ſibi imaginantur.

17 *An præter illas accidentis poſitiui ſpecies, quas hactenus in genere explicauimus, ſint etiam aliæ.*

Sententia aliorum exponitur.

COmmunis Philoſophorum Peripateticorum ſententia eſt pro parte affirmante problematis. Illi enim ſecuti Ariſt. & Archytam Tarentinum decem claſſes entium incomplexorum conſtituunt & defendunt; quarum primam vocant Categoriam Subſtantiæ, alteram Quantitatis, tertiam Qualitatis, quartam Relationis, quintam Actionis, ſextam Paſſionis, ſeptimam τὸ ποτὲ, octauam, τὸ ποῦ, nonam τὸ κεῖσθαι, decimam τὸ ἔχειν. Etſi vero hæc opinio hactenus in omnibus Scholis, ob autoritatem Ariſtotelis & Archytæ Tarentini, qui primus fuit autor decem illarum Categoriarum, fuit recepta & approbata; tamen igne veritatis ſuppoſito, neceſſe eſt illam in fumum abire. Nam præterquam quod actio & paſſio vnam Categoriam motus conſtituunt, etiam illa entia quæ vulgo ad poſteriores quatuor categorias referuntur, aut ſunt entia complexa; aut ſi ſunt incomplexa, tamen poſſunt ad præcedentes categorias optime referri. Itaque non eſt neceſſe, vt plures accidentis poſitiui ſpecies in genere conſtituantur, præter Quantitatem, Qualitatem, Motum & Relationem. Et quicunque alias ſpecies accidentis poſitiui ponit; ille fruſtra multiplicat entia, aut ſaltem entia incomplexa cum complexis confundit.

Theſis negatiua defend.

De Priuatione, Cap. VI.

Theoremata.

1 *Hactenus de eo, quod eſt aliquid poſitiuum, actum fuit: Reliquum eſt vt aliquid negatiuum explicetur, quod nihil aliud eſt quam priuatio.*

2 *Eſt autem priuatio negatio habitus, in ente, cui is tunc ineſſe poteſt aut debet.*

3 *Eſtque vel vera, vel ficta.*

4 *Vera priuatio eſt, quæ reuera enti habitus capaci ineſt, Ab aliis dicitur*, priuatio realis.

5 *Eſtque vel perfecta, vel imperfecta.*

6 Per-

6 *Perfecta priuatio est, quæ simpliciter habitum excludit in illo ente cui inest. Vnde etiam vocari solet totalis seu absoluta priuatio.*

7 *Imperfecta priuatio est, quæ habitum secundum quid duntaxat excludit. Vnde etiam dici solet priuatio partialis, seu secundum quid.*

8 *Vtraque vel est substantialis, vel accidentalis.*

9 *Substantialis priuatio est negatio habitus substantialis in ente, cui per naturam inesse potest & debet.*

10 *Accidentalis priuatio est negatio habitus accidentalis in ente, cui inesse potest aut debet.*

11 *Estque vel adiuncti inhærentis, vel adhærentis.*

12 *Priuatio adiuncti inhærentis est, per quam remouetur ab ente adiunctum inhærens.*

13 *Estque vel quantitatis, vel qualitatis, vel motus, vel relationis.*

14 *Priuatio adiuncti adhærentis est, per quam remouetur ab ente adiunctum adhærens.*

15 *Sic de priuatione vera: Restat priuatio ficta, quæ enti alicui reuera non inest, sed per solam mentis fictionem tribuitur: Vnde etiam ab aliis vocari solet priuatio rationis, seu imaginaria.*

IN CAPVT SEXTVM

PROBLEMA I.

An vocabulum priuationis semper vno & eodem modo vsurpetur?

Statuitur thesis negatiua. Vocabulum enim *priuationis*, modo proprie, modo improprie vsurpatur. Proprie quidem dupliciter: 1, pro certa specie motus, quo aufertur aliquid ab eo, quod habet, hoc est, pro ipso actu priuandi, seu pro ablatione eius, quod ens habet. 2, pro negatione habitus quatenus illa est in ente habitus capaci. Improprie vero, pro negatione pura & absoluta, quæ enti alicui tribuitur, quod oppositæ affirmationis aut simpliciter non est capax, aut saltem non eo tempore. Ex his autem diuersis significationibus vocabuli *priuationis*, sola secunda hoc loco attenditur, exclusa prima & tertia. Id quod obseruandum est illi, qui doctrinam de priuatione recte vult intelligere. *Vocabulum priuationis est ambiguum.*

2 *Quid sit priuatio?*

Diuersæ definition. priuationis recensen.

DIuersæ definitiones priuationis in scriptis Philosophorum reperiuntur. Aliis enim priuatio est negatio habitus in subiecto apto ad recipiendum eum; aliis, absentia habitus in subiecto habitus capaci; aliis, carentia formæ in subiecto apto nato: aliis, defectus perfectionis enti alicui inesse debitæ. Ex quibus definitionibus priores duæ sunt legitimæ & plane congruunt cum nostra in præceptis tradita, qua priuatio dicitur esse *negatio habitus in ente, cui is tunc inesse potest aut debet*: posteriores vero minus sunt legitimæ.

Definitiones superiores examinan.

I. II. III. Siquidem in tertia primum genus proprie acceptum angustius est ipsa priuatione. Carentia enim proprie est priuatio eius, quod antea habuimus; tametsi postea improprie, & per synecdochen speciei sumatur etiam quandoque pro priuatione qualibet, vel etiam pro negatione incomplexa in genere. Deinde id, cuius est priuatio, non recte & sufficienter exponitur vocabulo *formæ*; cum habitus longe latius pateat, quam forma. Denique non exprimitur, ad quod aptum natum sit subiectum, cui priuatio inest.

IV. In quarta vero definitione primum genus æque late patet, ac priuatio, si modo vocabulum in propria significatione vsurpetur. Deinde id, cuius est priuatio, non sufficienter exprimitur voce perfectionis, cum multarum rerum negatio sit priuatio, quæ sub genere perfectionis comprehendi nequeunt, vt infra patebit. Denique tota definitio angustior est suo definito, & proprie soli imperfectioni priuatiuæ competit.

Priuatio cognosci nequit sine habitu. Vocabulum habitus excutitur.

Cæterum cum cognitio priuationis præsupponat cognitionem habitus, & sine ea acquiri non possit, necesse est vt hoc loco explicetur; quid per habitum sit intelligendum. Est enim illud vocabulum valde ambiguum, & modo sumitur pro actu habendi; modo pro qualitate secundum quam ens vel bene vel male disponitur, vel ad agendum vel patiendum; modo pro quolibet ente, cuius priuatio est possibilis, siue sit substantia, siue accidens positiuum, quatenus ab alio habetur.

Habitus voce quid hoc loco denotetur.

Et in hac postrema significatione hoc loco vsurpatur, dum priuationi opponitur.

Definition. habitus ab aliis tradita refutan.

Quod vero ab aliis habitus definitur, modo forma in subiecto apto ad recipiendam eam; modo præsentia formæ in subiecto habili; modo præsentia rei inhærentis, vel adhærentis

subiecto,

subiecto certo & idoneo: illæ definitiones non possunt consistere. Nam primum vocabulum *forma*, non totum illud exprimit, quod priuationi opponitur, & quod voce *habitus*, significatur, vt ante etiam dictum fuit: quemadmodum neque vocabulum *rei inhærentis*, vel *adhærentis*. Deinde nō omnis habitus est in subiecto aliquo, sed tantum habitus accidentalis. Postremo habitus genus non potest esse præsentia. Alias enim sequeretur omnem priuationem esse negationem præsentiæ formæ; non vero ipsius formæ præsentis; quod tamen est absurdum.

3 *An priuatio sit ens?*

STatuitur thesis negatiua. Rationes sunt: 1, Quia omne ens est positiuum aliquid: Priuatio autem non est positiuum aliquid. 2, Quia nulla negatio est ens. Priuatio autem est negatio. 3, Quia omne ens habet essentiam. Priuatio autem non habet essentiam, cum nonnisi per negationem sui habitus definiri possit. 4, Quia omne ens per se habet rationem aliquam boni: Priuatio autem non habet per se rationem aliquam boni, cum per se non sit appetibilis. 5, Quia omne ens à Deo suam trahit originem. Priuatio autem non; cum non sit aliquid positiuum; sed negatio, absentia & carentia, & defectus entis alicuius.

Pro thesi neg. Ratio I. II. III. IV. V.

At pro thesi affirmante adduci possunt hæc argumenta: 1, *Omne accidens est ens: Priuatio autem est accidens: Ergo priuatio est ens.* 2, *Quicquid rebus vere inest, id est ens: Priuatio autem rebus vere inest.* 3, *Omne intelligibile est ens. Priuatio autem est intelligibilis; cum ab intellectu hominis vere concipiatur.* 4, *Omne ens rationis est ens: Priuatio autem est ens rationis*, quemadmodum testatur distributio apud Scholasticos, aliosque Metaphysicos recepta, qua ens rationis diuiditur in negationem, priuationem & relationem, vt videre est apud Franciscum Suarez disput. 54. sect. 2. 5, *Si priuatio non est ens, saltem rationis, sequitur* 1. *illam non esse aliquid, sed simpliciter Non ens.* 2, *illam ab intellectu concipi non posse, quod in aliquo ente vere sit. Nihil enim eiusmodi concipitur ab intellectu nostro, nisi per modum entis: Sed consequens est absurdum: Ergo & antecedens.*

Pro thesi affirmante Argument. I. II. III. IV. V.

Respondeo ad primum argumentum per distinctionem accidentis in positiuum & negatiuum. De priore vera est propositio; sed falsa assumptio: De posteriore

Refelluntur argum. pro thesi affirm.

II. non item. Ad alteram respondeo, propositionem esse veram non simpliciter, sed secundum quid, nempe de eo, quod ita rebus vere inest, vt ponat aliquid. Priuatio autem non inest rebus ponendo in illis aliquid; sed negatiue, seu remouendo aliquid ab illis. Vnde etiam fit vt
III. nulla vera essentia ei attribui possit. Ad tertium respondeo similiter, propositionem non esse simpliciter veram, sed tantum secundum quid, nempe de eo, quod per se, hoc est, per propriam speciem est intelligibile: Priuatio autem non per se; sed per accidens, hoc est, per
IV. alienam speciem sui habitus est intelligibilis. Ad quartum respondeo, assumptionem esse falsam, neque vllo modo esse approbandam distributionem illam Scholasticorum, qua inter entia rationis numerant etiam negationem & priuationem, vt supra lib. 1. cap. 3. P. 11. tra-
V. ditum fuit. Ad quintum respondeo per negationem connexæ propositionis. Ex antecedente enim nullo modo consequens inferri potest. Nam primum datur medium inter ens, & non ens simpliciter, nempe non ens secundum quid, cuiusmodi etiam est priuatio. Licet enim hæc in entium censu haberi nequeat, nihilominus non est simpliciter non ens; sed aliquid negatiuum, quod vere in aliquo ente est, & per quod ens illud dicitur priuatum esse. Deinde falsum est, nihil ab intellectu concipi posse, quod vere in ente aliquo sit, nisi per modum entis. Conceptus enim intellectus si debet esse verus, necesse est, vt cum eo, quod concipitur, congruat. Alioquin enim erit falsus, si per modum entis aliquid conciperetur, quod ens non esset.

Priuatio est nō ens secundum quid.

Non ens vere concipi non potest per modum entis.

4 *An priuatio semper præsupponat habitum?*

Thesis affir. defend. in sano sensu.

VVlgatum est & in Scholis tritum effatum Philosophorum, *priuationem præsupponere habitum.* Quod effatum si ita intelligeretur quasi priuatio nulli enti inesse possit, nisi prius in eodem actu extiterit ipse habitus, falsum est. Si vero per conuenientem interpretationem illum sensum habeat; quod nulla priuatio vere & proprie dicta inesse possit alicui enti, nisi in eo aut habitus prius actu extiterit, aut saltem ex Lege vel Naturæ, vel Dei eo tempore inesse debeat; sic est catholicæ veritatis. Nihil enim potest dici vere & proprie priuatum, nisi

nisi quod habitum aut actu prius habuit, aut saltem ex lege vel naturæ, vel Dei eo tempore habere debuit. Atque hoc expressis verbis docet ipse Aristoteles in libro Categoriarum cap. de oppositis, dum ait: ἐστερῆσθαι τότε λέγομεν ἕκαστον τῶν τῆς ἕξεως δεκτικῶν ὅταν ἐν ᾧ πέφυκεν ὑπάρχειν, ἢ ὅτε πέφυκεν ἔχειν, μηδαμῶς ὑπάρχῃ, h. e. *Priuari tunc dicimus vnumquodque eorum, quæ habitus sunt capacia, quando habitus nequaquam inest in eo, cui per naturam solet & debet inesse, aut non eo tempore quo id per naturam solet ac debet habere habitum.* Item paulo post: στέρησις καὶ ἕξις λέγεται μὲν περὶ ταὐτόν τι, h. e. *priuatio & habitus dicitur circa idem aliquid.* Atque ex hac doctrina etiam causa sumi potest. 1, cur catelli ante nonum à natiuitate diem non possint dici proprie cæci: quia per naturam citius non solent habere visum. 2, cur infantes recens nati non dicantur muti aut edentuli; quia per naturam eo tempore loquelæ & dentium actu non sunt capaces. 3, cur quidam homines adulti priuatiue, non negatiue, dicantur ignari, insipientes & imprudentes: quia ex lege naturæ & Dei ipsis eo tempore scientia, sapientia & prudentia inesse potuit ac debuit. 4, cur Philosophi homines ante vsum rationis, neque probos, neque improbos, neq; iustos, neque iniustos pronuncient; quia secundum ipsorum sententiam, nulla virtus moralis, nullumque vitium morale cadit in homines, antequam possint vti ratione.

Cæterum contra hanc sententiam duo potissimum obiici possunt: 1, quod in prima creatione prius fuerint tenebræ, quam lux. 2, quod in generatione physica priuatio formæ semper antecedat ipsam formam in materiam introducendam. Ad primam obiectionem respondeo, esse fallaciam æquiuocationis in vocabulo *tenebrarum.* Per tenebras enim Moses non intelligit proprie priuationem lucis; sed vel simplicem negationem lucis, vel ruditatem materiæ primæ, vel ipsam materiam primam nondum informatam & illustratam: quemadmodum per lucem non tantum intelligit qualitatem visibilem, sed etiam ipsam substantiam lucidam, vt Theologi testantur. Ad alteram obiectionem respondeo, per priuationem, quæ numeratur ab Aristotele inter principia generationis physicæ, intelligi non proprie carentiam formæ per naturam tunc inesse solitæ & debitæ; sed

Obiectio.

Responsio ad obiect.

I.

II.

tropice vel puram negationem formæ, vel corruptionem, quæ solet omnem generationem præcedere.

5 *An priuatio suscipiat magis & minus?*

Quæstio explicatur per distinct. Distinguendum est inter priuationem totalem & partialem, seu quod idem est, perfectam & imperfectam. De priore vera est thesis negatiua, de posteriore thesis affirmatiua problematis. Rationes sunt: 1. quia *Priuatio perfecta non suscipit magis & minus, sed imperfecta.* priuatio totalis & perfecta est, quæ habitum simpliciter excludit: ideoque illa non potest dari maior. 2. quia partialis & imperfecta priuatio est, quæ habitum tantum secundum quid excludit: ideoque illa alia potest esse maior, alia minor, prout habitus per eam vel magis vel minus remouetur. Hinc priuatio quantitatis, vel qualitatis dicitur maior vel minor, prout plures vel pauciores illius, siue partes, siue gradus, à subiecto remouentur.

I.

II.

Obseruatio. Vbi tamen obseruandum est, in moralibus grauitatem seu quantitatem non tantum ex maiore vel minore remotione habitus; sed etiam ex maiore vel minore debito habendi talem habitum, qui priuationi opponitur, æstimari. Quo enim habitus magis vel minus ex lege Dei inesse debet enti alicui, eo etiam priuatio est maior vel minor, grauior vel leuior. Vnde ignorantia voluntaria & impietas in Doctore & pastore Ecclesiæ longe grauior est & maior in oculis Dei, quam ignorantia & impietas in homine laico.

6 *An à priuatione ad habitum detur regressus?*

Aristot. sententia exponitur. Aristoteles in libro Categoriarum cap. de Oppositis, statuit thesin negantem. Dicit enim expresse ab habitu quidem ad priuationem fieri mutationem; sed à priuatione ad habitum fieri non posse. Et hoc etiam probat inductione exemplorum. Nam neque cæcus, inquit, visum, neque caluus comam, neque edentulus dentes recipere vnquam potest. At vero huic sententiæ reclamat communis experientia. Illa enim testatur à tenebris dari regressum ad lumen, à morbo ad sanitatem, ab amentia ad vsum rectum rationis, ab ignorantia ad scientiam, ab obliuione ad memoriam, ab improbitate ad probitatem, ab impietate ad pietatem.

Experientia reclamat Arist. sentent.

Decisiones aliorum recensent. I. Pro resolutione problematis quidam distinguunt inter priuationem totalem & partialem, itemque inter regressum ordinarium & extraordinarium, naturalem & na-

& miraculosum. Itaque sentiunt à totali priuatione ad habitum non dari regressum ordinarium & naturalem, dari tamen extraordinarium & miraculosum; cum in sacris literis legamus virtute hyperphysica Dei cæcis visum esse restitutum, surdis auditum; mutis loquelam &c.

Sed hæc sententia videtur non simpliciter esse vera, quatenus priuatio totalis eo modo intelligitur, qui supra à nobis fuit definita. Experientia enim testatur sæpenumero à totali priuatione vel luminis, vel notitiæ, vel visus, vel auditus, vel alterius habitus naturalem dari regressum ad ipsum habitum. Idcirco alii sunt qui statuunt à priuatione non dare regressum ad eundem numero habitum; dari tamen ad eundem specie. *II*

Sed neque hæc sententia simpliciter est vera. Fieri enim potest, vt virtute infinita Dei detur à priuatione extraordinarius & miraculosus regressus etiam ad eundem numero habitum, non secus, ac à corruptione hominis, eadem virtute possibilis est regressus ad reproductionem eiusdem numero hominis. Hinc alii distinguunt inter habitum naturalem & aduentitium seu acquisitum; ac de priore quidem concedunt dictum Aristotelis, quod à priuatione ad habitum non detur regressus; de posteriore autem non item. Sed neque hæc sententia concedi potest, cum non tantum hyperphysicus, sed etiam physicus sæpenumero detur regressus à priuatione ad habitum naturalem, v. gr. a morbo ad sanitatem, à deformitate ad pulchritudinem, ab impotentia ad potentiam. Proinde nihil aliud superesse videtur, quam vt distinguamus inter priuationem totalem, quæ adiunctam sibi habet essentialem destructionem seu corruptionem organi, per quod habitus debet exerceri, & inter illam quæ non. De priore enim verum est pronunciatum Aristotelis, secundum ordinarium Naturæ cursum; de posteriore autem non. Sic, e. g. in homine, cui oculi effossi sunt, aut pupilla saltem corrupta, est eiusmodi cæcitas, à qua non datur naturalis regressus ad visum. Cuius vero oculis pellicula tantum est obducta, ne possint species visibiles ab iis recipi, in eo est eiusmodi cæcitas, à qua naturalis regressus ad visum est possibilis.

[illegible] (margin, beside "Sed hæc sententia videtur")

Refellitur 2. decisio.

III.

Refellitur 3. decisio.

Propria decisio asser.

7 *An omnis priuatio sit præter naturam & adiunctum contingens?*

Pro thesi affirmante.
Ratio I.
II.
III.
Limitatur superior sententia.

STatuitur thesis affirmatiua. Rationes sunt. 1, Quia omnis priuatio qua priuatio, pugnat cum perfectione entis. 2, quia tollit id, quod est secundum naturam. 3, quia nunquam est simpliciter necessaria respectu sui subiecti, quippe in quo supponit potentiam ad oppositum habitum. Vbi autem est potentia contrariorum, ibi neutrum extremum est simpliciter impossibile vel necessarium, vt docet Aristoteles lib.9. Metaphys. & alibi. Interim non negamus, priuationem, quatenus induit rationem pœnæ esse secundum naturam; & quandoque etiam quatenus est priuatio, esse ex certa hypothesi adiunctum necessarium.

8 *An vlla priuatio totaliter destruat subiectum sui habitus?*

Thesis negatiua defend.
Obiectio.

CVm omnis priuatio requirat subiectum naturaliter aptum & dispositum ad recipiendum habitum, & sine eo esse nullo modo queat, videtur nulla priuatio totaliter, destruere posse subiectum sui habitus. Sed contra obiici potest non tantum mortem, sed etiam morbum lethalem totaliter destruere subiectum vitæ & sanitatis. Ad quam obiectionem respondendum videtur:

Responsio ad obiect.
I.
II.

1, mortem nihil aliud esse, quam interitum seu corruptionem corporis animati; ideoque vitæ, quæ est duratio eiusdem, vt in physicis docetur, non opponi priuatiue, sed disparate. 2, morbum lethalem quatenus est priuatio, & in corpore animato vere est, tam diu id totaliter non destruere: sed quando actu causatur totalem corruptionem sui subiecti, tum desinere esse priuationem.

9 *An detur medium inter priuationem & habitum?*

Sententia aliorum exponitur.
Superior sententia impugnatur.

COmmunis sententia Philosophorum est, inter priuationem & habitum non dari medium per participationem vtriusque extremi; dari tamen medium per negationem vtriusque extremi. Lapis enim neque cæcus est, neque videns, neque surdus, neque audiens, neque mutus, neque loquens. Sed contra hanc sententiam obiici potest, quod inter priuationem & habitum etiam

quandoque

quandoque medium per participationem vtriusque extremi detur, v. g. obscuritas inter tenebras & lumen; debilitas visus inter visionem, & cæcitatem; debilitas auditus inter auditum & surditatem. Pro decisione problematis distinguendum est inter priuationem perfectam & imperfectam, itemq, inter habitum perfectum & imperfectum. Licet enim inter habitum perfectum & priuationem perfectam non detur medium per participationem vtriusque extremi; datur tamen inter habitum imperfectum & priuationem imperfectam, vt patet ex exemplis superius adductis. *Quæstio dirimitur per distinct.*

10 *An priuatio habeat causam sui efficientem, & qua illa sit?*

CVm priuatio non sit simpliciter nihil, sed aliquid, necesse est, vt aut à se sit, aut ab alio. Sed à se esse non potest; cum solius Dei sit à seipso esse. Ergo est ab alio, &, per consequens, habet causam sui efficientem. Illa vero in genere est omne id quod vel deficit in agendo, vel efficientiam positiuam agentis impedit, vel aliud ens, quocumque modo, habitu suo, aut actu inhærente aut saltem inesse debito priuat. Sic terra, quatenus radios solares impedit, quo minus ad aerem nostri horizontis transeant, est causa efficiens tenebratum aeris. Sic Natura, quatenus deficit in formatione corporis, est causa efficiens monstrositatis. Eodem modo qui oculos alteri eruit, est causa efficiens cæcitatis Et sic deinceps. *Priuatio habet caus. effic.* *Priuationis causa effic. in genere qua sit.*

11 *An priuatio alia sit substantialis, alia accidentalis?*

NVspiam, quod ego memini, in scriptis Philosophorum reperitur distributio illa priuationis in *substantialem & accidentalem* Omnes enim videntur esse in illa opinione, priuationem omnem esse accidentis positiui; & nullam substantiæ. Sed si quis percurrat singula genera priuationum, reipsa inueniet priuationem aliam esse substantialem, aliam accidentalem. Non enim tantum vere & proprie priuatum dicitur id, quod accidente aliquo positiuo sibi inesse debito caret; sed etiam id quod substantia aliqua sibi per naturam conueniente & debita destituitur. Hinc mancum seu mutilum dicitur corpus humanum, cui pars aliqua integralis deest: Et luscus dicitur, qui vno oculo est priuatus. *Thesis affir. defenditur.*

aptum ad recipiendum oppositum habitum; hæc vero non. 2, quod priuatio nunquam simpliciter est necessaria respectu sui subiecti. Negatio vero talis esse potest, vt respectu eius, cui tribuitur, sit simpliciter necessaria; & opposita affirmatio, impossibilis. 3, quod negatio potest habere intrinsecum fundamentum positiuum in eo, cui tribuitur. Priuatio autem non. 4, quod inter negationem & affirmationem oppositam nullum plane datur medium; inter priuationem vero & habitum datur. 5, quod priuatio realis non potest attribui, nisi entibus realibus. Negatio autem etiam entibus fictis, vt cum chimæra dicitur non ens reale. 6, quod priuatio semper concipitur vt adiunctum inhærens suo subiecto. Negatio vero non. Vbi etiam obseruandum est, quæstionem propositam intelligendam esse, non tantum de priuatione vera & reali; sed etiam de negatione vera, eaque non complexa, sed incomplexa. Est enim alia ratio priuationis fictæ, sicut etiam negationis falsæ & complexæ, vt alibi suo loco docebitur.

II. III. IV. V. VI. *Obseruatio.*

Atque ita tandem diuina gratia afflatu ex spatiosissimo illo & turbulentissimo disputationum Metaphysicarum *pelago, in quo diu multumque contrariarum opinionum, rationumque procellis iactati sumus, ad portum optatæ quietis appulimus & peruenimus. Faxit Deus, vt labor hic noster cum gloria diuinæ illustrandæ inseruiat, tum Ecclesiæ orthodoxæ & Reipublicæ literariæ vtilis sit & salutaris.*

Epilogus totius operis.

FINIS.



INDEX LIBRORVM, CAPITVM ET PROBLEMATVM Metaphysicæ.

LIBER I.

CAPVT I.

De natura Metaphysicæ.

Problemata.

1. AN detur Metaphysica? Pag. 1
2 An diuersæ sint appellationes Metaphysicæ, & quæ earum ratio? 3
3 An Metaphysica sit ars? 4
4 An Metap. h sit disciplina contemplatrix, an operatrix? 6
5 Quod sit proprium & adæquatum subiectum Metaphysicæ? ibid.
6 An metaphysica omnia entia speciatim & distincte secundum proprias earum rationes consideret? 8
7 Quæ sint causæ Metaphysicæ? 11
8 An Metaphysica sit disciplina necessaria & vtilis? 12
9 An Metaphysicæ munus sit tradere instrumēta sciendi? 13
10 An Metaphysica sit vna specie disciplina? 15
11 An Metaphysica omnium disciplinarum ab hominibus inuentarum sit nobilissima? ibid.
12 An Metaphysica essentialiter differat à Logica, Physica, & Theologia sacra? 16
13 An Metaphysica ordine doctrinæ debeat præcedere reliquas omnes disciplinas? 18
14 Quomodo Metaphysica legitime sit diuidenda? 19

De Nihilo & Essentia, Cap. II. 22

1 An nihil sit intelligibile? 22
2 An inter Nihil & Aliquid detur medium? 23
3 An aliquid & nihil æquipolleant enti & non enti? 24
4 An ex nihilo possit fieri aliquid, & ex aliquo nihil? ibid.
5 An cognitio Nihili recte statuatur fons omnium virtutum, sicut ignorantia, vitiorum? 25
6 Quid sit essentia in genere & quotuplex? 26
7 An essentia entis recipiat magis & minus? ibid.

De en-

De ente eiusque generalissimis distributionibus, CAP. III. 27

1 *An ens possit perfecte definiri & quomodo?* 28
2 *An ens & essentia inter se differant & quomodo?* ibid.
3 *An sit discrimen inter ens & rem?* 29
4 *An omne ens vnam duntaxat habeat essentiam?* ibid.
5 *An ens possit manere saluum, destructa ipsius essentia?* 30
6 *An ens tanquam genus recte diuidatur in ens reale & rationis?* ibid.
7 *Quomodo ens reale & rationis sit definiendum?* 32
8 *An doctrina generalis de ente rationis pertineat ad Met* 33
9 *An ens rationis habeat causas quarum vi existat, & quæ illæ sint?* ibid.
10 *An omne ens rationis sit accidēs, & quod sit illius subiectū?* 35
11 *Quomodo ens rationis recte sit diuidendum?* ibid.
12 *Vtrum ens reale sit genus vniuocum entis increati & creati, an analogum?* 36
13 *An solus Deus sit ens primum & increatum.* ibid.
14 *An ens recte diuidatur in incomplexū & complexum?* 37
15 *An ens absolutum semper opponatur respectiuo?* 38
16 *An ens recte diuidatur in vniuersale & singulare?* ibid.
17 *Quid sit ens vniuersale & singulare?* 39
18 *An entia vniuersalia sint aliquid extra intellectum?* 40
19 *Quomodo vniuersalia vulgo soleant diuidi, & quid de illis diuisionibus sit sentiendum?* 41
20 *An ens aliud sit permanens, aliud successiuum?* 42

De attributis simplicibus entium in genere: ac primum de existentia, CAP. IV. 43

1 *An ens, quatenus ens, habeat veras aliquas & positiuas passiones seu proprietates?* 43
2 *Quot sint pass. seu proprietates entis quatenus est ens?* 45
3 *An existētia differat ab essentia entis, & quomodo?* ibid.
4 *An omne ens quatenus ens habeat existentiam?* 46
5 *An omne ens habeat existentiam propriam?* 47
6 *An existentia vnius entis possit alteri communicari, non communicata ipsius essentia?* 48
7 *An vnius entis vna tantum sit existentia?* ibid.
8 *Vtrum existentia sit tantum entium singularium, an vero etiam vniuersalium?* ibid.
9 *An sit discrimen inter existentiam & subsistentiam?* 49
10 *An dentur diuersæ species existentiæ?* ibid.

De Duratione entium, Cap. V. 59

1 *An duratio sit affectio propria entis quatenus ens est?* 51
2 *An duratio differat ab existentia & quomodo?* 52
3 *An dentur diuersæ species durationis?* ibid.
4 *An omnis duratio propriè possit dici tempus?* ibid.
5 *An vox æternitatis semper vno & eodem modo vsurpetur?* 54
6 *An diuisio durationis in æternitatem & tempus sit vera & perfecta?* 55
7 *Quid sit æternitas absoluta?* ibid.
8 *An æternitas absoluta per se sit expers omnis successionis?* 56
9 *An solus Deus absolutè sit æternus?* 59
10 *Quid sit tempus in genere?* 60
11 *Quomodo tempus ab æternitate differat?* 61
12 *Quotuplex sit tempus?* ibid.
13 *An idem numero tempus intrinsecum insit omnibus entibus creatis?* 62
14 *An idem numero tempus à Deo possit reproduci?* 63
15 *Quomodo tempus intrinsecum ab extrinseco differat?* 64
16 *An detur tempus imaginarium, & quomodo à reali differat?* ibid.

De attributis coniunctis & absolutis entium.

LIBER II.

De Perfectione & Imperfectione, Cap. I. 65

1 *An vno & eodem modo aliquid dicatur perfectum vel imperfectum?* 66
2 *Quid sit perfectio in genere & quomodo ab integritate differat?* 67
3 *An ens primum sit absolutè & summè perfectum?* 68
4 *An vllum ens creatum possit esse æqualis perfectionis cum ente primo seu increato?* 69
5 *An omnis perfectio creata in se includat aliquam imperfectionem?* 70
6 *An perfectio essentialis vnius & eiusdem entis augeri vel minui possit?* ibid.
7 *An perfectio rectè diuidatur in moralem, naturalem & transcendentem?* 71
8 *An vnum & idem ens diuerso respectu possit dici perfectum & imperfectum.* ibid.

9 An

9 *An omnis imperfectio sit priuatio?* ibid.
10 *An omnis imperfectio arguat malitiam, prauitatem & vitiositatem?* 72
11 *An omni imperfectum sit prius perfecto?* 73
12 *An cognitio sua imperfectionis sit vera perfectio?* ibid.

De Simplicitate & compositione, Cap. II. 74

1 *Quot modis aliquid dicatur simplex?* 75
2 *Quid sit simplicitas in genere?* 76
3 *An ens primum & increatum sit absolute simplex?* 76
4 *Quid sit compositio in genere & quotuplex?* 78
5 *An compositio ex esse & essentia sit vera & realis, & quomodo à compositione ex natura & supposito differat?* 80
6 *An compositio ex genere & differentia sit realis, & quomodo differat à compositione ex materia & forma?* 80.81
7 *An omnis creatura sit composita?* 81
8 *An omnis creatura sit composita ex partibus?* 82
9 *An omne quod componitur ab alio componatur, & num omne compositum posterius sit componente?* ibid.
10 *An omne compositum possit resolui in eadem principia, ex quibus constat?* ibid.
11 *An omne sit compositum ex eo, in quod realiter resoluitur?* 83

De Vnitate & multiplicitate, Cap. III. 83.84

1 *An vnitas sit attributum positiuum entis?* 85
2 *Quid sit vnitas in genere?* 86
3 *Quotuplex sit vnitas?* 87
4 *An ens & vnum sint idem realiter?* 88
5 *An aliquod ens simul possit esse vnum & non vnum?* 89
6 *An ex duobus entibus in actu perfecto possit fieri vnum per se?* 90
7 *An omne ens sit simpliciter vnum?* ibid.
8 *An vnitas sit primum principium primaque mensura omnis multitudinis?* 91
9 *An vnitas conseruet res, multitudo vero destruat?* ibid.
10 *An omnis vnitas in rebus creatis oriatur à prima vnitate?* 92
11 *An ens recte diuidatur in vnum & multa?* 93
12 *Quomodo vnum & multa opponantur.* 94

De Infinitate & finitate, CAP. IV. 94

1 *Quot modis aliquid dicatur infinitum aut finitum?* 95
2 *An ens recte & sufficienter diuidatur in infinitum & finitum?* 97
3 *An ens primū & increatum simpliciter sit infinitum?* 98
4 *An præter primum ens adhuc alia dentur entia simpliciter infinita vel actu, vel potentia?* 102
5 *An detur progressus in infinitum in vllo entium genere?* 104
6 *An omne ens creatum sit simpliciter finitum?* 105
7 *An vnum & idem diuerso modo ac respectu possit esse finitum & infinitum?* 106
8 *An inter ens simpliciter infinitum & finitum detur proportio?* ibid.

De Illocalitate & localitate, CAP. V. 107

1 *An ens recte diuidatur in illocale & locale?* 107
2 *An primum ens proprie dicatur esse in loco?* 108
3 *An primum ens sit vbique?* 111
4 *An vlla creatura possit esse vbique?* 114
5 *An omnis creatura sit in loco?* 115
6 *An vlla creatura simul possit esse actu in duobus vel pluribus locis?* 117
7 *Quid sit locus in genere?* 118
8 *Quotuplex sit locus?* 119
9 *An sit discrimen inter locum & localitatem?* 120
10 *Vtrum ad veram præsentiam entis semper & necessario requiratur localis eiusdem propinquitas?* ibid.

De Necessitate & Contingentia, CAP. VI. 121

1 *An necessitas & contingentia recte numerentur inter affectiones generales entis?* 122
2 *Quid sit necessitas & quotuplex?* 123
3 *An inter entia incomplexa solum primum ens in se sit absolute necessarium?* 124
4 *An in entibus complexis locum habeat necessitas absoluta?* 126
5 *An omne ens sit capax necessitatis hypotheticæ?* 127
6 *An omne ens necessarium habeat causam suæ necessitatis & quænam illa sit?* 128
7 *Quot modis aliquid dicatur contingens?* 129

8 *An*

8 *An libertas sit species contingentiæ?* ibid.
9 *An libertas omnem necessitatem excludat?* 130
10 *An omnis creatura sit ens sua natura contingens?* ibid.
11 *An idem ens diuerso respectu possit esse contingens & necessarium?* 131
12 *Quæ sit causa contingentiæ?* ibid.
13 *An sit discrimen cum inter necessitatem & immutabilitatem, tum contingentiam & mutabilitatem?* 132
14 *An omne quod mutabile est necesse sit actu etiam aliquando mutari?* 133
15 *Vtrum recte res necessariæ & contingentes à Zabarella fuerint definitæ lib. 1. De nat. Log. cap. 2.* ibid.

De Possibilitate & impossibilitate, Cap. VII. 135

1 *Quid sit possibile & impossibile in genere?* 135
2 *Quotuplex sit possibile & impossibile?* 136
3 *An ab homine semper certo cognosci possit; vtrum aliquid sit possibile vel impossibile?* 138
4 *An aliquid sit possib. quod tamē nunquā fuit vel erit?* 139
5 *An idem sit possibile & ens potentia?* 140
6 *An idem sit falsum & impossibile?* ibid.
7 *An idem possit simul esse possibile & impossibile diuerso respectu?* ibid.
8 *An idē sit nō posse, & nō habere potentiā naturalem?* 141
9 *Quomodo possibile & impossibile differant à necessario & contingente?* 142

De Veritate & Falsitate, Cap. VIII. 142

1 *An vox veritatis semper vno & eodē modo vsurpetur?* 143
2 *An veritatis consideratio pertineat ad Metaphysicam & quomodo?* 144
3 *Quid sit veritas in genere?* 145
4 *An veritas sit attributum entis reale & absolutum, ab eoque realiter distinctum?* 146
5 *An veritas insit enti tam incomplexo, quā complexo?* 147
6 *Quotuplex sit veritas?* 148
7 *An veritas alia sit Philosophica, alia Theologica?* 150
8 *Quæ sit causa efficiens veritatis?* 151
9 *An veritas sit inuicta & perpetua?* ibid.
10 *An veritas primo enti insit in summo perfectionis gradu?* 152

11 *An falsitas proprie insit rebus extra intellectum, & quidem secundum naturam?* ibid.

12 *An sit discrimen inter falsiloquium & mendacium?* 154

13 *An ex principio falso verum dogma per se possit exstrui* ibid.

14 *An contradictoria possint simul esse vera?* 156

15 *An in omni contradictione vna pars sit determinate vera & altera falsa?* 159

16 *An veritas recte dicatur simplex; falsitas vero multiplex?* 160

17 *An difficile sit veritatem cognoscere, & vnde illa difficultas oriatur?* ibid.

De bonitate & Malitia, Cap. IX. 161

1 *An bonitas & bonum realiter sint idem?* 163

2 *Quid sit bonitas in genere?* 164

3 *An omne bonum sit appetibile & retro?* ibid.

4 *An omne bonum sit communicatiuum sui.* 165

5 *An bonitas alia sit vera, alia apparens.* 166

6 *An bonitas vera alia sit absoluta, alia respectiua?* 167

7 *Quid sit vera & absoluta bonitas creata tum in genere, tum in specie?* 168

8 *Quomodo differant inter se bonitas naturalis, moralis & artificialis?* 170

9 *Quotuplex sit bonitas tam naturalis quam moralis & artificialis?* 171

10 *An bonitas respectiua recte diuidatur in honestatem, vtilitatem & iucunditatem?* 172

11 *An præter supra nominatas dentur adhuc aliæ diuisiones bonorum?* ibid.

12 *An idem proprie & reipsa sit bonum & pulchrum?* 174

13 *An omne verum bonum habeat rationem finis?* ibid.

14 *An omne ens sit bonum & retro?* ibid.

15 *An vllum ens proprie vere & per se sit bonum bonitate aliena?* 177

16 *An idem ens diuerso respectu possit esse bonum & malum?* ibid.

17 *Quid sit malitia in genere?* 178

18 *Quotuplex sit malitia?* 181

19 Quo-

19 *Quomodo malitia naturalis à morali & artificiali differat?* 183

20 *An malitia naturalis perinde ac bonitas possit diuidi in essentialem & accidentalem, vniuersalem & particularem?* 184

21 *An malum recte diuidatur in malum culpæ & malum pœnæ?* ibid.

22 *An omne malum culpæ sit perfecte malum?* 186

23 *An detur summum malum?* ibid.

24 *An malum habeat causam aliquam sui efficientem?* 187

25 *Quæ sit causa efficiens mali quatenus est malum?* 188

26 *An malum ex bono per se oriri possit?* 189

27 *Vtrum Deus sit causa efficiens vllius mali?* 191

28 *An malum habeat causam aliquam finalem?* 193

29 *An malum habeat causam materialem & formalem?* 194

30 *An omne malum sit in bono tanquam in subiecto?* ibid.

31 *An malum bono opponatur & quomodo?* 196

De attributis coniunctis & respectiuis entium.

LIB. III.

De Principio & principiato, CAP. I. 197

1 *Quot modis vocabulum principii vsurpetur?* 199

2 *Quid sit principium in genere acceptum?* ibid.

3 *An principium vere & sufficienter diuidatur in principium essendi & cognoscendi?* 201

4 *An omne ens creatum à principio aliquo pendeat, & quodnam illud sit?* 202

5 *An Deus sit principium simpliciter primum omnium extra se entium?* 203

6 *An principium prius sit principiato?* 204

7 *An principium recte dicatur dimidium rei faciendæ, aut etiam plus quam dimidium?* ibid.

8 *An inter principia complexa disciplinarum detur aliquod simpliciter primum, & quodnam illud sit?* 205

9 *An vllius principii cognitio sit homini innata?* 206

10 *An posito principio necesse sit semper poni id cuius est principium.* 207

De Causa & causato, CAP. II. 208

1 *Vtrum ad Metaphysicam pertineat agere de causis & quomodo?* 211
2 *An causa & principium idem omnino sint?* 212
3 *Quid sit causa in genere?* 213
4 *An causa recte dicatur alia potentia, alia actu?* 215
5 *An omnis causa prior sit suo causato?* ibid.
6 *An posita causa semper ponatur causatum, & sublata collatur?* 217
7 *An qualis causa, tale semper sit causatũ, & vice versa?* 219
8 *An quatuor duntaxat sint causarum genera?* ibid.
9 *An quadrimembris causarum distributio commode ad bimembrem reuocari possit?* 221
10 *An omne causatum indigeat quatuor causarum generibus ad sui productionem?* 222
11 *An aliquid possit esse causa sui ipsius?* 223
12 *An omne causatum realiter differat ab omnibus suis causis tum separatim, tum coniunctim acceptis?* ibid.
13 *Vtrum causa possint esse sibi inuicem causa?* 224
14 *An vnum & idem ens diuerso respectu possit rationem diuersarum causarum suscipere?* ibid.
15 *An ex quatuor causis alia aliis sint perfectiores?* 225
16 *An detur necessaria connexio inter causas quatuor generum?* ibid.
17 *An vnius & eiusdem causati possint dari plures causa in vnoquoque causarum genere?* 226
18 *An in vnoquoque causarum genere detur certus aliquis ordo, & quomodo?* 227
19 *An in causis per se subordinatis detur progressus in infinitum?* 228
20 *An necesse sit causas per se subordinatas omnes simul actu concurrere ad causandum suum causatum?* 229
21 *An in causis per se subordinatis superior semper nobiliorem & perfectiorem causandi virtutem habeat quam inferior?* 230
22 *An proxima causa semper præsupponat omnes remotas?* ibid.
23 *An vnius causa semper vnum tantum sit causatum?* 231
24 *An causatum possit esse perfectius suis causis?* ibid.
25 *An in vnoquoque causarum genere locum habeat distributio causa in totalem & partialem?* 232
26 *Quid sit finis in genere?* 233

27 *An*

27 *An finis sit causa?* ibid.
28 *An omnis finis sit causa extrinseca?* 235
29 *An finis recte dicatur prima omnium causarum?* 236
30 *An omne efficiens operetur propter finem?* 238
31 *An omne ens habeat finem?* 239
32 *An finis & causa finalis inter se differant?* 240
33 *An necesse sit id quod rationem causa finalis suscipit, semper actu existere?* ibid.
34 *An finis semper habeat rationem boni?* 242
35 *An finis semper sit res bona?* 243
36 *An finis efficientem principalem ad agendum moueat, quatenus est finis?* ibid.
37 *An finis recte dicatur causari media, eorumq; electionem & executionem?* 244
38 *An finis mediis bonitatē & amabilitatem conciliet?* 245
39 *An finis semper sit præstantior mediis?* 246
40 *An qui vult finem semper etiam velit media ad illum destinata?* ibid.
41 *An finis recte distribuatur in finem cuius, & finem cui?* 247
42 *An finis alius sit operantis, alius operis, itemque alius artificis, alius artis?* 248
43 *An vnius rei possint esse multi fines?* 249
44 *Quid sit causa efficiens in genere?* ibid.
45 *An sit discrimen inter causam efficientem & agens?* 250
46 *An omnis causa efficiens causetur suum effectum per motum, & quidem extra se?* 251
47 *An causa efficiens recte distribuatur in procreantem, conseruantem, & corrumpentem?* ibid.
48 *An causa efficiens recte distribuatur in principalem & instrumentalem, & quomodo vtraque sit definienda?* 252
49 *An idem ens diuerso respectu possit esse causa instrumentalis & principalis?* 254
50 *An causa efficiens alia sit necessaria, alia contingens?* 255
51 *An causa efficiens alia sit naturalis, alia libera, & quomodo inter se differant?* 256
52 *An causa efficiens alia sit per se, alia per accidens, & quomodo inter se differant?* 257
53 *An idem ens diuerso respectu possit simul esse causa efficiens per se, & per accidens?* 258

54 *An idem possit esse causa efficiens contrariorum?* 259
55 *An actu posita causa efficiente proxima simpliciter necessarium sit actu poni ipsum effectum?* 260
56 *Quid sit materia in genere?* 261
57 *An materia recte dicatur alia ex qua, alia in qua, alia circa quam?* 262
58 *An materia recte dicatur alia substantialis, alia accidentalis?* 262
59 *An materia substantialis alia transiens, alia permanens recte dicatur?* ibid.
60 *An distributio materia in primam & secundam competat soli materiæ substantiali?* 263
61 *An materia rerum artificialium sit proprie dicta materia?* ibid.
62 *Quid sit forma in genere?* 264
63 *An forma recte dicatur informare materiam?* 265
64 *An forma recte dicatur tota rei essentia?* ibid.
65 *An forma alia sit substantialis, alia accidentalis?* 266
66 *An forma alia sit materialis, alia immaterialis, alia informans, alia assistens; alia intrinseca, alia extrinseca?* ibid.
67 *An forma sit separabilis à suo formato, salua ipsius essentia?* 267
68 *An forma vnius speciei sit communicabilis alteri?* ibid.
69 *An forma sit per se sensilis, partiumque & graduum capax?* 267
70 *An formæ recte attribuantur operationes totius compositi?* 268
71 *An omnis forma substantialis sit, separabilis à materia cui inest?* ibid.
72 *An destructo formato semper destruatur forma?* 269
73 *An causa exemplaris recte inferatur ad genus causæ formalis?* 270
74 *Quid sentiendum sit de causa sine qua non?* 271

De Subiecto & Adiuncto, CAP. III. 272

1 *An doctrina generalis de subiecto & adiuncto pertineat ad Metaphys.* 274
2 *Quid sit subiectum & adiunctum in genere?* 275
3 *An subiectum natura prius sit suo adiuncto?* 276
4 *An subiectum & adiunctum sese mutuo ponant ac tollant.* 277

5 *An subiectum & adiunctum in veras & legitimas species possint distribui?* 278

6 *Quomodo intelligendæ sint distributiones subiectorum & adiunctorum, & quæ sint earum fundamenta?* 279

7 *An sit discrimen inter adiunctum & accidens?* 282

8 *Quomodo accidens proprium à communi differat?* 283

9 *An vllum accidens possit absque subiecto inhærentiæ subsistere?* 284.

10 *An idem numero accidens possit transire de vno subiecto in aliud?* 286

11 *An idem numero accidens possit simul esse in duobus aut pluribus numero subiectis?* 288

12 *An proprium accidens reipsa vnquam possit separari à suo subiecto salua manente ipsius essentia?* 289

13 *An proprietas essentialis vnius entis possit communicari alteri?* 291

14 *An vna proprietas essentialis alicui communicari possit sine altera?* 293

15 *An sola substantia sit subiectũ recipiens accidentiũ?* 294

16 *An substantia recte dicatur esse in subiecto?* 295

17 *An non entis vlla possint esse adiuncta?* 296

18 *An idem ens diuerso respectu possit esse subiectum & adiunctum?* 297

19 *Quid sentiendum est de subiecto artium & disciplinarum?* ibid.

De Signo & signato, Cap. IV. 298

1 *An doctrina de signo & signato pertineat ad Metaphysicam, & num recte à quibusdam referatur ad tractatum de subiecto & adiuncto?* 301

2 *Quid sit signum in genere, & in qua re eius natura consistat?* 302

3 *Vnde signum vim significandi habeat?* 303

4 *An signum & signatum semper sint simul?* 304

5 *An signatum vllo modo possit vere & proprie esse in signo, & de eodem prædicari?* 305

6 *An inter signum & signatum semper sit analogia quædam?* 306

7 *An omne signum sit notificans?* 307

8 *An signa eadem sint apud omnes gentes?* ibid.

9 *An sine signorum cognitione possit signatorum cognitio acquiri?* 308

10 *An vnius signi possint esse varia signata, & retro vnius signati varia signa?* 308
11 *An tractatio generalis de verbis seu vocabulis pertineat ad Metaphysicam, & quomodo?* 308
12 *An vocabula sint signa naturalia, an arbitraria?* 309
13 *An verbis insit vis aliqua naturalis alterandi & immutandi res, adeoque efficiendi aliquid siue bonum siue malum?* 313
14 *Quomodo inter se differant vox prolata & scripta?* 318
15 *An loquendũ sit cum multis, sentiendum cum paucis?* ib.
16 *An plures sint res quam verba?* 319
17 *An vocabula ambigua in numero vocum significantium sint habenda, & vnde oriatur eorum ambiguitas?* ibid.
18 *An idem sit signum & argumentum?* 320
19 *An omne signum sit ens externum?* 321
20 *An solius signi proprium sit significare?* ibid.

De Toto & Parte, Cap. V. 322

1 *Quid sit totum & pars in genere?* 324
2 *An totum essentialiter differat à suis partibus siue diuisim, siue coniunctim acceptis?* ibid.
3 *Vtrum ea, quæ toti insunt vel non insunt, recte etiam dicantur partibus inesse & non inesse & retro?* 325
4 *An posito & sublato toto, recte etiam partes omnes ponantur & tollantur?* 326
5 *An positis omnibus partibus statim ponatur totum: & sublata vna parte statim tollatur totum?* ibid.
6 *An omne totum sit diuisibile in partes?* 327
7 *An vna pars possit esse forma totius compositi?* ibid.
8 *An totum per se recte diuidatur in vniuersale, essentiale, & integrale?* 328
9 *An idem ens diuerso respectu possit esse totum & pars?* ib.
10 *In qua re genus & species inter se conueniant & differant?* 329
11 *An indiuidua proprie dicantur species infimæ?* ibid.

De Identitate & Diuersitate, Cap. VI. 330

1 *Quid sit identitas & diuersitas in genere?* 333
2 *An semper ea, quæ vni tertio sunt eadem, inter se sint eadem?* 334

3 *An*

3 *An similia recte dicantur eadem?* 334
4 *An aliquod ens diuerso respectu simul possit esse idem & diuersum?* ibid.
5 *An idem ens à seipso possit realiter differre?* 335
6 *An distinctio sufficienter diuidatur in distinctionem rationis & realem?* ibid.
7 *Quid sit oppositio, & quomodo legitime diuidenda?* 336
8 *An contradictio omnium oppositionum sit prima & maxima?* 337
9 *Quomodo oppositio priuatiua à contradictione differat?* 338
10 *An priuatiue opposita sola sint priuatio & habitus?* ibid.
11 *An opposita simul sint natura?* 339
12 *An opposita sese mutuo declarent?* 340
13 *An opposita uni & eidem enti actu simul inesse possint?* ibid.

De Ordine & Inordinatione, deque modis, quibus aliquid dicitur vel prius vel posterius, vel simul, CAP. VII. 341

1 *Vtrum ad Metaphysicam pertineat agere de ordine, & quomodo?* 342
2 *Quid sit ordo in genere?* 343
3 *An vbicunque datur distinctio, detur etiam ordo?* 344
4 *Quid sentiendum de ordine & prioritate natura?* ibid.
5 *Quot modis dicatur aliquid prius & posterius cognitione?* 345
6 *An aliquid possit esse simul prius & posterius alio?* ibid.
7 *An omnis ἀταξία sit prater naturam?* ibid.

LIBER IV.

De Substantiis.

De Substantiis in genere, CAP. VIII. 346

1 *Vtrum tractatio specialis de ente incomplexo pertineat ad Metaphysicam?* 346
2 *An diuisio entis incomplexi in substantiam & accidens sit legitima?* 348
3 *Vtrum ens incomplexum sit genus vniuocum substantia & accidentis?* 349
4 *Quid sit substantia in genere?* 350

5 *An omnis ſubſtantia ſit res ſingularis?* 351
6 *An ſubſtantia vniuerſalis vere inſit in ſubſtantia ſingulari & quomodo?* 353
7 *An vniuerſalis ſubſtantia ſit praſtantior ſingulari?* ibid.
8 *An ſubſtantia alia ſit incompleta, alia completa?* 354
9 *An idem ſit ſubſtantia ac ſuppoſitum?* 355
10 *An idem ſit ſuppoſitum, quod perſona?* ibid.
11 *An idem ſit hypoſtaſis quod perſona?* 356
12 *An idem ſit perſona quod natura?* 357
13 *An ex non ſubſtantia poſſit fieri ſubſtantia?* ibid.
14 *An ex duabus ſubſtantiis in actu perfecto poſſit fieri vna ſubſtantia per ſe?* 358
15 *An ſubſtantia natura prior ſit accidente?* 359
16 *An omnis ſubſtantia per ſe ſubſiſtat?* 360
17 *An omnis ſubſtantia ſit capax accidentium?* 361
18 *An ſubſtantia recipiat magis & minus?* 363
19 *An ſubſtantia nihil ſit contrarium?* ibid.
20 *An ſubſtantia eadem numero manens ſit capax contrariorum?* 364
21 *An omnis ſubſtantia ſit incommunicabilis?* 365

De Subſtantia creata, nempe Deo, CAP. II. 365

1 *An doctrina de Deo in Metaphyſica ſit tradenda, & quomodo?* 368
2 *An homini naturaliter ſit notum Deum eſſe?* 369
3 *An Deus naturaliter quid & qualis ſit ab homine cognoſci poſſit, & quomodo?* 375
4 *An Deus ſub genere aliquo ponatur?* 377
5 *An Deus recte dicatur actus purus, expers omnis potentia?* 378
6 *Vtrum eſſentia Dei differat ab ipſo Deo?* 379
7 *An eſſentia Dei vlli creatura vere & proprie communicari poſſit?* 380
8 *An naturaliter cognoſci & probari poſſit Deum eſſe tantum vnum numero?* 381
9 *Vtrum Trinitas diuinarum perſonarum poſſit per naturalem rationem cognoſci?* 383
10 *An diuerſa ſint Dei attributa, & quomodo diſtribuenda in genere?* 387
11 *An quicquam ſit in Deo, quod non ſit ipſe Deus?* 388

12 An

588

12 *An Deus sit spiritus?* 390
13 *An Deus in vllius entis creati compositionem venire possit?* 391
14 *Vtrum in Deo sint omnium rerum perfectiones?* 392
15 *An solus Deus sit primum & summum bonum?* 393
16 *An Deus ex aquo sit bonus erga omnes suas creaturas?* 394
17 *An Deus recte dicatur aliquo modo esse similis creatura, & contra creatura Deo?* 396
18 *An in Deo summa libertas cum summa necessitate consistere possit?* ibid.
19 *An omnia possibilia cadant sub omnipotentiam Dei?* 397
20 *An qua apud homines sunt impossibilia, apud Deum sint possibilia?* 398
21 *An vllus affectus in Deum cadat?* ibid.
22 *An Deo omnia sint prasentia?* ibid.
23 *An Deus omnia intelligat & cognoscat, & quomodo?* 399
24 *An in Deum cadat prascientia futurorum contingentium?* 400
25 *An prascientia Dei sit causa efficiens prascitorum?* 401
26 *An solus Deus sit καρδιογνώστης?* 402
27 *An scientia Dei sit variabilis?* ibid.
28 *An voluntas Dei realiter differat ab essentia Dei?* 203
29 *An voluntatis diuina causa aliqua proprie assignari possit?* 405
30 *An quicquid Deus vult, ex necessitate velit?* 407
31 *An voluntas Dei sit immutabilis?* 408
32 *An voluntas Dei necessitatem reb. volitis imponat?* 409
33 *An Deus velit fieri vel non fieri mala moralia?* 410
34 *An vita Deo proprie attribuatur, & quomodo?* ibid.
35 *An solus Deus sit immortalis?* 411
36 *An Deus omnia amet, & quidem aequaliter?* ibid.
37 *An Deus extra se quicquam agat ex absoluta Natura necessitate?* 412
38 *An creare sit solius Dei proprium?* 413
39 *An Dei prouidentia mundus regatur, & quomodo?* 414
40 *An Deus immediate per se ipsum omnia operetur in omnibus?* 417
De Substantia creata in genere. CAP. III. 419
1 *Quomodo substantia creata sit definienda in genere?* 420

2 *Quæ sint accidentia substantiæ creatæ generaliter acceptæ?* 421

De Angelis, CAP. IV. 421.422

1 *An substantia creata recte distribuatur in spiritum & corpus?* 422
2 *An omnis substantia creata incorporea immediate à Deo ex nihilo producatur?* 423
3 *An omnis substantia creata incorporea expers sit materia & forma?* ibid.
4 *An omnis substantia incorporea sit expers magnitudinis & partium?* 425
5 *An omnis substantia incorporea per se sit insensilis?* 426
6 *An omnis substantia incorporea sit in loco, & quomodo?* ibid.
7 *An vlla substantia creata incorporea possit naturaliter generare aliam vel eiusdem, vel diuersæ speciei?* 427
8 *An Angeli sint substantiæ?* 428
9 *An angeli sint substantiæ incorporeæ vel corporeæ?* ibid.
10 *An angeli sint substantiæ naturales?* 430
11 *Vtrum angeli sint substantiæ simplices an compositæ?* 432
12 *An angeli sint à Deo creati. & quando?* 433
13 *An omnes angeli sint vnius speciei?* 435
14 *An angelorum numerus sit finitus, an infinitus?* ibid.
15 *An duo pluresve angeli possint esse in vno & eodem loco?* 436
16 *An angeli habeant potentiam finitam agendi?* 437
17 *An omnes angeli naturaliter sint boni?* ibid.
18 *An angeli sint immortales?* 438
19 *An angelis proprie attribuatur facultas intelligendi & volendi?* ibid.
20 *An angeli omnia cognoscant & quomodo?* 439
21 *An angelorum notitia possit augeri vel diminui?* 440
22 *An angeli ex seipsis, & per seipsos possint cognoscere arcana hominum cogitationes & affectus?* ibid.
23 *An futurorum præcognitio cadat in angelos?* 441
24 *An angeli possint prædicere futura, & quomodo?* ibid.
25 *An omnes angeli per naturam sint participes liberi arbitrii?* 442
26 *An angeli propria virtute vllum corpus naturale possint producere?* 443

27 *An concubitus Diabolorum cum hominibus sit verus, an imaginarius?* 444
28 *An angeli vere possint substantiam vnam transmutare in aliam?* 446
29 *An angeli quandoque assumant corpora, quibus appareant, & qualia illa sint?* ibid.
30 *An angeli per se localiter moueantur, & quomodo?* 448
31 *An Diabolus quandoque vere corpora hominum obsideat, & quomodo?* 449
32 *An Diabolus ex corporibus obsessis possit expelli, & quomodo?* 450
33 *An Diabolus possit praestigiis suis fallere & deludere sensus hominis tam exteriores, quam interiores?* 452
34 *An Diabolus possit ventos, pluuias, grandines, & tempestates excitare & quomodo?* 453
35 *An Diabolus possit vera miracula edere?* 454
36 *An Diaboli sint autores spectrorum & tumultuum nocturnorum homines terrificantium?* ibid.

De forma substantiali, CAP. V. 456

1 *An detur forma substantialis?* ibid.
2 *Vtrum forma substantialis sit substantia incorporea, an corporea?* 457
3 *An vlla forma substantialis generetur?* 458
4 *An forma substantialis alia sit simplex, alia composita?* 459
5 *An forma substantialis recte distribuatur in naturam & animam?* ibid.
6 *An vlla anima sit substantia corporea?* 460
7 *An anima sit ex traduce?* ibid.
8 *An anima sufficienter distribuatur in vegetantem, sentientem & rationalem?* 461
9 *An inter animas sola anima rationalis sit immortalis?* ibid.
10 *An anima rationalis habeat facultates & operationes realiter distinctas à facultatibus & operationibus hominis?* 462

De corporibus, CAP. VI. 463

1 *An omne corpus per se sit quantum?* ibid.

2 *An possibile sit, vt corpus aliquod sine quantitate ad tempus existat?* 464
3 *An omne corpus per se sit finitum & circumscriptum; nullum vero infinitum & incircumscriptum?* ibid.
4 *An omne corpus per se in infinitum sit diuisibile?* 465
5 *An omne corpus sit in loco & quomodo?* 466
6 *An simpliciter impossibilis sit penetratio duorum corporum, sine alterius cessione?* 467
7 *An vnum corpus possit simul esse in pluribus locis?* 468
8 *An duo corpora simul possint esse in vno loco sibi adæquato?* 470
9 *An corpus possit esse alicubi, sine certi spatii localis occupatione?* ibid.
10 *An omne corpus per se sit diuisibile in partes integrantes?* 473
11 *An omne corpus habeat figuram & quomodo?* 474
12 *An omne corpus per se sit sensile?* ibid.
13 *An possibile sit corpus per se sensile fieri insensile?* 475
14 *An continuitas & contiguitas sit propria corporum affectio?* ibid.
15 *An omne corpus per se habeat sex positionum differentias?* 476
16 *An corpus possit naturaliter transmutari in non corpus, aut ex non corpore fieri?* ibid.
17 *An corpus possit agere in spiritum, & vicissim spiritus à corpore pati?* 477
18 *An omne corpus sit materiatum?* 478
19 *An cœlum supremum sit ens creatum?* 479
20 *An cœlum supremum sit corpus & quidem immateriatum?* 481
21 *An cœlum supremum in altissimo mundi loco supra alios omnes cœlos naturales & aspectabiles sit collocatum?* 482
22 *An necesse sit dari aliquam materiam primam?* 483
23 *An materia prima sit substantia?* 484
24 *An materia prima sit corpus, & quidem immateriatum?* ibid.
25 *An materia prima Deo fuerit coæterna, an vero aliquando à Deo ex nihilo creata?* 485
26 *An sit discrimen inter corpus naturale & artificiale?* 487

LIBER

LIBER V.

De accidentibus.

De accidente in genere, CAP. I. 488

1 *An omne accidens vere & proprie sit ens, & num possit dici creatura Dei?* 488
2 *Quid sit accidens in genere consideratum, quatenus opponitur substantiæ?* 489
3 *An omne accidens actu insit in subiecto inhærentia, & quomodo?* 490
4 *An omne accidens sit imperfectius substantia?* 491
5 *An omne accidens natura posterius sit subiecto, cui per se inhæret?* ibid.
6 *An omne accidens in concreto prædicetur de suo subiecto?* 492
7 *An accidens possit producere substantiam?* ibid.
8 *An accidens possit notificare substantiam?* 493
9 *An omne accidens habeat causam sui efficientem, & quænam illa sit, ac quomodo actum causandi exerceat?* ibid.
10 *An omne accidens habeat materiam proprie dictam?* 494
11 *An omne accidens habeat formam proprie dictam?* 495
12 *An omne accidens habeat finem proprie dictum?* ibid.
13 *An accidens sit genus vniuocum?* 495
14 *Quomodo accidens in genere sit distribuendum?* 496

De Quantitate, CAP. II. 497

1 *Quomodo quantitas in genere recte sit definienda?* 498
2 *An quantitas realiter differat à rebus quantis?* 499
3 *An omnis quantitas sit finita?* 500
4 *Vtrum quantitas generaliter sumpta recte diuidatur in continuam & discretam, an vero in absolutam & comparatam?* 501
5 *An omnis magnitudo sit extensiua?* 502
6 *An magnitudo extensiua recte distribuatur in lineam? superficiem, & corpus, & quid per terminos illos sit intelligendum?* ibid.
7 *An punctum sit ens reale, & quidem principium lineæ?* 505
8 *An vnum corpus vnam tantum habeat superficiem?* ibid.

9 *An spatium sit species quantitatis extensiua?* 506
10 *An locus & tẽpus sint species quantitatis extensiua?* 507
11 *An pondus sit species quantitatis?* 508
12 *An idem sit numerus & multitudo?* ibid.
13 *Quid sit numerus in genere & quotuplex?* 509
14 *An vnitas sit numerus?* ibid.
15 *An numerus recte diuidatur in finitũ & infinitum?* 510
16 *An omnis numerus sit ens reale?* ibid.
17 *An oratio sit species quantitatis?* 511
18 *An motus sit species quantitatis?* ibid.
19 *An quantitas sit separabilis à subiecto cui inest?* 512
20 *An quantitatis per se vlla sit vis efficacia in alterandis mutandisque rebus?* ibid.

De Qualitate, Cap. III. 513

1 *An qualitas natura ordine posterior sit quantitate?* 514
2 *Quid sit qualitas in genere?* ibid.
3 *Quotuplex sit qualitas in genere?* 515
4 *An qualitas recte ab Aristotele in categoriis sit distributa?* ibid.
5 *An omnis potentia sit qualitas?* 516
6 *Quid sit potentia in genere?* 517
7 *An potentia alia sit actiua, alia passiua, & quomodo vtraque definienda sit?* 518
8 *Quotuplex sit potentia actiua in genere?* 519
9 *An in Deum proprie cadat vlla potentia passiua?* 520
10 *An sit discrimen inter potentiam & potestatem?* 521
11 *An omnis potentia sit in numero rerum bonarum habenda?* ibid.
12 *An omnis potentia mutari possit, salua manente essentia entis, cui inest?* 522
13 *An potentia possit induere rationem impotentia?* ibid.
14 *An potentia opponatur actus?* 523
15 *An posita potentia semper ponatur actus, & vice versa, posito actu semper ponatur potentia?* 525
16 *Vtrum ob potentiam vlli enti nomen actus sit tribuendum?* 526
17 *An omnis potentia aliquando traducatur in actum?* ibid.
18 *An vlla potentia vere & proprie dicatur agere?* 527

19 An

19 *An habitus & dispositio inter se differant, & quomodo?* 528
20 *An omnis habitus sit qualitas acquisita?* 529
21 *An omnis habitus sit potentia?* ibid.
22 *An vlla passio possit esse qualitas?* ibid.
23 *An forma sit qualitas, & quomodo à figura differat?* 530
24 *An figurarum vlla sit vis & efficacia in alterandis & mutandis rebus?* ibid.
25 *An qualitas recipiat magis & minus?* 531

De motu, Cap. IV. 532

1 *Quid sit motus in genere & quotuplex?* 535
2 *Quid sit actio & passio in genere, & quomodo inter se differant?* 535
3 *An actio recte distribuatur in immanentem & transeuntem?* ibid.
4 *An omnis actio sit in agente, tanquam in subiecto inhærentia?* 536
5 *An sit discrimen inter actionem & effectionem?* 538
6 *An vnaquæque res sit propter suam operationem?* 539
7 *An actio proprie competat substantiis?* ibid.
8 *An omnes actiones sint singularium?* ibid.
9 *Vtrum cognitio sit species actionis an passionis?* 541
10 *Vtrum receptio sit species actionis an passionis?* ibid.
11 *Vtrum vnumquodque recipiatur secundum modum dantis, an vero secundum modum recipientis?* ibid.
12 *Vtrum resistentia sit species actionis, & qua illius sit natura?* 542
13 *An agens possit agere in patiens, nisi illud ad patiendum sit dispositum?* 543
14 *An omne agens realiter differat à patiente?* 544
15 *An omne agens in agendo repatiatur?* ibid.
16 *An aliquid possit agere, supra virium suarum gradum?* 545
17 *An debilius possit agere in validius?* ibid.
18 *An distributio actionis in realem & intentionalem, seu in corporalem & spiritualem sit legitima?* ibid.
19 *An omnis actio determinata præsupponat absolutam?* 546
20 *An motus recte diuidatur in substantialem & accidentalem?* 547

21 *An omnis creatio sit productio entis ex nihilo?* ibid.
22 *An omnis annihilatio sit destructio entis in nihilum?* 548
23 *An ulla substantia creata possit creare vel annihilare aliquid?* ibid.
24 *Quod sit discrimen inter generationem naturalem & artificialem?* 549
25 *An maius opus sit ex nihilo aliquid facere, quam aliquid in aliud conuertere?* 550
26 *An transmutatio substantialis sit motus compositus?* ibid.
27 *Quid sentiendum sit de transsubstantiatione Pontificia?* 551
28 *An arte magica una substantia possit transmutari in aliam?* 553

De Relatione, Cap. V. 556


1 *An doctrina de relationibus sit necessaria?* 557
2 *An relatio sit ens, & in quo genere entis?* 558
3 *Quid sit relatio in genere?* ibid.
4 *Quot requirantur ad naturam relationis tum constituendam, tum cognoscendam?* 559
5 *Quotuplex sit fundamentum relationis?* 561
6 *An relatio alia sit realis, alia rationis, & quomodo vtraque sit definienda?* ibid.
7 *An alia praeterea sint distributiones relationis?* 563
8 *An omnis relatio per se sit insensilis?* 564
9 *An omnis relatio reipsa separari possit à suo subiecto, salua ipsius essentia?* ibid.
10 *An relationis nulla sit vis & efficacia?* 564. 565
11 *An relatio alteret ens, cui inest, in eoque compositionem faciat?* ibid.
12 *An relata omnia sint eiusdem generis?* 566
13 *An relata omnia inter se reciprocentur, & quomodo?* ibid.
14 *An relata sint simul natura?* 568
15 *An vnius relati cognitio & aestimatio pēdeat à cognitione & aestimatione alterius?* 568
16 *An necesse sit relata esse simul loco?* 569
17 *An praeter illas accidentis positiui species quas hactenus in genere explicauimus, sint etiam alia?* 570

De

De Priuatione, Cap. VI. 570 583

1 *An vocabulum priuationis semper vno & eodem modo vsurpetur?* 571
2 *Quid sit priuatio?* 572
3 *An priuatio sit ens?* 573
4 *An priuatio semper præsupponat habitum?* 574
5 *An priuatio suscipiat magis & minus?* 576
6 *An à priuatione ad habitum detur regressus?* ibid.
7 *An omnis priuatio sit præter naturam, & adiunctum contingens?* 578
8 *An priuatio totaliter destruat subiectum sui habitus?* ibid.
9 *An detur medium inter priuationem & habitum?* ibid.
10 *An priuatio habeat causam sui sufficientem, & quæ illa sit?* 579
11 *An priuatio alia sit substantialis, alia accidentalis?* ibid.
12 *An priuatio sit cuiusque accidentis & adiuncti?* 180
13 *An priuatio differat à negatione pura & absoluta, & quomodo?* ibid.

Finis Problematvm.



INDEX
CVM VERBORVM, TVM RERVM, IN LIBRIS HIS METAPHYSICIS PRÆcipue notabilium copiosus.

A.

Accidens ab efficiente causa quomodo oriatur 494 *absolute respectiueque quot modis sumatur* 282 *an accidentis accidens sit* 294 *an creatura Dei dici possit* 488 *an genus vniuocum sit* 495 *an numero idem de subiecto vno in aliud transire possit* 286 *an numero idem in subiectis numero duobus aut pluribus simul esse possit* 288 *an substantiam notificare possit* 493 *an substantiam producere possit* 492 *an vllum sine inhaerentia subiecto subsistere possit* 284. *Aristoteli est ens* ἐπεξυπάρχον 490

Accidens in genere aliud absolutum, aliud respectiuum est 496 *quid & quotuplex sit* 488. 489 *quomodo distribuendum sit* 496

Accidens omne an causam habeat sui efficientem 493 *an finem proprie dictũ habeat* 495 *an formam proprie dictam habeat ibid. an in concreto de subiecto suo praedicetur* 492 *omne an materiam proprie dictam habeat* 494 *an subiecto, cui per se inhaeret, natura posterius sit* 491 *an subiecto inhaerentia actu insit, & quomodo* 490 *an substantia sit imperfectius* 491 *num vere proprieque sit ens* 488

Accidens proprium à communi quomodo differat 283 *an vnquam re ipsa à subiecto suo separari possit salua eiusdem essentia* 298

Accidentia quibusdam principia sunt substantiam cognoscendi 493

Accidentia substantiae creatae generaliter accepta quae sint 420

Actio à passione quid differat 535 *& effectio num differant* 538 *in agente est, in patiente non est* 537

Actio in genere quid sit 535

Actio in immanentē & transeuntem num recte distribuatur 535 *num substantiis solis proprie conueniat* 539 *omnis an in agente sit, tanquam in subiecto inhaerentia* 536 *determinata num praesupponat absolutam*

tām 546 Philosophis alia immanens, alia transiens est 405
Actio, quæ non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto 537
Actiones non omnes exercentur circa singularia, neque terminantur ad singularia 540 an singularium sint, & circa hac exerceantur 539 proficiscuntur non tantum à singularibus, sed & ab vniuersalib. 539
Actus an potentia opponatur 532 an semper ponatur potentia posita 525 est eius, cuius est & potentia 524
Adiuncta non entis an vlla esse possint 296
Adiunctum 272
Adiunctum & Subiectum an sese mutuo tollant aut ponant 277
Adiunctum in genere quid & quotuplex sit 273.275.276
Æstimatio relati vnius an ab æstimatione alterius dependeat 568
Æternitas absoluta 55 num per se successionis omnis expers sit 56 an semper vno nec non eodem modo vsurpetur 54
Affectus an vllus in Deum cadat 398
Affirmatio negatiove de quolibet vera est 157.206
Agens an agere non possit in patiens, nisi illud ad patiendum dispositum sit 545 omne num in agendo repatiatur 544 num realiter à patiente differat 544
Agere de caussis an ad Metaphysicam pertineat & quo modo 211
Agere de ordine num & quomodo ad Metaphysicam spectet 342
Aliquid 2. 23 an supra gradum virium suarum agere possit 545
Aliquid aut simpliciter aut secundum quid quot modis dicatur bonum 173 è nihilo num fieri possit, & ex aliquo nihilum 24.25 ex aliquo quot modis esse dicatur 261 fieri vel esse possibile, necessario non est aut fit 139
Aliquid perfectū nec non imperfectum varie dicitur 66
Aliquid prius & posterius alio, num simul esse possit 345
Aliquidne causa suiipsius esse possit 213
Ambiguitas vocabulorū vnde oriatur 319.320
Amor Deo proprie tribuitur 411
Analogia inter signum & signatum semperne sit 306
Angeli 421 num cognoscant omnia, & quomodo 439 num duo pluresve possint esse in vno eodemque loco simul 436 nū ex seipsis & per seipsos cogitationes arcanas & affectus hominum co-

gnoscere possint 440 *num & quando sint à Deo creati* 433 *num futura praecognoscant* 441 *num habeant potentiam agendi finitam* 437 *num notitia minui vel augeri possint* 440 *num numero finiti sint* 435 *num omnes naturaliter sint boni* 437 *num omnes per naturam arbitrii liberi participes sint* 442 *num omnes speciei vnius sint* 435 *num per se, quomodoque localiter moueantur* 448 *num propriè facultatem intelligendi & volendi habeant* 438 *num quandoque corpora, quibus appareant, assumant, & qualia* 446 *num, quomodoque futura praedicere possint* 441 *num sint immortales* 438 *num substantia corporea vel incorporea sint* 428. 429 *num substantia naturales sint simplices an composita* 430. 432 *num vere substantiam vnam in aliam mutare possint* 446 *num virtute propria corpus vllum naturale producere possint* 442

Anima an è traduce sit 460 *an sufficienter in vegetantem, sentientem & rationalem distribuatur* 461 *an vlla substantia corporea sit* 460

Anima rationalis an facultates & operationes à facultatibus & operationibus hominis distinctas habeat 462 *rationalis an sola immortalis sit* 461

Annihilatio alia mediata, alia immediata est 548 *an destructio sit entis in nihilum* 548

Appellationes Metaphysica num diuersa sint, & qua ratio sit earundem 3.4

Apprehensio mentis simplex circa qua versetur 148

Argumentum & signum an idem sint 320

Ars magica num idem praestare possit quod natura 554

Ars omnis qualis habitus sit 4. *quot modis vsurpetur* 4

Attributa Dei diuersa num sint, & quo modo in genere distribuenda videantur 387

Attributa entium coniuncta & absoluta 65

Attributa entium simplicium in genere 43

Ἀταξία *num qualibet contra naturam sit* 345

Αὐθυπαρξία *Dei solius est propria.* 486

B.

Benedictiones quarum virium sint 314

Bonitas 161 *an alia vera sit, alia apparens* 166 *artificialis quid* 170 *artificialis; moralis*

 585

moralis & naturalis quomodo differant 170

Bonitas & bonum sintne realiter vnum 163

Bonitas in genere quid sit 164 *moralis quid* 169 *naturalis quid,* *ibid.* *respectiua, num in honestatem, vtilitatem & iucunditatem recte diuidatur* 172 *tam naturalis, quam moralis & artificialis quotuplex sit* 171 *vera & absoluta creata, tam in genere, quam in specie quid sit* 168 *vera num alia absoluta, alia respectiua sit* 167

Bonum aliud per accidens est, aliud per se 173

Bonum apparens in quo cum bono vero conueniat 167

Bonum delectabile, honestum & vtile proprie quid 172

Bonum & finis inter se non conuertuntur 242

Bonum & malum quomodo opponantur 196

Bonum primum summumque Deus est 169

Bonum verum dicitur, quod tale est, quale aestimatur & iudicatur 16

Bonum quodcunque verum an habeat finis rationē 174 *quodlibet, an sui communicatiuum sit* 165 *quodlibet num appetibile sit, & econtra* 164

C.

Caelum supremum an corpus, & immateriatū quiddam sit 481 *an ens creatum sit* 479 *an in loco rerum altissimo, supra caelos naturales & aspectabiles omnes, collocatum sit* 482

Carmina quid possint 314

Causa 208

Causa causarum per se subordinatarum superior, an semper nobiliorem & perfectiorem causandi virtutem habeat, quam inferior 230

Causa contingentiaque 131

Causa efficiens Accidentis quae sit, quomodoque actum causandi exerceat 493 *an alia libera sit, alia naturalis* 256 *an alia necessaria sit, alia contingens* 255 *an alia per se sit, alia per accidens* 2 7 *an in conseruantem, corrumpentem & procreantem recte diuidatur* 25 *an in principalem & instrumentalem recte distribuatur* 152

Causa efficiens & agens an differant 250

Causa efficiens in genere quid sit 249 *efficiens instrumentalis & principalis quomodo definienda sit* 252 253 *efficiens libera & naturalis, quomodo inter se differant* 256 *efficiens mali, quatenus est malum, quanam sit* 188

Causa efficiens omnis, an ef-

fectum suum per motum, & quidem extra se, causetur 251 *per se & per accidens quomodo differant* 257. 258
Caussa ens est respectiuum 214
Caussa exemplaris an ad genus causæ formalis recte referatur 2-0
Caussa in genere quid sit 208 213
Causa necessitatis tam absoluta, quam hypothetica, quæ sit 128 *num alia actu, alia potentia recte dicatur* 215 *num prorsus idem cum principio sit* 212
Causa omnis an principium sit 233 *an suo causato prior sit* 215 *priuationis efficiens in genere quæ sit* 579
Causa proxima num semper remotas omnes præsupponat 230 *agit in sibi simile & proportionatum* 190
Caussa sine qua non, *quid sit* 271
Causa veritatis efficiens quæ 151
Causa voluntatis diuinæ num aliqua proprie assignari possit 405
Causæ entis rationis quæ sint 34 *Metaphysices* 11. 12 *num aliis aliæ præstantiores sint* 225 *num plures vnius & eiusdem causati in vnoquoque causarum genere dari queant* 226 *num quadruplices tantum sint* 219 *num sibi inuicem caussæ esse possint* 224
Causæ per accidens subordinatæ quæ dicantur 228
Causæ per se subordinatæ num necessario omnes simul actu ad causandum causatum suum concurrere possint 229 *num progrediantur in infinitum* 228
Causæ, quarum vi ens rationis existat, quænam sint 33
Causatum an causa posita sublatave semper ponatur aut tollatur 217 *an causis eius perfectius esse possit* 231 *an semper tale sit, qualis causa, & econtra* 218 *an semper vnum tantum causæ vnius sit* 231 *omne num realiter à causis suis omnibus tum separatim, tum coniunctim acceptis differat* 223
Causatum quoduis an ad sui productionem quatuor causarum generibus indigeat 222
Christiani non nascuntur, at fiunt 171
Ciuitas ab Abrahamo expectata 480
Claritas Vide *Lux.*
Cognitio imperfectionis cuiusque suæ num perfectio vera sit 73

Cogni-

Cognitio nihili num recte statuatur fons omnium virtutum sicut ignorantia vitiorum 25 *principii cuiusquam an homini innata sit* 206 *relati unius an à cognitione alterius dependeat* 568 *signatorum sine signorum cognitione num possit acquiri* 408 *cognitio veritatis num difficilis sit* 160

Cognitio utrum species actionis, an passionis sit 541

Commune substantiae cuivis num sit, in subiecto non esse 295

Communicare non semper eandem numero rem significat 166

Communicatio proprietatum essentialium ubi locum habeat 292

Compositio 74

Compositio ex esse & essentia num vera sit & realis 80 *quomodo à compositione ex natura & supposito differat ibid. ex genere & differentia num realis sit* 80 *quomodo differat* 80 *in genere quid & quotuplex sit* 78

Compositumne quoduis componente prius sit 82

Compositumne quoduis in principia illa, è quibus compositum est, resolui possit 82

Concubitus diabolorum cum hominibus num verus aut imaginarius sit 444

Connexio inter causas quatuor generum necessaria num detur 225

Consequentia à posse ad esse non valet 133

Consequentia ab esse ad posse num valeat? 525

Consideratio veritatis num, & quomodo ad Metaphysicam pertineat 144

Conditiones essentiales quatuor ad transmutationem substantialem num & quae, requirantur 550

Contiguitas. Vide *Continuitas.*

Contingens adeo nihil est. Vide Nihil *adeo contingens.*

Contingens quot modis aliquid dicatur 129

Contingentia 121

Contingentia & mutabilitas an discrepent 132 *num inter entis affectiones generales recte numeretur* 122 *num libertatem sui speciem habeat* 129 *num recte per Zabarellam definita sit* 133 *quid & quotuplex sit* 129

Continuitas & contiguitas an propria corporum affectio sit 475

Contradictio à Contrarietate, contra quam vulgus opinatur, differt 159

Contradictio nunquid oppositionum prima nec non omnium maxima sit 317
Contradictoria num vera simul esse queant 156
Contraria quomodo simul in subiecto esse possint 158 159
Corpora ab angelis assumi solita, qualia sint 446 447
Corpora duo num simpliciter aliquid penetrare possint, ita, vt alterum alteri non cedat 467
Corpora duo num simul vno in loco sibi adaequato esse possint 470
Corpus 2. an aliquod sine quãtitate ad tempus existat 467
an naturaliter in non corpus transmutari, aut è non corpore fieri possit 476 *an in loco sit, & quomodo* 466 *an omne per se finitum sit & circumscriptum, nullum vero infinitum & incircumscriptum* 464 *an omne per se in infinitum diuisibile sit* 465 *quantum sit* 463
Corpus Christi num de nouo in Missa vel generetur vel creetur 552
Corpus in spiritum agere num possit 477
Corpus naturale ab artificiali num differat 487
an per se sensile sit 474
an habeat figuram & quo modo 474 *an materiatum sit* 478 *an per se sex positionum differentias habeat* 476 *omne per se an in partes integrantes diuisibile sit* 473 *per se sensile an insensile fieri possit* 475 *sine spatii certi localis occupatione num alicubi esse possit* 470
Corpus vnum an locis in pluribus simul esse possit 468 *an superficiem tantum habeat vnam* 505
Creare num Dei solius proprium sit 413
Creatio omnis an productio sit entis è nihilo 547
Creatura cum creatore modis tribus congruere potest 169
Creatura nulla quippiam siue magnum siue paruum creare potest 549 *num, & quomodo creatori Deo similis esse dici possit* 396 *num è partibus composita sit* 82 *num omnis composita sit* 81 *num in loco sit* 115 *num modo eodem in loco sit* 116 *num omnis natura sua contingens sit* 130 *num vlla simul actu in duobus pluribusve locis esse possit* 117 469 *num vlla vbique esse possit* 114 115
Culpa caussa poena esse 185

Debi-

537

D.

Debilius an agere possit in validius 545

Definitio accidentis absolute considerati tradita necnon explicata 489

Definitio bonitatis vera nec non absoluta allata 168 *causæ perfectæ in genere* 214 *entis generalis* 27 *finis in genere tradita & explicata* 233 *perfectionis à Fonseca tradita & examinata reiicitur* 67 *temporis vera proposita necnon approbata* 60 *unitatis è definitione unius colligi potest* 86 87

Definitiones æternitatis absoluta allata & approbata 55 *causæ efficientis* 249 *formæ* 264 *possibilis & impossibilis inter ipsas conciliatæ* 135 *principii tres ex Aristotele prolata & examinata* 200 *signi recitata & considerata* 303

Deletio proprietatum naturalium, naturæ negatio est 289

Deus an aliquo modo creaturæ suæ similis esse dicatur 396

an ex æquo bonus sit erga creaturas suas 394

an extra se agat aliquid è necessitate naturæ absoluta 412 *an homini per naturam notus sit* 375 377 *an in entis ullius creati compositionem veniat* 391

an mala moralia fieri vel non fieri velit 410

an mali cuiusquam causa efficiens sit 191. 192

an mundum & quo modo regat 414 *an numero duntaxat unus cognoscatur & probetur* 381 *an omnia, & æqualiter quidem, amet* 411. 412 *an omnia intelligat & cognoscat, & quo modo* 399 *an principium simpliciter primum sit entium extra se omnium* 203 *an recte dicatur actus purus, potentia omnis expers* 378 *an solus bonū primum & summum sit* 393 *an solus καρδιογνώστης sit* 402 *an solus immortalis sit* 411 *an spiritus sit* 390 *an sub genere aliquo ponatur* 377 *immateriatus & incircumscriptus an in loco non esse recte dicatur* 109 *in cœlo cur, quomodoque habitare dicatur* 110. 111 *in mundo sedem primam supremamque sortitus est* 109 *inæqualiter dona sua cur distribuat* 395 *num immediate per seipsum omnia operetur in omnibus* 417 *principium primum quot modis dica-*

tur 203 quicquid vult, an necessario velit 407 quomodo per accidens caussa mali culpæ sit 192 quo sensu lumine amictus esse dicatur 480

Deusne solus absolute sit æternus 59

Deusne solus sit ens primum & increatum 36

Diabolus an & quomodo è corporibus obsessis expelli possit 450 an grandines, pluuias, tempestates & ventos excitare possit; & quo modo 453 an miracula vera possit edere 454 an, quandoque vere corpora hominum obsideat, & quo modo 449 an sensus hominum tam exteriores quam interiores præstigiis suis deludere possit 452

Diaboli num spectrorum & tumultuum nocturnorum homines terrentium auctores sint 454 num vere cum hominibus concumbant 444

Differentia malitiæ artificialis, moralis & naturalis quæ sit 183

Difficultas cognoscendi veritatem vnde oriatur 160

Dimidium an plus toto sit 205

Discrimen accidentis communis & proprii 283

inter adiunctum nec non accidens an aliquod sit 282 inter actionem & passionem quod sit 538 inter caussam & efficientem, & agens an aliquod sit 250 inter caussam proximam & genus proximum 231 inter contingentiam & mutabilitatem 132 inter corpus artificiale & naturale num quod sit 487 inter ens & rem 29 inter falsiloquium & mendacium 154 inter generationem naturalem & artificialem 549 inter locum & localitatem 120 inter Metaphysicam, Physicam & Theologiam 16.47 inter Naturam & Personam 357 inter necessitatem & immutabilitatem 132 inter potentiam & potestatem 521

Disparere quid 475

Dispositio. Vide *Habitus.*

Distinctio facienda est inter lumen naturale & supernaturale intellectus nostri 138

Distinctio num sufficienter in distributionem rationis & realem diuidatur 335

Distinctiones caussæ generales vndenam sumantur 208

Distributio actionis & passionis in realem & intentionalem,

nalem, seu incorporalem & spiritalem legitima num sit 545 *caussa in totalem & partialem an in vno quoque caussarum genere locum habeat* 232 *materia in primam & secundam num materiæ substantiali soli competat* 263

Distributiones adiunctorum & subiectorum quomodo intelligendæ sint 279 *entis generalissim.æ* 27 *potentiæ actiuæ variæ adductæ* 519 *veritatis variæ* 148 149

Diuersitas à multitudine differt 333 *in genere quid & quotuplex sit* 331 333

Diuisio boni 173

Diuisio bonitatis vera & absoluta 169 *durationis* 50 *entis incomplexi in substantiam & accidens an legitima sit* 348 *Metaphysicæ quomodo legitime sit instituenda* 20. 21

Diuisiones malitiæ è diuisionibus mali collectæ 182

Diuisiones temporis variæ traditæ & explicatæ 61

Diuisiones vniuersalium tres commemoratæ & explicatæ 41

Doctrina de Deo num, quomodoque in Metaphysica tradenda sit 368

de Relationibus an necessaria sit 557 *de signo & signato num ad Metaphysicam pertineat* 301 *de signo & signato nunquid à quibusdam ad tractatum de subiecto & adiuncto referatur* 301 *de subiecto & adiuncto generalis an ad Metaphysicam pertineat* 274 *generalis de ente rationis an ad doctrinam Metaphysicam spectet* 33

Dogma falsum nunquid è principio per se falso possit extrui 154. 155

Duratio entium 50

Duratio num propria entis quatenus ens est, affectio sit 51 *num quomodoq; differat ab existentia* 52 *num recte in æternitatem & tempus perfecte vereq; diuidatur* 55 *num species habeat diuersas* 52

E.

Effectus ipse num actu necessario ponatur, causa efficiente proxima posita 260 *nullus virtutem causæ suæ excedit* 492

Effectus omnis, qui temere non fit, causis per se externis indiget duabus 222

Effectio. Vide *Actio.*

Efficacia relationis quæ 564

Efficiens an omne propter finem operetur 238
Ens ab essentia quomodo differat 29
Ens absolutum an semper opponatur respectiuo 38 *non omne fieri potest ac esse signum, sed id tantum, quod per se sensile est* 303
Ens aliquod an simul vnum & non vnum esse possit 89 *respectu diuerso num idem & diuersum esse possit* 334 *aliud an permanens, aliud successiuum sit* 42 *an & quomodo perfecte possit definiri* 28 *an idem respectu diuerso bonum & malum esse possit* 177 *an idem respectu diuerso contingens & necessarium possit esse* 131 *an in finitum & in infinitum recte diuidatur* 97 *an in incomplexum & complexum recte distribuatur* 37 *an in vnum & multa recte diuidatur* 93 *an omne finem habeat* 239 *an necessitatis hypotheticæ capax sit* 128 *an simpliciter vnum sit* 90 *an saluum esse possit essentia illius destructa* 30 *an tanquam genus in reale rationisque recte diuidatur* 30 *an vllum progrediatur in infinitum* 104 *an vllum vere, proprie & per se bonum bonitate aliena dici possit* 177 *an vnum per se fieri queat è duobus entib. in actu perfecto* 90
Ens complexum quid 37
Ens creatum vllum an perfectionis æqualis esse possit cum ente primo vel increato 69
Ens idem an realiter à seipso differre possit 335 *an respectu diuerso caussa efficiens per se & per accidens simul esse possit* 258 *num respectu diuerso caussa principalis & instrumentalis esse possit* 254 *num respectu diuerso possit esse totum & pars* 328 *num respectu diuerso subiectum & adiunctum esse possit* 297
Ens & res differunt 29
Ens & vnum an realiter idem sint 88
Ens genus est non vniuocum, sed analogum 31
Ens in genere 27
Ens in locale & illocale num recte diuidatur 107
Ens incomplexum an genus vniuocum sit substantiæ & accidentis 349 *incomplexum quid* 37 *inter creaturam & creatorem intermedium non datur* 480 *necessarium quodlibet an caussam necessitatis suæ habeat* 128 *num recte diuidatur in vniuersale & generale* 38

Ens omne aut est in subiecto, aut non est in subiecto 295 *omne creatum, an ab aliquo principio pendeat, & quodnam illud sit* 202 *an simpliciter finitum sit* 105 *omne incomplexum simpliciter vnum est, complexum contra* 90 *omne num bonum sit, & econtra* 174 *num vnam duntaxat habeat essentiam* 29. 30 *numquid existentiam habeat propriam* 47

Ens omne, quatenus ens, an bonum sit 246

Ens omne quatenus ens, an habeat existentiam 46 *omne rationis an accidens sit* 4 *quod habeat subiectum* 35

Ens permanens vel successiuum quot modis dicatur 42

Ens potentia num sit idem cum possibili 140 *primum an absolute summeque perfectum sit* 68. 69 *primum an vbique sit* 111. 112 *primum & increatum num simpliciter infinitum sit* 98 *primum nec non increatum, an Deus solus sit* 36 *primum nec non increatum num absolute simplex sit* 36 *primum recte ne in loco esse dicatur* 108

Ens quatenus ens, an habeat veras aliquas & positiuas passiones aut proprietates 43

Ens rationis an caussas habeat, quarum vi existat 33 34 *rationis quid* 33 *quomodo recte diuidatur* 35 *rationis quot modis vsurpetur à philosophis* 31

Ens reale num genus vniuocum sit entis increati & creati, an analogum 36

Ens reale rationisque quomodo definiendum sit 32 *simpliciter finitum & infinitum, an proportionem admittat* 106 *singulare & vniuersale quid sit* 39. 40 *solum primum an inter entia incomplexa in se sit absolute necessarium* 124. 125 *vnum & idem num modo respectuque diuerso finitum nec non infinitum esse possit* 106 *vnum & idem an respectu diuerso perfectum & imperfectum dici possit* 71 *vnum & idem an respectu diuerso rationem caussarum diuersarum suscipere possit* 224

Entia vel actu vel potentia simpliciter infinita nũ praeter ens primum dentur alia 102. 103

Entia vniuersalia nunquid aliquid sint extra intellectum 40

Essentia 21

Essentia Dei num à Deo ipso differat 379 *num vere proprieque creaturae vlli communicari possit* 380 *entis num magis & minus recipiat* 26 *generaliter*

quid & quotuplex sit 26
Euanescere quid 457
Exemplar quid & quotuplex sit 270
Existentia entis vnius an alteri communicari possit, essentia ipsius non communicata 48
Existentia entis vnius an vna tantum sit 48 *num species habeat diuersas* 49 *num tantum entium singularium sit, an etiam vniuersalium* 48 *nunquid ab essentia entis differat, & quomodo* 45.46.49

F.

Facere aliquid è nihilo num maius opus sit, quam aliquid in aliud conuertere 550
Facultas intelligendi volendique num angelo proprie attribuatur 438
Falsiloquium à mendacio num differat 154
Falsitas 142 *an proprie rebus insit extra intellectum; idque secundum naturam* 153 154 *an recte multiplex dicatur* 160
Falsum & impossibile num idem sint 140
Figura num vi vlla predita sint ad res alterandas & immutandas 530
Fines rei vnius an plures esse queant 249
Finis an alius artificis, alius artis sit 248 *an alius operantis, alius operis sit* 248 *an causa sit* 233 *an causarum omnium prima recte dicatur* 236 *an efficientem principalem ad agendum moueat, qua finis est* 243 *an medius bonitatem & amabilitatem conciliet* 249 *an mediis semper prastantior sit* 245 *an omnis causa sit extrinseca* 235 *an rationem boni semper habeat* 242 *an semper rei bona sit* 243
Finis & causa finalis an inter se differant 240
Finis an finem cuius & cui *recte diuidatur* 247 *in genere quid* 233.247
Finis & efficiens quomodo sibi mutua sint causa 245
Finis media, eorumque electionem & executionem causari num recte dicatur 244
Finis non semper est bonum verum 242
Finitum & finis non semper eodem modo vsurpantur 235
Finitum quot modis dicatur 95
Forma an qualitas sit, & à figura quo modo differat 530
Forma corporis naturalis accidens non est, sed substantia 457
Forma in genere quid sit 264
Forma num essentia rei tota recte dicatur 265

Forma num rectè dicatur informare materiam 265
Forma substantialis an in naturam & animam rectè distribuatur 459
Forma num alia accidentalis, alia substantialis sit 266
Forma num alia materialis sit, alia immaterialis; alia informans, alia assistens; alia extrinseca, alia intrinseca 266
Forma num formato suo destructo semper destruatur 269
Forma num per se sensilis sit, partium item & graduum capax 267
Forma num à formato suo separabilis sit, essentia eiusdem salua 267
Forma omnis substantialis, an à materia, cui inest, separabilis sit 268
Forma speciei vnius an alteri communicabilis sit 267
Forma substantialis an alia simplex, alia composita sit 459
Forma substantialis an detur 456
Forma substantialis an vlla generetur 458
Forma substantialis an substantia incorporea vel corporea sit 457
Fundamenta distributionum Adiunctorum & Subiectorum quæ sit 279
Fundamentum identitatis & diuersitatis quod sit 333
Fundamentum relationis quotuplex sit 561

G.

Genera causarum an quatuor tantum sint 219
Generatio naturalis & artificialis an differant 549
Gentes natura quæ legis sunt, faciunt 206
Genus & species quatenus inter se conueniant & differant 329

H.

Habitus à dispositione quomodo differat 527. 528
Habitus nullus rationem priuationis induere potest 523
Habitus omnis an potentia sit 529 *an qualitas acquisita sit* 529
Homo animal est natura politicum 310 *num naturaliter Deum esse norit* 369 *num semper intelligere possit quid possibile vel impossibile sit* 138
Homonymia formæ considerata 530
Homonymia ponderis excutitur 508
Homonymia vocis Accidentis excussa 489
Honestum quoduis expetendum 207

Hypostasis an idem sit quod persona 356

I.

Idem non est idem cum sit à duobus 178 *num caussa efficiens esse possit contrariorum* 259 *num possibile & impossibile simul esse possit respectu diuerso* 140 *num proprie reque ipsa bonum & pulchrum sit* 174 *simul esse & non esse non potest* 157.158

Identitas ab vnitate differt 333

Identitas in genere quid 330 333 *quotuplex* 330

Illocalitas 108

Imperfectio 65 *an arguat malitiam, prauitatem & vitiositatem* 72 *an priuatio sit* 71

Imperfectum omne an perfecto prius sit 73 *variis modis dicitur* 66. 67

Impossibile in genere quid sit 135

Impossibile num semper ab homine cognosci queat 138 *num sit idem quod falsum* 140 *quid à contingente differat* 142 *quotuplex sit* 136

Impossibilia apud homines, an apud Deum possibilia sint 398

Impossibilitas 134

Indiuidua num proprie species infimæ dicantur 329

Infinitum quot modis dicatur 95

Intelligentia & cognitio Dei ab essentia illius num differat 400 *num è materia formaque composita sit* 432

L.

Lamiæ num ventos, tempestates similesque res naturales excitare possint 555

Lex naturalis quid 169

Libertas an contingentiæ species sit 129 *in Deo summa num cum necessitate summa consistere possit* 369 *in qua significatione species contingentiæ sit* 130 *num necessitatem quamlibet excludat* 130

Lingua Germanica quantam quanto tempore passa fuerit mutationem 311

Localitas 107

Locus ens absolutum non est, sed relatum 118

Locus & localitas quo modo differant 120

Locus & tempus an species sint quantitatis extensiuæ 508

Locus in genere quid sit 118 *quotuplex sit* 119

Loquendumne cum multis, an sentiendum cum paucis 318

Lux quædam & claritas an ante molitionem mundi fuerit 479

M.

Magnitudo extensiua num recte in lineam, superficiem & cor-

& corpus diuidatur; quidque per terminos illos intelligendum sit 502 *an extensiua sit* ibid.
Maledictiones 34
Malitia 161 *in genere quid sit* 178 *naturalis ab artificiali, necnon morali quomodo differat* 183 *naturalis, num perinde atque bonitas, in essentialem, accidentalem, vniuersalem & particularem diuidi possit* 184 *quotuplex sit* 181
Malum 179 *an bono opponatur, & quomodo* 146 *an causam aliquam finalem habeat* 193 *an causam aliquam sui efficientem habeat* 187. 188 *an caussam formalem & materialem habeat* 194 *an è bono per se possit oriri* 189 *an recte in malum culpa & pœna diuidatur* 184 *culpa an omne perfecte malum sit* 186 *quid sit* 184 *an omne sit in bono tanquam in subiecto* 194. 195 *pœna per se num habeat finem* 194 *quid sit* 185 *quo respectu etiam rationem finis induat* 242 *summum an detur* 185
Manus Dei mundum è materia informi creauit 483
Materia alia accidentalis, alia substantialis an recte dicatur 262
Materia alia circa quam, *alia* ex qua, *alia* in qua, *num recte dicatur* 262 *aliqua prima necessario num detur* 483 *in genere quid sit* 261 *mundi prima fuit informis* 483 *num corpus sit, & immateriatum quidem* 484 *prima num Deo fuerit coæterna, an à Deo è nihilo aliquando creata* 485 *prima quid* 275 *prima substantia num sit* 484
Materia rerum artificialium num proprie materia dicta sit 263
Materia substantialis num alia permanens, alia transiens recte dicatur 262
Medium inter priuationem & habitum an detur 578
Mendacium. Vide *Falsiloquium.*
Mensura fundamentum relationis non est 561
Meritum causa pramii est 185
Metaphysica definitur 1. 7 *num de causis recte, quomodoque tractet* 211 *num detur* 1 *num disciplina contemplatrix, an operatrix sit* 6 *num disciplina necessaria sit & vtilis* 12 *num disciplinarum omnium ab homine repertarum nobilissima sit* 15 *num entia omnia speciatim distincteque secundum proprias rerum rationes consideret* 8 *num essentialiter differat à Logica, Physica & Theologia* 16 *num*

Ordo in genere quid & quotuplex sit 341. 343 natura quid 344 num detur, vbicunque distinctio datur 344

P.

Pars 322
Pars contradictionis vt vna vera, sic altera necessario falsa est 157. 159 in genere quid sit 324 num possit esse forma compositi totius 327
Partes an omnes ponantur aut tollantur, toto posito vel econtra sublato 326
Passio in agente est, non in patiente 537 in genere quid sit 335 vlla an qualitas esse possit 529
Passiones aut proprietates entis, quatenus ens, quot sint 45
Patrix cœlestis 480
Penetratio corporum duorum sine alterutrius cessione possibilis an sit 467
Perfectio 65
Perfectio creata qualibet an imperfectionem quandam includat 70 in genere quid sit, & ab integritate quomodo differat 67. 68 num in moralem, naturalem & transcendentem recte diuidatur 71 essentialis vnius & eiusdem entis an augeri minuive possit 70
Perfectiones rerum omnium in Deo num sint 392
Perfectum varie dicitur 66
Persona an idem sit quod natura 357
Persona Deitatis principium est persona alterius, non causa 213
Persona quid 355. 356
Pondus an species quantitatis sit 508
Possibile & ens potentia num sint idem 140 num semper ab homine cognosci possit 138 quid à necessario differat 142 quid sit in genere 135 quotuplex sit 136 137
Possibilia omnia num sub potentiam Dei cadant 397
Possibilitas 134
Potentia à potestate quid differat 321 absoluta determinatam præcedit 519 actiua in genere quotuplex sit 519 in genere quid sit 517 518 an aliquando in actum traducatur 526 an qualitas sit 516 num alia actiua, alia passiua. & quomodo vtraq; recte definienda sit 518 num semper ponatur actu posito 525 an mutari queat; essentia entis, cui inest salua manente 152 an in numero rerum bonarum sit habenda 521
Potentia passiua vlla in Deum an cadat 520
Potentia rationem impotentiæ num possit induere 522 an vere proprieque agere dicatur 527

Poten-

Potentia omnes an in numero rerum eligendarum sint 521
Præcognitio futurorum num cadat in angelos 441
Præscientia contingentium futurorum in Deum an cadat 400
Præscientia Dei num præscitorum caussa efficiens sit 401
Præsentia entis vera quid requirat 120
Principatum 197
Principium ibid. an vere & sufficienter in essendi cognoscendique principium diuidatur 201
Principium contradictionis, principium primum complexum artium est omnium 157
Principium entis creati quotuplex in genere sit 199.202
Principium inter principia disciplinarum complexa num detur aliquod simpliciter primum; quodque illud sit 205
Principium num dimidium, vel etiam plusquam dimidium rei faciendæ recte dicatur 204
Principium positum an faciat, vt id cuius principium est, statim ponatur 207 *principiato num prius sit* 204 *quot modis vsurpetur* 199 *sitne prorsus idem quod caussa* 212
Prioritas naturæ quid 344
Priuatio à negatione pura & absoluta num, & quomodo differat 580 *an ad habitum regressum admittat* 576 *an alia substantialis, alia accidentalis sit* 579 *an caussam sui efficientem habeat, & quænam illa sit* 579 *an ens sit* 573 *an vlla destituat subiectum habitus sui totaliter* 578 *est non ens secundum quid* 574
Priuatio & habitus num sola priuatiue opposita sint 338
Priuatio in omni accidentium & adiunctorum genere num locum habeat 580 *magis & minus an suscipiat* 576 *num semper habitum præsupponat* 574 *num semper vno & eodem modo vsurpetur* 571 *an præter naturam & adiunctum contingens sit* 578 *quid sit* 572 *sine habitu num cognosci possit* 572
Prius aut posterius cognitione quot modis dicatur 245
Prius & posterius ratione, quot modis dicatur 345
Progressus in caussis per se subordinatis in infinitum an detur 228
Progressus in infinitum an in vllo entium genere detur 104
Propinquitas entis localis an ad veram eiusdem præsentiam semper necessarioque requiratur 120

tur 203 *quicquid vult, an necessario velit* 407 *quomodo per accidens caussa mali culpæ sit* 192 *quo sensu lumine amictus esse dicatur* 480
Deusne solus absolute sit æternus 59
Deusne solus sit ens primum & increatum 36
Diabolus an & quomodo è corporibus obsessis expelli possit 450 *an grandines, pluuias, tempestates & ventos excitare possit; & quomodo* 453 *an miracula vera possit edere* 454 *an, quandoque vere corpora hominum obsideat, & quomodo* 449 *an sensus hominum tam exteriores quam interiores præstigiis suis deludere possit* 452
Diaboli num spectrorum & tumultuum nocturnorum homines terrentium auctores sint 454 *num vere cum hominibus concumbant* 444
Differentia malitiæ artificialis, moralis & naturalis quæ sit 183
Difficultas cognoscendi veritatem unde oriatur 160
Dimidium an plus toto sit 205
Discrimen accidentis communis & proprii 283
inter adiunctum nec non accidens an aliquod sit 282 *inter actionem & passionem quod sit* 538 *inter caussam & efficientem, & agens an aliquod sit* 250 *inter caussam proximam & genus proximum* 231 *inter contingentiam & mutabilitatem* 132 *inter corpus artificiale & naturale num quod sit* 487 *inter ens & rem* 29 *inter falsiloquium & mendacium* 154 *inter generationem naturalem & artificialem* 549 *inter locum & localitatem* 120 *inter Metaphysicam, Physicam, & Theologiam* 16. 47 *inter Naturam & Personam* 357 *inter necessitatem & immutabilitatem* 132 *inter potentiam & potestatem* 521
Disparere quid 475
Dispositio. Vide *Habitus.*
Distinctio facienda est inter lumen naturale & supernaturale intellectus nostri 138
Distinctio num sufficienter in distributionem rationis & realem diuidatur 335
Distinctiones caussæ generales vndenam sumantur 208
Distributio actionis & passionis in realem & intentionalem.

nalem, seu incorporalem & spiritalem legitima num sit 545 *caussa in totalem & partialem an in vno quoque caussarum genere locum habeat* 232 *materia in primam & secundam num materiæ substantiali soli competat* 263
Distributiones adiunctorum & subiectorum quomodo intelligendæ sint 279 *entis generalissim.æ* 27 *potentiæ actiuæ variæ adductæ* 519 *veritatis variæ* 148 149
Diuersitas à multitudine differt 333 *in genere quid & quotuplex sit* 331 333
Diuisio boni 173
Diuisio bonitatis veræ & absolutæ 169 *durationis* 50 *entis incomplexi in substantiam & accidens an legitima sit* 348 *Metaphysicæ quomodo legitime sit instituenda* 20. 21
Diuisiones malitiæ è diuisionibus mali collectæ 182
Diuisiones temporis variæ traditæ & explicatæ 61
Diuisiones vniuersalium tres commemoratæ & explicatæ 41
Doctrina de Deo num, quomodoque in Metaphysica tradenda sit 368
de Relationibus an necessaria sit 557 *de signo & signato num ad Metaphysicam pertineat* 301 *de signo & signato nunquid à quibusdam ad tractatum de subiecto & adiuncto referatur* 301 *de subiecto & adiuncto generalis an ad Metaphysicam pertineat* 274 *generalis de ente rationis an ad doctrinam Metaphysicam spectet* 33
Dogma falsum nunquid è principio per se falso possit extrui 154. 155
Duratio entium 50
Duratio num propria entis quatenus ens est, affectio sit 51 *num quomodoq; differat ab existentia* 52 *num recte in æternitatem & tempus perfecte vereq; diuidatur* 55 *num species habeat diuersas* 52

E.

Effectus ipse num actu necessario ponatur, causa efficiente proxima posita 260 *nullus virtutem causæ suæ excedit* 492
Effectus omnis, qui temere non fit, causis per se externis indiget duabus 222
Effectio. Vide *Actio.*
Efficacia relationis quæ 564

Efficiens an omne propter finem operetur 238
Ens ab essentia quomodo differat 29
Ens absolutum an semper opponatur respectiuo 38
non omne fieri potest ac esse signum, sed id tantum, quod per se sensile est 303
Ens aliquod an simul vnum & non vnum esse possit 89 *respectu diuerso num idem & diuersum esse possit* 334 *aliud an permanens, aliud successiuum sit* 42 *an & quomodo perfecte possit definiri* 28 *an idem respectu diuerso bonum & malum esse possit* 177 *an idem respectu diuerso contingens & necessarium possit esse* 131 *an in finitum & in infinitum recte diuidatur* 97 *an in incomplexum & complexum recte distribuatur* 37 *an in vnum & multa recte diuidatur* 93 *an omne finem habeat* 239 *an necessitatis hypotheticæ capax sit* 128 *an simpliciter vnum sit* 90 *an saluum esse possit essentia illius destructa* 30 *an tanquam genus in reale rationisque recte diuidatur* 30 *an vilum progrediatur in infinitum* 104 *an vilum vere, proprie & per se bonum bonitate aliena dici possit* 177 *an vnum per se fieri queat è duobus entib. in actu perfecto* 90
Ens complexum quid 37
Ens creatum vilum an perfectione æqualis esse possit cum ente primo vel increato 69
Ens idem an realiter à seipso differre possit 335 *an respectu diuerso caussa efficiens per se & per accidens simul esse possit* 258 *num respectu diuerso caussa principalis & instrumentalis esse possit* 254 *num respectu diuerso possit esse totum & pars* 328 *num respectu diuerso subiectum & adiunctum esse possit* 297
Ens & res differunt 29
Ens & vnum an realiter idem sint 88
Ens genus est non vniuocum, sed analogum 31
Ens in genere 27
Ens in locale & illocale num recte diuidatur 107
Ens incomplexum an genus vniuocum sit substantiæ & accidentis 349
incomplexum quid 37
inter creaturam & creatorem intermedium non datur 480 *necessarium quodlibet an caussam necessitatis suæ habeat* 128
num recte diuidatur in vniuersale & generale 38

Ens omne aut est in subiecto, aut non est in subiecto 295 *omne creatum, an ab aliquo principio pendeat, & quodnam illud sit* 202 *an simpliciter finitum sit* 105 *omne incomplexum simpliciter vnum est, complexum contra* 90 *omne num bonum sit, & econtra* 174 *num vnam duntaxat habeat essentiam* 29. 30 *numquid existentiam habeat propriam* 47
Ens omne, quatenus ens, an bonum sit 246
Ens omne quatenus ens, an habeat existentiam 46 *omne rationis an accidens sit* 4 *quod habeat subiectum* 35
Ens permanens vel successiuum quot modis dicatur 42
Ens potentia num sit idem cum possibili 140 *primum an absolute summeque perfectum sit* 68. 69 *primum an vbique sit* 111. 112 *primum & increatum num simpliciter infinitum sit* 98 *primum nec non increatum, an Deus solus sit* 36 *primum nec non increatum num absolute simplex sit* 36 *primum rectene in loco esse dicatur* 108
Ens quatenus ens, an habeat veras aliquas & positiuas passiones aut proprietates 43
Ens rationis an caussas habeat, quarum vi existat 33 34 *rationis quid* 33 *quomodo recte diuidatur* 35 *rationis quot modis vsurpetur à philosophis* 31
Ens reale num genus vniuocum sit entis increati & creati, an analogum 36
Ens reale rationisque quomodo definiendum sit 32 *simpliciter finitum & infinitum, an proportionem admittat* 106 *singulare & vniuersale quid sit* 39. 40 *solum primum an inter entia incomplexa in se sit absolute necessarium* 124. 125 *vnum & idem num modo respectuque diuerso finitum nec non infinitum esse possit* 106 *vnum & idem an respectu diuerso perfectum & imperfectum dici possit* 71 *vnum & idem an respectu diuerso rationem caussarum diuersarum suscipere possit* 224
Entia vel actu vel potentia simpliciter infinita nũ praeter ens primum dentur alia 102. 103
Entia vniuersalia nunquid aliquid sint extra intellectum 40
Essentia 21
Essentia Dei num à Deo ipso differat 379 *num vere proprieque creaturae vlli communicari possit* 380 *entis num magis & minus recipiat* 26 *generaliter*

quid & quotuplex sit 26
Euanescere quid 457
Exemplar quid & quotuplex sit 270
Existentia entis vnius an alteri communicari possit, essentia ipsius non communicata 48
Existentia entis vnius an vna tantum sit 48 *num species habeat diuersas* 49 *num tantum entium singularium sit, an etiam vniuersalium* 48 *nunquid ab essentia entis differat, & quomodo* 45.46.49

F.

Facere aliquid è nihilo num maius opus sit, quam aliquid in aliud conuertere 550
Facultas intelligendi volendique num angelis proprie attribuatur 438
Falsiloquium à mendacio num differat 154
Falsitas 142 *an proprie rebus insit extra intellectum; idque secundum naturam* 153 154 *an recte multiplex dicatur* 160
Falsum & impossibile num idem sint 140
Figura num vi vlla pradita sint ad res alterandas & immutandas 530
Fines rei vnius an plures esse queant 249
Finis an alius artificis, alius artis sit 248 *an alius operantis, alius operis sit* 248 *an causa sit* 233 *an causarum omnium prima recte dicatur* 236 *an efficientem principalem ad agendum moueat, qua finis est* 243 *an medijs bonitatem & amabilitatem concilict* 249 *an medijs semper prastantior sit* 246 *an omnis causa sit extrinseca* 235 *an rationem boni semper habeat* 242 *an semper rei bona sit* 243
Finis & causa finalis an inter se differant 240
Finis an finem cuius *&* cui *recte diuidatur* 247 *in genere quid* 233.247
Finis & efficiens quomodo sibi mutua sint causa 245
Finis media, eorumque electionem & executionem causari num recte dicatur 244
Finis non semper est bonum verum 242
Finitum & finis non semper eodem modo vsurpantur 235
Finitum quot modis dicatur 95
Forma an qualitas sit, & à figura quo modo differat 530
Forma corporis naturalis accidens non est, sed substantia 457
Forma in genere quid sit 264
Forma num essentia rei tota recte dicatur 265

Forma num recte dicatur informare materiam 265
Forma substantialis an in naturam & animam recte distribuatur 459
Forma num alia accidentalis, alia substantialis sit 266
Forma num alia materialis sit, alia immaterialis; alia informans, alia assistens; alia extrinseca, alia intrinseca 266
Forma num formato suo destructo semper destruatur 269
Forma num per se sensilis sit, partium item & graduum capax 267
Forma num à formato suo separabilis sit, essentia eiusdem salua 267
Forma omnis substantialis, an à materia, cui inest, separabilis sit 268
Forma speciei vnius an alteri communicabilis sit 267
Forma substantialis an alia simplex, alia composita sit 459
Forma substantialis an detur 456
Forma substantialis an vlla generetur 458
Forma substantialis an substantia incorporea vel corporea sit 457
Fundamenta distributionum Adiunctorum & Subiectorum quæ sit 279
Fundamentum identitatis & diuersitatis quod sit 333
Fundamentum relationis quotuplex sit 561

G.

Genera causarum an quatuor tantum sint 219
Generatio naturalis & artificialis an differant 549
Gentes natura quæ legis sunt, faciunt 206
Genus & species quatenus inter se conueniant & differant 329

H.

Habitus à dispositione quomodo differat 527. 528
Habitus nullus rationem priuationis induere potest 523
Habitus omnis an potentia sit 529 *an qualitas acquisita sit* 529
Homo animal est natura politicum 310 *num naturaliter Deum esse norit* 369 *num semper intelligere possit quid possibile vel impossibile sit* 138
Homonymia formæ considerata 530
Homonymia ponderis excutitur 508
Homonymia vocis Accidentis excussa 489
Honestum quoduis expetendum 207

Hypostasis an idem sit quod persona 356

I.

Idem non est idem cum sit à duobus 178 *num caussa efficiens esse possit contrariorum* 259 *num possibile & impossibile simul esse possit respectu diuerso* 140 *num proprie reque ipsa bonum & pulchrum sit* 174 *simul esse & non esse non potest* 157.158

Identitas ab vnitate differt 333

Identitas in genere quid 330 333 *quotuplex* 330

Illocalitas 108

Imperfectio 65 *an arguat malitiam, prauitatem & vitiositatem* 72 *an priuatio sit* 71

Imperfectum omne an perfecto prius sit 73 *variis modis dicitur* 66. 67

Impossibile in genere quid sit 135

Impossibile num semper ab homine cognosci queat 138 *num sit idem quod falsum* 140 *quid à contingente differat* 142 *quotuplex sit* 136

Impossibilia apud homines, an apud Deum possibilia sint 398

Impossibilitas 134

Indiuidua num proprie species infimæ dicantur 329

Infinitum quot modis dicatur 95

Intelligentia & cognitio Dei ab essentia illius num differat 400 *num è materia formaque composita sit* 432

L.

Lamiæ num ventos, tempestates similesque res naturales excitare possint 555

Lex naturalis quid 169

Libertas an contingentiæ species sit 129 *in Deo summa num cum necessitate summa consistere possit* 369 *in qua significatione species contingentiæ sit* 130 *num necessitatem quamlibet excludat* 130

Lingua Germanica quantam quanto tempore passa fuerit mutationem 311

Localitas 107

Locus ens absolutum non est, sed relatum 118

Locus & localitas quo modo differant 120

Locus & tempus an species sint quantitatis extensiuæ 508

Locus in genere quid sit 118 *quotuplex sit* 119

Loquendumne cum multis, an sentiendum cum paucis 318

Lux quædam & claritas an ante molitionem mundi fuerit 479

M.

Magnitudo extensiua num recte in lineam, superficiem & cor-

& corpus diuidatur; quidque per terminos illos intelligendum sit 502 *an extensiua sit* ibid.
Maledictiones 34
Malitia 161 *in genere quid sit* 178 *naturalis ab artificiali, necnon morali quomodo differat* 183 *naturalis, num perinde atque bonitas, in essentialem, accidentalem, vniuersalem & particularem diuidi possit* 184 *quotuplex sit* 181
Malum 179 *an bono opponatur, & quomodo* 146 *an causam aliquam finalem habeat* 193 *an causam aliquam sui efficientem habeat* 187. 188 *an caussam formalem & materialem habeat* 194 *an è bono per se possit oriri* 189 *an recte in malum culpa & pœna diuidatur* 184 *culpa an omne perfecte malum sit* 186 *quid sit* 184 *an omne sit in bono tanquam in subiecto* 194. 195 *pœna per se num habeat finem* 194 *quid sit* 185 *quo respectu etiam rationem finis induat* 242 *summum an detur* 185
Manus Dei mundum è materia informi creauit 483
Materia alia accidentalis, alia substantialis an recte dicatur 262
Materia alia circa quam, *alia* ex qua, *alia* in qua, *num recte dicatur* 262 *aliqua prima necessario num detur* 483 *in genere quid sit* 261 *mundi prima fuit informis* 483 *num corpus sit, & immateriatum quidem* 484 *prima num Deo fuerit coæterna, an à Deo è nihilo aliquando creata* 485 *prima quid* 275 *prima substantia num sit* 484
Materia rerum artificialium num proprie materia dicta sit 263
Materia substantialis num alia permanens, alia transiens recte dicatur 262
Medium inter priuationem & habitum an detur 578
Mendacium. Vide *Falsiloquium.*
Mensura fundamentum relationis non est 561
Meritum causa premii est 185
Metaphysica definitur 1. 7 *num de causis recte, quomodoque tractet* 211 *num detur* 1 *num disciplina contemplatrix, an operatrix sit* 6 *num disciplina necessaria sit & vtilis* 12 *num disciplinarum omnium ab homine repertarum nobilissima sit* 15 *num entia omnia speciatim distincteque secundum proprias rerum rationes consideret* 8 *num essentialiter differat à Logica, Physica & Theologia* 16 *num*

instrumenta sciendi tradat 13 *num ordine doctrinæ debeat præcedere disciplinas alias omnes* 18. 19 *num quomodoq; veritatem consideret* 144 *num sit ars* 1. 4 *num sit vna specie disciplina* 15 *qua de re quatenus tractet* 1 *qua natura sit ibid. quas causas habeat* 11 *quomodo legitime diuidenda sit* 20 *quo respectu sit ars aut scientia* 5 *quod subiectum proprium & adæquatum habeat* 6
Modi, quibus aliquid vel prius, vel posterius, vel simul esse dicitur, qui sint 341
Modus res in Metaphysica considerandi quis 7
Motus an in substantialem & accidentalem recte diuidatur 547
Motus in genere quid & quotuplex sit 534
Motus species quantitatis an sit 511
Multitudo. Vide *Numerus.*
Mundus an prouidentia Dei regatur, & quomodo 414
Multa & vnum opponuntur 94
Multiplicitas 83
Multitudo num res destruat 91
Mutabile num actu aliquando mutetur. 133

N.

Natura Metaphysica 1 *resistentia quæ sit* 542 *signi qua in re consistat* 301 *tollitur dum proprietates eius tolluntur* 136
Necessaria num recte per Zabarellam definita sint 133
Necessarium quid & quotuplex in genere sit 123
Necessitas 121
Necessitas absoluta num in entibus complexis locum habeat 126 *alia rerum est, alia connexionis earum* 127 *an inter entis affectiones generales recte numeretur* 122 *definitionis quid* 124
Necessitas & immutabilitas an differant 132
Necessitas Physica quid 124
Necessitas qualislibet ad absolutam vel hypotheticam reduci potest 124
Necessitas quid quotuplexq; sit 123
Negatio vel affirmatio de quolibet est vera 157
Nemo bonus, nisi Deus solus 173
Nemo nascitur artifex 171
Nemo natura probus est, sed procresi 171
Nemo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est 441
Nihil adeo contingens est, quin aliquid necessarii in se contineat 131
Nihil agit vltra speciem suam 492
Nihil an intelligibile sit 22
Nihil causa suimet ipsius esse potest 223

Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu 206
Nihil & aliquid an æquipollեant enti & non enti 24
Nihil & aliquid an medium habeant 23
Nihilum 21 Vide *cognitio nihili.*
Nomen actus an enti ulli ob potentiam tribui possit 526
Non ens an adiunctum ullum habeat 296
Non ens num causari possit ens 241 *quot modis usurpetur* 297 *vere concipi non potest per modum entis* 574
Non posse latius patet, quam potentiam naturalem non habere 141
Non posse non semper includit negationem potentiæ, sed sæpe solius actus 141
Non posse, potentiamq; naturalem non habere, nunquid eadem sint ibid.
Notitia angelorum num augeri minuive possit 440
Numerus & multitudo num idem sint 508 *in genere quid quotuplexque sit* 509 *in infinitum & finitum an recte diuidatur* 510 *omnis an ens reale sit* ibid.

O.

Olympus Homero quid 479 480
Omne quod est, eo ipso quod est, singulare est 40
Omne quod est, quando est, necesse est esse 127
Omne ne quod componitur, ab alio componatur 82
Omne ne compositum sit ex eo, in quod realiter dissoluitur 83
Omnia num Deo præsentia sint 598
Ονομαθέτης *primus est Deus* 310
Operationes compositi totius an formæ recte tribuantur 268
Opiniones de natura temporis recensentur & examinantur 60
Opposita num enti uni & eidem actu simul inesse possint 340 *num natura simul sint* 339 *num sese mutuo declarent* ibid.
Oppositio priuatiua à contradictione quomodo differat 338
Oppositio quid sit 336 *quomodo legitime diuidenda* ibid. *quotuplex sit secundum Aristotelem* 336.337
Oratio species quantitatis an sit 611 *vera nunquam est causa, ut res sit, sed res quodammodo causa est, ut oratio vera sit* 152 *vera vel falsa dicitur. eo quod res vel est vel non est* 152
Orationes perinde vera sunt ac res ibid.
Ordinatio 341
Ordo aliquis certus, an & quo modo in unoquoque genere causarum detur 227

Ordo in genere quid & quotuplex sit 341. 343 *natura quid* 344 *num detur, vbicunque distinctio datur* 344

P.

Pars 322
Pars contradictionis vt vna vera, sic altera necessario falsa est 157. 159 *in genere quid sit* 324 *num possit esse forma compositi totius* 327
Partes an omnes ponantur aut tollantur, toto posito vel econtra sublato 326
Passio in agente est, non in patiente 537 *in genere quid sit* 335 *vlla an qualitas esse possit* 529
Passiones aut proprietates entis, quatenus ens, quot sint 45
Patrix cœlestis 480
Penetratio corporum duorum sine alterutrius cessione possibilis an sit 467
Perfectio 65
Perfectio creata qualibet an imperfectionem quandam includat 70 *in genere quid sit, & ab integritate quomodo differat* 67. 68 *num in moralem, naturalem & transcendentem recte diuidatur* 71 *essentialis vnius & eiusdem entis an augeri minuive possit* 70
Perfectiones rerum omnium in Deo num sint 392
Perfectum varie dicitur 66
Persona an idem sit quod natura 357
Persona Deitatis principium est persona alterius, non causa 213
Persona quid 355. 356
Pondus an species quantitatis sit 508
Possibile & ens potentia num sint idem 140 *num semper ab homine cognosci possit* 138 *quid à necessario differat* 142 *quid sit in genere* 135 *quotuplex sit* 136 137
Possibilia omnia num sub potentiam Dei cadant 397
Possibilitas 134
Potentia à potestate quid differat 321 *absoluta determinatam præcedit* 519 *actiua in genere quotuplex sit* 519 *in genere quid sit* 517 518 *an aliquando in actum traducatur* 525 *an qualitas sit* 516 *num alia actiua. alia passiua. & quomodo vtraq; recte definienda sit* 518 *num semper ponatur actu posito* 525 *an mutari queat; essentia entis, cui inest salua manente* 152 *an in numero rerum bonarum sit habenda* 521
Potentia passiua vlla in Deum an cadat 520
Potentia rationem impotentiæ num possit induere 522 *an vere propriecque agere dicatur* 527

Poten-

Potentia omnes an in numero rerum eligendarum sint 521
Præcognitio futurorum num cadat in angelos 441
Præscientia contingentium futurorum in Deum an cadat 400
Præscientia Dei num præscitorum caussa efficiens sit 401
Præsentia entis vera quid requirat 120
Principatum 197
Principium ibid. an vere & sufficienter in essendi cognoscendique principium diuidatur 201
Principium contradictionis, principium primum complexum artium est omnium 157
Principium entis creati quotuplex in genere sit 199.202
Principium inter principia disciplinarum complexa num detur aliquod simpliciter primum; quodque illud sit 205
Principium num dimidium, vel etiam plusquam dimidium rei faciendæ recte dicatur 204
Principium positum an faciat, vt id cuius principium est, statim ponatur 207 *principiato num prius sit* 204 *quot modis vsurpetur* 199 *sitne prorsus idem quod caussa* 212
Prioritas naturæ quid 344
Priuatio à negatione pura & absoluta num, & quomodo differat 580 *an ad habitum regressum admittat* 576 *an alia substantialis, alia accidentalis sit* 579 *an caussam sui efficientem habeat, & quænam illa sit* 579 *an ens sit* 573 *an vlla destituat subiectum habitus sui totaliter* 578 *est non ens secundum quid* 574
Priuatio & habitus num sola priuatiue opposita sint 338
Priuatio in omni accidentium & adiunctorum genere num locum habeat 580 *magis & minus an suscipiat* 576 *num semper habitum præsupponat* 574 *num semper vno & eodem modo vsurpetur* 571 *an præter naturam & adiunctum contingens sit* 578 *quid sit* 572 *sine habitu num cognosci possit* 572
Prius aut posterius cognitione quot modis dicatur 245
Prius & posterius ratione, quot modis dicatur 345
Progressus in caussis per se subordinatis in infinitum an detur 228
Progressus in infinitum an in vllo entium genere detur 104
Propinquitas entis localis an ad veram eiusdem præsentiam semper necessarioque requiratur 120

Proportio inter ens simpliciter finitum & infinitum, an detur 106
Proprietas essentialis entis vnius an alteri communicari possit 291,293
Proprietates relationis quæ sint 556
Proprium substantiæ omnis quod sit 296
Pulchritudo proprie quid 174
Pulchrum quomodo differat à bono 174
Puncta cur à Mathematicis indiuisibilia esse statuantur 505
Punctum Mathematicum ens reale non est, sed rationis ibid.

Q.

Quæ insunt toti, vel non insunt, an etiam recte partibus inesse, vel non inesse dicantur 325
Quæ realiter differre dicantur 335
Quæ vni tertio eadem sunt, an semper eadem sint inter sese 334
Quærere scientiam modumq; sciendi simul, absurdum est 14
Qualitas an ab Aristotele in Categoriis recte distributa sit 515 *an magis & minus recipiat* 531 *an ordine naturæ quantitate posterior* 514 *in genere quid sit & quotuplex* 514.515
Quantitas à rebus quantis realiter an differat 499 *à subiecto, cui inest, an separabilis sit* 512 *an per se vim vllam habeat ad res alterandas & mutandas* 512 *generaliter sumpta, vtrum in continuam & discretam, an vero in absolutam & comparatam recte diuidatur* 501 *in genere quid & quotuplex sit* 498.499. *in genere quomodo recte definienda sit* 498 *omnis an finita sit* 500
Quantum dicitur, quod in partes existentes diuisibile est 474
Qui tollit proprietates, tollit naturam 136
Quicquam ne in Deo sit, quod Deus non sit 388
Quicquid alicui simile est, an eidem respectu diuerso dissimile queat esse 335
Quid vere implicare contradictionem dicatur 135
Quod ex hypothesi necessario agit, hoc hypothesi sublata contingenter agit 131
Quod implicat contradictionem, possibile non est modo vllo 136.137
Quod semel interiit, idem naturaliter renasci nequit 555
Quodlibet est aut non est 136. 157. 206 207

R.

Ratio contrariorum eadem est 339

Receptio vtrum species actionis aut passionis sit 541
Receptiuum non recipit per modum imprimentis, sed per modum receptiuitatis 542
Rectum & seipsum & curuum prodit 340
Regressus à priuatione ad habitum an detur 576
Relata num simul natura sint 567. 569
Relata omnia num inter se reciprocentur, & quomodo 566 *omnia num sint generis eiusdem* 566
Relatio alia sensilis, alia insensilis est 564 *alia num realis, alia rationis sit* 561 *conditiones essentiales quas habeat* 566 *imperfecta relatio per accidens appellatur* 563 *inter signum & signatum quæ sit* 303 *num ens, cui inest, alteret, in eoque compositionem faciat* 565 *num ens, & in quo genere entis sit* 557 *an per se insensilis sit* 564 *an reipsa à subiecto, salua ipsius essentia separari possit* 564 *quid sit* 556. 558 *quot ad naturam sui tum constituendam tum cognoscendum requirat* 558 *quotuplex sit* 536 *quotuplex habeat fundamentum* 561
Relatio realis & rationis quomodo definienda sit 561
Relatio sine fundamento aliquibus recte umbra mera nec non titulus inanis est 561
Relationes an entibus quibus insunt, aliquod esse dent 565
Res aliæ vniuersales sunt, aliæ singulares 38
Res an plures sint quam verba 319
Res contingentes & necessariæ num recte per Zabarellam definitæ sint 133 *contingentis & necessariæ quid Aristotel. lib. Ethic. VI. sint* 134 *in quantum natura quædam sunt, malæ esse non possunt* 180 *vnaquæque de bonitate habet tantum quantum habet de esse* 184 *res vnaquæque num propter operationem suam sit* 539 *vnde habet vt sit, inde habet etiam vt operetur* 201
Resistentia num species actionis sit 542

S.

Scientia Dei num variabilis sit 402 *quot modis vsurpetur* 5
Schema duobus exemplis ostendens, quæ quomodo in Metaphysica considerari soleant 11
Signa an eadem sint apud gentes omnes 307
Signa signati vnius an varia esse possint 308
Signata num sine signis cognosci queant 308 *signi vnius an plura sint* 308

Signatum an vere proprieque vllatenus in signo esse possit, deque eodem prædicari 305
Signare siue significare quid sit 303
Significare num signi solius proprium sit 321
Significationis æternitatis 54
Signum an omne notificans sit 307 *an omne sit ens externum* 321
Signum arbitrarium 299
Signum cui aliquid actu significet 303
Signum est, quod seipsum sensui, & præter se aliud animo ostendit 303
Signum & argumentum an idem sint 320
Signum & signatum an semper habeant inter sese analogiam 306 *an semper vna sint* 304
Signum in genere 298 302 303
Signum naturale 298 *non est ens absolutum, sed respectiuum; non incomplexum, sed complexum* 302
Signum verbale 300
Signum vnde vim signandi habeat 303
Similia num eadem recte dicantur 334
Simplex quotupliciter dicatur 75
Simplicitas in genere quid sit 76
Spatium an species sit quantitatis extensiua 506
Spatium mathematice consideratum quid 507
Species durationis an diuersæ sint 52
Species & genus in quo conueniunt differantve 329
Species existentiæ diuersæ num dentur 49
Species vnitatis diuersæ è modis vnius diuersa colliguntur 88
Spiritus an à corpore pati possit 477
Spiritus homonymum est 422
Subiectum 272 *an natura adiuncto suo prius sit* 276
Subiectum artium quotuplex sit 297
Subiectum & adiunctum an in species legitimas verasque distribui possint 278 *an se mutuo tollant & ponant* 277 *relata sunt* 275 *in genere quid sit* 275. 276
Subiectum Metaphysicæ proprium nec non adæquatum quod sit 6.7.8.10
Subiectum omnis entis rationis quodnam sit 35
Subiectum proprii negatur, de quocumque proprium negatur 289
Subiectum recipiens aliud adhærentia, aliud inhærentia est 296
Subsistentia num ab existentia discrepet 49
Substantia 2 *an alia incompleta sit, alia completa* 354

Substantia an è non substantia fieri possit 357 *an eadem numero manens contrariorum capax sit* 364 *an natura prior sit accidente* 359 *an idem sit quod suppositum* 355 *an magis & minus recipiat* 363 *an vna per se à substantiis duabus in actu perfecto fieri possit* 358 *Aristot. ens αὐθυπόστατον est* 490 *corporea num virtute creatura vllius in substantiam non corpoream conuerti queant* 476 *creata an vlla aliquid creare vel annihilare possit* 548 *creata generaliter accepta qua habeat accidentia* 4.9. 420 *creata num in spiritum & corpus recte distribuatur* 421 *creata quo modo definienda sit* 420

Substantia in genere quid 346 350. *increata* 365. *num quid sibi contrarium habeat* 363 364 *num recte dicatur esse in subiecto* 295 *num sola subiectum recipiens sit accidentium* 294 *an accidentium capax sit* 361 *an incommunicabilis sit* 365 *an res singularis sit* 351 *an per se subsistat* 360

Substantia omnis creata, incorporea an immediate à Deo ex nihilo producatur 423

Substantia omnis creata, incorporea an magnitudinis & partium expers sit 425 *an materia & forma expers sit* 423 *an per se insensilis, in loco sit, & quo modo* 426. 427 *an aliam vel eiusdem, vel diuersa speciei generare possit* 427 *vna an arte magica in aliã transmutari queat* 553 *vndenam dicta videatur* 295 *vniuersalis an singulari præstantior sit* 353. 354 *vniuersalis an vere insit substantia singulari, & quo modo* 353

Suppositum num latius pateat quam persona 355

T.

Tempus ab æternitate absoluta quo modo differat 61

Tempus & locus an species quantitatis extensiua sint 507

Tempus in genere quid sit 60

Tempus imaginarium an detur; & à reali quomodo differat 64. 65

Tempus intrinsecum quomodo ab extrinseco differat 64

Tempus numero idem intrinsecum, an entibus omnibus creatis insit 62 *nunquid à Deo possit produci* 62 *præteritum num recte irreuocabile & irrecuperabile dicatur* 93 *quotuplex sit* 61

Tenebræ quid Mosi Gen.cap.1. sint 575
Totum 312 *an aliud aliquid sit præter partes eius* 325 *an essentialiter à partibus suis, siue coniunctim, siue diuisim sumptis, differat* 324 *an statim ponatur, positis partibus eius omnibus, & econtra statim tollatur, cum partes eius tolluntur* 326 *in genere quid quotuplexque sit* 322 *manet est qualibet eius parte* 207 *an diuisibile sit in partes* 327 *per se num rectè in essentiale, integrale & vniuersale diuidatur* 328
Tractatio generalis de ordine pertinet ad Metaphysicam 343
Tractatio generalis de verbis aut vocabulis an ad Metaphysicam pertineat 308
Transmutatio alia vera, alia falsa est 555 *substantialis an motus compositus sit* 550
Transsubstantiatio Pontificia quid sit 551. 553
Trinitas personarum diuinarum an per rationem naturalem cognosci possit 383
Turpe quoduis fugiendũ 207

V.

Vbiquitas monstrosa 291
Velle Dei num eius esse sit 404
Verba num vi quadam prædita sint naturali immutandi & alterandi res, adeoque efficiendi aliquid siue bonum, siue malum 311 *& c vsitata sunt vsurpanda* 319
Verbum accedat ad elementum, & fit sacramentum 302
Veritas 142
Veritas alia rerum est, alia cõceptuum 149 *an alia Philosophica, alia Theologica sit* 150 *an enti primo in gradu perfectionis summo insit* 153 *an enti tam incomplexo quam complexo insit* 147 *an entis attributum reale sit & absolutum, ab eoque realiter distinctum* 146 *an inuicta perpetuaque sit* 152 *an rectè dicatur simplex* 160 *an semper vno eodemque modo vsurpetur* 143 *an triplex* 144 *in genere quid* 145 *legitime definita* 146
Veritas orationis non est causa veritatis rei 152 *quotuplex sit* 148 *rei causa est veritatis quæ est in oratione* 152 *rei cuiusque talis est, qualis est res ipsa* 147 *varie distributa* 148 *vndenam difficulter cognoscatur* 160
Vis ad res alterandas & mutandas quantitati num aliqua sit 512
Vis relationis an nulla sit 564
Vita num Deo propriè & quo modo tribuatur 410
Vnitas 83 *an attributum sit entis positiuum* 85 *an numerus sit* 509 *an principium primum sit, & prima mul-*

multitudinis omnis mensura 91 *an conseruet* 91 *in genere quid* 86 *an in rebus creatis ab vnitate prima oriatur* 92 *quotuplex sit* 87

Vniuersalia quomodo vulgo diuidi soleant 41

Vnum & multa opponiuntur aduerse, non priuatiue 94

Vnum non omne est ens 94 *varijs modis vsurpatur* 87

Vnumquodq; eorum, quorum est opus aut operatio, est operis aut operationis gratia 539 *est ita, vt verum est* 147

Vnumquodq; num secundum modum dantis, an vero secundum modum recipientis recipiatur 541

Vnumquodq; quantum habet de esse, tantum habet de bonitate 184

Vnumquodq; quantum habet de esse tantum habet etiam de veritate 147

Vocabula ambigua an in numero vocum significantium habenda sint 319

Vocabula siue signa num arbitraria vel naturalia sint 309

Vocabulum formæ *æquiuocum est* 264. Habitus *excutitur* 557

Voluntas Dei num mutabilis sit 408

Voluntas Dei num realiter ab essentia illius differat 403 *Dei num rebus volitis necessitatem imponat* 409 *in Deo num sit* 403

Voluntas quotupliciter sumatur 403

Vox bona est, quæ vsitatissima est, perinde vt via bona est, quæ tritissima est 319

Vox prolata & scripta quo modo differant inter se 318

Vox veritatis. Vide *Veritas.*

FINIS.

RODOLPHI GOCLENII

IN M. CLEMENTIS TIMPLERI METAPHYSICAM.

PRÆFATIO.

PRINCIPIO eximenda est hæc opinio quibusdam, in quam adducti sunt, *Nullam videlicet esse primam Philosophiam, vel superuacaneam, vel eam prorsus nihil differre à Logica;* Aiunt enim, *in Logica docetur de Causa, Effecto, Toto, Parte, quorsum igitur attinet de iis præcipi in Metaphysicis?* Verum vos ita habetote: Metaphysicam & Logicam differre, primum genere proximo. Logica enim est ars instrumentalis, seu ποιητική, id est, fabricatrix; Metaphysica vero est scientia contemplatrix. 2, subiecto doctrinali: Logicæ subiectum est rectitudo rationis in inueniendo & disponendo. Metaphysicæ subiectum proprium seu adæquatum (vt inquit Zabarel.) est πᾶν τὸ νοητόν, h.e. omne intelligibile, seu quicquid nostra intellectione capi potest, vt inquit Scalig. 3, Fine: Logicæ finis est explicare τρόπον ἐπιστήμης καὶ παιδείας, vt loquitur Aristot. in Metaphys. id est, modum bene docendi, discendi, ratiocinandi: Sed diuinæ scientiæ finis est, explicare πᾶν νοητὸν sub conceptu communiore. Ex his intelligitur, doctrinam Causarum, Totius, Partium, Similium, Dissimilium, alio modo considerationis esse Logicæ, alio Metaphysicæ. Metaphysicæ quidem, quatenus attributa sunt entium; vel species entium; Logicæ vero quatenus sunt argumenta seu notiones. Logicus considerat argumentum vt conceptum mentis: At Metaphysicus vt est RES. Si igitur libere mihi loquendum est, & si præcise seruanda est lex Homogeneias, quæ vetat transilire ex alio genere in aliud, aio omnes Logicos errasse in eo, qui in Logica sua tales causarum definitiones afferunt, quæ non conueniunt causis, quatenus sunt Species argumenti, nempe generis illius technologici à se constituti, sed quatenus sunt causæ & attributa Entium. Aliud enim est considerare causam; quatenus est causa, aliud quate-

Metaphysica & Logica differunt.
I. Genere proximo,
II. Subiecto,
III. Fine.

nus est species argumenti; cum ratio essentialis causæ, quatenus est causa, consistat in causalitate; in argumentatione vero quatenus est argumentum, vt longe sit aliud causare, aliud arguere, id est, declarare vel probare aliquid. Dicam clarius: *Logica est ars rationalis, non ἐπιστήμης*, quæ est πραγμάτων, non igitur definit entia realia, causam & effectum Logicus, qua Logicus, sed qua primus Philosophus. Quid igitur definit? Entia rationis. *Argumentum causa, effecti*, &c. Quare necesse est vt detur scientia aliqua, quæ proprie causam & effectum definiat; seu Philosophia prima. Grammatica, quæ etiam est de secundis notionibus, definit vocem vt secundam notionem. Vox est, qua vnumquodque vocatur. Itaque non subiicit definitioni hominem, sed nomen. Grammatica non docet significationes, sed adsignificationes, vt Casus, Genera: Sic Logica est non πραγμάτων, seu νοημάτων δευτέρων, id est, notionum secundarum. Profecto sine distinctione Metaphysicæ & Logicæ, grauissima disputatio inter Thomæ & Scoti asseclas, inter Scalig. & Schegk. & alios de vniuersalibus, explicari non potest, vbi vna pars vult, *vniuersalia esse realia entia*, altera *esse entia Rationis*. Nam genus quatenus est notio secunda καθόλου, est νόημα logicum, quo significatur natura communis: quatenus vero ens, est res vniuersalis, seu natura vniuersalis. Genus qua res Logica est, est notio secunda, seu νόημα, quo significatur res communis, sed genus, qua res Metaphysica, seu primæ Philosophiæ est, est notio prima, seu res vniuersalis. Prima autem Philosophia est scientia omnium intelligibilium sub ratione vniuersalium. Descriptio est è genere & subiecto adæquato. Res considerata, est omne νοητόν. Νοητὸν est, quod intellectione nostra capi potest, Latine intelligibile. Modus considerandi quatenus absolute & sub communi conceptu comprehendi potest, itaque abstractiue secretiueque.

Logica quid?

Prima Philosophia quid.

Νοητόν.

Doctrina de Abstractione.

1. PHilosophum oportet esse διακριτικόν, id est, discretiuum, & χωριστικόν, id est, abstractiuum, habereque notitiam indubitatam, vt sinceram secretamque rei οὐσίαν habere possit. Itaque integram doctrinam abstractionis colligemus.

2. Quia

2. Quia autem è nominis explicatione in cognitionem rei deueniri solet, de illo primum aliquid attingamus.

3. Abstractio Græce est ἀφαίρεσις, χωρισμὸς separatio: quamuis ἀφαίρεσις, ablatio, vel detractio χώρισις separatio seu secretio proprie vertatur, à qua differt discretio; hæc enim nihil aliud est, quam distinctio. *Abstractio quid.*

4. Quod si generalis vocis vsus spectetur, abstractio est vnius ab altero quomodolibet facta separatio, ita vt relicto vno accipi possit alterum.

5. Hæc requirit antegressionem distinctionis, id est, vt aliquid ab aliquo abstrahas; vt aliquid sumas non sumpto alio, necesse est, vt vnum ab alio distinguas: aliud est igitur distinctio, aliud abstractio. Abstractio igitur distincta à se inuicem separat.

6. Abstractio aut est rei, aut nominis.

7. Abstractio rei est Realis vel Rationis: barbare *mentalis*.

Abstractio seu separatio realis est, qua quicquam ab aliquo ita separatur, vt separatum etiam possit existere & permanere, i. e. vt habeat separatam existentiam & naturam. Hæc abstractio aut est propria magis aut minus propria. Propria est eorum, quæ aliquando fuerunt coniuncta. Impropria est eorum, quæ nunquam fuerunt coniuncta actu, imo etiam eorum, quæ nunquam coniungi potuerunt. Exempli causa: Animus humanus dicitur χωριστὸς, separabilis, ab Aristotele, eo quod à corpore hominis per mortem separetur; itaque de hominis morte vera est descriptio: *Mors est separatio animæ à corpore*: & sic Aristoteli dicuntur χωριστὰ, i. e *separata*, seu *abstracta*, ἢ χωριζόμενα, substantiæ expertes materiæ, quæ sua natura à materia ita separatæ sunt, vt neque cum materia coniunctè concreteque considerari possint. Hæc autem dicuntur *realiter abstracta*, quia separata & solitaria in natura subsistunt: quæ enim separata non permanent, vt animus bouis & eius corpus, illa hoc sensu non tam abstrahi, quam interire dicuntur. Sic formæ materiales, id est, quæ sunt immersæ in materia & ab ea dependent, sicut etiam omnia accidētia quæ sine subiecto subsistere nequeunt, à materia & subiecto non separantur, (proprie loquendo) sed ab ea intereunt & abolentur. *Abstractio realis.* *Abstractio Propria & Impropria.*

Abstractio rationis. Rationis, seu intellectionis abstractio generalis, est consideratio vnius sine consideratione alterius coniuncti. Est igitur *abstrahere* (*Abstrahere quid.*) nihil aliud, quam animo concipere & intelligere vnũ, vt non simul intelligatur alterum, etsi hoc ipsum, quod cum altero consideratur, ab eodem non sit seiunctum. Estque duplex abstractio hæc: vna positiua, altera non positiua. *Abstractio positiua.* Positiua est, quæ fit cum positione contrarii. Sic subiectum considerari potest sine accidentibus communibus, quæ essentiam rei non necessario comitantur. Exempli causa: Nigrum quidem inseparabiliter coruo & Æthiopi, & quidem re ipsa accidit, vt accidens commune, sed tamen & coruus & Æthiops albus præter subiecti corruptionẽ intelligi potest.

Nõ positiua. Non positiua est, quæ fit absque positione contrarii: hanc quidem vocant *abstractionem præcisionis.* Exempli causa: Sic à subiectis suis abstrahi dicuntur accidentia propria & natiua, cum nimirum ita considerantur subiecta, vt nulla in iis habeatur ratio tegumentorum & inhærentium, vt loquar cum Scalig. id est, accidentium. *Obiectio.* Potest enim essentia alicuius rei ἐπινοίᾳ comprehendi, vt maxime non simul concipiantur accidentia propria. *Responsio.* Itaque quod Zabarell. ait: *Accidens proprium, neque re, neque mente, posse separari à suo subiecto*; id verum est de abstractione, qua ponuntur contraria: Cum enim formam seu essentiam rei necessario comitetur proprium, sine terminorum repugnantia imaginari non potes rem proprio suo denudatam, & contrario affectam. Exempli causa: Potest homo considerari sine docilitate & aptitudine ad ridendum, non tamen vt ineptus ad ridendum, aut non docilis potest considerari. Potest considerari corpus non habita ratione localitatis, non tamen vt negetur locale. Ex his intelligitur istud Scalig. ex Aristotele sumptum: *Possumus intelligere seruum non considerato homine*, id est, abstrahere accidens à subiecto, quia essentia eius est alia ab essentia subiecti. *Abstractio generalis.* Porro abstractio mentalis est vel Generalis vel Specialis. Generalis est, quæ rem abstrahit à materia indiuidua, & vniuersalia & generalia explicat. hæc dicitur à Petro Ramo *Logica*, eo quod omnes disciplinæ ἀφαιρέσει τῶν καθόλου à singulari sint fabricatæ. Est itaque communis omnium disciplinarum. Exempli causa: Physiologus non agit de natura huius vel

ius vel illius hominis aut canis, sed de natura hominis & canis. Medicus non docet quid huic vel illi conueniat ægroto, sed quid ægroto. Geometra non definit quadratum aut schema in hoc vel illo corpore, sed omnes & singuli tractant de genere vniuerso; de natura Physicus, de schemate quadrato Geometra, ita vt axiomata de singulis fiant vniuersalia: hæc autem in singularibus dicuntur abstrahi cum apprehenduntur & considerantur non apprehensis & consideratis vllis particularium differentiis. An non, inquis, hæc vera sunt? sed quid fiet Astronomiæ, an non illa agit de singularibus, Sole, Luna, Mercurio? &c. An non & Physicus tractat de mundo vnico? Hæc Talei & Rami obiectio est. *Obiectio.*

Respondent quidam, *excipi in Theologia Deum*, in naturali scientia Mundum, Lunam, &c. Quæ res sunt vere & proprie singulares, & tamen præcepta de iis sunt vniuerse vera. Deambulatores nostri respondent mundum, cœlum, &c. considerari à naturali sub conceptu generali, non hoc Cœlum, non hunc Mundum, non hunc Solem, sed Cœlum, Mundum, Solem, eamque solutionem afferunt ex ipso Aristotele, qui distinguit inter Cœlum, & hoc Cœlum. Materia non est sine forma, nec forma sine materia, & tamen hæc sine illa, & illa sine hac considerari potest. Sic in igni semper coniuncta sunt calor ac leuitas ac raritas: in luce est vis calorifica & illuminatrix, & tamen hæc abstracte à se inuicem considerantur. *Responsio.*

Abstractio specialis est, qua abstrahitur res à materia naturali tam singulari, quam vniuersali: hæc igitur potest dici *omnimoda*. Talis ἀφαίρεσις est propria Mathematicæ; itaque eius subiectum est ens ἐξ ἀφαιρέσεως, i. e. positum in abstractione: Nam Mathematicus abstrahit quantitatem & à materia sensili, & à motu materiam sensilem, vt proprium πάθος in sequente: quare etsi à corpore Physico quantitas κατὰ πρᾶγμα, id est, reuera separari non possit, in Mathesi tamen κατὰ λόγον, id est, mente, ratione, conceptione mentis abstrahitur, & abstracta consideratur, sine consideratione corporis Physici. Sicut enim cera non trahit materiam, sed formam tantum à sigillo impressam: sic Mathematicus, cum in corpore naturali videt quadratum, eius formam nudam *Abstractio specialis quid?*

animo comprehendit, omissa materia seu subiecto in quo est. Sic abstrahimus miliare a terra dicentes; *hoc miliare quidem longum est, sed non latum*; ergo longitudinem illam separamus a terra. Abstrahit quidem Physicus formas naturales, cum vult considerare puras essentias; at non tantum a materia in vniuersum, sed tantum à materia indiuidua: itaque res Physicæ dicuntur ex concretione, quæ sine respectu ad materiam nec concipi nec definiri potest. Περί γνώσεως ergo Physica est nihil aliud, quam consideratio & perceptio formæ cum materia sensili. Ex his ingeniosus adolescens conciliare potest locos duos ex Aristotele, qui videntur inter se pugnare. Vtrumque est philosophi, conceptioni mentis πασῶν ἄτοπον, &c. *abstrahentium non est mendacium*: posterius dictum intelligitur de abstractione mentali abstrahentium, id est, vnam rem sine alia considerantium, non est mendacium, vt: Cum humanitatem Christi secundum se considerare, li et ea sit reuera in persona verbi, seu reipsa extra vnionem non existat, nec separata sit ab hypostasi Christi. Prius vero dictum attinet ad Physicum, qui, si formas suas sine materia sensibili definire aggrediatur, falsa decipietur cogitatione, sunt enim res Physicæ, vt simum; Mathematicæ vero, vt cauum. Simum consideratur quidem sine hoc vel illo naso; at non absolute citra nasum; quippe cuius sit quædam affectio. Cauum vero vel curuum per se etiam citra prostasin materiæ sensilis seu definiti subiecti percipi potest.

Hactenus de *abstractione rei*, sequitur de *abstractione nominis*, cui opponitur concretiuum.

Abstractum quid. Abstractum est nomen, quo nuda species seu forma per se consideratur; habet igitur significandi modum simplicem; nempe quia significat formam seiunctam à materia cogitationis.

Concretum quid. Concretum autem significat subiectum cum forma, itaque significandi modum habet compositum, id est, notat & connotat, significat & consignificat. Sic per ἀναλογίαν naturæ in Christo per se consideratæ, dicuntur abstractæ, persona concretum; vbi abstractum de singulis partibus, concretum de toto complexo intelligitur. Hic etiam nomina concretiua à naturis denominata, vt ho-

vt homo ab humanitate, & Deus à deitate, cum in prædicationibus de Christo subiiciuntur, duo simul habent significata, vnum formale, alterum materiale; quorum priore natura ipsa, altero persona notatur, quæ eam habet naturam à qua denominata est: at nomina abstractiua solam naturam & proprietatem, quæ inest Christo, significant. Hinc iam iudicari potest de quæstione agitata inter D. Bezam & Iacobum Andreæ: *Homo sitne abstractum an concretum.* Affirmabat Iacobus, negabat Beza. Argumentum Bezæ erat: *Homo non significat formam cogitatione seiunctam à materia; ergo non est abstractum, sed concretum, humanitas autem seu caro est abstractum, id est, homo est persona, igitur est concretum:* Iacobus sic obratiocinabatur: *Species est indiuidui forma, seu imago abstracta per mentem ab indiuiduis, homo est species. Ergo homo est abstractum, id est forma quadam ab hoc homine abstracta, sic vt humanitas est abstracta forma ab hac humanitate.*

Dimicatio hæc extitit ex confusione nominis & rei; vnus quæsiuit de cæpis, alter respondit de aliis, quod vetus prouerbium est. Quæstio erat in prædicationibus de filio Dei incarnato, quæ voces essent abstractiuæ, quæ concretiuæ? respondit Beza, *Carnem, humanitatem, deitatem esse abstracta, Deum vero & hominem concreta.* Aduersarius contraiuit, *hominem esse ideam, seu formam communem abstractam per mentem ab indiuiduis, quæ forma extra mentem nihil est:* quod erat extra quæstionem hanc theologicam, in qua ita loqui solemus; *Proprietates vni naturæ conuenientes tribuuntur personæ in concreto*, id est, vocabulo concretiuo. In abstracto licet dicere, *Caro Christi est viuifica*, id est, per vocabulum abstractiuum. Vnde & apparet error illorum, qui abstractum hic interpretantur pro eo quod est extra vnionem, & concretum quod est in vnione, vt, cum dicunt, *Caro Christi non est viuifica in abstracto*, id est, extra vnionem, sed in concreto, id est, in vnione. Talis confusio est etiam, cum ita infertur: cum pono vulpem pro Herode; *vulpes* est vox metaphorica, ergo Herodes est vulpes metaphorica.

Hactenus de Abstractione Goclenius.

AD CAP. II. SCHOL. GOCL.

Intelligibile quid. Intelligibile est Ens, Græce τὸ ὄν, vel *non Ens*, μὴ ὄν, nihil enim est quod simul sit & non sit, nihil ipsum & non ipsum esse potest. Hoc est primum lumen intellectus nostri, quod discrimina rerum percipiuntur, quo extincto, non modo nihil verum, sed ne νοητὸν quidem esset. Discedo hic à doctissimo Timplero, qui νοητὸν diuidit in *nihil* & aliquid. Profecto affirmatio est mensura negationis, vt inquiunt omnes Philosophi, quemadmodum rectum est mensura obliqui; prior ergo est affirmatio, quam negatio. Itaque aliquid prius est nihilo. & nihil intelligentia, & explicatio pendet ab intelligentia & explicatione alicuius. Illius doctrina est primaria; huius, secundaria: ordo igitur doctrinæ postulat, vt tractetur de nihilo post aliquid.

AD CAP. III. NOTÆ GOCLEN.

Ens quid. ENs *est, quod suam sibi habet essentiam; omne namque ens habet sibi suam essentiam.*

SCHOLION.

Hoc adeo verum est, vt etiam fictorum sit essentia sua, scilicet imaginaria. *Canis*, inquit Scaliger, *picti essentia est, pictum hoc esse.* Sed audiamus syllogismi artificem; *Quale est ens, talis est essentia. Ens est reale vel imaginarium, ergo essentia etiam est realis vel imaginaria.*

Estque aliquid positiuum seu affirmatum, quod quid ponit seu affirmat.

SCHOLIA.

Per affirmatum ne intelligas κατάφασιν, id est, propositionem affirmatiuam, sed φάσιν. at φάσις est res affirmata extra intellectum, seu φάσις est simplex notio formæ.

Essentia Græce οὐσία, est id, quod quidque est; hæc definitio est doctissimi Zanchii & Scaligeri; i. e est quo quid est ens & aliud ab aliis ens, i. e. positiuum aliquid. Eodem sensu dicitur quidditas & entitas. Vt materiæ sua est essētia, qua est aliquid & aliud ab aliis, vt à forma; habet enim differentiam per quam est materia, & forma non est; materiæ aūt primæ est essentia absoluta, inquit Scal. & idem, Materia prima est id quod habet proportionē differentiæ, diciturque differentia in constitutione specierum.

Porro

Porro quidditas in ente perfecto dicitur actus; actus enim est entis perfectio, vt hominis essentia est actus, quo quis homo est, & aliud à bruto; Græce, ἐντελέχεια. Dicitur autem actus, quia eo potest res agere, id est, res per actum habet potentiam actiuam. *Ens permanens* Scal. in exer. vocat, *Ens statarium*, vt calor. *Ens successiuum*, vt calefactio.

Ad Cap. IV. Notæ Gocl.

Attributa entis sunt simplicia vel coniuncta. Simplicia sunt, quæ enti conueniunt sine disiunctione oppositorum.

Scholion.

Sic potentia ridendi est proprium hominis simplex, at par & impar sunt numeri propria disiuncta. Simplicia sunt existentia & duratio.

Existentia est actus quo ens existit; hæc naturæ ordine est posterior essentia, à qua pendet, vt effectum à causa. Itaque plura requiruntur ad existentiam rei tribuendam, quam ad essentiam rei constituendam. Zabar. 2. Phys. vt ad existentiam hominis requiruntur proprietates ipsius essentiales, vt & ad existentiam ignis calor; sine illis enim homo & ignis existere nequeunt. Ad essentiam hominis tamen constituendam non pertinent: nam essentiam propriam habet quælibet ipsa. Intelligendum autem est axioma de existentia entis in creaturis. Nam in Deo non differunt existentia & essentia. Existentiæ subiicitur præexistentia & coexistentia. Coexistentia est Græcis συνυπαρξία, præexistentia Græcis est προϋπαρξία, sic Scalig. *Materia praexistit ac praparatur ad recipiendam formam, forma vero aduenit in generatione.* Existentia nonnunquam dicitur *subsistentia*, vt substantia existit vel subsistit. Sed peculiari vsu subsistentia est actus, quo singulare subsistit, vt Petrus: itaq; sic est species existentiæ: huic postea subiicitur *personalis subsistentia*, de qua Theologia in doctrina de vnione hypostatica duarum naturarum in Christo, quæ est intima copulatio, in qua natura assumpta ordinem dependentiæ τοῦ λόγου internæ habet vt in eo subsistat, seu sit ἐνυπόστατος.

AD. PROBL. X. CAP. IV. ROD. GOCL. SCHOL.

CONCILIATIONES THESIVM ET ANtithesium quarundam,

De essentia & existentia.

I.

THESIS. *Nunquam est essentia sine existentia.* Perer. libro 6. Phys. de forma.

ANT. Non est necessaria connexio quidditatis cum sua existentia. Perer. de causis lib. 8. c. 13. *Essentia non potest esse sine existentia.* Thom. Aquin. de Ente.

Concilia.

1. Nunquam essentia est ACTV, SEV REIPSA sine existentia.

2. Essentia potest esse IN INTELLECTV sine existentia: Id est, potest essentia concipi ab intellectu absque conceptione, seu ἐπινοίᾳ, an existat necne: vt, essentia rosæ in hyeme non habet existentiam, quam habet in vere.

II.

TH. *Existentia est tantum substantiarum completarum seu absolutarum.*

ANT. Accidentium seu entium in alio, & ad aliud etiam est existentia.

Concil. 1. Existentia COMPLETA est tantum substantiarum completarum (vt hominis.) Huc refero etiam animam à corpore seiunctam.

2. Existentia etiam est accidentium, intellige, INCOMPLETA. Accidentia enim non existunt per se, sed inexistunt, seu inhærent, vel vere vel quasi.

Decl. vocis. Existentia est modus rei, quo res dicitur actu esse; estque perfecta & definita, vel potentialis. Item permanens (vt lapidis) vel successiua (vt temporis & motus) hoc est, quædam habent esse permanens, seu statarium, vt loquar cum Scalig. quædam habent esse successiuum & in fluxu: Illius exemplum, calor: huius, calefactio.

Effata. 1. *Nulla creatura ipsa omnino est suum esse.*

2. *Modus existentiæ sequitur modum essentiæ*; vt si essentia est perfecta, talis quoque erit existentia, vltimum rei complementum. F. Tol. *Materia, vt habet entitatem suam* ... *imper-*

 612

imperfectam: ita etiam habet suam existentiam imperfectam. Tunc autē perfectè est & existit, cum cōiuncta est formæ.

III.

Th. *Existentia conuenit singularibus & compositis.* Perer in phil. doct. loc. *Existentia semper coniuncta est cum rei singularitate.*	Ant. Existentia conuenit vniuersalib. & partib. *Idem.*

1. *Existentia singularium est & compositorum* Primo et per se. Ea enim per se existunt actu. Concil.

2. *Existentia est partium & vniuersalium, secundum quid & δευτέρως:* Quia vniuersale existit non per se, sed in singularib. & esse in loco definito, & sub tempore mutari, produci, non conuenit vniuersali, nisi, propter singularia, seu gratia indiuiduorum, non per se. Et totum compositum per se, generatur Philos. Nec forma nec materia per se, id est separatim existit. Materiæ existentia est cum alio: Et formæ existentia est cum alio. Nam materia non existit nisi cum forma, nec forma, nisi cum materia. Græcis hoc est, συνυπάρχειν & συνυπαρξία.

IV.

Th. *Existentia distinguitur ab ente & essentia.* Thomistæ.	Ant. Existentia non differt ab ente & essentia. Ens & existentia vnum sunt *Zabar.*

1. *Existentia differt ab ente* Ratione: *seu, essentia idem secundum rationem est cum sua existentia.* Concil.

2. *Ens & existentia vnum sunt* Realiter, *seu essentia idem secundū rem est cū sua existentia* Habēs enim quidditatē seu essentiā, est res existēs. *Et sublata existētia, res durare nequit,*

Zabar. lib. 1. de æterno motore, c. 7. *Existentia est accidens rei, sed non accidens aliquod reale à re distinctum.*

V.

Th. *Duratio rei distinguitur à rei existentia.*	Ant. Duratio rei non differt ab existentia rei formali. Declar.

1. *Duratio distinguitur secundum rationem formalem, seu definitionem.* Concil.

2. *Duratio non differt ab existentia secundum rem.* Ita idem fuerit dicere rem aliquam esse breuis aut longæ durationis, quod esse longæ aut breuis existentiæ. Declar.

Secundum rationem] Duratio enim est extensio seu mora ipsius existentiæ. Ratio vero existentiæ in eo consistit, vt res actu sit in mundo, seu vniuerso. Existentiæ causa est forma: seu, formæ vltimæ est existentiam actu

tribuere. Durationis & continuationis eius etiam aliæ sunt causæ: vt, bona dispositio materiæ; Remotio aduersorum, adiunctio amicorum & salutarium.

VI.

Ηæ ἀντιπάσεις non possunt referri ad locum Formæ, Concil.

TH. *Vnius rei vnum tantum esse est.* Scal.

ANT. Vna res potest habere plura esse. *Zabarell.*

1. *Vnius rei tantum est vnum esse Absolutum:* vt rerum quæ pertinent ad categoriam substantiæ, Quantitatis, *Qualitatis: Vel speciale,* seu εἰδοποιητικὸν (specificum) *συστατικὸν, συμπληρωτικόν.*

2. *Vnius rei possunt esse plura esse*, nempe vel Absolutum & respectiuum simul, vel generalia cum speciali. Limes enim habet essentiam seu entitatem absolutam, qua lapis; & relatiuam, qua limitans agros respicit. Eadem res, seu idem singulare potest esse & corpus, & mistum, & viuens, & animal, & homo.

DECLARATIVNCVLA.

Non aliud subsistens, est homo: &, aliud subsistens est pater aut consul. Humanitas enim in composito est essentia absoluta. Paternitas vero aut consulatus, essentia seu forma relatiua, seu σχετική, id est, respectiua. In Christo aliquid singulare est. In eo scilicet non sunt plura esse subsistentiæ; seu, non est multiplex esse hypostaticum. Ac in eodem vno & indiuiso sunt duæ οὐσίαι, quæ à Theologis φύσεις dicuntur.

SEV

TH. Ἡ ἑκάστου οὐσία τὸ ἅπαξ. *Cuiusque rei essentia semel duntaxat est id, quod esse dicitur.* Arist. in Metaphys.

ANT. Non cuiuslibet rei forma essentiaq; vna tantu[illegible] numero est; cum multarum rerum sint diuersæ rationes formales, *Philosophorum chorus.*

Concilia.

Quatenus absolute tantum consideratur res,

Quatenus res nunc absolute, nunc respectiue considератur.

Declaret.

Lapidi, qua lapis, sua forma & essentia est naturalis: Lapidi, qua limes, forma & essentia ab illa differens est ex hominum ordinatione & instituto. Actus, perfectio, essentia, forma essentialis, est Absoluta vel Respectiua, (σχετική.) Panis in cœna Domini, habet essentiam absolutam,

lutam; vt ens absolutum; ens respectiuum est, nempe substantia est; respectiua, vt sacramentum corporis Dominici, sec q ia adhæret ei relatio. Hic quæri potest: *An panis, lapis habeat duas formas substantiales.* Resp. propter diuersum modum considerationis habet duas formas essentiales quatenus vna est substantia incompleta, id est, forma substantialis: altera est accidens, id est, non substantia; esse sic de rei essentia & ratione. Notetur hic obiter discrimen formæ substantiæ, & formæ accidentis. Forma substantiæ, vt, lapidis, & essentia est & substantia incomplexa. Forma accidentis, vt Limitis, essentia est, non substantia. Essentia enim & substantiarum & Accidentium est: itaque substantiam transcendit.

CANON.

Vna eademque res potest habere duas essentias; vnam absolutam, alteram respectiuam. Itaq; & duas definitiones: Vnam secundum essentiam rei absolutam, alteram secundum essentiam respectiuam: vt, Locus Physicus secundum essentiam suam absolutam est terminus corporis continentis aliud corpus (vel corpus substratum alii corpori, &c. secundum σχετικὴν essentiam est receptaculum corporis physici locati.

Ἀλλως.

TH. *Vnius rei vnum est esse vnaque existentia, sicut vna res est:* Thomas, Soncinas, Durandus.	ANT. In vna re multæ repetiuntur existentiæ. *Pererius lib. 5. de materia.*

Conciliatio Pereriana *est:*

Vnius rei vna est existentia perfecta. Multæ imperfectæ quæ faciunt vnam perfectam; vt in vno composito naturalia sunt duæ substantiæ imperfectæ, è quibus conficitur tertia substantia, quæ est ipsius compositi completa & perfecta.

AD CAP. V. SCHOL. GOCL.

Duratio est permansio entis in existentia; seu est continuatio existentiæ, sicut vita est mansio animæ in corpore. Itaque ante se requirit existentiam.

Duratio est vel æternitas vel tempus. Æternitas, Græce αἰὼν, tempus, Græce χρόνος. Philosopho rei veritas est mensura sermonis, id est, *Vt res se habet, ita est*

veritas, id est, Philosophus recte imponit rebus nomina. Itaque tempus ab æternitate distinguit: sed alii æternitatem etiam dicunt tempus nempe æternum, infinitum, incircumscriptum, quos sequuntur oratores, vt Cic. Ram. sacræ literæ, hæ sunt locutiones populares, omne enim ens est vel æternum, *ἀΐδιον*, vel *χρονικὸν*, temporale.

Æternitas est duratio, à qua ens dicitur æternum. Aliter distingui non potest, propter vocis homonymiam.

Æternitas est vel propria seu absoluta, vel impropria seu *κατά τι*, id est, restricta.

Æternitas propria, est duratio absolute infinita & immutabilis Dei entis infiniti, quæ neque habet initium, neque medium, neque finem. Itaque non recipit mensuram, id est, est mensurabilis.

Coroll. Æternitas impropria, est duratio quodammodo infinita entis dependentis, id est, creaturarum. Sic vita nostra dicitur æterna *κατά τι*, cum habeat quidem principium, sed fine deficiatur. Sic Angeli dicuntur æterni, quia dicuntur viuere in æuo. Circularis motus cælestium, quatenus circularis, est æternus continuitate, non simpliciter. Scalig.

Tempus est duratio finita & mutabilis entis dependentis. Hinc hoc ens dicitur *χρονικὸν*, temporale & temporarium. Eius differentiæ, & quasi partes sunt, *præsens, præteritum* & *futurum*. Præsens dicitur etiam principium temporis, & momentum, copulans præteritum & futurum. Instans accipitur modo pro præsenti, vt apud Physicos multos: modo pro paulo post futuro, vt apud oratores. Plato in Timæo differentias & quasi partes temporis facit, *esse, fuisse, fore*. Futurum Schegkius in annotatis in commentario *περὶ ἑρμηνείας* aliud facit *ἐσόμενον*, aliud *μέλλον*. *μέλλοντα* sunt futura, siue certa, siue incerta; *ἐσόμενα* vero sunt futura, quæ certo eueniunt, vt resurrectio mortuorum, vniuersale iudicium. Caue confundas tempus cum ætate; nam ætas est subsistentia sub tempore, si vocabulum accipias laxe & generaliter; sed si specialiter, est dimensio vitæ variata secundum

conse-

concretionis mutationem, seu, est vniuersa vitæ duratio, seu vniuersus vitæ cursus, quo viuens est per naturam & conseruatur. Vnde intelligitur, ætatem esse in nobis, id est, esse adiunctum internum, tempus vero esse extra nos, id est, esse adiunctum externum, & aliud quid extra nostram existentiam. Diuisio in *tempus momentaneum & successiuum*, non placet. Sicut enim punctum non est linea, sed eius principium: sic etiam momentum non est tempus, sed temporis quasi vestigium seu punctum. Itaque Physici non dicunt, *generationem fieri in tempore momentaneo, sed in non tempore*, sic Scalig. *generatio impartibilis est & in non tempore fit.* Exerc. 23. Sectio 1. At enim, inquit, Scalig sibi contrarius videtur; nam exerc. 6. *Sectio* 14 dicit, generationem non nisi in tempore fieri. Respondeo ibi generationem à Scaligero opponi creationi, & per generationem intelligi non tantum ortum, sed etiam præuiam alterationem; id est, mutationem qualitatum, antequam forma inducitur in rem. Porro Scholastici generaliter accipientes tempus, diuidunt in internum & externum. Internum vocant, quod rebus ipsis interne inest, tanquam adiunctum suo subiecto inhærens. Externum vero, quod est externa circumstantia, seu ἀδίσασις motus, vel ipsius rei, cui adhibetur, vt mensura mensurato, vnde Peripatetici aiunt, *tempus esse motus mensuram, Tempus mensurare motum.* Sed tempus externum maxime proprie dictum tempus est, id est, duratio successiue externa, metiens rei motum vel permanentiam: tale est cæleste, vel ab hoc pendens.

Cæleste est, cum motum vel statum rei metimur motu cælesti. Hæc mensura est perfecta & constans. Ab hoc dependens est, cum quid motu horologii metimur: hunc motum assumimus vt mensuratum per motum cælestem, & hæc mensura est imperfecta & inconstans, mensura quidem est durationis, sed in virtute cæli. Species temporis, vt hora, dies, mensis non pertinent ad hunc locum, id est, ad primum Philosophum, sed ad Astronomum, quia prima Philosophia non descendit ad aliquam certam speciem Entis.

Ad extremum hic monendi sunt adolescentes ma-

gnam esse cognationem temporis cum magnitudine. Itaque tempus dicitur longum vel breue. Habet item cum loco aliquid affinitatis. Quare Philosophi hac vtuntur comparatione, vt locus est *(vbi)* continuatum, vt linea est punctum fluens in locum: Sic tempus est *(nunc)* fluens. vide Scalig. exerc. 352. sect. 2.

AD CAP. I. LIB. II. METAPHYS.
R. GOCL. SCHOLIA.

HACTENVS EGIMVS DE ATTRIbutis simplicibus, nunc sequuntur coniuncta.

Coniuncta sunt è contrariis composita. Huius generis multæ sunt classes. Prima classis, Ens aut est Reale aut Rationis.

Reale est, quod reipsa etiam citra mentis operationem existere aptum est: siue sit primum, quod ex sese est, Scholastici vocant *independens:* siue sit *à primo ortum*, id est, quod à primo τὸ εἶναι καὶ ὑπάρχειν habet, id est, esse & existere; Scholastici vocant *dependens*, & *Ens per participationem*.

Ens rationis est, cuius esse est à sola mentis cogitatione. Sic loquuntur Aristotelici: *Res omnis aut est extra, aut intra intellectum*; sed hac distinctione non intelligunt principaliter hanc distinctionem in reale & rationis, sed tantum secundario & consequenter: propriè enim & primario eis res extra intellectum est ens singulare, res intra intellectum est Ens vniuersale: illud vocant νοητόν Ens rationis barbari vocant *Ens mentale*, quia mens est huius Entis architecta, vt loquar cum Scaligero. Diligenter hic notandum est, Ens rationis dici tripliciter: primo, *subiectiue*, secundo, *obiectiue*, tertio, *effectiue*. Primum ens rationis dicitur quod inest in animo vt accidens in subiecto recipiente; sic species lapidis, quæ est in tua anima, est ens rationis. Secundo, omne Ens, in quo ratio exercetur & occupatur, id est, quicquid est obiectum rationis. Sic omne νοητόν, id est, quod sub intellectum cadit seu intellectui subiicitur, est ens rationis. Tertio accipitur vel generaliter vel specialiter

cialiter. Generaliter, pro omni ente quod à ratione fabricatur. Sic domus, culter & similia arte facta dicuntur *Entia rationis*. Specialiter pro omni ente, quod a ratione fingitur ad modum Entis realis, ita vt citra intellectus cogitationem nihil sit; ita hoc loco accipitur. Tale ens est regia Solis domus, quæ describitur apud Ouidium. Item ignis purgatorius:

Secunda classis, ens est absolutum vel respectiuum.

Absolutum est, quod nullam habet ad aliud σχέσιν, vt homo: Respectiuum est quod habet σχέσιν ad aliud, vt pater & similia relata.

Tertia classis. Ens autem est vniuersale aut singulare.

Vniuersale est, quod aptum est multis inesse propter essentiæ communicationem.

EXPLICATIVNCVLA.

Hæc definitio est Aristotelica, extat 1. libr. de ἑρμηνείας, c.7 & lib.7. Metaph. c.13. his verbis: καθόλου ἐστὶν ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε, id est, *vniuersale est, quod in multis existere aptum est.* itaque etiam de multis prædicari. Ad imitationem tanti Philosophi P. Ramus expressit suam definitionem argumenti, *quod ad arguendum aliquid affectum est*, itaq; valde inconsiderate hæc Rami definitio a scriptore quodam alioquin satis docto reprehenditur.

Ens singulare est, cuius essentia est indiuidua, aliisque incommunicabilis. Hoc maxime existit, vnde est axioma Peripateticum: *Nullum ens* καθόλου κεχωρισμένως, id est, *separatim extra singulare existit.* 7. Metaphys. cap.16. Itaque vt Schegk ait in annotatis in Prædicabilia Aristotelis, cum homo singularis perimitur, tum ille homo perimitur, & simul illud animal & hæc substantia. Peripatetici sic etiam dicunt: *Res quoad sunt, vel sunt* νοητὰ, id est, *intelligibiles*, vt τὰ καθόλου, vel αἰσθητὰ, id est, *sensiles*, vt τὰ καθ᾽ ἕκαστα. Sed hæc distinctio non est satis generalis; nam inueniuntur etiam singularia, quæ non cadunt sub sensum, vt Angelus Gabriel, Raphael, anima Lazari. Porro difficilis disputatio est, cum dico: *Rerum quædam sunt vniuersales, quædam singulares*, qualis sit diuisio? Respondeo, & subiecti in accidentia; esse enim vniuersale accidit rei per intellectum; esse singulare a re ipsa habet: res enim non habet esse vniuersale, nisi respectu intellectus; at esse singulare a rebus habet, & inde co-

gnoscit intellectus eam esse singularem, quando cum his & illis accidentibus consideratur singularibus.

Ens est actu vel potentia.
Ens actu est quod reipsa existit.

Ens potentia est, quod actu esse potest. Itaque Ens in potentia est aliquo modo ens & aliquo modo non ens, Scaliger exerc. 307. sectio. 24 Ens actu Scalig idem definit, *cui nihil causa potest euenire, quo sit hoc quod est*

Actu, inquit Scalig. *esse dicitur quod est extra suas causas*, i. e. quod non habet causam a qua futurum sit, sicut hyeme rosa, cuius esse est in sua planta, vel etiam in potestate rosarii. Porro actus est quasi forma, potentia est quasi materia, Scalig. exerc. 19. Etsi autem naturales essentiæ sint entia ἐνεργείᾳ, tamen dicuntur esse δυνάμει respectu suarum ἐνεργειῶν, id est, actionum & passionum, quæ sunt accidentia. Habet hæc distinctio vsum magnum in doctrina compositionis, vbi dicitur Deum non esse compositum aliquid ex actu & potentia, sed ens creatum. Omnis enim res creatitia primo actu est id quod est; deinde potest esse id quod non est, id est, compositum ex actu & potentia est: omne enim creatum est mutabile.

Ens est aut αὐτὸ ὄν, aut φαινόμενον ὄν, id est, ipsum Ens vel apparens. Sophistæ fucum pro veritate venditantes, φαινόμενον ὄν esse arbitrantur αὐτὸ ὄν, Alchymista, vt placet Iohanni Cratoni medico Cæsareo, Scaligero, Schegkio, certis quibusdam qualitatibus simile quiddam auro, apparens aurum, ipsum aurum esse existimat. Oculus in macello non est vere, sed hoc est formaliter, i. e. oculus apparenter.

Ens aut est permanens aut successiuum. Permanens Scalig. dicitur *statarium*, seu *constans*, Exerc. 19. Estque quod habet suas partes simul, vt homo, calor. *Successiuum*, dicitur alias *fluens*, quod tamen actu simul non est, vt Comœdia: sic motus est ens successiuum, item calefactio, dies, tempus, & ludus φαινομένως. Sic Philos. faciunt formas duplices, alias *fluentes* alias *consistentes*. *Fluentes*, quæ suum esse habent in γίνεσθαι, i. e. *fieri*, vt actiones, mo-

616

tiones, & omnia πάθη antequam fiant αἰσθήσεις. *Consistentes*, quæ habent suum esse ἐν τῷ γενέσθαι, in facto esse, vt ἕξις vel αἴσθησις, item vita. Nota hic ὁμώνυμον. Ens permanens interdum accipitur pro incorruptibili, quod habet principia suæ essentiæ incorruptibilia, id est, ens permanens interdum accipitur pro eo, cuius est perpetuatio. Porro ens permanens est nobilius ente fluente; calor est nobilior calefactione, sicut ens actu est nobilius ente potentia.

Ens est ἄϋλον vel ἔνυλον, id est, *materiatum* vel *immateriatum*. Immateriatum, quod est secretum à materia & subiecto. Materiatum, quod est concretum cum materia. Sic Philosophi faciunt alias formas ἀΰλους, id est, expertes materiæ, alias ἐνύλους, id est, immersas materiæ.

Ens aut est incomplexum aut complexum; Græce, ὂν ἄνευ συμπλοκῆς, ἢ ὂν κατὰ συμπλοκήν Incomplexum est quod per se vno ac simplici conceptu apprehendi potest. Talia ponuntur in prædicamentis. Complexum est, quod per se vno ac simplici conceptu non potest apprehendi, vt oratio aliqua; huc pertinet ens per accidens, seu ens aggregatum ex rebus diuersorum generum, vt homo risibilis, homo albus; aliud enim est esse albedinis, aliud esse hominis; ferrum ignitum, liberum arbitrium. Si placet, ex Scaligero his distinctionibus ista quoque addi potest: *Aliud est res, aliud modus rei.* Scalig. in exerc. 65. sect. 2. *vt modus, non vt quid.* Vide lib. 4. de causis Lat. linguæ, pag. 212. Hinc Canon est: *Negatio modi non tollit rem ipsam necessario.* Dico *non necessario*; quia aliquando tollit. aliquando non tollit: tollit, cum modus est essentialis: sic modus quantitatis est terminabilitas: non tollit, scilicet accidentalis. In transcursu breuiter hic explico quæstionem, *an in diuinis liceat quærere quomodo*? Qui præcise negant, fallunt & falluntur. Distinguendum enim est inter quomodo; vnum est diffidentiæ; hoc Quomodo prohibetur, de eo Cyrill. Iudaicum hoc verbum est extremi supplicii causa. Aliud est Quomodo docilitatis, seu pii studii discendi, sic Augustinus ad catechumenos diserte quærit, *quomodo panis sit corpus Christi, cum Dominus die ascensionis corpus suum*

eleuauerit in cœlum: & Cyprianus ait, *hoc Apostolicum & sinceræ pietatis fuisse exponere gentibus quomodo panis & vinum sit corpus & sanguis Christi.* Sic Augustinus, *dicamus ei, o Domine magister, quomodo caro non prodest quicquam? cum tu dixeris, nisi quis manducauerit carnem meam, non viuet,* &c. *Patitur enim nos non contradicentes, sed nosse cupientes.* Vbi distinguit Augustinus inter *Quomodo non contradicentium*, &, *Quomodo nosse cupientium.*

Ens aut est perfectum, Græce ἐντελὲς, aut imperfectum, Græce ἀτελὲς.

Perfectio est actus perfecti, quatenus est perfectum, Græce τελειότης. Eius species est ἐντελέχεια. Hæc est increata vel creata. Perfectio increata est vnius Dei vt entis extremo gradu completi, hæc est imperfectio independens, excludit omnem imperfectionem & limitationem. Creata, quæ inest enti dependenti, cumque à Deo proueniat, dicitur *participata.*

Hæc est simplex vel comparata. Simplex, qua quodque ens in suo genere vel specie est perfectum. Sic argentum æque est perfectum atque aurum. *Nam quodlibet ens in suo censu est perfectum*, vt loquitur Scalig.

Comparata perfectio est, qua ens creatum magis aut minus perfectum dicitur, vel secum vel cum alio comparatum.

Vtraque est vel essentialis vel accidentalis. Essentialis est prima vel secunda, vulgo *à priori vel à posteriori.*

Primaria est, quæ requiritur ad essentiam rei constituendam; Græce συστατική, vt forma effecta seu genita rei seu compositi essentia & perfectio substantialis est.

Secundaria est, quæ essentiam constitutam inseparabiliter comitatur, vt vis ridendi in homine.

Accidentaria est, quæ separabiliter rei inest, vt forma efficienda est finis agentis, eiusque perfectio accidentaria. Talis perfectio est copula carnalis in coniugio. *Finis*, inquit Scaliger, *est perfectio finiti*, id est, eius cuius est finis. Hic intellige accidentalem perfectionem, nonnunquam etiam essentialem, si spectetur nimirum essentia relatiua, vt sublato fine limitis, subla-

tus

tus est limes, sublato fine altaris non amplius est altare.

Naturalis perfectio est, quæ rei à primo ortu inest, Græce δύναμις ἔμφυτος. Aduentitia est, quæ rei post ipsius ortum inest: Græce ἐπιγινομένη, id est *prior* vel *posterior*. Ἐνέργεια autem ἕξιν perficit, vt actus secundus actum primum perficit accidentaliter.

Vtraque est vel extensiua, vel intensiua.

Extensiua est, cum aliquid est perfectum quantitate: sic imperfectus est puer quando adhuc crescit; perfectus vero, qui adoleuit.

Intensiua est, qua aliquid est perfectum secundum qualitatem; vt cum aqua calida habet omnes gradus caloris, cum aliquis est absolute doctus.

Gradus esse perfectionis manifestum est; nam primo alia prædita sunt ἐνεργείᾳ, i.e. actu siue δυνάμει, i.e. potentia, vt prima & simplex Dei substantia, Dei omnipotentia, quæ est forma per se subsistens. Alia sunt etiam prædita potentia quadam, vt caduca hæc & naturalia, vt possint esse vel non esse. Alia denique sunt, quorum actus & perfectio nulla esse potest, cum semper posse esse & inchoata quodammodo intelligantur; nunquam autem sint absoluta, (vt nullus numerus est tam magnus, vt non possit fieri maior.) vt quæ infinitate partium propter diuisionem participant. Deinde, alia perfectio est media, alia vltima, quæ distinctio est Scaligeri. Media perfectio, est motus, quem Aristoteles vocat *perfectionem imperfectam*; mouetur enim corpus naturale vt quiescat, hic motus dicitur à Philosophis *non esse ens perfectum*, sed *via ad ens*. Vltima vero perfectio est quies. Sic Scalig. *Quies est perfectio vltima corporis naturalis.* *Explicat.*

Clemens Timplerus accidentalem definit perfectionem *quæ enti contingenter & inseparabiliter inest*, id est, vt possit non inesse. Eamque diuidit in innatam & aduentitiam. Hinc emergit pulcrum dubium, quod attingit disputationem meam & Buscheri de proprietatibus essentialibus, *an possint abesse à re citra eius interitum*? Sententia Timpleri videtur fauere Buschero; refero enim ego innatam perfectionem ad essentialem pro-

prietatem, vt vim loquendi & ridendi. At innata perfectio contingenter & separabiliter inest enti, asserente Timplero. Potest igitur abesse à re citra eius corruptionem, quod contendit Busch. Pro Timplero facit Philosophus magnus Schegkius, docens in prædicamento Qualitatis, *naturalem potentiam inesse rei contingenter*; nam facultas Physica inest substantiæ ventriculi, propter quam potest recipere contraria, vt dicatur nunc ὑγιεινὸς, nunc δυνάμει νοσημ⊙. Causa autem temperamenti particeps est ventriculus, δυνάμεως, vel ἀδυνάμεως. Hinc quidam homines sunt dociles, quidam indociles. Ergo docilitas inest homini contingenter. Dociles ab indocilibus discernuntur ratione Physicæ δυνάμεως, quæ propter temperaturam eis accidit. Quid, quod nonnulli tam agrestes sunt natura & θηριώδεις, id est, bestiales, vt nec virtutum nec vitiorum humanorum sint capaces? Verum contradicere videtur Scalig. in Exercitationibus. *Quod à specie est, immutabile est*, vt ridere posse, naturalis potentia est à specie: Ergo est immutabilis; quod autem immutabile est, non inest contingenter, sed semper. Respondèo. Hæ sententiæ sunt tantum apparentis contradictionis. Primo innata perfectio contingenter inest & separabiliter respectu actus secundi, non enim omnes homines loquuntur, qui habent potentiam loquendi; nam aptitudinis actus seu innatæ perfectionis non est in omnibus indiuiduis, & ne quidem in iis omnibus necessarius. Scalig. exerc. 250. sect. 3. Secundo, quia nonnunquam permutatur innata perfectio suo contrario, nempe impotentia naturali, superstite nihilominus substantia. Tertio, distinguendum est & inter speciem & singula indiuidua. Naturalis potentia semper inest speciei, vt humanæ speciei vis loquendi, vis ridendi, vis numerandi. Vltimo, distinguendum est inter potentiam seu perfectionem naturalem primam & secundam. Timplerus loquitur de secunda; Scalige. & ego loquimur de prima, vt verbi gratia: Omnes homines sunt dociles perfectione prima, at quidam non sunt dociles, scilicet potentia seu perfectione secunda. Est autem perfectio prima naturalis, quæ proxime fluit ex forma subiecti. Sic in homine est po-

tentia

tentia loquendi & ridendi proxime emanans ex anima rationali; hæc potentia & perfectio cuiusque rei propria ita est, vt ἀδυνατον sit eam a subiecto vnquam tolli. Perfectio secunda naturalis est διάθεσις temperamenti & organorum, per quam illa perfectio in actum deducitur. Sic in homine aliquo est naturalis perfectio secunda loquendi vel ridendi, quæ est certa aliqua dispositio linguæ & oris. Sic potentia videndi secunda est in me & te, quæ certa est oculi dispositio, per quam tu me clarius vel obscurius vides; hæc potentia amitti potest & abesse à subiecto, nihilominus manente essentia.

Hactenus de perfectione. Sequitur nunc contrarium membrum, imperfectio *videlicet.*

Imperfectio est qua ens denominatur imperfectum. Imperfectum interdum accipitur pro impuro: Sic dicimus imperfectum aurum, seu impurum. Imperfectio est priuatiua vel negatiua.

Priuatiua, est defectus perfectionis, quæ alicui per naturam debebat vel poterat inesse. Negatiua, est defectus perfectionis alicui per naturam non contingentis, vt, quod homo non est infinitus, quod aliqua linea mathematica actu non est indeterminata; item quod homo non est naturæ Angelicæ. De perfectione rerum dissimiliter loqui videntur Philosophi; interdum dicunt ignem & aquam esse perfecta; interdum imperfecta corpora; interdum dicunt semen esse perfectum ens, interdum imperfectum; interdum quodque metallum esse perfectum, nonnunquam contra aliquod esse imperfectum. Sed hæc conciliantur per diuersum respectum. Notentur igitur sequentia axiomata: *Vnaquaque in natura species entis est perfecta*; scilicet cum iam forma est introducta; *quod imperfectum est, in nulla specie vel reperitur vel existit*, Scaliger exerc. 106. sectio. 2. *Perfectum est suo quidque in genere.* ibidem. *Perfecto nihil addi potest* Exercit 249. *Metalla postquam sunt, sunt hoc quod satis est eis esse*, Exercit. 106. sectio. 2. *Perfectionis gradus sunt.* Exercit. 6. sectio. 2. tum quatenus res adhuc est in fieri; aqua enim quæ calefit, adhuc perficitur acquirendo primum perfectionis

gradum, tum ratione accidentalis perfectionis. Semen perfectum est constans ex materia & forma: & semen fit acta canis perficiendo, ac differt a cane canis semen, vt potestas ab actu; hactenus itaque semen est imperfectum aliquod. Scaliger alibi. *Ignis & aqua vt entia*, id est, *species entis perfecta sunt; at vt partes entium perfecte mistorum imperfecta sunt.* Sic Scaliger; *Perfecta sunt vt partes natura ab ipsa constituta*, id est, vt opus partiale naturæ, id est, vt species entis; at imperfecta sunt vt materia naturæ tanquam artificis ad vlteriora comparata. Philosophus Scaligerus dulcerrime distinguit. *Ipse per se substantia actu simplex est, cui nihil addi vel detrahi potest. Ergo omne ens est perfectum in suo censu*, id est, ratione formæ. Accidentium autem ac materiæ causa res naturalis perfectionis & imperfectionis est particeps, magisque & minus recipit: Itaque ens aliud alio diuinius, vt cælum elementis, &, per consequens, perfectius. Si itaque quærat aliquis, *pulex sit ne ens perfectum*? Respondebis axiomatice, Suo quicque in censu rribuve perfectum esse; vt asinus est hoc quod satis est ei esse, vt recte dicatur: *Sit asinus quemcunque asinum sors aspera fecit. Impossibile est duo enti in specie vel toto genere distincta esse æqualis perfectionis.* Itaque κτ̀ λόγον συγκρίσεως vnum altero perfectius. Itaque cum creator & creatura toto genere differant, nulla creatura potest Deo exæquari, id est, esse æqualis perfectionis cum Deo, nam omnis perfectio creaturæ includit aliquam imperfectionem respectu Dei. Quæstio, *an perfectum & imperfectum sint transcendentia*? Sunt: quia diuidunt amplitudinem entis.

Verum obiicitur: *Nullum transcendens est in certa categoria. At perfectum est in certo prædicamento, nempe in categoria relatorum. Ergo perfectum non est transcendens.*

Respondeo ad assumptionem: *Est perfectum*, in relatis scilicet, si referatur ad perficiens, vt honoratum ad honorans. At si non, est transcendens, id est, diuidit amplitudinem entis cum imperfecto.

An

AD. CAP. II. ROD. GOCL. NOTÆ.
De Simplicitate & Compositione.

ENs est simplex aut compositum. Simplicitas est actus simplicis quatenus simplex est. Simplicitas est absoluta, vel comparata.

Absoluta est, qua immune est ens creatum à reali ex diuersis compositione: hæc excludit compositionem duplicem. Primum, quia Deus nullam in essentia admittit compositionem, id est, Deus est simpliciter simplex, vt nullo modo dici possit ex rebus pluribus compositus, etsi variis nominibus infinita simplicissimæ essentiæ diuinæ perfectio nobis significetur, propter nostrum modum percipiendi, qualia sunt omnipotens, Omniscius, Omniuidens, Omnisapiens, &c. Secundo, quia Deus in nullius rei creatæ venit concretionem, ita vt eius fiat materia vel forma. Filius quidem Dei vnitur carni, sed non fit materia & forma carnis.

Comparata simplicitas est, qua liberum est ens creatum à certa compositionis realis specie. Compositio est actus compositi, quatenus compositum est. Hæc est realis vel rationalis.

Compositio realis est, quæ reipsa alicui rei inest citra mentis ἐπιλογισμὸν, id est, operationem. Huius species sunt variæ: vt compositio ex ente (vt concreto) & essentia (vt abstracto) compositio ex subiecto & accidente, compositio ex actu & potentia, compositio ex partibus subiectiuis, compositio ex principiis essentialibus, vt materia & forma, compositio ex partibus integrantibus.

Compositio rationis est quæ alicui tribuitur secundum nostrum modum intelligendi & apprehendendi, etsi ei re vera non insit. sic simplicibus νοήμασι, quæ sunt principia complexorum accidit compositio & diuisio causa nostræ διανοίας, id est, conceptus. Porro vtrumque & simplex & compositum ens, vnum est, sed diuersa ratione.

Simplex est καθ' αὑτὸ, id est, per se vnum, quia statim est id quod est 8. Physic Arist.

Compositum vero est vnum δι' ἄλλων, id est, per alia.

Scholion.

Omne ens est compositum ἐκ τοῦ εἶναι, καὶ ἐκ τῆς οὐσίας, id est, *ex esse, & essentia:* At Deo compositio ex esse & es-

ſentia non conuenit, Deus eſt & ſuum eſſe & eſſentia, quia non eſt ens participatione: ſed animal eſt compoſitum ex eo quod ipſum eſt, & ex eo per quod eſt; aliud eſt is qui viuit, & aliud vita ipſa, ſeu aliud eſt viuentem eſſe, & aliud vita qua viuit.

ESSE dicitur id, quo quidque actu eſt: ſiue ſubſtantiali ſiue accidentali. ESSENTIA vero eſt id per quod quidque eſt id, quod eſt. Exempli cauſa: quod tu es homo, hoc corpore & hac anima præditus; hoc eſt tuum eſſe ſubſtantiale: humanitas vero per quam es, eſt tua eſſentia: quod tu es nequam, hoc eſt tuum eſſe accidentale; nequitia vero per quam es nequam eſt, tua eſſentia accidentalis.

Corollarium. ESSE igitur cuiuſque eſt eſſe incommunicabile, quia cuiuſque proprium: *Eſſentia* vero eſt communicabilis & communis aliis, qui aut eiuſdem ſunt ſpeciei, aut tales ſunt qualis eſt & alius, ſicut communicatione partis noſtræ ſubſtantiæ generamus filios.

ESSE *cuiuſque creaturæ diuerſum eſt ab ipſius Eſſentia.* Item, *nulla res exiſtens, ſcilicet creatitia eſt, ipſa ſua eſſentia per quam eſt*, neque, vt dixi, *idem eſſe viuentem & vita ipſa, per quam viuens eſt, aut ſapientem & ſapientia, per quam aliquis eſt ſapiens forma & ſubiectum, idem eſſe non poſſunt.*

Hinc deducitur hoc πόρισμα: *Nulla creatura vere ſimplex eſt*, id eſt, *perfecte ſimplex. Nihil perfecte ſimplex eſt mutabile. Omnis creatura eſt mutabilis, ergo nulla creatura eſt perfecta.*

Compoſitio ex actu & potentia] Hic intellige potentiam paſſiuam.

Eſt autem potentia paſſiua, vel qua aliquis quid patitur, vel qua quod non eſt fieri poteſt, ſiue ſubſtantiale id ſit ſiue accidentale.

Hæc propria eſt materiæ, quæ mutationi eſt obnoxia; imo nihil aliud eſt, quam ens in potentia, propter potentiam paſſiuam perinde habet ſe res ad eſſe, quam ad non eſſe. *Potentia paſſiua* eſt principium paſſiuum ab alio, *actiua* vero eſt principium agendi in aliud.

Hanc compoſitionem vocant Scholaſtici *ex partibus eſſentialibus*, id eſt, eſſentiam rei conſtituentibus. Dico *Scholaſtici:* quia Ramæi ſic loquuntur, id eſt, cauſas eſſentiales non vocant partes, ſed hoc nomen tribuunt membris

 620

membris integrantibus; verum est aliquid dandum vsui doctorum & eruditorum, qui vno ore dicunt. *formam esse partem compositi*. Sic Scalig. 2. Poesios. *Poesis duabus partibus constat substantialibus, materia & forma.*

Nullum simplex resoluitur in principia: quod enim vere simplex est, ex nullis compositum est principiis. Ex quo axiomate demonstratur animam nostram esse immortalem.

Ad Cap. III. Gocl. Notæ.

Omne ens est vnum aut multiplex.

Vnitas est perfectio entis qua formaliter vnum est, seu est actus vnius, quatenus est vnum, vnum cum ente res eadem non differens nisi modo. Scalig. exerc. 37. Vbi idem nō dubitat asseueranter dicere, quod non est vnum, ne est quidem, exer. 310. sect. 2. vnde intelligis etiam multiplex esse aliquo modo saltem vnū oportere. Cur autem non sint prorsus & simpliciter vnum & idem, ens & vnum, hinc patet, quod enti contrarium est non ens, per contradictionem; at vni opponitur multitudo per contrarietatem, vt loquar cum Scal. exer 65. s. 2. Quidditas vnius est explicatu δύσφραστος. Scholastici dicunt, *Vnius esse essendi indiuisibilitatem*, scil. in se, & incommunicabilitatem scilicet in alio; at negatio non est essentia rei positiuæ. Itaque indiuisibilitas potius videtur esse affectus consequens vnitatem inseparabiliter, non autem essentia constituens vnitatem, a qua indiuisibilitate oritur incommunicabilitas vt hæc sit quasi accidens per accidens.

Vnitas est realis, vel rationis.

Realis, per quam ens realiter est vnum.

Realis est essentialis, vel accidentalis.

Essentialis, per quam ens in sese, i.e. absolute vnum est. Estque prima, vel à prima orta.

Prima est simplicissima & perfectissima.

A prima orta respectu primæ, aliquam admittit compositionem & multiplicitatem. Et subiicitur vnitas numeralis potissimum; nihil enim magis vnum est quam si quid sit vnum numero.

Accidentaria, qua ens cum alio certa ratione est vnum, vt sunt vnitas generica, specifica, causalis, effectiua, subiectiua, adiunctiua. Generica, qua quid cum alio est

vnum genere. Talis vnitas est inter bestiam & hominem. Specifica, qua quid cum alio est vnum specie, talis vnitas est inter Catonem & Ciceronem. Causalis qua quid est vnum causa; talis est inter sorores. Effectiua, qua quid cum alio est vnum effecto. Subiectiua, qua quid cum alio est vnum subiecto; vt virtus & scientia. Adiunctiua, qua quid cum alio est vnum adiuncto. Huc pertinet vnum analogia. Sunt autem vnum aliquid analogia, quæ habent idem accidens analogicum; vt videte mentis & oculorum est idem analogice: vt oculi percipiunt species opticas, id est, colores, ita mens percipit species intelligibiles.

Vnitas rationis est, qua ens ratione est vnum.

Multiplicitas est perfectio entis, qua formaliter est multiplex.

Estque realis, vel rationis.

Realis, qua ens realiter est multiplex.

Rationis qua ens ratione est multiplex. Huc pertinet canon, *Vnius rei diuersæ sunt notiones.* (quas barbari vocant *formalitates*) ergo & descriptiones. Alia est apprehensio entis, vt ens est, alia vt est vnum; alia apprehensio est animæ, intellectus & voluntatis. Intellectus & voluntas vna res sunt, distinguuntur ratione. Scalig. exercit 307. sect. 15 *aliud est calor, aliud ἐνέργεια caloris.*

Deinde vnum aut est per se, aut per accidens.

Vnum per se, vt compositum ex materia & forma.

Vnum per accidens, vt compositum ex substantia & accidente. Huc pertinet vnum *per aggregationem:* vt, Ecclesia, concio, grex, Respublica, Cœna Domini, Actus promotionis magistrorum, Comœdia, Syntagma artificiosum. Vnum autem per se est simplex. Ex substantia & accidente non fit per se vnum, quia accidens non est causa entitatis simpliciter; sed talis entitatis, vt loquitur Scalig. dicta exer. 307. sect. 27. Huius generis est, id est, ad vnum per accidens pertinet, cum multa fiunt vnum per ordinem, vt est ecclesia, cuius caput est Christus; quæ enim multa sunt per ordinem, vnum fiunt quodammodo, *ordo colligit & colligat dispersa:* vide exercitationem Scaligeri secundam.

AD CAP. IV. R. GOCL. NOTÆ.

An sit vnum infinitum?

PEtri Rami discipulus, Bernhardus Salignacus statuit præter Deum esse duo infinita cum quibusdam Scholasticis doctoribus, locum infinitum & tempus infinitum, in explicatione loci *Subiecti* & *Adiuncti* in Rami Logicam. Sed tenendum, æternitatem esse solum, & ipsummet solum Deum, seu æternitatem esse in Deo, quæ Deus ipse sit, Scalig exerc. 319. sect. 7. *Æternitas est ipsissima Dei essentia,* id est, existentia & subsistentia. Locum vero infinitum esse ens imaginarium & fictum, nec Deum esse in loco aliquo, sed in seipso. *Vbietas* enim, vt loquar cum Scaliger. *est affectus entis cuiusque necessarius prater Deum:* est necessaria circumstantia omnibus entibus præter Deum. Exer. 357. sect 5. Nec quicquam obstat, quod theologia nos docet Deum magis esse in cœlo, quam in terra, magis in piis quam in impiis. Id enim intelligendum est non ratione essentiæ, sed efficacitate operationis, gratiæ & gloriæ.

An Deus infinitus recte dicatur cum nulla eius actio sit infinita?

Effecta Dei finita esse ostendit mundus, & omnes creaturæ. Itaque aliquis ita argumentetur: *Si Deus infinitus esset, aliqua saltem eius effecta essent infinita. At nullum effectum eius infinitum est. Deus igitur non est infinitus.*

Respondeo per distinctionem. Alia est Dei actio intima, alia extima. Intima Dei actio est infinita, vt generatio filii, spiratio Spiritus sancti. reliquæ actiones vero externæ sunt finitæ. Et tamen modus agendi in Deo est infinitus. Agit Deus infinite respectu virtutis, finite vero respectu effectus. De priori scilicet intima Scalig. exerc. 305 sect. 3. Generat ex seipso, in seipso, suiipsius intellectionem eodem modo, eandem æqualem sibi.

De Finito & infinito.

Omne ens aut est finitum, aut infinitum.

Infinitas est id, per quod ens formaliter est infinitum.

Infinitum est, quod nullis terminis est circumscriptum, alias immensum.

Infinitas est absoluta, vel limitata.

Absoluta, qua ens simpliciter infinitum est. Hæc conuenit vni Dèo. Hinc sequuntur duo corollaria.

Primum: *Infinita plura vno esse non possunt.* Sic Scalig. Exerc. 359. *Duo infinita nequeunt esse neque in natura, neque extra naturam*; essent enim duo principia prima, quod est absurdum. Alterum: *Infinitum exhorret natura.* Scal. Exercit. 13. Ex definitione infiniti sequitur hoc corollarium: *Infiniti nulla est mensura, propterea infiniti nullum est extremum, itaque ne contrarium.* De infinito canon est. *Infiniti nulla est comprehensio*; quia intellectus noster finitus est. Intelligendum autem hoc est de cognitione διότι ὅτι, id est, quare sit, non quod sit. Limitata infinitas est, qua ens secundum quid, est infinitum. Hoc sensu dicuntur infinita reiici à scientiis, infinitas posse esse causas alicuius rei per accidens (id est, quæ non possunt numerari) infinite augeri quantitates posse, & continue infinite minui posse, vnumquodque ens appetere infinitatem, id est, perpetuationem. Scal. Exerc. 9. *Vnicuique enti insita est appetitio infinitatis*, id est, æternitatis scilicet successione, propter quam fit formatum præparatio; in animalibus quidem per generationem; in elementis vero, per transmutationem. Finitas est id, per quod ens per se est finitum. Finitum est, quod suis est circumscriptum limitibus. Sic creatura finita est tum terminis suis, tum alienis; excepto solo cœlo vltimo, quod quidem habet suos terminos, sed non clauditur alieno; quia non est progressio in infinitum. *Intelligentia*, inquit Scalig. *habet fines vltra & præter quos non potest designari.* Canon de hoc finito est: *Finitum οὐσίᾳ est etiam finitum ἐξουσίᾳ*, id est *potestate*; vt si mundus est finitus, non habet potentiam nisi finitam. Si hoc, ergo mundus est corruptibilis: si hoc, habuit principium, & sic ipsa Philosophia refutat Aristotelem. Omne finitum habet δύναμιν παθητικὴν, id est, potentiam passiuam & ipsum actum terminationis.

AD. CAP. V. ROD. GOCL. NOTÆ.

Mala profecto consecutio: *Deus implet cœlum & terram, ergo est in loco repletiue.* Deus enim omnia implet, non vt locatum, sed efficiendo, operando, continendo & conseruando. Deus nusquam est, licet vbique sit,

sit, id est, non est in certo vbi, licet omnia loca contineat. Deus est ἀκίνητος, id est, immobilis, quomodo ergo acquiret vbi? Nec quicquam obstat, quod Deus magis in cœlo quam in terris, magis in piis quam in impiis esse dicitur; id enim ita est non ratione essentiæ suæ, sed efficacitate operationis & gratiæ, vel etiam gloriosa maiestatis manifestatione. Huc accedit quod Latinis *circumscribi*, & *definiri loco* sunt συνώνυμα, h.e. idem significant.

De Loco.

Localitatem seu locabilitatem indiuisum esse accidens τῇ φύσει παρεπόμενον, vt loquitur Damascenus, extra omne dubium est. Sed an locus sit de essentia rei disputatum est. Negatiua vera est, quam etiam tuetur Scalig. Exerc. 5. sect. 1. Si enim locus esset de corporis essentia, ingrederetur in definitionem corporis, id est, corpus non posset definiri sine mentione loci. At non hoc: Ergo nec illud. Hoc autem verum est Locum esse necessarium corpori, vt idem ibid. inquit Scal. seu proprietatem inseparabilem & naturalem corporis. Quid enim, obsecro, corpus aliud est, quã essentia tribus dimensionibus, longitudine nimirum, latitudine & profunditate comprehensa, teste etiam Zabarella. Quod autem iis dimensionibus est determinatum ac comprehensum, idem finitum sit oportet, & certo vbi, seu loco circumscriptum ac dimensum, & ita in vno loco situm; vt partes distincte collocatas habeat, & alibi eodem tempore realiter esse non possit. Etsi autem circumscribi loco, seu habere certum ac finitum vbi & locum sit corpori naturale, id est, propriam naturam corporis necessario consequatur, tamen excipiendum est extremum cœlum, hoc enim est locus omnium, sed ipsum non ambitur loco.

Ad Cap. VI. Rod. Gocl. Notæ.

De Necessitate & Contingentia.

Ens aut est ἀναγκαῖον, i. e. necessarium, aut ἐνδεχόμενον, id est, contingens. Necessarium Ens est, quod aliter se habere nequit. Necessarium est necessarium vel simpliciter vel κατά τι, id est, secundum quid. Cicero vocat *cum adiunctione*: Græci ἐξ ὑποθέσεως.

Ens simpliciter necessarium est, quod absolute secundum naturam suam est immutabile. Absolutum hoc est à differentiis temporis. Dicam clarius: In id cadunt

omnes differentiæ temporis, id est, illud semper est, fuit & erit cum eo nulla contingentia est mista: tale ens est Deus.

Necessarium secundum quid est Ens, ex alio pendens, seu quod ex certa conditione non potest se aliter habere. Hoc non est immune ab omni contingentia. Vide Scaligerum lib. 3. Poetices, pag. 208. Sic naturale necessarium est, ignem calefacere, nisi quid impediat.

CANON.

Omnes autem res extra Deum sunt necessariæ ex hypothesi, non sunt necessariæ absolute cum sint δυνάμει ἀντιφάσεως prædita, cum sint entia dependentia. Æternitas earum est ex gratia, pietate & intelligentia Dei.

De hac necessitate intelligantur hæc Schegkii & aliorum Logicorum: *Quod fuit, non potest dici non fuisse; quod est, non potest dici non esse, & si res ipsæ sint suapte natura contingentes.*

OBIECTIO.

Si obiiciat aliquis, *Necessitatem & contingentiam esse affectiones enunciatorum.* Respondebis, necessitatem prius conuenire rebus quàm enunciatis, quod ipsius etiam Schegkii iudicium est. Res enim si ipsis non propter veritatem aut falsitatem enunciatorum dicuntur necessariæ, in rebus & causis rerum est principalis necessitas, non autem in notionibus & enunciatis, ac veri conditio sequitur naturam rei, quæ est vel necessaria vel contingens.

Ens contingens est ens, quod potest etiam non esse; seu, quod potest habere aliter. Recte opponi necessario innuit Scaliger, exercit. 39. vbi inquit; *Distinguuntur integris essentiis contingens & necessarium, sicut per se & per accidens.*

Aristoteles facit τριχοτομίαν contingentium.

Alia ei sunt regularia, alia fortuita seu infrequentia, alia ex æquo. Sed hæc διχοτομία est. Contingens aut est πεφυκὸς, id est, habile, aut ἀόριστον, id est, indeterminatum.

Habile est κατ᾽ φύσιν, vel παρὰ φύσιν, secundum naturam, vel præter naturam.

Contingens, κατὰ φύσιν, est contingens plerunque, vt plerunque homo nascitur quinque digitis.

Παρὰ

Παρὰ φύσιν contingens est, cum homo nascitur sex digitis.

Ἀόριστον contingens est non determinatum causa per se vt naturale. Latini vocant *contingens ad vtrumlibet*, & *pro re nata*, vt non magis potiusve ita vel non ita eueniat.

Porro contingentia sunt præsentia, præterita, & futura. Per dichotomiam ex Scaligero vel sunt Præterita vel Absentia. Absentia sunt vel Præterita vel futura.

Futura hæc dicuntur Μέλλοντα, & sunt indefinite futura, vt cras ibit Princeps venatum.

Ἐσόμενα vero necessario futura sunt: vt fiet iudicium extremum: quæ refero ad necessaria.

De præsentibus Canon est Aristotelis:

Omne quod est, dum est, necesse est esse: lib. 1 c. vlt.

De præteritis Canon est:

Quod fuit, non potest dici non fuisse: lib. 1 De inuentione cap. vltimo.

Necessitas hic, vt loquuntur barbari, *Conditionata* intelligenda est, quam Latini *conditione moderatam* vocant, non absoluta: Actio enim si sit libera seu spontanea, non potest quidem non esse quando est, sed tamen non necessario absolute, sed contingenter fluit à sua causa, & in quolibet momento temporis potest interrumpi seu omitti; poterat etiã pro arbitrio non inchoari.

Scholastici vtuntur hic distinctione erudita: quod fit, consideratur duobus modis.

Vno, vt est iam in se extra suas causas. Et hoc modo ipsum fieri transit in factum esse, & præsens in præteritum, proindeque non potest res illa non esse dum est, quia non potest non facta esse, quæ facta est.

Altero modo, vt fluit à causa, siue vt habet ordinem ad causam, id est, quatenus est adhuc in manu suæ causæ, atque hoc modo si causa est libera & contingens, potest res illa non esse, & contingenter est non necessario; quia habet ordinem ad causam, seu vt loquar cum Zabarella, connexum cum causa, non necessarium sed contingentem.

Contingens pro re nata est, cum non magis affirmatum quam negatum verum aut falsum est. Vocatur *Contingens & Indifferens*, quia æque ad vtrumque oppositorum est indifferens.

AD CAP. VII. ROD. GOCL. SCHOL.

ENtia contingentia & necessaria dicuntur δυνατὰ, hoc est, *possibilia*. Non enim semper sunt πολυώνυμα possibile & contingens. Possibile enim est quod potest esse sine repugnantia seu contradictionis implicatione. Itaque contra impossibile est, quod esse non potest sine implicatione contradictionis. Sic Th. Aquinas, *Quod inuoluit contradictionem non est possibile vllo modo, vlla vi, quia ponit esse & non esse simul.*

Possibile est ens contingens, & id magis proprie δυνατὸν est, vel necessarium absolute aut limitate.

Impossibile item est impossibile ἁπλῶς & in solidum, vt quod nulla vi, neque diuina neque creata esse potest: vel κατά τι, quod tamen vi creata esse non potest. Impossibile aliquid est vel secundum legem Dei ordinariam, hoc est, vt nunc sunt res à Deo constitutæ ac ordinatæ: vt non potest ignis humectare secundum potentiam Dei ordinariam. Sic causæ naturales non habent potentiam, vt nullo præexistente subiecto agant, vel secundum potentiam Dei absolutam. Hoc simpliciter impossibile est, vt Deum fabricare non ens; obiectum enim diuinæ potentiæ tantum est ens: nam non ens facere, non est potentiæ, sed impotentiæ: item creaturam producere rem ex non ente. Creatio enim ex nihilo ita proprie in Deum conuenit, vt nulli alii rei conuenire possit.

NOTETVR SYLLOGISMVS.

Prima causa refertur ad effectum realem.
Ἀδύνατον non est effectus realis, sed non ens.
Ergo potentia Dei non pertinet ad non ens.

ET

Omnis effectus est vel similis vel proportionatus suæ causæ.
Non ens non habet similitudinem aut analogiam cum prima causa seu primo ente; primum enim ens & non ens sunt maxime opposita.
Ergo prima causa eiusque potentia non pertinet ad non ens.

Hinc conficitur non posse ens diuidi in possibile & impossibile. Nam ens impossibile incomplexum nullum est, vt recte non dicitur: *triplex Deus est ens impossibile*; nam ens impossibile incomplexum nullum est; triplex

plex autem Deus est non ens. Sed mouet difficilimam quæstionem hic Scal. quam dicit superare omne ingenii fastigium & acumen. exerc. vlt. sect. 9 *an Deus in id, quod omnino non est, possit agere?* Et videtur concludere affirmate aduersus nos. Ratio eius affirmationis est; quia præsnoscit & præuidet id quod non est, *vocat ea, quæ non sunt vt sint*, & cum creat, agit in non ens. Sed tenendum est hoc arcte: illud dici ex captu nostro per ἀνθρωποπάθειαν. Deus enim non præuidet omnino non ens, sed ens in mente sua seu mentis destinatione, vt elegit nos ante omnia secula. Creaturam producere, non est proprie agere in non ens, sed agere in seipsum, id est, deducere potentiam actiuam in actum, facere vt creator potentia sit creator actu.

Canon Schegkii est, qui aliquem torquere posset, quod videatur impingere in legem, non in ære, sed in pectore incisam.

Contingens, affirmans & negans non perimunt se mutuo sua antithesi.

Sed hic canon nihil aduersus legem contradictionis: negatio enim hic tantum topica seu indefinita intelligitur, non autem κρατικὴ, & enunciatiua, vt homo est non homo, vtraque enim est affirmans, potest esse & non potest esse, si compositionem & iudicium axiomaticum spectes; particula enim negans hic postponitur copulæ.

624

AD CAP. VIII. SCHOL. GOCL.

ENs est verum, aut falsum.

Verum quod conforme est cum suo archetypo, vt cum Deo, cum sua natura.

Veritas est rei vel signi.

Veritas rei est, cum res congruit cum sua natura.

Hæc veritas est vel ἐν πράγματι, seu ἄνευ συμπλοκῆς, id est, *incomplexa*, vel ἐν διανοίᾳ, seu κατὰ συμπλοκὴν, id est, *complexa*.

Verum incomplexum est simplicis intelligentiæ. Huc pertinet distinctio veri in verum materialiter & formaliter.

Verum complexum est notionum compositio; hoc est, enunciatio. De hoc Scal. intelligendus est: *Veritas est Phi-*

losophia nostratis anima. Hæc est intelligentiæ nostræ & intellectæ quædam ταυτότης & harmonia. Hoc verum varie distinguitur. Verum est ἐπιστητὸν *scibile*, vel δοξαστόν, *opinabile*, id est, quod cadit sub opinionem. Item verum est per se, & per accidens. Item verum est vel ἁπλῶς, in vniuersum, absolute, certo: vel κατά τι, ἐν μέρει, id est, particulariter, aliquo modo, pro re nata, ὁπότερ' ἔτυχεν, indefinite, ex hypothesi, vt contradictio in præteritis & præsentibus verum & falsum certo diuidit, non autem determinate in contingentibus futuris quo ad nos, ἐν μέρει, verum καθόλου vsurpatum, est falsum.

Canon: *A vero κατά τι ad verum ἁπλῶς non semper valet consecutio.*

Veritas ἀνυπόθετος, id est, quod verum est sine priore hypothesi, ad primum membrum pertinet, ad secundum ὑπόθετος.

Vtrumque verum & incomplexum & complexum est necessarium vel contingens, vt Deus est necessario verum ens, creaturæ sunt vera entia dependentia. Vnum ens est necessarium absolute tantum, vt Deus; reliqua omnia possunt non esse, quia sunt dependentia.

Ad verum contingens pertinet Aristotelis ὑπόληψις, id est, propositio seu conceptus, cuius notitia coniuncta est cum coniectura quadam, & quæ suapte natura neque falsa neque vera est ex necessitate.

Veritas signi est conuenientia eius cum signato. Estque conceptus, vel vocis.

Conceptus veritas est ὁμοίωσις, id est, similitudo eius cum repræsentato.

Veritas vocis est ὁμοίωσις, eius cum significato: dicitur & veritas φάσεως. Huc pertinet veritas definitionis, hæc enim non est κατάφασις, sed νοητῆς φάσις, vt loquitur Philosophus.

Falsum ens est, quod discrepat à suo archetypo: hoc diuiditur vt verum. Itaque falsitas conceptus est, cum discrepant inter se & res & conceptus rei, si componuntur non componenda, vt, leo est asinus; & diuiduntur non diuidenda; vt homo non est animal, cum ipsum dicitur aliud esse, & aliud dicitur ipsum esse: Res enim extra intellectum positæ sunt mensura veritatis & falsitatis, affirmationis & negationis nostræ, id est, veræ & falsæ

falsæ dicuntur res seipsis, non autem propter nostram notitiam, non propter nostram affirmationem aut negationem. Huc refero φαινόμενον ὄν, (apparens ens) Sophistarum, cui opponitur *Philosophorum* αὐτὸ ὄν (*ipsum ens*) Item error huc pertinet, vitium compositionis, & non simplicis intelligentiæ nisi per accidens (vt si quis apprehendat plumbum pro auro.)

Schegkius φαινόμενον verum refert ad verum, cum ait, *verum in argumentando est simplex. Verum* ἁπλῶς, *verum* ἔνδοξον, *& verum* φαινόμενον.

QVÆSTIO.

An simpliciter νοητῶν *sit compositio?*

Definitione simplex νόημα significatur, & tamen definitio est diuidua partibus, quæ aliquid separatim significant, non igitur per se, id est, ratione definiti, sed propter διάνοιαν nostram seu rationem componentem definitio partibus est diuidua: Ergo per accidens, id est, accidit definitioni diuisio. Sic Schegkius Philosophus acutus, *definitio diuidua est ratione* διανοίας: At definitio eius rei, cuius est definitio, id est respectu definiti, est quiddam ἀδιαίρετον, id est, res intellecta est simplex, id est, definitio; quia constat è genere & differentia: eius est quædam compositio, id est, accidit causa διανοίας compositio dictionibus rerum definitarum, seu in ipsis per se rebus definitione expressis nulla est compositio. I.

An identica sit vera propositio?

Identicam, qua ipsum dicitur esse ipsum, verissimam esse propositionem, contendit clarissimus Schegkius, vt homo est homo. Contradicunt alii, esse ἀδολεσχίαν, negationem, orationem nugacem, & canticum cuculi. II.

In pristina persto sententia, tales propositiones esse crudas & insipidas; excepto vno hoc, nisi per eas fiat contradictio: nulla enim est propositio cui non possit contradici. Dicat Sophista: *Homo est non homo: Homo potest esse non homo.* Quæ negatæ enunciationes sunt ex affirmato & negato, seu ex aiente & cōtradicente. Tu igitur contradices: *Homo est homo, homo potest non esse non homo.* Nulla enim est verior prædicatio, quam cum ipsum dicitur esse ipsum, seu nihil verius, quam cum dicitur id esse quod est. Hæc sententia Scoti est, quam sequitur Schegk. vbi ait, *Verissima est propositio: Homo est homo*, significat e-

nim hominem esse vnice id, quod causa suæ essentiæ, dicitur esse, vt falsissima est *homo non est homo*, vt qua ipsum negetur esse ipsum. Vocatur autem hæc prædicatio *essentialis primo modo dicendi per se.* Iam si aliquis obiiciat esse hanc ἀδολεσχίαν. id est, futilem repetitionem: Respondent Schegkiani ex Aristotele: Distinguendum esse inter apparentem ἀδολεσχίαν & veram. Dicunt hanc, homo est homo, esse apparentem ἀδολεσχίαν. Nam ἀδολεσχία proprie dicta Aristoteli dicitur, cum bis aliquid dicitur de eodem inutiliter, Latinis est futilis repetitio, vt homo est substantia & animal rationale; substantia enim in animali comprehensa est.

QVÆSTIO.

An falsitas conueniat enti tam complexo, quam incomplexo?

Dissentiunt hic Philosophi. Alii volunt verum & falsum esse terminos transcendentes, quam sententiam recitat Talæus in annotatis Rami. Hoc sequitur autor noster: Sed Aristoteles & Schegkius sequens peripateticum, volunt verum & falsum non diuidere vniuersum ens, sed duntaxat διανοητὸν affirmationis & negationis causa oppositum. Verba Aristot. sunt in Metaphysicis: non est τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖς πράγμασι, ἀλλὰ ἐν τῇ διανοίᾳ, id est, *in mente componente*; id est, falsitas inest conceptibus propter διάνοιαν perperam νοήματα componentem. Hæc sententia mea est, verum & falsum esse communia πρὸς ἕν, id est, non esse pure συνώνυμα, nec esse pure æquiuoca; sed ordine prioris & posterioris conuenire enunciatis etiam rebus. Dicimus enim: *Falsum deprauat intellectum: falsa*, i. e. ficta, *delectant.* Scal. exerc. 307. sect. 11. *Vt amœnissima illa vireta Platonicorum Elysiorum* Sic Scalig. *Veteres theatra plenissima inanis vocat falsa.* Exercit. 307. Rectius tamen quæ artifices comminiscuntur docendi gratia ficta, quam falsa dicuntur. Sic Astronomi hypotheses suas æquatorem, Epicyclum, caput ac caudam Draconis vocant ficta, non falsa. Et fictio iuris dicitur non falsitas. Verum igitur aut est νοητὸν, aut διανοητόν.

AD CAP. IX. ROD. GOCL. NOTÆ.

ENs aut bonum aut malum est, Græce ἀγαθὸν ἢ κακόν. Sed hic inter se discrepare videntur philosophi. Aristote-

stoteles enim bonum inter attributa simplicia numerat, ait enim, bonum & ens conuertuntur: non ait, *bonum & malum conuertuntur.*

D. Timplero consentit Schegkius in comment. in Aristotelem: *Bonum & malum super omnia genera collocantur, & amplitudo entis diuiditur bono & malo* Sed pro Aristotele militare videtur hoc eiusdem Schegkii: *Malum nequit bono subsistere.* Si igitur bonum est subiectum mali, & non aduersum malo, quomodo, quæso, ens aut est bonum aut malum: Huc facit illud Scaligeri: *Bonum entitatis non habet contrarium*; est enim reipsa res eadem cum entitate, exercit.307 sectio. 27. Sed bene habet res: ipsa verba Scaligeri suppeditant nobis huius apparentis *ἀντιλογίας* & nodi conciliationem & solutionem. Omne ens est bonum quatenus ens. Huc Aristoteles respexit: *Ens aut est bonum vel malum*, quatenus sine certa limitatione intelligitur, id est, ens habet sibi adiunctam vel bonitatem vel malitiam, vt accidens. Huc D. Timplerus & Schegkius respexerunt. Sed inquis: *διχοτομία* ista non sufficit, & ista diuisio non est immediata, medium enim inter bonum & malum est *ἀδιάφορον*, id est, indifferens.

Respondeo: suo genere ens bonum aut malum est, respectu autem nostri vtentium, ideoque per accidens fieri potest, vt si aliquod *ἀδιάφορον*, præsertim in Ethicis. Sic nonnunquam dicitur de bono quod sit malum, sed æquiuoce vsurpata voce. Exempli gratia: Diuitiæ dicuntur vere id esse, quod sunt; nempe *ἁπλῶς*, id est, per se, sed quatenus eis accidit, vt dicantur bonum, eatenus alias de iis dicitur vere quod sint bonum, alias quod sint malum, vt bene aut male vtentibus: ideoque, vt dixi, per accidens. Deinde & sic distingui potest: Bono & malo causa generis, & quoad sunt species habitus, nullum interponitur medium; nam habitu præditus Ethico animus ex necessitate aut bonus aut malus est, iustus aut iniustus: sed respiciendo ad subiectum, & quatenus subiectum respectu habitus est habile quiddam, non omnis est aut bonus aut malus, aut iustus aut iniustus, sed ambo simul opponuntur ei, qui neque bonus neque malus, neque iustus neque iniustus dici possit, vt puer, aut orbatus vsu mentis ho-

mo neque bonus neque malus; neque iustus, neque iniustus dici meretur. Sic canem a primo ortu neque videntem, neque cæcum dicimus, tum enim caret habilitate videndi. Hæc Schegkius.

Quodnam bonum contrarium sit malo?

Quæstio tertia. Hæc quæstio vtilis est explicatu propter Flacium Illyricum naturam hominis ipsam facientem peccatum & propter Manichæos, quibus cum Augustino res fuit, qui docuerunt duo esse principia boni & mali.

Hæc autem est veritas Philosophica, imo diuina. Bonum; quod est αὐτὸ ἀγαθὸν non opponitur malo, nec malum αὐτῷ ἀγαθῷ. Qui enim αὐτῷ ἀγαθῷ, aliquid possit esse oppositum, cum non sit αὐτὸ κακὸν, quemadmodum est αὐτὸ ἀγαθόν? malum enim sine bono non potest subsistere. Hæc ipsa quoque Aristotelis sententia est in Metaphysicis: οὐκ ἔστιν ἐναντίον τῷ πρώτῳ οὐδέν: πρώτῳ, id est, αὐτῷ ἀγαθῷ, quod Arist. & Plato principium & causam omnium dicunt esse, quod neque est aliquid in aliquo, neque vllius est particeps contrarii. Alii vero quæcunque extra ipsum bona, bona sunt participata bonitate, quæ qualitas quædam est, non autem est ipsum bonum. Sic bonum politicum opponitur malo politico, quod habitu & qualitate definitur. Græce ποιὸν ἀγαθόν. Proprium autem est primi & perfecte boni, etiam malis rebus bene & dextere vti, omniaque redigere in orbem & ordinem per fectæ iustitiæ.

Ad extremum inquiat aliquis, *videri malum non tantum bono, sed etiam malo opponi*, affirmo idipsum & ego, sed non eodem oppositionis genere, quo bono opponitur; malum enim opponitur bono contrarie, malo vero disparate. Cur vero inquis, malum tantum bono, non etiam malo opponitur contrarie? Respondeo, quia per se tantum vnum vni est contrarium, teste Aristotele & Platone.

Si bonum malo contrarium, quæritur, an sint ἐναντία, an στερητικά, id est, an sint aduersa, an priuantia.

Quæstio vltima. HÆc quæstio mota sæpe est in colloquiis & disputationibus Theologorum: vt, *an peccatum originis sit priuatio, an malum positiuum.* Sic argumentor: *Quicquid est aliquid in aliquo, non potest [illegible]um per se aliquid*

aliquid esse, vt bonum, quod αὐτ' ἀγαθὸν, dicimus, peccatum est aliquid in aliquo. Ergo non potest ipsum per se aliquid esse, vt ipsum bonum. Hoc est quod Aristot. ait, οὐκ ἐστὶ τὸ κακὸν παρὰ τὰ πράγματα, id est, *non est separatum à rebus malum.* Sed tenendum est, malum esse quidem priuationem, sed non puram, sicut motibus priuatio est, sed non mera, vt quies. Male enim subiectum afficit ac disponit, id quod ostendit concupiscentia. Deinde bonum vt virtus, & malum vt vitium, aduersa sunt ratione habitus, sub quo, vt sub genere quodam continentur. Quatenus autem spectantur in bono mediocritas, & in malo extrema, id est, exuperantia & defectus, eatenus virtus & vitium, vel bonum & malum opponuntur στερητικῶς.

Bonitas est perfectio entis, qua formaliter bonum est. Huic definitioni obiici potest, quod *vitia diuiduntur in perfecta & imperfecta.*

OBIECTIO.

Perfecta vocantur habitus, imperfecta διαθέσεις. Et Scal. Poet. lib. 3. 341. habet: *non est bonus, sed optimus malorum,* quæ videtur pugnantia in adiecto: vt videatur dicendum fuisse, est pessimus malorum.

RESPONDEO.

Distingue inter proprium & translatitium perfectum. Proprie dictum perfectum bonum quid est, quo res perficitur. Perfectum per metaphoram dicitur quod in malo excellit; vt perfectus fur, quem vocant, *trifurem*; quia numerus ternarius à mathematicis dicitur *perfectus*, cum constet initio, medio & fine: & hoc respectu binarium vocant imperfectum. In loco Scaligeri, *non est bonus, sed optimus malorum*; optimus malorum non intelligitur perfectissimus, id est, in summo gradu, sed qui est in gradu infimo malus.

Bonum, aut est verum, aut apparens.

Bonum verum, absolutum est, vel respectiuum.

Absolutum est, quod in sese bonum est.

Estque infinitum seu primum, vel finitum seu primo participans.

Infinitum est bonum simplicissime ipsum. Græce, *αὐτὸ ἀγαθόν.*

Hoc non est alicuius accidens, nec vllius particeps

contrarii. Hoc est αὐτάρκιστον Arist. & Platoni, id est, sibi ipsi sufficiens. (Αὐτάρκεια Dei est perfectissima acquiescentia Dei beati in se ipso, aliud extra se bonum non quærentis. Cic. vertit *seipso contentum*. Estque vel pars, vel adiunctum beatitudinis inseparabile.)

Bonum finitum seu participatum est creatum. Hoc pendet à primo. Bonitas autem creaturis data est qualitas, non οὐσία; illa enim magis & minus recipit, at hæc non admittit ἄνεσιν, id est, remissionem aut ἐπίτασιν, id est, intensionem.

Bonum finitum aut est naturale, aut acquisitum.

Naturale, quod conuenit cum norma creationis, vel naturæ generantis. Hoc est vel essentiale seu necessarium, vt accidentale seu contingens.

Acquisitum est vel ἠθικὸν, i.e. morale, vel τεχνικὸν, id est, artificiosum.

Ἠθικὸν est, quod conuenit cum lege morali.

Estque ἑκτικὸν, id est, habituale, vel ἐνεργητικὸν, id est, actuale.

Artificiosum est quod congruit cum norma artis.

Bonum respectiuum, quod Ethicum est, primarium est vel secundarium.

Definitio honoris. Primarium est honestum. Nomen hoc habet ab honore, qui est opinio hominum, de virtute alicuius celebris & peruagata.

Est autem honestum qualitas, si significat virtutem ipsam, vt honestum per se expetendum: si significat ἐπαινετὸν, i.e. laudabile, relatum est, vt δοξαστὸν, & ita correlatiuum eius est honor.

Secundarium bonum aut est vtile, aut iucundum.

Mali sunt eædem fere diuisiones, quia contrariorum eadem fere est scientia, vt:

Malum est verum vel apparens. Verum, quod reipsa malum est. Sic vera malitia est, per quam ens vere malum est.

Apparens malum est, quod videtur esse malum cum non sit.

Absolutum malum est, quod in se est malum. Naturale malum quod discrepat à lege creationis vel naturæ. Morale, quod discrepat à lege morali. Malum artificiale, quod discrepat à norma artis. Respectiuum, quod

respectu

 628

respectu alterius malum est. Primarium, turpitudo, malum culpæ. Secundarium, inutile, & iniucundum, quo pertinet malum pœnæ. Accipitur autem malitia speciatim à iureconsultis, & oratoribus, pro dolo malo: Cicero, *figuram corporis malitiam clamitare videtur*, id est, calliditatem, *malitia*, inquit iureconsultus, *supplet ætatem*, i.e. dolus & turpis affectus.

An malum per accidens possit esse bonum?

Quod bonum est, aliquando malum esse dicimus, & vicissim: contrarium enim etsi non potest prædicari de contrario per se, potest tamen per accidens, & tunc dicuntur ὁμωνύμως contraria. Nam quæ vere contraria sunt, nullo modo simul esse possunt, sed vicissim se eiiciunt & expellunt è subiecto. Hinc sunt canones Philosophorum: *Contrarium per se non est particeps contrarii.* Et, *contrarie opposita vnum quid esse possunt, non autem per se & essentia vnum*, i.e. ipsum bonum non est ipsum malum. Ergo causa subiecti capacis possunt esse bonum & malum, coniuncta successiue.

Cur non sequitur? *est bonitas essentialis vel accidentalis: Ergo malitia est essentialis vel accidentalis.* Respondeo: Quia non vt αὐτὸ ἀγαθὸν, ita quoque αὐτὸ κακὸν esse potest. Nullum malum est substantia. At ipsum bonum substantia est.

AD LIB. III. NOTÆ GOCL.

De Principio & Principiato.

Sequuntur attributa respectiua seu σχετικά, vbi primo occurrunt principium & principiatum.

Principium est, vnde principiatum dependet.

Principium aut est reale, aut λογικόν.

Λογικόν, seu mentale est, quod alicui tribuitur secundum nostrum modum.

Reale est, quod suapte natura, id est, reipsa est principium. Talia sunt Physica principia.

Estque essendi vel cognoscendi. Esse accipe generaliter, vt etiam fiendi intelligatur. Estque vnde principiatum dependet siue per se, siue per accidens.

Per se est vel primum, vel à primo dependens.

Primum vel simpliciter, vel κατά τι.

Simpliciter, quod nullum prorsus habet se prius principium. Sic principium essendi Theologiæ, est Deus.

Secundum quid, quod habet aliud se prius principium, id est, tantum est principium in suo genere.

A primo dependens est quod primo subordinatur.

Principium cognoscendi est, vnde principiatum cognoscitur.

Sic patefactio Dei est principium cognoscendi in Theologia, id est, instrumentum & medium, per quod finis & media ducentia ad finem Theologiæ cognoscuntur, & ex quo Theologica axiomata extruuntur. Vide *Keckermanni Theolog.*

Principia cognoscendi vel sunt simplicia, vulgo *incomplexa*, vel composita, vulgo *complexa* seu *concreta*. Verbi causa: Iustitia, incomplexum principium est. Iustitia est colenda, Complexum est. Talia vocantur, *axiomata, postulata* ὑποθέσεις. Definitionem autem refero ad incomplexa, quia non sunt integræ sententiæ.

Principia complexa aut sunt ἄμεσα, seu ἀναπόδεικτα, aut sunt ἔμμεσα seu ἀποδεικτικά.

Vtraque indemonstrabile & demonstrabile, est vel ἴδιον vel κοινόν Potest autem principium καθόλου κοινόν, i.e. commune, fieri ἴδιον, i.e. proprium. Exempli causa: commune est, *Totum est maius parte sua:* hoc fit proprium Geometriæ, *tota magnitudo est maior parte sua.* Commune est: *Si æqualia auferas ab æqualibus, ea quæ relinquuntur sunt æqualia:* hoc fit proprium Arithmeticæ; *Si æquales numeros*, &c.

Principia igitur communia sunt, quæ diuersis subiectorum generibus possunt communicari communitate analogica. Commune enim dicitur id, quod nullius est proprium. Schegk. in organ. Arist.

Propria sunt, quæ vni subiecto conueniunt, vt analogice communicari nequeant.

At principia per accidens referuntur ad causam per accidens, item terminus à quo. Sic priuatio est principium rerum naturalium, id est, terminus à quo incipit genera-

o, locus est principium motionis, id est, termi-
nu . incipit motio.

Principium λογικὸν, seu mentale est, quod alicui con-
uenit secundum nostrum modum concipiendi. Tale est
καθόλου logicum, quod vocamus *genus*. De hoc est canon:
Καθόλου λογικὸν non constituit τόδε τι φυσικόν. Nam quod
τόδε τι φυσικὸν constituit, in natura rerum separatim est.
Ergo ipsum τόδε τι naturale non constituit καθόλου logi-
cum, quod est principium ἐν τοῖς νοητοῖς.

Principiatum est, quod à principio, à quo dependet,
ortum est. Idque diuiditur vt principium, cum contra-
riorum eadem fere disciplina sit.

An causa & principium idem sint?

Respondeo breuiter; Differunt vt genus & species. O-
mnis causa est principium, sed non omne principium
est causa. Vt principium à quo motus incipit, vt termi-
nus seu extremum, vnde mouet primum suum corpus,
non est causa motus: Scalig exer. 397. sect. 3. *Instrumentum*,
ait, *efficiens esse, & principium esse negat ex eo, quod non mo-
ueat nisi moueatur.* Sed accipiendum est hoc suauius, id
est, commode est interpretandum, nempe vt neget esse
principium scilicet primum seu maxime proprie dictum.
Distingue inter principium, quod tale non est instru-
mentum, sed *Quo* seu *per Quod*. Distingue etiam inter
principium actiuum quod mouet; & passiuum, quod mo-
uetur, vt materia & instrumentum. Sed tamen instru-
mentum ita mouetur, vt etiam ipsum aliquid agat.

*An primi philosophi, an logici principia sint com-
munissima?*

Logici, qui vendicant recte sibi veri siue magisterium
siue ministerium, & primi Philosophi inter se disputant.
*Logicane an Metaphysica principia sint communissima, cum
vtraque sit communis disciplina.* Respondeo per distinctio-
nem instrumenti & scientiæ. Metaphysica est rerum &
principiorum communissimorum scientia. Logica vero
ars communis ad omnes scientias pertinens, ceu instru-
mentum commune, i. e. nullius proprium.

An verum sit quod Philosophi aiunt, principium esse plus
quam dimidium totius?

Respondeo, est: certum est eum qui b[illegible] est, suam doctrinam fundauit certis prin[illegible] thesibus, cum non tantum dimidium, sed to[illegible] & omne verum complexum esse δυνάμει, cum demonstratione sint potestate quodammodo omnia conclusa.

AD CAP. II. LIB. III. ROD. GOCL. NOTÆ.

Secunda classis respectiuorum seu χρηστικῶν attributorum.

ENs causatum, αἴτιον ἢ αἰτιατὸν causa est principium, cuius vi causarum est, proprieque intelligitur actu, non potentia, id est, causa actu proprie est causa, quæ vero dicitur *potentia*, ὁμωνύμως, id est, nominetenus causa est, nihil enim causa est quod actu non causat. Itaque si Deus fuisset semper primus motor actu, insolubile esset hoc, ***Primus motor est æternus. Ergo primum mobile est æternum.***

Causa alia est fiendi, alia essendi: illa dicitur *externa* hæc *interna*.

Externa, quæ extra essentiam sui causari est, (etiamsi ratione subiecti seu loci interna esse possit)

Estque finis vel efficiens.

Finis est causa externa, cuius gratia finitum est, (hæc enim duo se mutuo respiciunt.)

Fini congruit *Quo*, finito *Qua*. Cogita quo & qua, id est, scopum & media.) Itaque est principium & omnium causarum mensura.

Finis est vltimus, vel vltimo subordinatus: ἔσχατος ἢ ὑπάλληλος.

Vltimus ad quem reliqui destinantur. Siue sit realis simpliciter siue secundum quid (simpliciter vltimus rationem finiti habet.)

Subordinatus, qui vt intermedius ad vltimum destinatur. De hoc Scalig. Exerc. 200. 346. *Vnius rei multi fines sunt ad vnum finem vltimum.* Itaque dicuntur conferentes & τὰ πρὸς τέλος. Multorum istorum finium alii possunt esse per se, alii per accidens. Alii *principales*. Vbi notandus est canon.

Finis per se aut principalis non tollit finem accessorium, ἐπιγινόμενον, aut minus principalem.

Efficiens

Efficiens, Ciceroni *conficiens*, est causa externa à qua effectum est.

Hæc variè distinguitur. Prima, quæ in causando primas obtinet, siue sit talis simpliciter, siue κατά τι.

Simpliciter prima se priorem non habet, est independens.

Prima secundum quid in certo genere & ordine prima est.

Secunda est, cuius causatio à prima dependet. Vnde causa aut immediata, seu proxime effectui cohærens coniunctaque, aut mediata.

Mediata, quæ agit interuentu alterius. Eaque, vt remota vel propinqua.

Deinde causa alia est solitaria, alia socia.

Hæc est vel coordinata, vel subordinata alteri.

Secundo efficiens distinguitur secundum modum causandi in agens per transmutationem, vel per emanationem. Sic gallina, seu potius natura in gallina faciens pullum, efficiens est per transmutationem, sed anima producens risibilitatem, est eius causa συνεργοῦσα per emanationem, seu resultationem naturalem. Deinde causa est vel per se, vel per accidens.

Efficiens per se est, quæ efficit vi propria. Hæc est naturalis, id est, natura agens aut προαιρετική, id est, agens cum προαίρεσιν. Hæc est moralis, quo pertinet *causa consulens & artificialis*.

Efficiens per accidens est, quæ efficit vi extranea, que sine ea effectum esse potest, teste etiam Zabarella. Hæc est præternaturalis vel inuoluntaria, vt coacta, vel fortuita.

Deinde efficiens est princeps, vel minus princeps.

Princeps, quæ plus agit, κύριον αἴτιον.

Minus principalis est adiuuans prioris. Tales sunt impulsiua, instrumentalis & exemplaris, quæ est idea in mente artificis.

Impulsiuæ sunt προκαταρκτικαί, vel προηγούμεναι, id est, externæ vel internæ. Impellentium etiam alia alia est potior efficacia & vi.

Instrumentalis est per quam princeps agit vt per medium.

Estque actiua ὀργανική, vel passiua παθητική.

Actiua, quæ in efficiendo se mouet.

Passiua quæ in agendo mouetur, vel respicitur ab alio.

Huc pertinet causa *exemplaris*, seu idea in mente artificis.

Causa interna est, quæ essentiam causati constituit. Hinc dicitur *essendi causa* & *αἴτιον συστατικόν*.

Hæc est vel materia vel forma. Sola enim ex forma per se vnum naturale non perficitur.

Materia, est causa externa; ex qua materiatum est; Dicitur *formarum materialium subiectum* & *fundamentum*. Per se nullam habet vim efficiendi, sed propter eam dicuntur *res patibiles*. Materia est vel sensilis, vel intellectilis. Scalig. exercit. 320. *sensilis maxime propria est*. Intellectilis est analogica; sensilis est vel transiens vel permanens.

Transiens est, quæ potentia tantum est in materiato. Permanens, quæ actu manet in materiato, de hac Scaliger. *Materia est actu in composito*, & hæc est pars substantialis compositi, Exerc. 307.

Præterea materia est simplex vel composita. Exempli causa, verbi Dei materia simplex sunt tum voces singulæ, tum per syntaxin coniunctæ. Composita, integri libri cum suis capitibus & sectionibus. Materia totius & partis quid sit, vide Zabar. de constitutione indiuidui, [illegible]

[illegible]a est causa interna per quam formatum est. Ha[illegible] [d]icitur primaria respectu materiæ, quæ *secundaria* dicitur. Alias dicitur *actus* & *actus perficiens*, quia in materia *τόδε τι* constituit compositi. Omnipotentia non est actus perficiens naturam humanam Christi, id est, non [e]st forma informans; neque enim Deitas est humanæ naturæ forma. Vocatur & *ἕξις* materiæ à Schegkio. *Quod forma caret, vnum seorsum ab aliis per se esse nequit*. Scaliger exer. 16. consideratur hæc interdum vt perfecta, interdum vt fiens.

Forma perfecta habet partem extra partem, causa quantitatis.

Quantitas enim habet partes, in quas est diuidua.

Forma fiens propter motũ, partem habet post partem, teste Schegkio in org. Arist. p. 15. Philosophi vtrumque dicunt,

 631

dicunt, *Formam constituere compositum & informare materiam*; sed posterius non placet Domino Timplero. Philosophorum sententia dextre intellecta fortasse nihil habet absurdi: informat enim forma materiam ratione existentiæ. Non enim existit materia nisi formata, teste Zabarell. Dominus autem Timplerus loquitur de essentia.

Porro forma aliquando est finis, tunc dicitur *forma finalis*.

Vnius rei possunt plures esse formæ, sed subordinatæ. Zabarell. de facultatibus animæ, cap. 6 7. 8 9. Sic in homine est forma & anima rationalis forma misti. Verba Zabarell. Anima & forma mistionis in eodem viuente sunt duæ formæ distinctæ, quæ tantum dicuntur esse quodammodo vna forma, quatenus inter se colligatæ sunt nexu actus & potestatis, id est, forma mixti habet se vt potentia, anima vero vt actus, qui alteram illam formam continet & contrahit ad determinatam naturam. Sed videtur Scaliger contradicere, qui toties inculcat istud: *Vnius rei tantum vna est forma.* Etsi autem re ipsa dissentiant Scalig. & Zabarell. in eo, quod ille concedit vnam tantum esse in homine animam, hic vero tres, nempe rationalem, sentientem, & vegetantem, tamen axiomata eorum conciliari possunt sic; *Vnius rei vna est forma*, scilicet *specifica*, quæ dicitur *vltima*; plures vero vt generalis & specifica, quæ generalem formam coarctat; vt per aliam formam equus est animal, & per aliam equus: alia forma facit te esse hominem, alia te esse animal: per animam rationalem es homo, per sentientem es animal, per vegetantem es viuens. Zabarell. de facultatibus animæ, cap. 8.

De Pluralitate formarum.

Formæ substantiales vnius rei plures sunt, ait Zabarell. de facultatibus animæ, cap. 9. *Vnius rei vna tantum forma est*, ait Scaliger Exerc. 26. & alibi passim. *Nonnunquam ex materia & pluribus formis fit vnum*, ait Zabarell. dicto loco. *Ex materia & vna forma fit vnum*, ait Schegk. ait Scal. ait Aristot. Sententiæ hæ aliquo modo conciliari possunt. Ad Zabarellam: *formæ vnius rei plures sunt*, vna vel plures generales, & vna specifica, quæ vltima dicitur, ac

Ddd

continet alias vt actus potestatem. Ad Scaliger. *vniuersi vna tantum forma est*] scilicet specifica, quæ rem in speciem collocat, & sola dat rei nomen & definitionem, ac priores continet omnes. Ad Zabarell. *Aliquando ex materia & pluribus formis fit vnum*] scilicet subordinatis & colligatis nexu actus & potestatis: vt sunt anima vegetans, sentiens & rationalis in homine. Ad Schegk. & Scal. *fit vnum ex materia & forma*] scilicet, vltima seu specifica. Nulla forma est, a materia separabilis, excepto intellectu hominis. Dominus Timplerus tamen hic est suus; quippe qui etiam formam bruti dicat esse separabilem. Ego sequor Zabarellam, Vicomercatum & collegium Conimbricense, quibus aliud est separari, aliud interire. Brutum cum fit cadauer, forma eius aboletur seu interit, non separatur à subiecta materia: At cum corpus hominis fit cadauer, superstes manet anima & separatur reipsa à corpore ac seorsum existit. Cum itaque dicunt Philosoph., formam arboris esse inseparabilem à ligno, intelligunt eam formam non posse seorsum existere, & separatim à materia. *Quæ differunt forma, differunt specie*, sicut quæ vnum sunt forma, sunt vnum specie, ideo Græci formam & speciem vno & eodem vocabulo εἶδος vocant. Ad vnum specie ea sunt, quorum ratio est vna, ratio autem apud Aristotelem significat formam, quæ est rei essentia. Forma & quidditas differunt ratione. Forma dicitur vt etiam extra animam habet esse reale. Quidditas dicitur vt in anima habet esse cognitum. Nec tamen propterea sunt duæ formæ; vna enim alteram repræsentat; vt canis in animo tuo, & canis extra animum tuum, non sunt duo canes, sed vnus; alter enim est imago alterius. Zabarell. de constitutione indiuidui, cap. 9.

Forma vna potest esse generica & specifica in alia atque alia subiecta materia; vt forma mistionis in viuente, est generica, & dat actum imperfectum; in cadauere vero est specifica, & dat actum perfectum. Itaque in viuente officio materiæ fungitur. Zabarell. in lib. de generatione & interitu, cap. 4. *Est autem forma mistionis quæ oritur è congressu formarum elementarium, cum definita quadam mensura & proportione, quæ pro specierum diuersitate variatur.*

Alia

Alia est forma totius, alia partis. Distinctio hæc Scoti est; vt, in homine forma totius est humanitas; forma partis est rationalitas. Sed sano modo hæc distinctio intelligenda est. Non enim rationalitas & humanitas sunt duæ formæ re distinctæ in homine; vna enim & eadem forma est hominis, & vtraque eandem significat hominis quidditatem, quæ est forma in materia. Differunt autem ratione, seu ἐπινοίᾳ, id est, cogitatione; quia rationalitas materiam connotat & insinuat implicite, humanitas vero expresse; notat enim formam humanam in tali materia. Videatur Zabarell. de constit. indiuid. cap. 19. *Non mutata forma, res manet eadem numero, etiamsi materia particulatim mutetur*; ratio est, quia forma facit hoc aliquid, & vnum numero est, cuius materia est facta vna per formam, teste Zabarell. de constit. indiuid. c. 10. Vt nauis eadem num ero est, cui noua sunt, veteribus sublatis, substituta Scalig. exerc. 51. At si nauis sit omnino dissoluta, nec manet numero eadem nec redit, etiamsi reficiatur ex iisdem tabulis, nulla præterea adiecta, sed est eadem specie cum priore. *Francisc. Hotom. in quæstionib. illustrib. iuris.*

Forma sæpe habet rationem efficientis: vt, cum dicit canon: *Vnumquodque operatur per suam formam quæ eius forma sunt, non alterius*, vt Christus operatur per suam diuinitatem quæ diuinitatis sunt, non autem humanitatis. *Forma nulla potest operationes edere ad aliam formam pertinentes* Itaque falsum est in bruto animam sentientem absque vegetante sufficere ad edendum omnes operationes animæ vegetantis.

De occasione.

Occasio quorsum pertineat, difficile dictu est. Videtur propter ancipitem quandam naturam & æquiuocationem esse quiddam ἄτοπον, & non posse collocari in certo genere. Vt autem aliquid certi habeamus, primo proponemus sententias doctorum virorum, deinde concludemus aliquid. Primo; Cicero occasionem, quæ Græcis est καιρὸς, seu εὐκαιρία; hæc enim idem sunt (quia, si occasio non est bona, ne occasio quidem est, ait Scalig.) partem ait esse temporis, interdum etiam

tempus habens opportunitatem, interdum denique opportunitatem ipsam. Scaligero occasio idem est, quod σύμπτωμα, vt quæ accidant caussis, eæ accessiones occasionis appellatione designentur. Eidem occasio est commoditas, offerens se in tempore & loco & aliis circumstantiis, seu est tempestiuitas, quæ causam circumstat. Vt, Milo habet causam qua Clodium interficiat, eam nisi faciant commoditates, frustra erit. Et quidem Scaligero περιστάσεις, vt persona, locus, tempus, ætas. &c. non sunt occasio ipsa, sed perficiunt occasionem, seu ingerunt sese ad perficiendam occasionem. Videtur igitur Scalig. occasionem numerare in accidentibus & adiunctis. Philippus Melanchth. statuit occasionem non esse causam principalem, sed minus principalem, vel circumstantiam loci aut temporis coniunctam habens sibi quandam vim efficiendi, id est, facultatem præbens causæ προηγουμένῃ, vt (quod exemplum habet Scaliger) Troiani belli causa fuit Helenes adulterium, occasio est commoditas offerens se in circumstantiis. Petr. Martyr occasionem ait, esse partem ac momentum temporis, quod ad rem faciendam, seu facile & expedite producendam ad finem, magnam præbeat commoditatem, lib. 1. Ethic. Arist.

Hæc attinet ad artem militarem in bello, vbi plus adiuuare solet occasio quam virtus. Martyr igitur ad causam adiuuantem refert. Hieronym. Zanchius occasionem refert ad causam per accidens, cum ait: *Priuationem neque quippiam efficere in subiectum corpus, neque esse eius partem, vt ex ea illud constat sicut constat ex materia & forma; sed tantum esse occasionem, vt, quia adiuncta est materia, ab ea scilicet priuatione tanquam termino à quo motus, per quam forma inducitur in materiam, incipiat & corpus generetur.* Res perspicua est in arte factis Priuatio figuræ in ligno, occasio est, cur figura imprimatur in ligno. Sicut priuatio formæ initiati Academiæ in beano est ἀφορμὴ, cur contraria forma afficiatur, scilicet studiosi. Priuatio iustitiæ in nobis occasio est Deo, quod nos sua iustitia iustificet. Quod autem tale est, principium actionis per se esse non potest, sed tantum per accidens, id est, priuatio est principium alicuius rei accidentarium, quia ex ipsa nihil fit, nisi sicut ex indocto, id est, post indoctum.

doctum, aliqu s per doctrinæ acquisitionem fit doctus, & ex iniusto iustus. Vult igitur Zanchius esse quidem priuationem adiunctum materiæ, sed tamen esse causam per accidens noui corporis, seu accidentarium principium, ad omnem tamen rei productionem pernecessarium. Iacobus Schegkius in comment. in anal. Arist. adducit Hippocratem, definientem *occasionem esse tempus breue*, id est, rebus agendis idoneum, ac ostendit occasionem non esse tempus quo indigeat quispiam ad expedienda negotia. Nam Deo adscribitur occasio à Platone, cum dicit: *Deum res omnes humanas gubernare fortuna & occasionibus*, 4, De legibus. Sed Deo non adscribitur, vt indigeat quodam tempore ad expediendum aliquid. Ergo occasio non est tempus, quo indigeat quispiam ad expedienda negotia. Assumptio probatur. Est enim *αὐταρκέστατος* Deus, id est, nulla re indiget, nec ei opus aliquo ad perficiendum aliquid. Et est *αὐτοκράτωρ*, id est, in eius potestate est non modo vniuersa rerum natura, sed etiam omnium eorum quæ fiunt, & sunt, & fortunam & occasionem gubernat. Idem Schegk. occasionem, in explicatione libri Aristotelis de interpretat. annumerat causis per accidens. Quid vero iam in tanta sententiarum diuersitate sentiendum est? Respondeo primum: Occasio est instrumentum Dei, id est, Deus multa agit in hæc nostratia per occasionem. Quod autem obiicitur, non opus esse Deo aliquo ad aliquid perficiendum, id verum est de necessitate absoluta. Interim placet ei (voluntate *εὐδοκίας* seu beneplaciti vel *οἰκονομίας* sapiente) sæpe per media agere ordinarie, vt per *ἀφορμήν*.

Secundo: vt casus est causa per accidens; sic interdum etiam occasio.

Tertio, sicut signum & circumstantia non possunt ad certum genus argumenti referri. Signa enim interdum sunt causæ, interdum effecta, interdum subiecta, interdum adiuncta. Circumstantia interdum est causa, interdum subiectum, interdum adiunctum: Ita etiam propter homonymiam, occasio non vni argumentorum generi subiicitur.

4. Occasio, cum nō necessario requiritur ad effectum, est causa per accidens: at cum necessario requiritur, non

est caussa per accidens: causa enim per accidens, definitore Zabarel. est sine qua potest produci seu esse effectum. At effectum sæpe non potest esse sine occasione. Ergo non semper Occasio est causa per accidens.

5. Interdum quæsita, interdum diuinitus oblata occasio, causa per se adiuuans industriæ est. Vt cum quis hostem, quem vult è medio sublatum, inuenit suauiter dormientem.

6. Occasio est σχῆμα & prætextus causæ, seu fallax caussa, ἀναίτιον, rum parit Fallaciam. 7, Vltimo, interdum distinguuntur occasio & causa copulatim positæ. Vt occurrunt nobis vndique occasiones, & causæ pietatis & probitatis. Ibi causa ponitur pro αἰτίῳ, id est, propria & principe caussa, seu κυρίῳ αἰτίῳ. Occasio vero pro προκαταρκτικῷ, id est; incitante causa vel per se vel per accidens.

RODOLPHI *Goclenii ad quæstiones de causis,*

DICTATA,

AD II.

An causa & principium idem sint?

Negatio Timpleri à veritate aliena non est. Principium enim cursus sunt carceres, non causa. Scaliger instrumentum efficiens esse ait, principium esse negat, ex eo, quod non moueat; sed moueatur, Exerc. 397 f. 3. Sed intelligendum est, eum velle instrumentum non esse principium primarium, sed tantum secundarium, (quod & maxime proprie dictum) principium enim est commune ab *Vno.*

AD QVÆST. IV.

An causa alia sit δυνάμει, alia ἐνεργείᾳ.

Quidam non ignobilis scholasticus non dicendum sentit, Deum aliquando fuisse caussam in potentia, quod hæc locutio imperfectionem præ se ferat & indigentiam: at recte id vsurpari in causis secundis, quia pendeant hæ in causando à prima Fonseca 7. Metaphys. Ego hanc distinctionem Aristot. amplexor; causa est vel potens; quasi δυνατική, vel operans: ἐνεργητική. Potens est, quæ habet virtutem causandi; vt: Deus antequam mundum crearet & produceret. Operans est, quæ actu causatur, vt, Sol cum calefacit inferiora.

634

AD QVÆST. VIII.

Exemplaris causa non facit quintum genus causæ, Reducitur enim ad efficientem. Meminit eius Scal. exer. 307. sectio. 26.

AD QVÆSTIONES DE FINE.

AD QVÆST. XXIX.

An finis sit causarum prima?

Adfirmatus λόγος hic verus est: qui cum consentit hoc axioma, *Finis est omnium causarum mensura.*

QVÆST. XXX.

An omne efficiens operetur propter finem?

Efficiens operatur propter finem. { dirigendo se ad illum. / vel ab alio (vt naturæ authore) directum.

Verba interim & opera quædam dicuntur otiosa, quod conuenienti fine destituantur.

An omne ens habeat finem? QVÆST. XXXI.

Hic pro *causatur*, lege *causat*. Aliud enim est causare, aliud causari. Ad quæstionis explicationem faciunt hæc Scaligeri & Schegkii. *Quædam res vt* (actio) *ipsa sibi finis est.* Actio quæ intra se vertitur, sibi ipsi finis esse potest, lætitia sibi ipsa finis est, nullum finem habet. Finis per se nullus mali est, sed ratione tamen prouidentiæ diuinæ ipsum quoque extrinsecus malum bonitate, id est iustitia & misericordia diuina dispensari & finiri dicimus.

AD QVÆST. XXXII.

Pro *causari* lege *causare*, hoc est, causæ rationem habere, vt agere.

AD QVÆST. XLI.

De fine cuius & cui?

Finem *Cuius* nonnulli quoque *finem Quo* vocant. Distinctionis huius autor est Arist. 2. de anima, c. 4. verba eius sunt: Τὸ τὲ ἕνεκα διττόν Τὸ μὲν οὗ. τὸ δὲ ᾧ, hoc est, *duplex est id, cuius causa cætera sunt: Vnum cuius: alterum cui.*

Finis { Cuius, seu quo, est ad quem directe pergitur. / Cui, est cui res comparatur.

Vt perpetuitas est finis cuius, seu quo viuentium, id est, quem vnumquodque viuens per generationem assequi nititur. Ipsum autem viuens est finis cui.

AD QVÆST. XLII. *De fine operantis & operis.*

Scholastici etiam alium finem faciunt obiectiuum, alium formalem. Finis obiectiuus eis est res, quæ possidetur. Formalis, actio, qua res possidetur, vt diuinæ essentiæ cognitio intuitiua seu beatifica visio est finis formalis intelligentis creaturæ: Deus vero, circa quem versatur illa, est finis obiectiuus.

De efficiente, QVÆST. XLIV.

Efficiens est id] id non est genus efficientis, sed causa, Id enim est *Transcendens*.

AD QVÆST. XLVI.

De efficiente per motum & emanationem, per κίνησιν & per ἀπορρόησιν.

Stante hac distinctione, stat etiam distinctio efficientium in vniuoca & æquiuoca, quam innuit Scaliger in exerc. hoc effato: *Multa efficientia non sunt vniuoca necessario cum ipso effecto:* vt: Deus corruptionis prima causa est, vt & generationis. At ipse non est corruptibilis. Deus est causa frigoris & caloris: at ipse neque calidus neque frigidus est. Sunt (vt nunc accipiam pro confesso controuersum) cœli sine qualitate efficientes qualitatem: Cœli sine corruptione sunt, & efficiunt corruptionem. Vniuoca hic dicuntur, quæ sunt eiusdem naturæ vel speciei. Æquiuoca, quæ diuersæ: vt, æquiuoca generatio dicitur cum generans & generatum sunt diuersæ speciei.

Alias *generatio dissimilium:* vt cum res non calida generat calorem. De emanatione obseruabitis distinctionem hanc:

Emanatio { Interna, vt filius Dei à Deo patre. / Externa, sic nos sumus à natura Dei. }

AD QVÆST. XLVIII.

De causa principali & instrumentali.

Moueo hic tres quæstiones fructuosas: 1, *An agens princeps ibi etiam vbi non est, possit agere virtute sui instrumenti seu medii.* 2, *An cooperans causa semper sit minus principalis efficiens.* 3, *An recte dicatur filius Dei instrumentum & ministra causa patris in condendo mundo.*

Ad primum ζήτημα respondendum affirmate. Nam Sol qui est in cœlo, non hic in terris, per essentiam potest hic agere radiis suis vt medio. Ἀπορροὴ, id est, defluxus & influxus

 635

influxus corporum cœlestium animalia ex putrescente materia producit, cum ipsa corpora cœlestia principes illorum animantium causæ non adsunt σωματικῇ παρουσίᾳ, corporali præsentia seu σωματικῶς.

Ad secundum respondeatur negate. Nam Deus in prædicatione Euangelii, quod suum est, agebat ac cooperabatur discipulis suis, id est, agebat cum illis, non erat causa otiosa, iners, stolida. At erat κύριον αἴτιον (principale agens) imo sua vnius vi efficacem reddebat verbi prædicationem. Non tribuitur Deo συνέργεια vt ὑπουργοῦντι & subseruienti in prædicatione verbi, etsi proprie & vsitatius dicitur συνεργεῖν, qui est συναίτιον, hoc est, *adiuuans & ministra causa*. Nota igitur interdum συναίτια & συνεργά, sicut & socia dici, quæ vna operantur, siue paria sint siue imparia virtute. Sic Filius Dei dicitur pari esse synergia, æquali operatione & vi causandi in creatione & administratione mundi, vide Athanasium. Interdum vel sæpe potius σύμμετρον & synergon opponi αἰτίῳ, seu causa principali, vt cum dicit Apostolus, *Nos sumus* συνεργοί, id est, *cooperarii*.

Etsi autem filius, sicut & Spiritus S. patri synergus & socius dici possit in creatione & gubernatione mundi, quia vna cum patre (vt Ratio & sapientia patris) agit seu operatur: tamen vnum PRINCIPIVM, VNVS DOMINVS rerum est, non tria principia, non tres Domini, quia non sunt tres Dii, vide Symbolum Athanasii. Ad tertium item negate respondeo. Filius proprie administra causa patris in creatione rerum non fuit, multo minus instrumentum. Si enim mundi causa instrumentalis esset ὁ λόγος, non esset eius & patris par potestas, & maiestas, quod dictu impium. Schegkius dicit Christum (intellige qua mediator) esse instrumentum seu medium & potentiam Dei ad saluandum. Hoc defendi vt recte dictum, potest.

AD QVÆST. LI.

De causa naturali & libera.

De naturali canon est philosophicus; *Natura efficiens vnum determinatum est vnius duntaxat ad efficientiam energia*; vt: Oculus potest videre, sed non audire. Efficientia naturalia sunt cœlestia & elementaria corpora. Nam & cœlestibus inest natura alioquin corpora naturalia non 7

non essent. A Aristoteles & corpora Physica esse affirmat lib. 1 de cœlo. Etsi eidem Philosopho in cœlo φύσις sit ratione motus localis, non reliquorum motuum.

AD QVÆST LIV.

An idem possit esse causa contrariorum effectuum, &c:

Canon dignus est notatu: *Idem potest esse causa contrariorum effectuum & effectum causarum contrariarum; sed non eodem modo & respectu* Canon hic bimembris est cum determinatione, Prioris membri exemplum: Sol exsiccat humida lintea, indurat ceram. Posterioris exemplum: exsiccatio & induratio proficiscitur tam a calore, quam frigore sed diuerso modo: A calore per consumptionem humoris, quo corpus non habebat σύστασιν, sed diffluebat. A frigore, per incrassationem & conglaciationem.

AD QVÆST. LVI. LVII. & LVIII.

De materia.

Materia { Proprie dicta, causa interna cum forma coordinata ad effectum. / impropriè dicta { Subiectum. / Obiectum. } Hæc est { Sensilis. / Intellectilis.

Virtutis materia, id est, subiectum, seu sedes est mens vel partes animi crassiores, quæ à ratione gubernantur. Aristoteles in Ethicis: Amicitiæ materia, id est, obiectum, est φιλητὸν, id est, amabile; vt: honestum, iucundum vtile.

Præterea materia, quæ causa est, simplex est vel composita: vt materia simplex verbi Dei sunt voces, tum singulæ, tum per Syntaxin coniunctæ. Composita sunt integri libri cum suis capitibus & tomis, id est, sectionibus.

Materiæ cum genere aliqua est cognatio: 1, vt genus commune est multis speciebus: sic materia cõmunis multis formis: 2, vt genus per differentias deducitur in species: ita materia ornatur formis. 3, vt genus in potentia est ad species; ita materia est in potentia ad formam.

AD HÆC ADDO QVÆSTIVNCVLAS DVAS.

1. *Cur Physici materiam faciunt principium contingentiæ in naturalibus rebus, at Ethici ἀρχὴν contingentiæ in actionibus humanis faciunt delectum?* RESP. Quia interdum materia

materia impeditur, ne hac forma ornetur seu vestiatur, vel quod causa efficiens satis idonea desit, vel quod causa aliquo vel vi externa sit eius vis debilitata.

2. Cur Aristoteles lib. 7. Philos. cap. 7. *Materiam facit principium non essendi?* Resp. Quia materia ratione priuationum, quibus quasi affecta est, semper machinatur composito interitum.

Ad Qvæst. LIX.

De permanente & transeunte materia.

Concl. *Pabulum, è quo fit corpus, est materia transiens corporis.*

Ass. *Pabulum igitur non est corpori contrarium.*

Prop. *Nihil enim cuipiam contrarium illius esse potest materia.*

Materia permanens est pars substantialis compositi. Itaque est actu in composito.

Ad Qvæst. LX.

De materia prima & secunda.

Materiæ primæ, quæ intellectu difficilis est, essentia est id, quod habet rationem differentiæ, diciturque differentia in specierum constitutione. Adumbratur autem formalis eius substantia, vt loquar cum Scaligero, notione aptitudinis ad receptionem formarum, Exer. 359. sect. 12. Quo idem respicit, cum dicit, *materiam primam esse puram potentiam ad formam, vt fit elementum.* Et alii: *Materia entitas potentialis est, vnde materia ens impotentia dicitur.*

Hinc existit quæstio: *An prorsus nihil faciat seu agat materia?* Affirmans opinio inuenitur apud Scaligerum, Exerc. 107. s. 27. *Materia videtur agere vt forma existat. Non enim esset vnum è principiis nisi aliquid faceret.* Negatio etiam est apud eundem exerc. 5. *Attribuere materiæ actionem absurdum est*, & exerc. 319 *Vnum tantum motum & nullo modo mouens est materia prima quanta* Arbitror ego respondendum, materiam ipsam per se nullã habere vim ad agendũ, motionem materiæ esse nullam, sed propter eam fere res esse patibiles & mutationi obnoxias. Itaq; improprie & translate πείσιν & actionẽ ei tribui. Proprie ei autem tribuitur vis causandi, causalitas, causatio. Facit aliquid materia, i. e. causat, ita interpretandus est Scal. Ad 2.

materiam pertinet, quod Scaliger exerc. 23. ait: *Pomum est materia carnis in potentia, quæ tum fit actu caro.*

An materia sit pars quidditatis?

Materiam, non quidem nudam sed affectam sensilibus qualitatibus, esse partem quidditatis seu essentiæ rei materialis, statuunt Auicenna, Scotus, Thomas Aquinas, Schegkius, Antonius Sadeel: seu volunt quidditatem rei materiatæ non tantum esse formam, sed compositum, quod est materia & forma, vt hominis quidditas est humanitas, quæ constituitur ex materia & anima intelligente. Dicunt itaque illi duplicem formam; vnam formam partis (constructione intransitiua seu enallage casus Genit. pro Nominat. vt *sacramenti cœna* dicitur, pro *sacramentum cœna*) id est formam quæ est pars compositi.

Et hoc modo illis quidditas non est ipsa forma. Humanitas enim non est anima. Alteram esse formam totius, id est formam, quæ est totum: & hoc modo illis quidditas est forma, sed talis forma componitur ex materia & forma partis, id est, forma altera compositi parte Zabar. & Soncin. contra statuunt materiam non esse partem quidditatis, sed tantū deferre & sustentare quidditatem.

DE FORMA QVÆST.

AD QVÆST. LXII.

Quid sit forma?

Forma proprie dicta Principium formale.

FOrmalis causa non vno modo accipitur. Nobiliss. Theologus & Philosophus Antonius à Sadeel, in disputationibus suis Scholasticis & Theologicis, agens ἀποδεικτικῶς, per causam formalem intelligit causam συνεχῆ, Synecticam, coniunctam, proximam effectui propriam διότι: Quæ dicitur καθ' αὑτό. In secundo modo & consideratur in effectis seu propriis accidentibus de suo subiecto demonstrandis διότι dicitur, quia satisfacit quæstioni propter quid: Alii per causam formalem intelligunt informantem, quæ est pars rei essentialis, & consideratur in modo primo dicendi per se. Atque hoc est vsitatius ac tritius. Tertio sunt, Petrus Martyr, qui disputant de forma cognita, quæ in mente versatur seu comprehenditur artificis. Hæc reipsa habet rationem efficien-

efficientis. Nam vt obiectum mouet artificis mentem, Artifex vult eam in re expressam & eo tanquam ad finem tendit. Hic forma significat speciem (in animo) Et genera.im forma significat accidens, quod & *forma accidentalis* dicitur: ita forma seu species dicitur alia esse realis, alia intentionalis. Realis, vt color. Intentionalis, vt species coloris, quæ interdum *color apparens* dicitur: Realis agnoscitur sic: Omnis forma denominans subiectum suum est realis: Lumen denominat subiectum suum vt dicatur illuminatum. Color denominat subiectum parietem vt dicatur coloratus. Forma in speculo est forma intentionalis seu spiritualis. Hæc est repræsentatiua formæ meæ realis, vt species albi coloris repræsentat album. Species intelligibilis, quæ in intellectu est, est forma intentionalis, quæ repræsentat rem ipsam. Species coloris in aere non denominat ipsum coloratum, (aer non dicitur niger.) Ex specie lapidis in intellectu, non dicitur intellectus lapideus. Hæ igitur species non sunt reales formæ. Porro formæ intentionales, vt species albedinis in oculo; & in medio; species lapidis in mente, non dicuntur intentionales, quod sint entia rationis, & habeant esse, tantum per operationem intellectus. Sunt enim vera entia realia extra animam: sed sic dicuntur, quia habent esse imperfectum & diminutum: vt placet Soncinati lib. 7. quæst. Metaph. 9. Et sunt rerum repræsentationes. Possunt autem duæ formæ intentionales esse in vno subiecto simul. Barbari dicunt, *compatiuntur se mutuo in eodem*, quia non habent contrarietatem. Ad extremum res separatæ a materia, dicuntur formæ vt intelligentiæ, quæ formæ sunt subsistentes, vide Soncinatem lib 7. Metaphys. quæst. 26. Sæpe etiam forma accipitur generalius pro rei quidditate seu essentia, vt nulla substantia sensibilis est sua forma, id est, sua quidditas, vt homo non est humanitas. Huc pertinet quod Zabarella ait, *habere formam*, habet duas significationes. 1. habere formam informantem, alteram partem substantialem. 2, quidditatem. Hanc Zabarella tribuit cœlo. De forma, quæ est formale principium rei, intelligantur axiomata.

1. *Forma determinat materiam.* 2. *Forma in materia τὸ σύν compositum constituit* ex Aristot, 1, Phys. lib. 3. *Materia est*

actuata per formam, id est, est ens actu per formam. (Nuda enim est ens impotentia) 4 *Forma non potest secundum.* Esse *separata esse à materia* 5, *Forma nulla naturans est per se subsistens, excepta anima intelligente.* Thom. Aquin. 6, *Forma substantialis, non est principium alicuius effectus, nisi interuentu formæ accidentalis*, id est, accidentis. Excipiuntur effectus, qui causas suas consequuntur per naturalem emanationem. 7, *Forma educitur de potentia materiæ & præexistit in materia.* Quod quomodo sit intelligendum, explicat Soncinas in quæst. Metaphys. 7. lib. quæstio. 8. & 27.

An quicquid est, vnam habeat formam essentialem?

Vnius subiecti est vna forma. Diuersorum subiectorum vna forma esse non potest. Scaliger exerc. 23. Multæ formæ si in aliquo sunt, quomodo illud erit vnum? Exercit. 16. Sub pluribus formis plura entia Exer. 16. sect. 3. Et idem alibi. Forma non potest esse, nisi vna vnius rei. Ignis & ferrum sunt duo subiecta. Ergo eorum non est vna forma.

AD QVÆST. LXI.

De forma Substantiali & Accidentali?

Formarum accidentalium aliæ sunt totæ in fieri, vt motus, aliæ in esse quieto, vt est calor, vid. Colleg. Conimbr. in Comment. de generat. & corrupt. pag. 137 Formæ accidentales partium & graduum capaces sunt; vt: sonus, forma vocis, vt ens successiuum, habet partes. Omnes partes qualitates eiusdem sunt rationis & possunt vna integram formam constituere. A qua tepida habet simul aliquid frigoris & caloris. Teporque nihil aliud est, quam frigoris & caloris permistio. Clariss. Theol. *Zachar Vrsinus* in Consideratione Commonefactionis cuiusdam Theolog. de S. Cœna sententiam hanc confirmat his verbis: Sacramentum consideratur etiam absolute tanquam actio sacra, & sumitur pro signo & re signata, id est, pro tota actione symbolorum & inuisibili & spirituali acceptione Christi & beneficiorum eius: Sicut aum Irenæus dicit: *Eucharistiam constare duabus rebus, terrena & cœlesti.* Hic materia circa quam, id est, obiectum actionis externæ & corporalis sunt visibilia elementa, internæ autem & spiritualis, Christus ipse cum omnibus suis beneficiis. Forma vero est vtraque actio exter-

externa & interna, id est, præceptio Symbolorum, quæ fit sensibus & membris corporeis; & rerum, quæ fit sola fide in Christum, & S. sancto in cordibus efficaci. Actio quippe quatenus est actio, ipsa est sua forma. Hoc sensu hæ duæ actiones, tanquam partes dicuntur integrum Sacramentum, id est, compositam Sacramenti actionem constituere. Vnde colliges: *Fractionem panis esse externæ actionis Eucharistiæ partem*: quod alibi diffusius tractaui.

Non igitur est vniuerse verum. Formam non posse componi, & quod ait in exercitationibus Scaliger; Forma cum sit simplex & indiuisibilis, ex duobus componi non potest. Restringendum hoc est ad certum genus formæ.

Quæritur conciliatio: Nonnunquam, dicunt philosophi, humanitas est hominis essentia, Scalig exerc. 71. Nonnunquam humanitas est hominis forma.

Resp. Philosophi interdum inter essentiam & formam differentiam faciunt: vt exerc. 299. s. 2. Scal. Forma canis tametsi diuisibilis est propter quantitatem: non tamen eius essentia diuisibilis est. Hic essentia seu quidditas plus continet quam forma. Interdum formam & essentiam accipiunt pro eodem, quod forma rem perficit, & potius essentiæ principium est.

An forma sit terminus generationis?

In omni generatione est duplex terminus: Vnus, *qui*, alter *quo*. Terminus *Qui* dicitur ipsum compositum, quod producitur. Hoc enim terminat generationem. Terminus *Quo*, est forma rei genitæ, cuius interuentu compositum terminat generationem, quæ est via ad formam. Alii dicunt, compositum generat per se: Forma per accidens.

AD QVÆST. LXX.

An forma, siue sit essentialis, siue accidentalis, recte attribuantur operationes compositi?

1. Forma agendi est ratio agendi, ignis calefacit calorem. 2, Forma nulla potest operationes edere ad aliam formam pertinentes. 3, Vnumquodque operatur per suam formam, quæ eius formæ sunt non alterius: vt ὁ λόγος, non agit ea, quæ sunt carnis, & quæ sunt τοῦ λόγου, ea

caro non agit. 4, Quantitas virtualis est forma actiua, quia non est de genere quantitatis.

AD QVÆST. LXXI.

An omnis forma sit separabilis?

Quod vulgo statuitur, *quasdam formas esse separabiles, quasdam esse inseparabiles*, ego defendo: separabiles sunt, quæ ita separantur à materia subiecta, vt separate seiunctęque existere & perdurare possint: vt anima rationalis. Inseparabiles, quæ non possunt separari à materia (cui insunt) vt saluæ perdurent. Sic brutorum animæ non sunt separabiles à corpore, sed intereunt & euanescunt. (Sicut accidentia mutato homine non separantur ab homine, sed abiecta intereunt.)

Generatim: Formæ quæ extra materiam cohærere non possunt, quia à forma, quo ad suum esse dependent, euanescunt. Zabarella meus est de facultatibus animæ, cap. 9. Ex interitu animæ vegetantis per necessariam consecutionem sentiens, simul interit: (non permanet) rationalis à corpore separatur.

AD QVÆST. LXXIV.

De causa sine qua non.

Sancta Christi vita est causa sine qua non iustificationis nostræ coram Deo. Causa eius meritoria est passio, mors & effusio sanguinis Christi. Lumen est medium, cuius interuentu res cernuntur. Approximatio est necessaria ad hoc, vt agens naturale agat in patiens. Phys. 6. Aristot. id est, appropinquatio est conditio necessario requisita ad actionem, ita, vt ea remota agens agere nequeat. Antequam transeam ad caput III. subiiciam paucas commonefactiones de effectis. 1, Effectus in actu, & causa in actu necessario simul sunt. 2, Effectus aliqui manent, absente causa particulari, aliqui non manent: vt calor manet in subiecto, etiam remota calefaciente: at sonus, effectus per actum cithara canendi, non manet, nisi præsente & durante actione, quæ transiens est. 3, Multi effectus naturales sunt contingentes: quia possunt esse & non esse. 4, Effectum aliquod potest produci tam à causa vniuoca, quam ab æquiuoca, cuiusmodi sunt ea, quæ generantur, tum per propagationem ex semine, tum per putrefactionem. 7. Metaphys. 5. Ad ea autem, quæ generantur per putrefactionem,

ctionem non tantum requiritur virtus actiua vniuersalis, puta Solis, sed concurrit aliqua virtus actiua particularis, puta calor elementaris & humidum aliquod, quod in materia putrefacta inest. 6, Effectus vniuocus habet nobilius esse in se quam in causa sua. 7, Effectus emanans non potest nisi in eo ipso rec pi, à quo emanat, vt potentia sentiendi fluens ab anima, in anima corpori coniuncta, recipitur. 8, Apotelesma est effectum perfectum vnius vel plurium causarum, vt mundus est apotelesma seu ἔργον (opus) ἀποτέλεστον solius Dei 9, Virtus enim creatiua ita solius Dei est, vt nulli enti finito possit communicari etiam tanquam instrumento. Soncinas.

Ad Cap. III.

Explicationes Goclenianæ.

Omne ens] Alii restringunt hanc diuisionem ad ens creatum. Scaliger ait Exerc. 307. sect. 26. Beatitudo (αὐταγαθόν.) quæ Deus est, neque in subiecto est, neque ipsum subiectum.

Subiectum est] Similitudo quædam intercedit inter Genus & Subiectum. Vnde subiectum & genus dicuntur esse idem analogia, Ac interdum concurrunt, licet eorum ratio respectetur, sint diuersa. Vocis genus est sonus, adiunge ei in differentiam formari & proferri instrumento animalis, sonus erit subiectum formationis huius, quæ organo fit.

Vniuersale] Zabarellæ subiectum est adæquatum, vel præcipuum, vide lib. eius de partitione animæ pag. 668. Scholastici etiam distinguunt inter subiectum QVOD & medium, seu, QVO: ac illud nonnunquam *Totale*, hoc vero *Partiale* vocant. Adæquatum etiam vocant *Appropriatum.*

Vtrumque est absolutum vel limitatum] Pertinet etiam ad obiectum. Nam *idem variis limitatum accidentibus, variis scientiis subiicitur*; vt homo qua virtutis particeps, Ethicæ: qua valetudinis, Medicæ arti: qua φύσει naturalis est, Physiologiæ subiicitur, hoc est obiicitur.

Obiectum] Scholastici obiectum nonnunquam vocant terminum: Obiectum seu terminus potentiæ creantis est Ens: Vacuum non est ens: Ergo Deus non potuit facere vacuum.

Dicitur adiunctum essentiale.] Improprie συςατικόν. Dicitur autem hoc sensu systaticum, quia res sine eo non potest consistere, id est, perdurare. Nonnunquam dicitur *Naturale*, quia natura & essentia sæpe idem significant. Damascenus vocat παρεπόμενον τῇ φύσει, quod propriam cuiusque rei naturam necessario consequitur. Tale adiunctum corporis est circumscriptio. Caro Christi physica etiam ratione, id est, quia vera caro est, & ex naturæ suæ vera definitione ac proprietate, etiam in ipso cœlo est circumscripta.

Proprium adiunctum] Propria accidentia vocantur à Græcis, Τὰ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα. Hæc sunt simplicia: vt, docilitas hominis: vel è contrariis composita; vt, par vel impar, numeri.

Natiuum] Adiunctum πεφυκὸς dicitur, id est, aptum natum, seu habile. Adiunctum dicitur ἔμφυτον, id est, natura insitum, & σύμφυες, id est, connaturale.

Aduentitium] Alias, *accidentale*.

Post ortum.] non naturæ necessitate. Huc pertinet Gratia habitualis (ἑκτική) in Christo, quæ est singularis prærogatiuæ, vt dotes & vires eius supernaturales.

Accidens proprium est aut commune.] Accidens proprium semper habet externam causam, ratione suæ essentiæ, à qua dependet. Ergo demonstrari potest. Commune autem à scientia demonstratiua reiicitur. Demonstrator etiam quærit πρῶτον δεκτικὸν proprii, seu propriæ affectionis. Morbi & sanitatis πρῶτον δεκτικὸν (primum subiectum recipiens) est Animal, propter certa accidentia. Vide Iacob. Schegkium in comment. in Prædicamenta Aristot. pag. 82.

An propria naturalia & essentialia idem sint?

Quia οὐσία & φύσις interdum accipiuntur pro eodem, essentialia etiam & naturalia idiomata vnum declarare possunt. Sed Clemens essentialia à naturalibus distinguens, *Non*, inquit, *cum essentialibus accidentibus naturalia sunt confundenda.* Ei igitur idiomata sunt essentialia vel non essentialia. Essentialia sunt totius speciei: vt sensile corporis. Non essentialia sunt Naturalia, vel Accidentalia. Naturalia naturam comitantur. Talis est nigredo in corio; Mortalitas in homine. Accidentalia præter vel supra naturam sunt: Vnde *Metaphysica* & *hyperphysica*

perphysica dicuntur. Sic hyperphysicum attributum carnis Christi est mori pro mundi vita. Antiphysica proprie dicta nulla sunt, quia naturam euertunt & destruunt, vt incircumscriptam naturam creatæ rei.

Cur dicitur adiunctum essentiale (*οὐσιῶδες*?)

Non, quod sit *συστατικὸν οὐσίας*, id est, non, quod rem constituat, non quod sit ipsius rei essentia tota, vel pars essentiæ. Non enim ingrediuntur rei definitionem, vt genus vel differentia, sed quod sit necessarium & indiuulsum consequens, quiddam inseparabile ab essentia rei, quæ fons & fundamentum & causa eius est. Vocatur nonnunquam *παρεπόμενον τῇ φύσει*. A Damasceno l. 1. c. 4. *τὸ περὶ τὴν φύσιν*, id, quod est circa naturam. Et *ἐπουσιῶδες*. Essentiale igitur idioma est, quod ex essentialibus principiis necessario, semper & *ἀχωρίστως* (inseparabiliter) consequitur, & extra suum subiectum esse ac subsistere nequit Canon: *Proprietates essentiales non egrediuntur sua subiecta*, id est, non insunt alii quoque rei, vltra illam, cuius sunt proprietates. Et, *Vnius naturæ proprietates essentiales non possunt fieri alterius naturæ proprietates*, *seu ἰδιότητες essentiales*. Fieret enim naturarum *σύγχυσις* (confusio) quæ per Idiomata discernuntur. Itaque essentialis Dei sapientia nulli creaturæ *ὄντως* communicari potest. Schegkii axioma hic repero, quod extat in comment. eius in Organum Aristotelis, pag. 238. *Propria αὐ τοῖς διηρημένοις*, id est, natura realiter discrepantibus *subiectis inesse non possunt*.

An recte dicatur, Caro Christi est crucifixa?

Etsi actiones & passiones dicantur vsitatius esse personæ, seu suppositi, seu cõpositi: vt, Homo loquitur: tamen non facimus cum iis, qui prorsus repudiant has locutiones *Caro Christi est concepta, mortua, crucifixa, sepulta*. Subiectum enim attribuitur adiunctum, *aut est quod:* sic dicitur, Christus est crucifixus. *Aut est quo*, sic dicitur caro Christi est crucifixa. Os Domini locutum est. Augustinus audiatur lib. 3 De doctrina Christiana c. 16. *Caro Domini pro nobis crucifixa & vulnerata est*. Eodem modo alibi locutus est D. Martinus, cuius reprætensor ipsum Augustinum & omnes Patres, imo ipsam Scripturam sanctam reprehendit.

An mori pro mundi vita sit Adiunctum Carnis Christi? *A.*

Mori pro mundi vita non est effectum seu Apotelesma τȣ͂ λόγȣ & carnis ab eo assumptæ, vt contendit D. Mentzerus contra omnes Theologos. Non enim conuenit ei secundum vtramque naturam, sed est attributum seu proprietas excellentiæ carnis τȣ͂ λόγȣ propriæ, qua excellentia non coæquatur cæteris hominibus, vt loquitur Augustinus.

An Deo Terminus subiecti tribui possit? *A.*

Responsionem conficio Enthymemate: Adorari & ignominia affici sunt accidentia Dei χατηγ... Non enim sunt de essentia Dei. Itaque eorum subiectum Deus est: & prædicatio accidentalis est, Nomen Dei sanctificatur.

An Vnum possit esse proprium duorum?

THESIS. *Vnum nonnisi* a *Vnius proprium esse potest*, Aristoteles in Topic. 5. & Schegk.	ANTITH. *Vnum potest esse proprium* b *duorum.* Idem Aristot. & Schegk. Topic. 5. loco 24.

Conciliatio.

a *Per se.*	b *Vnius per se & alterius* per accidens.

DECLARATIO.

Vbique esse est proprium per se essentiæ diuinæ. Id ipsum etiam dicitur esse proprium per accidens Christi hominis, vt vera sit propositio, Homo Christus est vbique per accidens. Essentia autem humanitatis neque per se neque per accidens vbique est. Humanitas enim assumpta à verbo est, & manet perpetuo localis quædam natura.

Ἄλλως.

THESIS. *Vnum nonnisi* a *Vnius subiecti seu δεκτικοῦ proprium esse potest.* Aristotel. 5. Topic. loc. 43.	ANTITH. *Vnum* b *duorum subiectorum proprium esse potest.* Aristoteles Topic. 5. loco 24.

CONCILIATIO.

a *Primi seu πρώτȣ, cui primo & immediate ἴδιον inest.* Vel: *Subiecti adæquati.*	b vel: *Quorum vnum est primum, alterum secundum.* Vel: *Quæ simpliciter & per se duo non sunt, sed vnum numero.*

DECLA-

DECLARATIO.

Secundum] id est, cui proprium propter primum illud inesse dicitur. Aristoteles sic loquitur: Quando cuiusdam secundum, seu propter aliud quid quam primum, sit δεύτερον, proprium esse dixeris, ipsum vero etiam de eo cui primo inest, prædicabitur. Aut si de eo, qui primo inest, vere prædicetur, prædicabitur etiam de eo, cui secundum, seu propter aliud, (nempe primum illud) dicitur inesse: vt; si quis superficiei colorari proprium dicat esse, sequitur, vt corporis etiam proprium esse fateamur: Aut si corporis proprium esse dicet colorari, sequitur, vt superficiei etiam proprium esse fateatur. Intellige ἐπιφανείας seu superficiei, (quæ terminus est corporis:) vt primi subiecti, proprium esse, vt sit colorata; Corporis vero visibilis, vt secundi subiecti proprium esse, vt sit coloratum. (color est qualitas visibilis inhærens superficiei corporis terminantis pellucidum primo) Schegkius affert hæc exempla. Ira inest cordi, vt πρώτῳ δεκτικῷ, sed animali affecto, vt δευτέρῳ. Cerebrum somni est πρώτῳ δεκτικόν; Animal secundum. Ex Theologia hoc exemplum est; Deitas est omnipræsens πρώτως κατ' ἄλλο & secundario. (sicut homo Christus κατ' ἄλλο Deus est, nempe secundum Deitatem, non secundum humanitatem. Itaque sicut, siquidem ad exactam veritatis regulam loquamur, caro seu humanitas huius hominis neque πρώτως neque κατ' ἄλλο Deus est; Eadem etiam nec πρώτως, id est, primo & per se, nec κατ' ἄλλο, seu per accidens & secundario omnipræsens erit.

Vel, *Quæ simpliciter duo non sunt*] sic proprium & hominis & huius hominis est posse ridere. Conuenit hoc homini primo, huic homini, vt Catoni, propter hominem. Sed hic homo & homo non differunt realiter. Viuere proprium est & animati & animalis: Animati, primo & immediate: Animalis mediate, seu propter illud primum. Ita igitur participanti & participato μετέχοντι & μετεχομένῳ idem inest proprium, ἀμετάπτωτον esse, est & scientiæ & scientis proprium, diuersa ratione. Sed sciens & scientia subiecto vnum sunt. Diuersa dico ratione. Scientis enim est, quia habet: scientiæ quia habetur. Itaque axioma Aristotelis 5. Top. loco. 43. *Impossibile est idem*

esse plurium proprium, sic limita: *Impossibile est unum, plurium specie & natura discrepantium subiectorum esse proprium:* Eique adde hunc canonem: *Fieri potest, ut aliquid insit & tribuatur uni, ᾗ αὐτὸ* (quia ipsum:) *alteri vero, δευτέρως*, id est, non tanquam subiecto primo, sed propter aliud: (non ipsi qua ipsum.)

PAVLO ALITER.

Vnum idemq; numero adiunctum non potest esse duorum subiectorum. a

Vnum idemque numero adiunctum aliquando est duorum subiectorum. *b*

CONCILIATIO.

a *Inhæsionis duo subiecta non possunt habere unum idemque numero accidens internum.*

b Quorum vnum est inhæsionis, alterum adhæsionis: ita vnius subiecti adiunctum internum est, alterius vero externum.

EXPLICATIO.

Cum humectatur spongia aqua, humiditas est adiunctum internum aquæ: inhæret enim in aqua. Eadem humiditas est spongiæ adiunctum externum: adhæret enim spongiæ: imo ipsa etiam aqua spongiæ adiunctum est eiusmodi. Hinc & aqua & spongia dicitur humida. Fœtoris seu mali odoris subiectum adhærentiæ est homo aliquis, qui stercore illitus male olet: stercus est fœtoris subiectum inhærentiæ, sed mediatum. Halitus est fœtoris subiectum inhærentiæ immediatum seu proximum. Odor florum cum vapore vehitur per aerem ad meas nares: hic odor adiungitur & vapori & flori & aeri & naribus, sed diuersa ratione. Vitrum humectatur vino. Humiditas vini adiunctum est internum: At vitri adiunctum externum. Hinc & vinum & vitrum dicitur humidum, illud magis proprie, hoc minus proprie. Hoc vinum est humidum, est prædicatio formalis. Ista, vitrum est humidum, est prædicatio extrinsecus denominans.

Calor & vis vrendi ignis in poris ferri igniti est adiunctum internum ignis. At ferri adiunctum externum, quale est & ipse ignis: Vnde dicitur & ignis, & ferrum habere calorem & vim vrendi, ac vrere: ille interne, hoc externe. Sed & ferrum hic dicitur, & est calidum, interne calore effecto ab igni. Vis intelligendi est in

anima,

anima, vt in subiecto proprio & immediato: In corde, vt in subiecto mediato, & per aliud: quia anima (quæ vi intelligendi prædita est) est in corde.

Notent hic studiosi obiter Commonefactionem sequentem.

Denominatio rei fit aut ab interno: vt forma, vel adiuncto interno: aut ab externo, vt causa efficiente, vel adiuncto externo. Aut ab vtroque.

Forma] Deus dicitur infinitus, ab infinitate.

Adiun. inter] Absolomus dicitur pulcher à pulchritudine. Aqua est humida per inhærentiam.

Effic.] Sacræ literæ dicuntur diuinæ, quia à Deo profectæ. Agens denominatur ab actione, quæ ab ipso est.

Adi. Extex.] Homo dicitur vestitus, ocreatus, à veste, ocrea. Hoc poculum (vino repletum) est humidum. Spongia est humida. Ecclesia est iusta & in se ipsa & extra ipsã. Iustitia in Ecclesia ipsa & subiectiue est & extra ipsam (in Christo) Caro Christi olim ambulantis in terra & nunc versantis in cœlo, dicitur circumscripta & terminata, tum ratione accidentis interni, nempe triplicis dimensionis; tum ratione accidentis externi, nempe loci physici vel ἐπιφανείας.

An proprium, vni per se oppositum, eidem per accidens attribui possit?

Dum aliquid vni per se conuenit, oppositum eius neque ex accidenti, neque per se eidem conuenire potest. Piccol. grad. 8. cap. 7. Per se creatura, vt caro assumpta à Filio Dei est minor Deo, est finita & circumscripta & in certo VBI. Non potest igitur ex accidenti simul esse æqualis Deo, incircumscripta & vbique.

An Distinctio Accidentis in separabile & inseparabile sit proba?

THESIS. *Forma seu pulchritudo est accidens* a χωριστὸν, *i.e. separabile à corpore.* Logici.

ANTITH. Nullum accidens est à subiecto separabile. b Metaphys.

CONCILIATIO.

a *Ratione* φύσεως, *seu Definitionis, id est, existentia formæ accidentalis in subiecto potest desinere; quia forma illa potest perire.*

b Ratione ipsius ὑπάρξεως seu existentiæ, id est, Nullum accidens seorsum extra subiectum potest existere.

Explicatio vberior.

Conciliatio nititur distinctione vocis ambiguæ, separabilis: quæ, vt melius percipiatur, sic argumentor:

Timpler.

Quicquid moritur, eius anima separatur à corpore.
Bestia moritur. E. bestiæ anima separatur à corpore.

Contra. *Anima, quæ separatur à corpore, est superstes post mortem seu separationem.*

Zabarella.

Anima bestiæ non est superstes post mortem.
Ergo anima bestiæ non separatur à corpore.

Vel, deductione ad absurdum. *Anima, quæ separatur à corpore, est superstes post mortem, seu secretionem. Anima bestiæ separatur à corpore. Ergo anima bestiæ est superstes post mortem seu secretionem.* At conclusio hæc est absurda. Ergo falsa vna è præmissis. At non maior. Ergo minor falsa. Vera igitur eius contradicens. Anima bestiæ non separatur à corpore, vt anima intelligens hominis ab humano corpore. Fallacia æquiuocationis, quæ distinctione seu explicatione vocis detegitur ac soluitur. Bestiæ anima separatur à corpore eius, id est, in eo esse desinit: Est separabilis, id est, potest definere esse in corpore. Bestiæ anima non separatur à corpore, id est, non existit separatim extra corpus, quia interit, vel, vt aliis placet, in nihilum redigitur. Est inseparabilis, id est, existere non potest seorsum & separatim extra subiectum.

REPETITIO QVÆSTIONIS.

An accidens relatiuum cadat in Deum?

Incarnari accidit Filio Dei. Esse Dominum eius, qui modo esse cœpit, accidit seu, aduentitium quid est Deo. Augustinus lib. 5. de Trinitate. Non erat tempus, antequam inciperent tempora, & ideo non in tempore accidit Deo, vt Dominus esset, quia ipsorum temporum Dominus erat, quæ vtique non in tempore esse cœperunt. Quid respondebis de homine, qui in tempore factus est, cuius vtique Dominus non erat, antequam esset, cui esset? Certe vel vt Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo. Et vt omnis videatur auferri controuersia, certe vt tuus Dominus esset aut meus, qui modo esse cœpimus, ex tempore accidit Deo.

AD

AD QVÆST. X.

An idem numero accidens possit dimoueri ex subiecto in subiectum, à subiecto in subiectum commeare, quæstionis est, quæ concluditur hic negate. Species quidem rerum à speciebus vt baiulis, vt sensuum officinis transportantur, & deinde organis sensuum imprimuntur. Sed non eædem numero, verum aliæ numero distinctæ, quibus potentiæ animæ ad sensiones vtantur. Præterea, Nihil quidem est in intellectu, quin prius fuerit in sensu: sed quod prius est in sensu, est singulare: Quod postea in intellectu est, est vniuersale. Differunt autem vniuersale & singulare non re ipsa, sed τῷ λόγῳ. Hæ igitur ἀντιστάσεις nullæ sunt. *An vnum accidens possit esse subiectum alterius accidentis*? Non satis patet, ait Scal. exer. 75. sect. 1. an vnum accidens esse queat alterius subiectum accidentis. Sed affirmatiua sustineri quodam modo posse videtur. Color enim res realis, accidens seu forma accidentalis, est subiectum intensionis seu imaginis & speciei, quæ à colore manat & dependet. Calor aliquis dicitur intensus seu magnus: hic calor accidens, est subiectum magnitudinis virtualis, hoc est, intensionis ipsius.

AD QVÆST. XI.

An idem numero accidens possit simul esse in duobus?

Canon: *Vnum accidens potest inesse duobus subiectis ratione indistinctis; vni primo, alteri secundo.* Accidentia materialia recipiuntur & inhærent πρώτως quantitati: Deinde, id est, quantitatis interuentu, materiæ sub actu formæ, seu prout subest formæ, seu materiæ instructæ, ornatæ, vestitæ forma.

AD QVÆST. XIII.

1, Propria speciei sunt μεθεκτὰ indiuiduis. Proprium enim maxime proprie dictum, conuenit *soli* & *omni*; vt: incedere erecto corpore, est proprium speciei humanæ. Hoc est μεθεκτὸν Iohanni, Petro, Paulo.

2, Proprium essentiale vnius tribui potest alteri, vt adiunctum huius *adhærens*: humiditas propria aquæ tribuitur vitro per contactum superficialem.

3, Proprium essentiale vnius non potest tribui alteri

per *modum inhærentiæ*, eodem sensu: sed æquiuoce & diuersa ratione potest. Bonitas Dei non potest tribui creaturæ, vt subiecto in se recipienti συνωνύμως. Bonitas enim Dei & bonitas creata differunt toto genere. Deus voluit hominem participem facere suæ sapientiæ, & similem sibi, non æqualem.

4. Quod vni competit per essentiam, id est, essentialiter & per se, potest alteri competere per participationem, & vicissim: Quod alteri conuenit per participationem, dicitur alteri competere per essentiam. Quædam mista participant naturam æneam.

AD QVÆST. XVIII.

Substantia substantiæ adhærere potest, vt adiunctum (adhærens) subiecto. Sic adhæret cœnum faciei; vinum poculo, sanguis venæ.

AD CAPVT IV.

De signo & signato GOCLEN.

Signum est ens sensile] Definitio congruit cum sentent. Zabar. (& ante eum Melanchthonis.) Signa non dicuntur illa, nisi quæ manifesta sunt (non occulta) 2. de Misti interitu, cap. 7.

Signum est naturale] σημεῖον est vel τῇ φύσει, vel τῇ θέσει, νόμῳ, συνθήκῃ.

Phantasma] Obiectum facultatis imaginatricis & imaginationis. Aristoteles: *Oportet intelligentem contemplari cum Phantasmatis*, id est, oportet eum, qui intelligit, dum rem aliquam particularem vel vniuersalem considerat, simul per phantasiam circa aliquid singulare obiter versari.

Conceptus] intell. *interior*. Estque perfectus, vel imperfectus: vt, conceptus nostri de Deo non sunt exacti, perfecti, adæquati.

Noema] Simulacrum rei dicit; Quia res sunt mensura & causa noematum, sicut noemata esse dicuntur mensura verborum & orationis.

Entia sunt { Res ipsæ, vt lapis. / Simulacra rei, species rerum, rerum noemata: vt, species animis consignatæ. Hæ sunt sine materia, earumque esse est diminutũ & imperfectum. Quia Notionale.

Latine dicitur Notio] Scaligero, *Notiones ſunt rerum ſigna in intellectu, per ſpecies cognoſcente*, Exercitat. 6. ſectio 4.

Sacramenta] Hæc etſi ſenſilia ſunt, quia ſigna ſunt; tamen dicuntur *Myſteria*, ratione ſignificationis arcanæ: Non autem ratione abſentiæ, vel præſentiæ corporalis: Panem fractum cœnæ eſſe myſterium corporis Dominici, nihil aliud eſt, quam eſſe ſignum ſacramentale corporis pro nobis in mortem traditi. Sacramenta ſunt res externæ & ſenſibus obuiæ, ſed ſignificatio eorum arcana & myſtica eſt, nec poteſt cognoſci, niſi ex verbo Dei. Et communio noſtra cum Chriſto eſt myſterium, id eſt, res abſcondita humanæ rationi. Coniugium non eſt res arcana, ſed omnibus nota. Illud autem arcanum eſt, cuius imago eſt coniugium, nempe coniunctio Chriſti capitis cum Eccleſia, vt membris: & hac ratione coniugium *myſterium* dicitur. *Sacramenta ſunt ſigna rerum aliud ſignificantia, aliud exiſtentia*, ait Auguſtinus. Quatenus aliud ſignificant, eatenus ſunt inſenſilia: Quatenus aliud exiſtunt, eatenus ſenſilia ſunt. Τὸ *Aliud exiſtentia*, reſpicit eſſentiam eorum abſolutam: τὸ *Aliud ſignificantia*, reſpicit eſſentiam relatiuam, quæ abuſu tolli poteſt, manente abſoluta.

Syntategorema] Quædam voces ſunt ſimul categorema & ſyncateg. vt, Nemo, cum dicitur, *Nemo ſine crimine viuit*, pro *nullus homo*. Moderatio ſeu Determinatio addita Categorumeno, vocatur ἐπικατηγορούμενον. vt: Hic homo eſt creator mundi ſecundum Deitatem: κατηγορούμενον, creator mundi, ἐπικατηγορούμενον ſecundum Deitatem.

Vox abſtracta] Prædicatio in concreto dicitur, quæ fit voce concretiua. In abſtracto, quæ fit voce abſtractiua: vt, Deus eſt ipſa bonitas. Theologis nonnunquam concretum idem eſt, quod *Totum*: Abſtractum, idem quod *pars*; vt cum dico: *Deus redemit nos*, ſumo ſubiectum *Deus*, concrete, id eſt, pro tota perſona, ſecundum vtramque naturam. Cum dico, *Deus eſt homo*, id eſt, habet humanitatem, ſumo prædicatum abſtracte, id eſt, partialiter pro altera natura; ita tamen, vt locutio abſtractiua falſa ſit, *Deus eſt ipſa humanitas*. In

abstracto aliquid considerare sępe accipitur pro eo, quod est, per sese considerare. Vnde abstractum quoque Secretum dici potest.

Voces concretæ] Græcis vocabula συνδεδυασμένα dicuntur, quæ attributum cum subiecto significant. Ab abstractis differunt Modo significationis consentiente Scaligero in libro de causis L. L. simitas, curuitas nasi, Simũ, nasus curuus est. Fit autem, vt nonnunquam vox concrete, nonnunquam abstracte significet & accipiatur: vt, Imago accipitur concrete: cum dicitur, *Homo est imago Dei*, seu *effigies eius*: Abstracte, cum dicitur, *Homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei.* Cognata est distinctio inter voces absolutas & connotatiuas. Illæ absolute & simpliciter significant: hæ connotant, id est, significant formam, connotato subiecto. Vide Fonsec. 8. primæ Philos. p. 471. Sic differunt, Hic homo & Filius Mariæ, vt absolutum & connotatiuum.

Propter mutuam rerum inter se analogiam] Hinc *Analoga* dicuntur. Analogum est, inquit Zabarella, de Phys. constit. c. 10. quod multa continet ordine quodam, vnum prius, alterum posterius. Exempla analogorum sunt, Bonum, Sanum, Salubre, Natura, Amicitia. Habent enim rationes diuersas, vnam primariam respicientes. Vocatur à Græcis πρὸς ἕν. Tale est & id, quo viuitur.

Ad Qvæst. II:

Signi essentia constituta est in signando. Itaque quod nihil signat, signum non est. Materiale igitur & formale in eo consideratur. Verbum Dei, quo se Deus Ecclesiæ patefecit, quodque est norma fidei & vitæ, est signum sacrum. (Non enim est in prædicamento substantiæ, sed relationis.) Materiale eius, Sonvs, qui percipitur aure, vel ipsæ literæ, syllabæ, voces sono prolatæ aut scriptæ. Formale, quod animo percipitur; vis significandi, seu ipse sensus vocibus impositus. Vtilis hæc est consideratio. Quæritur enim, an Ius pro legibus, & ius pro offa macerata sit vna vox, an duæ? Logicus pronunciat esse duos terminos: Philosophus, duas voces; Duas, inquam, Formaliter. Duplex enim est significatio. Hinc Canon; *Quot sunt significationes, tot sunt voces.* Formaliter. Grammatico

matico Palpo [*as*] & palpo (*onis*) duæ voces ſunt Materialiter, vide Conciliatorem. 645

AD IV.

An ſignum & ſignatum ſemper ſint ſimul?

Negatio vera eſt, Res ſignatæ enim interdum ſubſtantialiter ſunt in ſignis: Interdum non. Ratio eſt diuerſa natura rerum ſignatarum. Prout ſunt res ſignatæ, ita ſunt, vel non ſunt realiter in ſignis. Angeli ſubſtantialiter erant præſentes in ſpeciebus corporalibus, in quibus apparebant Patribus & Prophetis, non propter naturam ſignorum, ſed propter ipſorum acceſſum, ad ea loca, in quibus ſe patefaciebant. At corpus Domini, *Fidei noſtra præſens*, in ſymbolo Cœnæ non eſt ſubſtantialiter: non enim panem ingreditur, ſeu inuadit, non ad panem accedit: vt Angeli ad ſpecies ſuas: nec panem aſſumit, geſtat, mouet, vt angeli ſuas ſpecies viſibiles & corporales. Non igitur neceſſaria eſt in exiſtentia realis ſignati in ſigno. Diſtingue in ſolutione huius dubii inter ἅμα & ὁμοῦ. Signum & ſignatum ſunt ἅμα ſemper; ſed non ſemper ſunt ὁμοῦ. ὁμοῦ ſignificat coniunctionem localem: ἅμα, vt mihi ita loqui liceat, Simultatem Naturæ vel temporis. Exemplis quæſtionem propoſitam illuſtrabo. Arrabo, vel pignus ad rem, cuius pignus eſt vel arrabo, habet ſe, vt ſignum ad rem ſignatam. Rem abſentem autem cum tibi trado, pignore tradito ſeu Arrabone, res ſimul cum pignore traditur tibi. Verum, an propterea res ipſa ὀντωδῶς eſt cum pignore & in pignore? Minime gentium. Traditione clauis transfertur domus; an ideo domus in claue? *Cui ſupplici non illa dextra fidem porrexit?* ait Cicero: Ideone fides realiter ineſt in dextra, quæ fidei teſtis & certificans ſignum eſt? *Qui mihi primus afflicto & iacenti conſularem fidem dextramque porrexit*, ait idem Orator: At quomodo cum dextera per indiſtantiam loci eſt fides, quæ non habetur in manu dextra, ſed in animo?

AD QVÆST. XII.

Quæritur: *An omnes voces humanæ ſignificent?* Reſp. Per diſtinctionem Poteſtatis & actus. Omnes voces humanæ poteſtate ſignificant, ſeu ſignificatiuæ ſunt, quia poteſt iis imponi ſignificatio: ſed non ſunt omnes actu ſignificantes: quia multis nulla eſt impoſita ſignificatio.

gorae: Ergo Luna est terra. Recitator est liber loquens Scaligero: Ergo recitator est Liber. Singulare est vniuersale, circumscriptum vltimis propriis conditionibus (Scaliger.) Ergo vniuersale est singulare. Persona est essentia diuina hypostatica, charactere notata: Ergo persona est essentia diuina. Porro essentia diuina est vna: Persona est essentia diuina. Ergo persona est vna, ἀσεβὲς & ἀθεόλογον. Liberalitas est prodigalitas moderata: Ergo liberalitas est prodigalitas. Magnificentia est ambitio cum recta ratione: Ergo Magnificentia est ambitio. Fortitudo est consulta audacia (Scal.) Ergo fortitudo est audacia. Acetum est vinum corruptum: Ergo acetum est vinum? Resp. Ratio haec est. Dictum secundum quid (κατά τι λεγόμενον,) non potest praedicari simpliciter (ἁπλῶς) seu: consequentia à coniunctis seu compositis, ad diuisa, seu separata nulla est: cum adiectio est diminuens, seu adiacenti aliquid contrarii inest (ὅταν προσκειμένῳ τῶν ἀντικειμένων τι ἐνυπάρχει) vt, in huius propositionis, cadauer est animal mortuum, προσκειμένῳ praedicato animali includitur antiphasis, id est, contradictio alterius praedicati mortui. Huc referimus Oratorum ὀξύμωρον (acute fatuum:) vt, Insanientis gens sapientiae, apud Buchan. strenua nos exercet inertia, apud Horatium: δῶρα ἄδωρα.

At cur contra ἀντιλῆψις illatioque haec vera est? Hic est falsus testis. Ergo est testis. Haec propositio est falsa: Ergo est propositio? Resp. Ratio haec est, προσκείμενον hic non implicat contradictionem. Testium enim alii veri sunt, alii falsi: distributione reali. Ac veritas & falsitas sunt propria πάθη enunciatorum, etsi enunciatum προσώπως vero conuenire videatur. Quod si omnino ὁμωνύμως falsum diceretur enunciatum, non valeret vtique consequentia. Hoc enunciatum, est falsum. Ergo est enunciatum. Restat vna atque altera commonefactio, 1. de syncategoremate: cum dico: Omnes Christi Apostoli fuerunt duodecim, τὸ *omnes*, accipitur collectiue, non Syncategorematice.

2. De adsignificatione. Dicuntur & subiectum & praedicatum, vt vocabula artis seu technologice sumpta, Adsignificantia (προσσημαίνοντα) respectu hominis & animalis, quae sunt significantia, sicut in Grammatica, Nume-

Numerus, Casus, Declinatio, Persona, Species & similia accidentia sunt adsignificantia, & dicuntur *adsignificationes* respectu significantium & significationum: Amo, Magister, Ego, quorũ hæc attributa sunt πτωτικά. 3, De idem significantibus: idem declarantia ταὐτὸ σημαίνοντα: quæ interdum dicuntur συνώνυμα, Synonyma: interdum πολυώνυμα, polyonyma, quia vna res duo habet vel plura nomina: talia sunt vbique esse & omnipræsens esse. Ex Arist. & Damasc. hoc alibi ostendi. 646

An signo attribuatur nonnunquam res signata?

Signum sæpe nomen rei signatæ accipit: vt, panis Eucharisticus nomen corporis Domini. August n. ad Bonifacium Epist. 23. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent.* Ex similitudine autem hac plerumque etiam *ipsarum rerum nomina accipiunt.* Sacramentum corporis est corpus Christi, secundum quendam modum, &c. & paulo post: *Consepulti,* inquit Apostolus, *sumus Christo per Baptismum in mortem.* Non ait, *sepulturam significamus, sed prorsus ait, consepulti sumus.* Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi *eiusdem rei vocabulo nuncupatur.* Idem libr. 4. de doctrina Christiana, cap. 20. *Petra erat Christus, quia petra illa typum habuit corporis Christi* De Trinitate lib. 3. cap. 4. *Illud corpus & sanguinem Christi dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum rite sumimus; ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.* Cyprianus de vnctione Chrismatis. In mensa Domini significantia, & significata iisdem vocabulis censentur. Panis igitur Eucharisticus est ipsum corpus Christi, mystice, id est, per modum mysterii significantis aliud, quam videtur, & non ipsum essentialiter. At enim, inquit noster aduersarius, *sicut res signata prædicatur Corpus Dominicum de sacramentali pane, non prædicabitur, vt effectum de instrumento seu medio externo.* Respondeo ego, pueriles has esse nugas, hanc consecutionem nullam esse, cum panis Eucharistias & signi ac testimonii, & externi medii instrumentique rationem habeat. Panis ille est corpus Dominicum per muneris gratiam, vt Chrysostomus lo-

esse plurium proprium, sic limita: *Impossibile est vnum, plurium specie & natura discrepantium subiectorum esse proprium:* Eique adde hunc canonem: *Fieri potest, vt aliquid insit & tribuatur vni, ἡ αὐτὸ* (quia ipsum:) *alteri vero, δευτέρως*, id est, non tanquam subiecto primo, sed propter aliud: (non ipsi qua ipsum.)

PAVLO ALITER.

Vnum idemq; numero adiunctum non potest esse duorum subiectorum. a

Vnum idemque numero adiunctum aliquando est duorum subiectorum. *b*

CONCILIATIO.

a *Inhæsionis duo subiecta non possunt habere vnum idemque numero accidens internum.*

b Quorum vnum est inhæsionis, alterum adhæsionis: ita vnius subiecti adiunctum internum est, alterius vero externum.

EXPLICATIO.

Cum humectatur spongia aqua, humiditas est adiunctum internum aquæ: inhæret enim in aqua. Eadem humiditas est spongiæ adiunctum externum: adhæret enim spongiæ: imo ipsa etiam aqua spongiæ adiunctum est eiusmodi. Hinc & aqua & spongia dicitur humida. Fœtoris seu mali odoris subiectum adhærentiæ est homo aliquis, qui stercore illitus male olet: stercus est fœtoris subiectum inhærentiæ, sed mediatum. Halitus est fœtoris subiectum inhærentiæ immediatum seu proximum. Odor florum cum vapore vehitur per aerem ad meas nares: hic odor adiungitur & vapori & flori & aeri & naribus, sed diuersa ratione. Vitrum humectatur vino. Humiditas vini adiunctum est internum: At vitri adiunctum externum. Hinc & vinum & vitrum dicitur humidum, illud magis proprie, hoc minus proprie. Hoc vinum est humidum, est prædicatio formalis. Ista, vitrum est humidum, est prædicatio extrinsecus denominans.

Calor & vis vrendi ignis in poris ferri igniti est adiunctum internum ignis. At ferri adiunctum externum, quale est & ipse ignis: Vnde dicitur & ignis, & ferrum habere calorem & vim vrendi, ac vrere: ille interne, hoc externe. Sed & ferrum hic dicitur, & est calidum, interne calore effecto ab igni. Vis intelligendi est in

anima,

anima, vt in ſubiecto proprio & immediato: In corde, vt in ſubiecto mediato, & per aliud: quia anima (quæ vi intelligendi prædita eſt) eſt in corde.

Notent hic ſtudioſi obiter Commonefactionem ſequentem.

Denominatio rei fit aut ab interno: vt forma, vel adiuncto interno: aut ab externo, vt cauſa efficiente, vel adiuncto externo. Aut ab vtroque.

Forma] Deus dicitur infinitus, ab infinitate.

Adiun. inter] Abſolomus dicitur pulcher à pulchritudine. Aqua eſt humida per inhærentiam.

Effic.] Sacræ literæ dicuntur diuinæ, quia à Deo profectæ. Agens denominatur ab actione, quæ ab ipſo eſt.

Adi. Extex.] Homo dicitur veſtitus, ocreatus, à veſte, ocrea. Hoc poculum (vino repletum) eſt humidum. Spongia eſt humida. Eccleſia eſt iuſta & in ſe ipſa & extra ipſā. Iuſtitia in Eccleſia ipſa & ſubiectiue eſt & extra ipſam (in Christo) Caro Christi olim ambulantis in terra, & nunc verſantis in cœlo, dicitur circumſcripta & terminata, tum ratione accidentis interni, nempe triplicis dimenſionis; tum ratione accidentis externi, nempe loci phyſici vel *ἐπιφανείας*.

An proprium, vni per ſe oppoſitum, eidem per accidens attribui poſſit?

Dum aliquid vni per ſe conuenit, oppoſitum eius neque ex accidenti, neque per ſe eidem conuenire poteſt. Piccol. grad. 8. cap. 7. Per ſe creatura, vt caro aſſumpta à Filio Dei eſt minor Deo, eſt finita & circumſcripta & in certo Vbi. Non poteſt igitur ex accidenti ſimul eſſe æqualis Deo, incircumſcripta & vbique.

An Distinctio Accidentis in ſeparabile & inſeparabile ſit proba?

Thesis. *Forma ſeu pulchritudo eſt accidens a χωριστὸν, i.e. ſeparabile à corpore.* Logici.

Antith. Nullum accidens eſt à ſubiecto ſeparabile. b Metaphyſ.

Conciliatio.

a *Ratione φθορᾶς, ſeu Deſitionis, id eſt, exiſtentia forma accidentalis in ſubiecto poteſt deſinere; quia forma illa poteſt perire.*

b Ratione ipſius ὑπάρξεως ſeu exiſtentiæ, id eſt, Nullum accidens ſeorſum extra ſubiectum poteſt exiſtere.

Explicatio vberior.

Conciliatio nititur distinctione vocis ambiguæ, separabilis: quæ, vt melius percipiatur, sic argumentor:

Timpler. *Quicquid moritur, eius anima separatur à corpore.*
Bestia moritur. E. bestiæ anima separatur à corpore.

Contra. *Anima, quæ separatur à corpore, est superstes post mortem seu separationem.*

Zabarella. *Anima bestiæ non est superstes post mortem.*
Ergo anima bestiæ non separatur à corpore.

Vel, deductione ad absurdum. *Anima, quæ separatur à corpore, est superstes post mortem, seu secretionem. Anima bestiæ separatur à corpore. Ergo anima bestiæ est superstes post mortem seu secretionem.* At conclusio hæc est absurda. Ergo falsa vna è præmissis. At non maior. Ergo minor falsa. Vera igitur eius contradicens. Anima bestiæ non separatur à corpore, vt anima intelligens hominis ab humano corpore. Fallacia æquiuocationis, quæ distinctione seu explicatione vocis detegitur ac soluitur. Bestiæ anima separatur à corpore eius, id est, in eo esse desinit: Est separabilis, id est, potest desinere esse in corpore. Bestiæ anima non separatur à corpore, id est, non existit separatim extra corpus, quia interit, vel, vt aliis placet, in nihilum redigitur. Est inseparabilis, id est, existere non potest seorsum & separatim extra subiectum.

Repetitio Quæstionis.

An accidens relatiuum cadat in Deum?

Incarnari accidit Filio Dei. Esse Dominum eius, qui modo esse cœpit, accidit seu, aduentitium quid est Deo. Augustinus lib. 5. de Trinitate. Non erat tempus, antequam inciperent tempora, & ideo non in tempore accidit Deo, vt Dominus esset, quia ipsorum temporum Dominus erat, quæ vtique non in tempore esse cœperunt. Quid respondebis de homine, qui in tempore factus est, cuius vtique Dominus non erat, antequam esset, cui esset? Certe vel vt Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo. Et vt omnis videatur auferri controuersia, certe vt tuus Dominus esset aut meus, qui modo esse cœpimus, ex tempore accidit Deo.

AD QVÆST. X.

An idem numero accidens possit dimoueri ex subiecto in subiectum, à subiecto in subiectum commeare, quæstionis est, quæ concluditur hic negate. Species quidem rerum à speciebus vt baiulis, vt sensuum officinis transportantur, & deinde organis sensuum imprimuntur. Sed non eædem numero, verum aliæ numero distinctæ, quibus potentiæ animæ ad sensiones vtantur. Præterea, Nihil quidem est in intellectu, quin prius fuerit in sensu: sed quod prius est in sensu, est singulare: Quod postea in intellectu est, est vniuersale. Differunt autem vniuersale & singulare non re ipsa, sed τῷ λόγῳ. Hæ igitur ἐνστάσεις nullæ sunt. *An vnum accidens possit esse subiectum alterius accidentis*? Non satis patet, ait Scal, exer. 75. sect. 1. an vnum accidens esse queat alterius subiectum accidentis. Sed affirmatiua sustineri quodam modo posse videtur. Color enim res realis, accidens seu forma accidentalis, est subiectum intensionis seu imaginis & speciei, quæ à colore manat & dependet. Calor aliquis dicitur intensus seu magnus: hic calor accidens, est subiectum magnitudinis virtualis, hoc est, intensionis ipsius.

AD QVÆST. XI.

An idem numero accidens possit simul esse in duobus?

Canon: *Vnum accidens potest inesse duobus subiectis ratione indistinctis; vni primo, alteri secundo.* Accidentia materialia recipiuntur & inhærent πρώτως quantitati: Deinde, id est, quantitatis interuentu, materiæ sub actu formæ, seu prout subest formæ, seu materiæ instructæ, ornatæ, vestitæ forma.

AD QVÆST. XIII.

1, Propria speciei sunt μεθεκτὰ indiuiduis. Proprium enim maxime proprie dictum, conuenit *soli* & *omni*; vt: incedere erecto corpore, est proprium speciei humanæ. Hoc est μεθεκτὸν Iohanni, Petro, Paulo.

2, Proprium essentiale vnius tribui potest alteri, vt adiunctum huius *adhærens:* humiditas propria aquæ tribuitur vitro per contactum superficialem.

3, Proprium essentiale vnius non potest tribui alteri

per *modum inhaerentiae*, eodem sensu: sed aequiuoce & diuersa ratione potest. Bonitas Dei non potest tribui creaturae, vt subiecto in se recipienti συνωνύμως. Bonitas enim Dei & bonitas creata differunt toto genere. Deus voluit hominem participem facere suae sapientiae, & similem sibi, non aequalem.

4. Quod vni competit per essentiam, id est, essentialiter & per se, potest alteri competere per participationem, & vicissim: Quod alteri conuenit per participationem, dicitur alteri competere per essentiam. Quaedam mista participant naturam aeneam.

AD QVAEST. XVIII.

Substantia substantiae adhaerere potest, vt adiunctum (adhaerens) subiecto. Sic adhaeret coenum faciei; vinum poculo, sanguis venae.

AD CAPVT IV.

De signo & signato GOCLEN.

Signum est ens sensile] Definitio congruit cum sentent. Zabar. (& ante eum Melanchthonis.) Signa non dicuntur illa, nisi quae manifesta sunt (non occulta) 2. de Misti interitu, cap. 7.

Signum est naturale] σημεῖον est vel τῇ φύσει, vel τῇ θέσει, νόμῳ, συνθήκῃ.

Phantasma] Obiectum facultatis imaginatricis & imaginationis. Aristoteles: *Oportet intelligentem contemplari cum Phantasmatis*, id est, oportet eum, qui intelligit, dum rem aliquam particularem vel vniuersalem considerat, simul per phantasiam circa aliquid singulare obiter versari.

Conceptus] intell. *interior*. Estque perfectus, vel imperfectus: vt, conceptus nostri de Deo non sunt exacti, perfecti, adaequati.

Noema] Simulacrum rei dicit; Quia res sunt mensura & causa noematum, sicut noemata esse dicuntur mensura verborum & orationis.

Entia sunt { Res ipsae, vt lapis.
Simulacra rei, species rerum, rerum noemata: vt, species animis consignatae. Hae sunt sine materia, earumque esse est diminutũ & imperfectum. Quia Notionale.

Latine dicitur Notio] Scaligero, *Notiones sunt rerum signa in intellectu, per species cognoscente*, Exercitat. 6. sectio 4.

Sacramenta] Hæc etsi sensilia sunt, quia signa sunt; tamen dicuntur *Mysteria*, ratione significationis arcanæ: Non autem ratione absentiæ, vel præsentiæ corporalis: Panem fractum cœnæ esse mysterium corporis Dominici, nihil aliud est, quam esse signum sacramentale corporis pro nobis in mortem traditi. Sacramenta sunt res externæ & sensibus obuiæ, sed significatio eorum arcana & mystica est, nec potest cognosci, nisi ex verbo Dei. Et communio nostra cum Christo est mysterium, id est, res abscondita humanæ rationi. Coniugium non est res arcana, sed omnibus nota. Illud autem arcanum est, cuius imago est coniugium, nempe coniunctio Christi capitis cum Ecclesia, vt membris: & hac ratione coniugium *mysterium* dicitur. *Sacramenta sunt signa rerum aliud significantia, aliud existentia*, ait Augustinus. Quatenus aliud significant, eatenus sunt insensilia: Quatenus aliud existunt, eatenus sensilia sunt. Tò *Aliud existentia*, respicit essentiam eorum absolutam: τὸ *Aliud significantia*, respicit essentiam relatiuam, quæ abusu tolli potest, manente absoluta.

Syncategorema] Quædam voces sunt simul categorema & syncateg. vt, Nemo, cum dicitur, *Nemo sine crimine viuit*, pro *nullus homo*. Moderatio seu Determinatio addita Categorumeno, vocatur ἐπικατηγορούμενον. vt: Hic homo est creator mundi secundum Deitatem: κατηγορούμενον, creator mundi, ἐπικατηγορούμενον secundum Deitatem.

Vox abstracta] Prædicatio in concreto dicitur, quæ fit voce concretiua. In abstracto, quæ fit voce abstractiua: vt, Deus est ipsa bonitas. Theologis nonnunquam concretum idem est, quod *Totum*: Abstractum, idem quod *pars*; vt cum dico: *Deus redemit nos*, sumo subiectum *Deus*, concrete, id est, pro tota persona, secundum vtramque naturam. Cum dico, *Deus est homo*, id est, habet humanitatem, sumo prædicatum abstracte, id est, partialiter pro altera natura; ita tamen, vt locutio abstractiua falsa sit, *Deus est ipsa humanitas*. In

abstracto aliquid considerare ſæpe accipitur pro eo, quod est, per ſeſe conſiderare. Vnde abstractum quoque Secretum dici poteſt.

Voces concretæ] Græcis vocabula συνδεδυασμένα dicuntur, quæ attributum cum ſubiecto ſignificant. Ab abſtractis differunt MODO ſignificationis conſentiente Scaligero in libro de cauſis L. L. ſimitas, curuitas naſi, Simũ, naſus curuus eſt. Fit autem, vt nonnunquam vox concrete, nonnunquam abſtracte ſignificet & accipiatur: vt, Imago accipitur concrete: cum dicitur, *Homo eſt imago Dei*, ſeu *effigies eius:* Abſtracte, cum dicitur, *Homo conditus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* Cognata eſt diſtinctio inter voces abſolutas & connotatiuas. Illæ abſolute & ſimpliciter ſignificant: hæ connotant, id eſt, ſignificant formam, connotato ſubiecto. Vide Fonſec. 8. primæ Philoſ. p. 471. Sic differunt, Hic homo & Filius Mariæ, vt abſolutum & connotatiuum.

Propter mutuam rerum inter ſe analogiam] Hinc *Analoga* dicuntur. Analogum eſt, inquit Zabarella, de Phyſ. conſtit. c. 10. quod multa continet ordine quodam, vnum prius, alterum poſterius. Exempla analogorum ſunt, Bonum, Sanum, Salubre, Natura, Amicitia. Habent enim rationes diuerſas, vnam primatiam reſpicientes. Vocatur à Græcis πρὸς ἕν. Tale eſt & id, quo viuitur.

AD QVÆST. II:

Signi eſſentia conſtituta eſt in ſignando. Itaque quod nihil ſignat, ſignum non eſt. Materiale igitur & formale in eo conſideratur. Verbum Dei, quo ſe Deus Eccleſiæ patefecit, quodque eſt norma fidei & vitæ, eſt ſignum ſacrum. (Non enim eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ſed relationis.) Materiale eius, SONVS, qui percipitur aure, vel ipſæ literæ, ſyllabæ, voces ſono prolatæ aut ſcriptæ. Formale, quod animo percipitur; vis ſignificandi, ſeu ipſe ſenſus vocibus impoſitus. Vtilis hæc eſt conſideratio. Quæritur enim, an Ius pro legibus, & ius pro offa macerata ſit vna vox, an duæ? Logicus pronunciat eſſe duos terminos: Philoſophus, duas voces; Duas, inquam, Formaliter. Duplex enim eſt ſignificatio. Hinc Canon; *Quot ſunt ſignificationes, tot ſunt voces.* Formaliter. Grammatico

matico Palpo [*as*] & palpo (*onis*) duæ voces sunt Materialiter, vide Conciliatorem.

645

AD IV.

An signum & signatum semper sint simul?

Negatio vera est, Res signatæ enim interdum substantialiter sunt in signis: Interdum non. Ratio est diuersa natura rerum signatarum. Prout sunt res signatæ, ita sunt, vel non sunt realiter in signis. Angeli substantialiter erant præsentes in speciebus corporalibus, in quibus apparebant Patribus & Prophetis, non propter naturam signorum, sed propter ipsorum accessum, ad ea loca, in quibus se patefaciebant. At corpus Domini, *Fidei nostræ præsens*, in symbolo Cœnæ non est substantialiter: non enim panem ingreditur, seu inuadit, non ad panem accedit: vt Angeli ad species suas: nec panem assumit, gestat, mouet, vt angeli suas species visibiles & corporales. Non igitur necessaria est in existentia realis signati in signo. Distingue in solutione huius dubii inter ἅμα & ὁμοῦ. Signum & signatum sunt ἅμα semper; sed non semper sunt ὁμοῦ. ὁμοῦ significat coniunctionem localem: ἅμα, vt mihi ita loqui liceat, Simultatem Naturæ vel temporis. Exemplis quæstionem propositam illustrabo. Arrabo, vel pignus ad rem, cuius pignus est vel arrabo, habet se, vt signum ad rem signatam. Rem absentem autem cum tibi trado, pignore tradito seu Arrabone, res simul cum pignore traditur tibi. Verum, an propterea res ipsa ἐνσωμάτως est cum pignore & in pignore? Minime gentium. Traditione clauis transfertur domus; an ideo domus in claue? *Cui supplici non illa dextra fidem porrexit?* ait Cicero: Ideone fides realiter inest in dextra, quæ fidei testis & certificans signum est? *Qui mihi primus afflicto & iacenti consularem fidem dextramque porrexit*, ait idem Orator: At quomodo cum dextera per indistantiam loci est fides, quæ non habetur in manu dextra, sed in animo?

AD QVÆST. XII.

Quæritur: *An omnes voces humanæ significent?* Resp. Per distinctionem Potestatis & actus. Omnes voces humanæ potestate significant, seu significatiuæ sunt, quia potest iis imponi significatio: sed non sunt omnes actu significantes: quia multis nulla est imposita significatio.

caro non agit. 4, Quantitas virtualis est forma actiua, quia non est de genere quantitatis.

AD QVÆST. LXXI.

An omnis forma sit separabilis?

Quod vulgo statuitur, *quasdam formas esse separabiles, quasdam esse inseparabiles*, ego defendo: separabiles sunt, quæ ita separantur à materia subiecta, vt separate seiunctcque existere & perdurare possint: vt anima rationalis. Inseparabiles, quæ non possunt separari à materia (cui insunt) vt saluæ perdurent. Sic brutorum animæ non sunt separabiles à corpore, sed intereunt & euanescunt. (Sicut accidentia mutato homine non separantur ab homine, sed abiecta intereunt.)

Generatim: Formæ quæ extra materiam cohærere non possunt, quia à forma, quo ad suum esse dependent, euanescunt. Zabarella meus est de facultatibus animæ, cap. 9. Ex interitu animæ vegetantis per necessariam consecutionem sentiens, simul interit: (non permanet) rationalis à corpore separatur.

AD QVÆST. LXXIV.

De causa sine qua non.

Sancta Christi vita est causa sine qua non iustificationis nostræ coram Deo. Causa eius meritoria est passio, mors & effusio sanguinis Christi. Lumen est medium, cuius interuentu res cernuntur. Approximatio est necessaria ad hoc, vt agens naturale agat in patiens. Phys. 6. Aristot. id est, appropinquatio est conditio necessario requisita ad actionem, ita, vt ea remota agens agere nequeat. Antequam transeam ad caput III. subiiciam paucas commonefactiones de effectis. 1, Effectus in actu, & causa in actu necessario simul sunt. 2, Effectus aliqui manent, absente causa particulari, aliqui non manent: vt calor manet in subiecto, etiam remota calefaciente: at sonus, effectus per actum cithara canendi, non manet, nisi præsente & durante actione, quæ transiens est. 3, Multi effectus naturales sunt contingentes: quia possunt esse & non esse. 4, Effectum aliquod potest produci tam à causa vniuoca, quam ab æquiuoca, cuiusmodi sunt ea, quæ generantur, tum per propagationem ex semine, tum per putrefactionem. 7. Metaphys. 5. Ad ea autem, quæ generantur per putrefactionem,

ctionem non tantum requiritur virtus actiua vniuersalis, puta Solis, sed concurrit aliqua virtus actiua particularis, puta calor elementaris & humidum aliquod, quod in materia putrefacta inest. 6, Effectus vniuocus habet nobilius esse in se quam in causa sua. 7, Effectus emanans non potest nisi in eo ipso recipi, à quo emanat, vt potentia sentiendi fluens ab anima, in anima corpori coniuncta, recipitur. 8, Apotelesma est effectum perfectum vnius vel plurium causarum, vt mundus est apotelesma seu ἔργον (opus) ἀποτέλεστον solius Dei 9. Virtus enim creatiua ita solius Dei est, vt nulli enti finito possit communicari etiam tanquam instrumento. Soncinas.

AD CAP. III.

Explicationes Goclenianæ.

Omne ens] Alii restringunt hanc diuisionem ad ens creatum. Scaliger ait Exerc. 307. sect. 26. Beatitudo (αὐτοαγαθόν.) quæ Deus est, neque in subiecto est, neque ipsum subiectum.

Subiectum est] Similitudo quædam intercedit inter Genus & Subiectum. Vnde subiectum & genus dicuntur esse idem analogia, Ac interdum concurrunt, licet eorum ratio respectetur, sint diuersa. Vocis genus est sonus, adiunge ei in differentiam formari & proferri instrumento animalis, sonus erit subiectum formationis huius, quæ organo fit.

Vniuersale] Zabarellæ subiectum est adæquatum, vel præcipuum, vide lib. eius de partitione animæ pag. 668. Scholastici etiam distinguunt inter subiectum QVOD & medium, seu, QVO: ac illud nonnunquam *Totale*, hoc vero *Partiale* vocant. Adæquatum etiam vocant *Appropriatum.*

Vtrumque est absolutum vel limitatum] Pertinet etiam ad obiectum. Nam *idem variis limitatum accidentibus, variis scientiis subiicitur*; vt homo qua virtutis particeps, Ethicæ: qua valetudinis, Medicæ arti: qua φύσια naturalis est, Physiologiæ subiicitur hoc est obiicitur.

Obiectum] Scholastici obiectum nonnunquam vocant terminum: Obiectum seu terminus potentiæ creantis est ENS: Vacuum non est ens: Ergo Deus non potuit facere vacuum.

Dicitur adiunctum essentiale.] Improprie συςατικόν. Dicitur autem hoc sensu systaticum, quia res sine eo non potest consistere, id est, perdurare. Nonnunquam dicitur *Naturale*, quia natura & essentia sæpe idem significant. Damascenus vocat παρεπόμενον τῇ φύσει, quod propriam cuiusque rei naturam necessario consequitur. Tale adiunctum corporis est circumscriptio. Caro Christi physica etiam ratione, id est, quia vera caro est, & ex naturæ suæ vera definitione ac proprietate, etiam in ipso cœlo est circumscripta.

Proprium adiunctum] Propria accidentia vocantur à Græcis, Τὰ καθ' αὐτὰ συμβεβηκότα. Hæc sunt simplicia: vt, docilitas hominis: vel è contrariis composita; vt, par vel impar, numeri.

Natiuum] Adiunctum πεφυκὸς dicitur, id est, aptum natum, seu habile. Adiunctum dicitur ἔμφυτον, id est, natura insitum, & συμφυὴς, id est, connaturale.

Aduentitium] Alias, *accidentale*.

Post ortum.] non naturæ necessitate. Huc pertinet Gratia habitualis (ἑκτικὴ) in Christo, quæ est singularis prærogatiuæ, vt dotes & vires eius supernaturales.

Accidens proprium est aut commune.] Accidens proprium semper habet externam causam, ratione suæ essentiæ, à qua dependet. Ergo demonstrari potest. Commune autem à scientia demonstratiua reiicitur. Demonstrator etiam quærit πρῶτον δεκτικὸν proprii, seu propriæ affectionis. Morbi & sanitatis πρῶτον δεκτικὸν (primum subiectum recipiens) est Animal, propter certa accidentia. Vide Iacob. Schegkium in comment. in Prædicamenta Aristot. pag. 82.

An propria naturalia & essentialia idem sint?

Quia οὐσία & φύσις interdum accipiuntur pro eodem, essentialia etiam & naturalia idiomata vnum declarare possunt. Sed Clemens essentialia à naturalibus distinguens, *Non*, inquit, *cum essentialibus accidentibus naturalia sunt confundenda*. Ei igitur idiomata sunt essentialia vel non essentialia. Essentialia sunt totius speciei: vt sensile corporis. Non essentialia sunt Naturalia, vel Accidentalia. Naturalia naturam comitantur. Talis est nigredo in corio; Mortalitas in homine. Accidentalia præter vel supra naturam sunt: Vnde *Metaphysica & hyperphysica*

perphysica dicuntur. Sic hyperphysicum attributum carnis Christi est mori pro mundi vita. Antiphysica proprie dicta nulla sunt, quia naturam euertunt & destruunt, vt incircumscriptam naturam creatæ rei.

Cur dicitur adiunctum essentiale (ὀυσιώδες?)

Non, quod sit συστατικὸν ὀυσίας, id est, non, quod rem constituat, non quod sit ipsius rei essentia tota, vel pars essentiæ. Non enim ingrediuntur rei definitionem, vt genus vel differentia, sed quod sit necessarium & indiuulsum consequens, quiddam inseparabile ab essentia rei, quæ fons & fundamentum & causa eius est. Vocatur nonnunquam παρεπόμενον τῇ φύσει. A Damasceno l. 1 c. 4. τὸ περὶ τὴν φύσιν, id, quod est circa naturam. Et ἐπουσιῶδες. Essentiale igitur idioma est, quod ex essentialibus principiis necessario, semper & ἀχωρίστως (inseparabiliter) consequitur, & extra suum subiectum esse ac subsistere nequit Canon: *Proprietates essentiales non egrediuntur sua subiecta*, id est, non insunt alii quoque rei, vltra illam, cuius sunt proprietates. Et, *Vnius naturæ proprietates essentiales non possunt fieri alterius naturæ proprietates, seu ἰδιότητες essentiales.* Fieret enim naturarum σύγχυσις (confusio) quæ per Idiomata discernuntur. Itaque essentialis Dei sapientia nulli creaturæ ὄντως communicari potest. Schegkii axioma hic repero, quod extat in comment. eius in Organum Aristotelis, pag. 238. *Propria αἱ πεδιωρισμένοις, id est, natura realiter discrepantibus subiectis inesse non possunt.*

An recte dicatur, Caro Christi est crucifixa?

Etsi actiones & passiones dicantur vsitatius esse personæ, seu suppositi, seu cōpositi: vt, Homo loquitur: tamen non facimus cum iis, qui prorsus repudiant has locutiones *Caro Christi est concepta, mortua, crucifixa, sepulta.* Subiectum enim attribuitur adiunctum, *aut est quod:* sic dicitur, Christus est crucifixus. *Aut est quo*, sic dicitur caro Christi est crucifixa. Os Domini locutum est. Augustinus audiatur lib. 3 De doctrina Christiana c. 16. *Caro Domini pro nobis crucifixa & vulnerata est.* Eodem modo alibi locutus est D. Martinus, cuius repræhensor ipsum Augustinum & omnes Patres, imo ipsam Scripturam sanctam repræhendit.

An mori pro mundi vita sit Adiunctum Carnis Christi? **A.**

Moti pto mundi vita non est effectum seu Apotelesma τȣ λόγȣ & carnis ab eo assumptæ, vt contendit D. Mentzerus contra omnes Theologos. Non enim conuenit ei secundum vtramque naturam, sed est attributum seu proprietas excellentiæ carnis τȣ λόγȣ propriæ, qua excellentia non coæquatur cæteris hominibus, vt loquitur Augustinus.

An Deo Terminus subiecti tribui possit? **A.**

Responsionem conficio Enthymemate: Adorari & ignominia affici sunt accidentia Dei σχετικῶς. Non enim sunt de essentia Dei. Itaque eorum subiectum Deus est: & prædicatio accidentalis est, Nomen Dei sanctificatur.

An Vnum possit esse proprium duorum?

THESIS. *Vnum nonnisi* a *Vnius proprium esse potest*, Atistoteles in Topic. 5. & Schegk.

ANTITH. *Vnum potest esse proprium* b *duorum*. Idem Aristot. & Schegk. Topic. 5. loco 24.

Conciliatio.

a *Per se.*

b *Vnius per se & alterius* per accidens.

DECLARATIO.

Vbique esse est proprium per se essentiæ diuinæ. Id ipsum etiam dicitur esse proprium per accidens Christi hominis, vt vera sit propositio, Homo Christus est vbique per accidens. Essentia autem humanitatis neque per se neque per accidens vbique est. Humanitas enim assumpta à verbo est, & manet perpetuo localis quædam natura.

Ἄλλως.

THESIS. *Vnum nonnisi* a *Vnius subiecti seu* ἰδικῶς *proprium esse potest.* Aristotel. 5. Topic. loc. 43.

ANTITH. *Vnum* b *duorum subiectorum proprium esse potest.* Atistoteles Topic. 5. loco 24.

CONCILIATIO.

a *Primi seu* πρώτȣ, *cui primo & immediate* ἴδιον *inest.* Vel: *Subiecti adæquati.*

b vel: *Quorum vnum est primum, alterum secundum.*

Vel: *Quæ simpliciter & per se duo non sunt, sed vnum numero.*

DECLA-

DECLARATIO.

Secundum] id est, cui proprium propter primum illud inesse dicitur Aristoteles sic loquitur: Quando cuiusdam secundum, seu propter aliud quid quam primum, sit δευτερικόν, proprium esse dixeris, ipsum vero etiam de eo cui primo inest, prædicabitur. Aut si de eo, qui primo inest, vere prædicetur, prædicabitur etiam de eo, cui secundum, seu propter aliud, (nempe primum illud) dicitur inesse: vt; si quis superficiei colorari proprium dicat esse, sequitur, vt corporis etiam proprium esse fateamur: Aut si corporis proprium esse dicet colorari, sequitur, vt superficiei etiam proprium esse fateatur. Intellige ἐπιφανείας seu superficiei, (quæ terminus est corporis:) vt primi subiecti, proprium esse, vt sit colorata; Corporis vero visibilis, vt secundi subiecti proprium esse, vt sit coloratum. (color est qualitas visibilis inhærens superficiei corporis terminantis pellucidum primo) Schegkius affert hæc exempla. Ita inest cordi, vt πρώτῳ δεκτικῷ, sed animali affecto, vt δευτέρῳ. Cerebrum somni est πρώτως δεκτικόν Animal secundum. Ex Theologia hoc exemplum est; Deitas est omnipræsens πρώτως κατ' ἄλλο & secundario. (sicut homo Christus κατ' ἄλλο Deus est, nempe secundum Deitatem, non secundum humanitatem. Itaque sicut, si quidem ad exactam veritatis regulam loquamur, caro seu humanitas huius hominis neque πρώτως neque κατ' ἄλλο Deus est; Eadem etiam nec πρώτως, id est, primo & per se, nec κατ' ἄλλο, seu per accidens & secundario omnipræsens erit.

Vel, *Quæ simpliciter duo non sunt*] sic proprium & hominis & huius hominis est posse ridere. Conuenit hoc homini primo, huic homini, vt Catoni, propter hominem. Sed hic homo & homo non differunt realiter. Viuere proprium est & animati & animalis: Animati, primo & immediate: Animalis mediate, seu propter illud primum. Ita igitur participanti & participato μετέχοντι & μετεχομένῳ idem inest proprium, ἀμετάπειστον esse, est & scientiæ & scientis proprium, diuersa ratione. Sed sciens & scientia subiecto vnum sunt. Diuersa dico ratione. Scientis enim est, quia habet: scientiæ quia habetur. Itaque axioma Aristotelis 5. Top. loco 43. *Impossibile est idem*

esse plurium proprium, sic limita: *Impossibile est unum, plurium specie & natura discrepantium subiectorum esse proprium:* Eique adde hunc canonem: *Fieri potest, vt aliquid insit & tribuatur vni, ἧ αὐτὸ* (quia ipsum:) *alteri vero, δευτέρως*, id est, non tanquam subiecto primo, sed propter aliud: (non ipsi qua ipsum.)

PAVLO ALITER.

Vnum idemq; numero adiunctum non potest esse duorum subiectorum. a

Vnum idemque numero adiunctum aliquando est duorum subiectorum. *b*

CONCILIATIO.

a *Inhæsionis duo subiecta non possunt habere vnum idemque numero accidens internum.*

b Quorum vnum est inhæsionis, alterum adhæsionis: ita vnius subiecti adiunctum internum est, alterius vero externum.

EXPLICATIO.

Cum humectatur spongia aqua, humiditas est adiunctum internum aquæ: inhæret enim in aqua. Eadem humiditas est spongiæ adiunctum externum: adhæret enim spongiæ: imo ipsa etiam aqua spongiæ adiunctum est eiusmodi. Hinc & aqua & spongia dicitur humida. Fœtoris seu mali odoris subiectum adhærentiæ est homo aliquis, qui stercore illitus male olet: stercus est fœtoris subiectum inhærentiæ, sed mediatum. Halitus est fœtoris subiectum inhærentiæ immediatum seu proximum. Odor florum cum vapore vehitur per aerem ad meas nares: hic odor adiungitur & vapori & flori & aeri & naribus, sed diuersa ratione. Vitrum humectatur vino. Humiditas vini adiunctum est internum: At vitri adiunctum externum. Hinc & vinum & vitrum dicitur humidum, illud magis proprie, hoc minus proprie. Hoc vinum est humidum, est prædicatio formalis. Ista, vitrum est humidum, est prædicatio extrinsecus denominans.

Calor & vis vrendi ignis in poris ferri igniti est adiunctum internum ignis. At ferri adiunctum externum, quale est & ipse ignis: Vnde dicitur & ignis, & ferrum habere calorem & vim vrendi, ac vrere: ille interne, hoc externe. Sed & ferrum hic dicitur, & est calidum, interne calore effecto ab igni. Vis intelligendi est in

anima,

anima, vt in subiecto proprio & immediato: In corde, vt in subiecto mediato, & per aliud: quia anima (quæ vi intelligendi prædita est) est in corde.

Notent hic studiosi obiter Commonefactionem sequentem.

Denominatio rei fit aut ab interno: vt forma, vel adiuncto interno: aut ab externo, vt causa efficiente, vel adiuncto externo. Aut ab vtroque.

Forma] Deus dicitur infinitus, ab infinitate.

Adiun. inter] Absolomus dicitur pulcher à pulchritudine. Aqua est humida per inhærentiam.

Effic.] Sacræ literæ dicuntur diuinæ, quia à Deo profectæ. Agens denominatur ab actione, quæ ab ipso est.

Adi. Extex.] Homo dicitur vestitus, ocreatus, à veste, ocrea. Hoc poculum (vino repletum) est humidum. Spongia est humida. Ecclesia est iusta & in se ipsa & extra ipsã. Iustitia in Ecclesia ipsa & subiectiue est & extra ipsam (in Christo) Caro Christi olim ambulantis in terra, & nunc versantis in cœlo, dicitur circumscripta & terminata, tum ratione accidentis interni, nempe triplicis dimensionis; tum ratione accidentis externi, nempe loci physici vel ἐπιφανείας.

An proprium, vni per se oppositum, eidem per accidens attribui possit?

Dum aliquid vni per se conuenit, oppositum eius neque ex accidenti, neque per se eidem conuenire potest. Piccol. grad. 8. cap. 7. Per se creatura, vt caro assumpta à Filio Dei est minor Deo, est finita & circumscripta & in certo VBI. Non potest igitur ex accidenti simul esse æqualis Deo, incircumscripta & vbique.

An Distinctio Accidentis in separabile & inseparabile sit proba?

THESIS. *Forma seu pulchritudo est accidens* a *χωριστὸν, i.e. separabile à corpore.* Logici.

ANTITH. Nullum accidens est à subiecto separabile. b Metaphys.

CONCILIATIO.

a *Ratione φθορᾶς, seu Desitionis, id est, existentia formæ accidentalis in subiecto potest desinere; quia forma illa potest perire.*

b Ratione ipsius ὑπάρξεως seu existentiæ, id est, Nullum accidens seorsum extra subiectum potest existere.

Explicatio vberior.

Conciliatio nititur distinctione vocis ambiguæ, separabilis: quæ, vt melius percipiatur, sic argumentor:

Timpler. *Quicquid moritur, eius anima separatur à corpore.*
Bestia moritur. E. bestiæ anima separatur à corpore.

Contra. *Anima, quæ separatur à corpore, est superstes post mortem seu separationem.*

Zabarella. *Anima bestiæ non est superstes post mortem.*
Ergo anima bestiæ non separatur à corpore.

Vel, deductione ad absurdum. *Anima, quæ separatur à corpore, est superstes post mortem, seu secretionem. Anima bestiæ separatur à corpore. Ergo anima bestiæ est superstes post mortem seu secretionem.* At conclusio hæc est absurda. Ergo falsa vna è præmissis. At non maior. Ergo minor falsa. Vera igitur eius contradicens. Anima bestiæ non separatur à corpore, vt anima intelligens hominis ab humano corpore. Fallacia æquiuocationis, quæ distinctione seu explicatione vocis detegitur ac soluitur. Bestiæ anima separatur à corpore eius, id est, in eo esse desinit: Est separabilis, id est, potest desinere esse in corpore. Bestiæ anima non separatur à corpore, id est, non existit separatim extra corpus, quia interit, vel, vt aliis placet, in nihilum redigitur. Est inseparabilis, id est, existere non potest seorsum & separatim extra subiectum.

REPETITIO QVÆSTIONIS.

An accidens relatiuum cadat in Deum?

Incarnari accidit Filio Dei. Esse Dominum eius, qui modo esse cœpit, accidit seu, aduentitium quid est Deo. Augustinus lib. 5. de Trinitate. Non erat tempus, antequam inciperent tempora, & ideo non in tempore accidit Deo, vt Dominus esset, quia ipsorum temporum Dominus erat, quæ vtique non in tempore esse cœperunt. Quid respondebis de homine, qui in tempore factus est, cuius vtique Dominus non erat, antequam esset, cui esset? Certe vel vt Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo. Et vt omnis videatur auferri controuersia, certe vt tuus Dominus esset aut meus, qui modo esse cœpimus, ex tempore accidit Deo.

AD QVÆST. X.

An idem numero accidens possit dimoueri ex subiecto in subiectum, à subiecto in subiectum commeare, quæstionis est, quæ concluditur hic negate. Species quidem rerum à speciebus vt baiulis, vt sensuum officinis transportantur, & deinde organis sensuum imprimuntur. Sed non eædem numero, verum aliæ numero distinctæ, quibus potentiæ animæ ad sensiones vtantur. Præterea, Nihil quidem est in intellectu, quin prius fuerit in sensu: sed quod prius est in sensu, est singulare: Quod postea in intellectu est, est vniuersale. Differunt autem vniuersale & singulare non re ipsa, sed τῷ λόγῳ. Hæ igitur ἐνστάσεις nullæ sunt. *An vnum accidens possit esse subiectum alterius accidentis*? Non satis patet, ait Scal, exer. 75. sect. 1. an vnum accidens esse queat alterius subiectum accidentis. Sed affirmatiua sustineri quodam modo posse videtur. Color enim res realis, accidens seu forma accidentalis, est subiectum intensionis seu imaginis & speciei, quæ a colore manat & dependet. Calor aliquis dicitur intensus seu magnus: hic calor accidens, est subiectum magnitudinis virtualis, hoc est, intensionis ipsius.

AD QVÆST. XI.

An idem numero accidens possit simul esse in duobus?

Canon: *Vnum accidens potest inesse duobus subiectis ratione indistinctis; vni primo, alteri secundo.* Accidentia materialia recipiuntur & inhærent πρώτως quantitati: Deinde, id est, quantitatis interuentu, materiæ sub actu formæ, seu prout subest formæ, seu materiæ instructæ, ornatæ, vestitæ forma.

AD QVÆST. XIII.

1, Propria speciei sunt μεθεκτὰ indiuiduis. Proprium enim maxime proprie dictum, conuenit *soli* & *omni*; vt: incedere erecto corpore, est proprium speciei humanæ. Hoc est μεθεκτὸν Iohanni, Petro, Paulo.

2, Proprium essentiale vnius tribui potest alteri, vt adiunctum huius *adhærens:* humiditas propria aquæ tribuitur vitro per contactum superficialem.

3, Proprium essentiale vnius non potest tribui alteri

per *medum inhærentia*, eodem sensu: sed æquiuoce & diuersa ratione potest. Bonitas Dei non potest tribui creaturæ, vt subiecto in se recipienti συνωνύμως. Bonitas enim Dei & bonitas creata differunt toto genere. Deus voluit hominem participem facere suæ sapientiæ, & similem sibi, non æqualem.

4. Quod vni competit per essentiam, id est, essentialiter & per se, potest alteri competere per participationem, & vicissim: Quod alteri conuenit per participationem, dicitur alteri competere per essentiam. Quædam mista participant naturam æneam.

AD QVÆST. XVIII.

Substantia substantiæ adhærere potest, vt adiunctum (adhærens) subiecto. Sic adhæret cœnum facie; vinum poculo, sanguis venæ.

AD CAPVT IV.

De signo & signato GOCLEN.

Signum est ens sensile] Definitio congruit cum sentent. Zabar. (& ante eum Melanchthonis.) Signa non dicuntur illa, nisi quæ manifesta sunt (non occulta) 2. de Misti interitu, cap. 7.

Signum est naturale] σημεῖον est vel τῇ φύσει, vel τῇ θέσει, νόμῳ, συνθήκῃ.

Phantasma] Obiectum facultatis imaginatricis & imaginationis. Aristoteles: *Oportet intelligentem contemplari cum Phantasmatis*, id est, oportet eum, qui intelligit, dum rem aliquam particularem vel vniuersalem considerat, simul per phantasiam circa aliquid singulare obiter versari.

Conceptus] intell. *interior*. Estque perfectus, vel imperfectus: vt, conceptus nostri de Deo non sunt exacti, perfecti, adæquati.

Noema] Simulacrum rei dicit; Quia res sunt mensura & causa noematum, sicut noemata esse dicuntur mensura verborum & orationis.

Entia sunt { Res ipsæ, vt lapis. | Simulacra rei, species rerum, rerum noemata: vt, species animis consignatæ. Hæ sunt sine materia, earumque esse est diminutū & imperfectum. Quia Notionale.

Latina

Latine dicitur Notio] Scaligero, *Notiones sunt rerum signa in intellectu, per species cognoscente*, Exercitat. 6. sectio 4.

Sacramenta] Hæc etsi sensilia sunt, quia signa sunt; tamen dicuntur *Mysteria*, ratione significationis arcanæ: Non autem ratione absentiæ, vel præsentiæ corporalis: Panem fractum cœnæ esse mysterium corporis Domini, nihil aliud est, quam esse signum sacramentale corporis pro nobis in mortem traditi. Sacramenta sunt res externæ & sensibus obuiæ, sed significatio eorum arcana & mystica est, nec potest cognosci, nisi ex verbo Dei. Et communio nostra cum Christo est mysterium, id est, res abscondita humanæ rationi. Coniugium non est res arcana, sed omnibus nota. Illud autem arcanum est, cuius imago est coniugium, nempe coniunctio Christi capitis cum Ecclesia, vt membris: & hac ratione coniugium *mysterium* dicitur. *Sacramenta sunt signa rerum aliud significantia, aliud existentia*, ait Augustinus. Quatenus aliud significant, eatenus sunt insensilia: Quatenus aliud existunt, eatenus sensilia sunt. Tò *Aliud existentia*, respicit essentiam eorum absolutam: τὸ *Aliud significantia*, respicit essentiam relatiuam, quæ abusu tolli potest, manente absoluta.

Syncategorema] Quædam voces sunt simul categorema & syncateg. vt, Nemo, cum dicitur, *Nemo sine crimine viuit*, pro *nullus homo*. Moderatio seu Determinatio addita Categorumeno, vocatur ἐπικατηγορούμενον. vt: Hic homo est creator mundi secundum Deitatem: κατηγορούμενον, creator mundi, ἐπικατηγορούμενον secundum Deitatem.

Vox abstracta] Prædicatio in concreto dicitur, quæ fit voce concretiua. In abstracto, quæ fit voce abstractiua: vt, Deus est ipsa bonitas. Theologis nonnunquam concretum idem est, quod *Totum*: Abstractum, idem quod *pars*; vt cum dico: *Deus redemit nos*, sumo subiectum *Deus*, concrete, id est, pro tota persona, secundum vtramque naturam. Cum dico, *Deus est homo*, id est, habet humanitatem, sumo prædicatum abstracte, id est, partialiter pro altera natura; ita tamen, vt locutio abstractiua falsa sit, *Deus est ipsa humanitas*. In

abstracto aliquid considerare sępe accipitur pro eo, quod est, per sese considerare. Vnde abstractum quoque Secretum dici potest.

Voces concretæ] Græcis vocabula συνδεδυασμένα dicuntur, quæ attributum cum subiecto significant. Ab abstractis differunt MODO significationis consentiente Scaligero in libro de causis L. L. simitas, curuitas nasi, Simũ, nasus curuus est. Fit autem, vt nonnunquam vox concrete, nonnunquam abstracte significet & accipiatur: vt, Imago accipitur concrete: cum dicitur, *Homo est imago Dei*, seu *effigies eius*: Abstracte, cum dicitur, *Homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei.* Cognata est distinctio inter voces absolutas & connotatiuas. Illæ absolute & simpliciter significant: hæ connotant, id est, significant formam, connotato subiecto. Vide Fonsec. 8. primæ Philos. p. 471. Sic differunt, Hic homo & Filius Mariæ, vt absolutum & connotatiuum.

Propter mutuam rerum inter se analogiam] Hinc *Analoga* dicuntur. Analogum est, inquit Zabarella, de Phys. constit. c. 10. quod multa continet ordine quodam, vnum prius, alterum posterius. Exempla analogorum sunt, Bonum, Sanum, Salubre, Natura, Amicitia. Habent enim rationes diuersas, vnam primariam respicientes. Vocatur à Græcis πρὸς ἕν. Tale est & id, quo viuitur.

AD QVÆST. II:

Signi essentia constituta est in signando. Itaque quod nihil signat, signum non est. Materiale igitur & formale in eo consideratur. Verbum Dei, quo se Deus Ecclesiæ patefecit, quodque est norma fidei & vitæ, est signum sacrum. (Non enim est in prædicamento substantiæ, sed relationis.) Materiale eius, SONVS, qui percipitur aure, vel ipsæ literæ, syllabæ, voces sono prolatæ aut scriptæ. Formale, quod animo percipitur, vis significandi, seu ipse sensus vocibus impositus. Vtilis hæc est consideratio. Quæritur enim, an Ius pro legibus, & ius pro offa macerata sit vna vox, an duæ? Logicus pronunciat esse duos terminos: Philosophus, duas voces; Duas, inquam, Formaliter. Duplex enim est significatio. Hinc Canon; *Quot sunt significationes, tot sunt voces.* Formaliter. Grammatico

matico Palpo [*as*] & palpo (*onis*) duæ voces sunt Materialiter, vide Conciliatorem.

AD IV.

An signum & signatum semper sint simul?

Negatio vera est, Res signatæ enim in rerdum substantialiter sunt in signis: Interdum non. Ratio est diuersa natura rerum signatarum. Prout sunt res signatæ, ita sunt, vel non sunt realiter in signis. Angeli substantialiter erant præsentes in speciebus corporalibus, in quibus apparebant Patribus & Prophetis, non propter naturam signorum, sed propter ipsorum accessum, ad ea loca, in quibus se patefaciebant. At corpus Domini, *Fidei nostræ præsens*, in symbolo Cœnæ non est substantialiter: non enim panem ingreditur, seu inuadit, non ad panem accedit: vt Angeli ad species suas: nec panem assumit, gestat, mouet, vt angel' suas species visibiles & corporales. Non igitut necessaria est in existentia realis signati in signo. Distingue in solutione huius dubii inter *ἅμα* & *ὁμοῦ*. Signum & signatum sunt *ἅμα* semper; sed non semper sunt *ὁμοῦ*, *ὁμοῦ* significat coniunctionem localem: *ἅμα*, vt mihi ita loqui liceat, Simultatem Naturæ vel temporis. Exemplis quæstionem propositam illustrabo. Arrabo, vel pignus ad rem, cuius pignus est vel arrabo, habet se, vt signum ad rem signatam. Rem absentem autem cum tibi trado, pignore tradito seu Arrabone, res simul cum pignore traditur tibi. Verum, an propterea res ipsa *οὐσιωδῶς* est cum pignore & in pignore? Minime gentium. I raditione clauis transfertur domus; an ideo domus in claue? *Cui supplici non illa dextra fidem porrexit?* ait Cicero: Ideone fides realiter inest in dextra, quæ fidei testis & certificans signum est? *Qui mihi primus afflicto & iacenti consularem fidem dextramque porrexit*, ait idem Orator: At quomodo cum dextera per indistantiam loci est fides, quæ non habetur in manu dextra, sed in animo?

AD QVÆST. XII.

Quæritur: *An omnes voces humanæ significent?* Resp. Per distinctionem Potestatis & actus. Omnes voces humanæ potestate significant, seu significatiuæ sunt, quia potest iis imponi significatio: sed non sunt omnes actu significantes: quia multis nulla est imposita significatio.

Vsus Doctrinæ de vocibus significantibus & adsignificantibus ostensio?

Partes enunciati sunt antecedens, vt subiectum, & consequens, vt prædicatum. Dicuntur & ἄκρα; id est, extrema, & termini (ταὐτὸ σημαίνοντα hæc sunt) quia enunciatum terminant: [vt determinationes, de quibus paulo post, id determinant.] Dicuntur & à nonnullis *categoremata*, vt hic à Timplero. Abusiue a Ramo *argumenta*. Porro subiectum & prædicatum singula dicuntur κείμενα, ac coniuncta, συγκείμενα. Copula *Est* qua copula, non est ἐκ τῶν κειμένων. Τὰ κείμενα enim sunt notiones rem certam per se significantes. At copula seu nexus *Est*, certam per se rem non significat. Itaque pars enunciati non est. Quare cum dicitur à nonnullis, *Copula est est forma propositionis*, impropria hæc prædicatio. Est enim formæ signum (vt M. dicitur esse millenarius, id est, nota millenarii: Sic propositio dicitur oratio externa improprie; quia propositio, quæ sententia est mentis, significatur, & declaratur oratione externa; estque hæc velut Interpres illius. Vnde doctrinam de enunciatis, ab Aristotele περὶ ἑρμηνείας dictam esse apparet.) Significat enim τὸ est, τοῦ προσσημαίνειν, hoc est, *adsignificando*, tantum complexionem, seu coniunctionem κειμένων, id est, prædicati cum subiecto. Itaque proprie forma, & veluti anima propositionis est σύνθεσις, id est, vnio, seu connexio extremorum, qua κείμενα fiunt συγκείμενα. Efficiens huius vnionis est νοῦς ποιητικός, mens faciens. Cæterum cum Est, per se & ἁπλῶς prædicatur, nempe, cum significat hyparxin cum tempore; (vt, Mauritius Landgrau. Hassiæ est) tunc est propositionis pars, prædicatum. Κειμένοις, vt principalibus sæpe adduntur syncategoremata, id est, consignificantia: vt signa omnis, nullus, quidam, plerumque, & προσκείμενα, (quasi dicas adiacentia) quæ subiiciuntur, vel prædicantur τοῖς προσκεῖσθαι. Ac dicuntur à nonnullis ἐπικατηγορήματα, vt sunt Modi & Amplificationes. Ad modos pertinent determinationes seu limitationes; quorum quidem tanta vis est, vt sæpe mutent genus Prædicationis. Sed agite, quod dicitur, exemplis planum faciamus. Luna, qua ex Diametro Soli opponitur, patitur Eclipsin.

Modificata enunciatio est: κείμενον, subiectum restrictum, seu, quod limitatur, Luna: προσκείμενον limitans, qua ex diametro, &c. Limitatione seu restrictione omissa non erit ista prædicatio per se, sed per accidens. Panis cœnæ fractus, est corpus Domini (non ἁπλῶς) sed laceratum, excruciatum, quasi immolatum. Hic prædicati principalis προσκείμενον, seu προσκατηγορούμενον est laceratum. Christus secundum carnem mortuus est, pro mundi vita. Hic duplex est limitatio: prima, *secundum carnem*: secunda, qua *singularis eminentia carnis Christi* exprimitur, *pro mundi vita.*

Titius est bonus sutor. Hic κείμενον est sutor: προσκείμενον, adiectiuum bonus. Dico: Cadauer est animal mortuum. Hic mortuum est κείμενον, prædicatum, quod de subiecto propositionis separatim prædicari potest. Verum enim est, cadauer est mortuum quid. Animal est προσκείμενον, prædicatum, quod non potest vere prædicari separatim de subiecto propositionis. Falsum enim est, Cadauer est animal. In propositione, inquam, cadauer est animal mortuum, mortuum ἁπλῶς, seu absolute de cadauere dicitur. At de animali dicitur per accidens & improprie. Mortuum enim non est in animali (qua animal) sed in subiecto quodam, in quo prius inerat forma animalis.

Enunciatio Scaligeri est amplificata antithesi. Quodcunque præter rectum est, non est Dei: (Negatio) sed non Dei (affirmatio infinita.) Necessarium, contingens, possibile, impossibile, rationem sortiuntur προσκειμένων, seu prædicatorum determinantium Esse & Non esse: Modificant, inquam, hæc. Itaque τρόποι κατ' ἐξοχὴν dicuntur. Absoluta seu pura enunciata sunt: *Homo moritur: Panis Eucharisticus frangitur.* Modificata sunt: *Necesse est hominem mori. Necesse est panem Eucharisticum frangi.*

Quæritur hic, Cur nulla est ἀκολούθησις, id est, cur non valet consecutio? *Cadauer est animal mortuum, Ergo cadauer est animal?* Sophistica est apparens sapientia: Ergo Sophistica est sapientia. Solœcophanes est solœcismus; qui ratione aliqua Grammatica excusabilis est: Ergo est solœcismus. Luna est terra ætherea Pytha-

gorę: Ergo Luna eſt terra. Recitator eſt liber loquens Scaligero: Ergo recitator eſt Liber. Singulare eſt vniuerſale, circumſcriptum vltimis propriis conditionibus (Scaliger.) Ergo vniuerſale eſt ſingulare. Perſona eſt eſſentia diuina hypoſtatica, charactere notata: Ergo perſona eſt eſſentia diuina. Porro eſſentia diuina eſt vna: Perſona eſt eſſentia diuina. Ergo perſona eſt vna, ἀσεβεῖς & ἀθεόλογοι. Liberalitas eſt prodigalitas moderata: Ergo liberalitas eſt prodigalitas. Magnificentia eſt ambitio cum recta ratione: Ergo Magnificentia eſt ambitio. Fortitudo eſt conſulta audacia (Scal.) Ergo fortitudo eſt audacia. Acetum eſt vinum corruptum: Ergo acetum eſt vinum? Reſp. Ratio hæc eſt. Dictum ſecundum quid (κατά τι λεγόμενον,) non poteſt prædicari ſimpliciter (ἁπλῶς) ſeu: conſequentia à coniunctis ſeu compoſitis, ad diuiſa, ſeu ſeparata nulla eſt: cum adiectio eſt diminuens, ſeu adiacenti aliquid contrarii ineſt (ὅταν προσκειμένῳ τῶν ἀντικειμένων τι συνυπάρχει) vt, in huius propoſitionis, cadauer eſt animal mortuum, προσκειμένῳ prædicato animali includitur antiphaſis, id eſt, contradictio alterius prædicati mortui. Huc referimus Oratorum ὀξύμωρον (acute fatuum:) vt, Inſanientis gens ſapientiæ, apud Buchan. ſtrenua nos exercet inertia, apud Horatium: δῶρα ἄδωρα.

At cur contra ἀνεγκλήτως illatioque hæc vera eſt? Hic eſt falſus teſtis. Ergo eſt teſtis. Hæc propoſitio eſt falſa: Ergo eſt propoſitio? Reſp. Ratio hæc eſt, προσκείμενον hic non implicat contradictionem. Teſtium enim alii veri ſunt, alii falſi: diſtributione reali. Ac veritas & falſitas ſunt propria πάθη enunciatorum, etſi enunciatum προσώπως vero conuenire videatur. Quod ſi omnino ὁμωνύμως falſum diceretur enunciatum, non valeret vtique conſequentia. Hoc enunciatum, eſt falſum. Ergo eſt enunciatum. Reſtat vna atque altera commonefactio, 1. de ſyncategoremate: cum dico: Omnes Chriſti Apoſtoli fuerunt duodecim, τὸ *omnes*, accipitur collectiue, non Syncategorematice.

2. De adſignificatione. Dicuntur & ſubiectum & prædicatum, vt vocabula artis ſeu technologice ſumpta, Adſignificantia (προσσημαίνοντα) reſpectu hominis & animalis, quæ ſunt ſignificantia, ſicut in Grammarica, Nume-

Numerus, Casus, Declinatio, Persona, Species & similia accidentia sunt adsignificantia, & dicuntur *adsignificationes* respectu significantium & significationum: Amo, Magister, Ego, quorũ hæc attributa sunt πτωτικά. 3, De idem significantibus: idem declarantia ταὐτὸ σημαίνοντα: quæ interdum dicuntur συνώνυμα, Synonyma: interdum πολυώνυμα, polyonyma, quia vna res duo habet vel plura nomina: talia sunt vbique esse & omnipræsens esse. Ex Arist. & Damasc. hoc alibi ostendi.

An signo attribuatur nonnunquam res signata?

Signum sæpe nomen rei signatæ accipit: vt, panis Eucharisticus nomen corporis Domini. August in. ad Bonifacium Epist. 23. *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent.* Ex similitudine autem hac plerumque etiam *ipsarum rerum nomina accipiunt.* Sacramentum corporis est corpus Christi, secundum quendam modum, &c. & paulo post: *Consepulti,* inquit Apostolus, *sumus Christo per Baptismum in mortem.* Non ait, *sepulturam significamus, sed prorsus ait, consepulti sumus.* Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi *eiusdem rei vocabulo nuncupatur.* Idem libr. 4. de doctrina Christiana, cap. 20. *Petra erat Christus, quia petra illa typum habuit corporis Christi* De Trinitate lib. 3. cap. 4. *Illud corpus & sanguinem Christi dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica consecratum rite sumimus; ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.* Cyprianus de vnctione Chrismatis. In mensa Domini significant a, & significata iisdem vocabulis censentur. Panis igitur Eucharisticus est ipsum corpus Christi, mystice, id est, per modum mysterii significantis aliud, quam videtur, & non ipsum essentialiter. At enim, inquit noster aduersarius, *sicut res signata prædicatur Corpus Dominicum de sacramentali pane, non prædicabitur, vt effectum de instrumento seu medio externo.* Respondeo ego, pueriles has esse nugas, hanc consecutionem nullam esse, cum panis Eucharistias & signi ac testimonii, & externi medii instrumentique rationem habeat. Panis ille est corpus Dominicum per muneris gratiam, vt Chrysostomus lo-

quitur, & sacramentaliter, id est, & repræsentat verum Domini corpus, & est organon Spiritus sancti, quo vtitur ad carnem Christi nobis communicandam, & fidem nostram corroborandam: sicut omne sacramentum est signum sacrum, testificans de voluntate Dei erga nos fouendæ, ac firmandæ fulciendæve fidei. Porro signum & instrumentum sæpe cohærere, & symbola quædam esse instrumentaria, ac signa interdum esse rei media, euidens est ex eo, quod verba & nomina, vt symbola & instrumenta quædam famulantur declarandis rerum notitiis. Philos. Iac. Schegk. in comment. in lib. de Interpretatione: & Scholastici signa non tantum formalia, sed etiam instrumentalia faciunt, ac statuam Cæsaris signum instrumentale nominant. Porro, vt signum honoratur nomine rei signatæ, per vnionis sacramentalis gratiam, sic interdum quoque passio vel proprietas attribuitur rei signatæ, *κατ' ἄλλο*, seu per *τρόπον ἀντιδόσεως*: vt, cum dicitur à Patribus corpus Domini iacere in mensa, tangi manibus, ore attingi, intellige sacramentotenus, non corporaliter & essentialiter: de quo alibi plura.

AD CAPVT V.

Totius vox ambigua est. Interdum enim Totum accipitur pro eo, quod est perfectum & absolutum, cui nihil deest. Zabar. in lib. de partitione animæ, p. 660. *cui nihil addi, nihil detrahi potest.* Schegk. in organ. Loquitur autem de Toto per se. Interdum, vt hic à D. Timplero pro eo, quod partes habet.

Omne ens est aut totum, aut pars] valete distributio videtur de creaturis tantum, nisi totum sumas pro perfecto: vt in patre est tota Deitas, id est, perfecta. Deus ipsa beatitudo, non sui partem capit, sed totum ipsum est, quod est.

Totum quod habet partes.] Obiect. Perfectionis est totum, esse sine partibus, ait Schegkius. Ergo Totum non necesse est habere partes. Resp. Intelligit Schegkius *Totum*, quod non est diuiduum in partes, aut, à quo abstractæ sunt partes, esse perfectius tum reipsa tum intelligentia. Anima totum incorporeum est sine partibus.

Nam

Nam idem Schegk. alibi pronunciat, *Totum sint partibus non esse*, loquens de Toto corporeo. Hoc est in partes diuiduum & causa relationis, cum partib. simul esse intelligitur.

Totum per accidens.] Totum potestate, seu virtute huc pertinet, quod multas continet potentias, quas *Partes* nonnunquam vocat Arist. & Scal. partem pro potentia essentiali accipit Exerc 307. sect. 15. & alibi. Anima igitur est ratione potentiarum.

Totum integrale] σύνολον, quod constat ex partibus integrantibus, seu physicis, seu metaphysicis. Dicitur & *totum Quantum*. quia οὐσίαι in partes integrantes diuiduntur, quantitatis causa. Huic interdum opponitur mutilum. Scaliger hoc generalius accipit: Et, enim mutilum est, quod manibus est defectum, vt μονόφθαλμον, vnipes.

Totum essentiale] σύνολον, quod constat ex partibus essentiæ.

Pars heterogenea] quæ alius est à toto nominis & essentiæ. Cum totum est heterogeneum, seu ex variis partibus conflatum, partibus nec nomen, nec definitio conuenit; Seu (res enim recidit eodem.) In toto conflato ex partibus heterogeneis, id est dissimilis rationis parti non competit ratio aut nomen Totius, vt caput non dicitur homo.

QVÆSTIONES.

1. *Quomodo dicantur Totũ Quidditates seu essentia rerum?* Quidditates esse totum quid & quiddam ὅλως ὅλον solent dici, partium causa seu ratione, Indiuiduum. Idem de speciebus definibilibus intellige. Explicatum hoc in Conciliatore.

2. *Quomodo pars dicatur Totius esse?* Singulariter hoc obseruandum. Pars non tantum dicitur pars alterius, sed in vniuersum, id est, simpliciter, id, quod est ab alio, habet seu accipit à Toto. Toto enim sublato, vel saltem à toto separata parte, non nisi ὁμωνύμως (æquiuoce) pars esse dicitur. Scilicet per se & seorsum nullum munus pars obit. Hanc sententiam habet Aristoteles in 1. Politic. his verbis: μόριον οὐ μόνον ἄλλου, ἀλλὰ καὶ ὅλως ἄλλου dicitur; hoc est, *Partes non tantum à Toto habent esse relatum: sed etiam simpliciter & οὐσιῶδες esse, cum separata & auulsa à toto essentiam amittant.* Hoc est,

quod alibi dixi, partes habere essentiam tum absolutam, tum respectiuam, & dupliciter dependere à toto. Vide commentatores in Politic. P. Victorium, Theologum Zuingerum, Montecatinum & Schegkium in Organon.

Inter extrema Vniuoca & Æquiuoca esse mediam naturam, commune ad vnum, quod cõtinet multa ordine quodam, vnum prius, alterum posterius (à priore dependens) quod D. Timplerus ait vulgo dici Genus Analogum.

1. Allatrat me: mea? imo Doctores Græcos & Latinos, qui fontes Philosophiæ nobis aperuerunt, quidam efflorescentis quidem ingenii, sed πρέγλωσσος & vnus ex ingratis meis discipulis, quorum sunt rostris petulantibus iniicienda lupata, quibus premendis non nihil occupetur eorum ferocia, eo, quod inter vniuoca seu synonyma & æquiuoca seu homonyma facimus medium (per participationem, non autem exclusionem vtriusque extremi) communia ad vnum, seu ad vnam naturalem, vel principium, κοινὰ πρὸς ἕν καὶ ἀφ' ἑνός, quæ Latini Philosophi consueuerunt vocare *Analoga*, & nonnulli, addita determinatione *Attributionis*, seu *secundum attributionem*, ad differentiam proprie magis dictorum analogorum, quæ ad homonyma pertinent, & vocantur à nonnullis *Analoga proportionis*, seu *secundum proportionem*, id est, quæ habent proportionem analogicam, sunt enim communia, quibus vnum significatur analogia, vt sunt, concoctio, elixatio, mutatio, assatio. Hoc crassum videtur censori isti.

2. Verum quid Thoma Aquinate acutius: Quid Fonseca, Schegkio, Scaligero, Scherbio subtilius? Reliquos prædecessores nunc non dicam. At hi docent, communia hæc nec pure syncereque synonyma, nec pure homonyma esse, sed mediæ quasi inter hæc naturæ. Etsi enim Arist. in categoriarum vestibulo nullum posuit medium inter synonyma: In prima tamen Philosophia & in Pol. lib 3. adhibuit. Illic quidem præteriit, quia in Isagogicis, vt iudicat Scherbius, subtilitas & ἀκριβολογίας [ad vnguem exactio] sæpe intempestiua est. Hic vero quia vere omnia ad veritatem magis limata sunt, ibidem ea non præteriit.

3. Ka-

3. Κατασκευαὶ igitur seu πίστεις huius medii sunto nobis duæ. Prior è prima Philosophia. *Si medium potest dari, quod partim idem sit, partim non idem, potest etiam medium dari commune ad vnum inter Synonymum & homonymum. Sed primum. Ergo & secundum.* Transsumptum probatur. Si aliqua aut idem sunt, aut non idem, vel summe & in extremo, vel non summe: potest medium dari, quod partim idem sit, partim non idem. Verum prius. Ergo & posterius. Geminam huius confirmationem habes in comment. Schegkii in libr. 1. Topicorum p. 115.

4. Posterior ex vsu. Si exempla quamplurima occurrunt communium horum, quæ neq; pure synonyma neque pure homonyma sunt, communia hæc, vt medium, inter illa collocanda sunt. Verum prius. Secundum igitur. Transsumptum probatur: Pure homonyma sunt, quæ solum nomen commune habent. Substantia & accidens non habent solum nomen commune, accidens non est substantia nomine tenus, sed re & ratione etiam. Sic inter demonstrationem à priori & demonstrationem à posteriori non est tantum nominum communitas. Etsi enim hæc illa est imperfectior: Demonstratio tamen est: *Pure synonyma* sunt vera genera, quæ & nomen & naturam & definitionem suam ex æquo speciebus tribuunt, Græce κοινὰ ὁλόκληρα. At sani nomen res & definitio, non æqualiter corpori animato, colori & cibo tribuitur. Corpori enim animato primario (πρότερον & magis) reliquis secundario, [ὕστερον & minus:] Corpus hoc sanum est formaliter, seu, intrinsecus; sanitas enim affectio est corporis subiecti, color & cibus externa quadam appellatione & relatione ad primum illud, non sua natura & intrinsecus sana dicuntur. Color sanus est, quia indicat sanitatem: cibus sanus, quia sanitatem conseruat. Ergo sanum non est in pure synonymis. Seu: In veris pure synonymorum speciebus non est ordo, vt alia sit prior, alia posterior: At inter sanum colorem est ordo. Sanum enim prius dicitur de corpore, de reliquis posterius, vt quæ ad sanitatem corporis referantur. Sic substantia primo, inde ordine quodam accidentia sunt entia. Non igitur sunt illa vera εἴδη sani &

entis, nec sanum & ens sunt pure synonyma. Relinquitur igitur, vt sint communia ad vnum vel ab vno, quæ ordinem habent, ad vnum primum, quo referuntur, vt ad finem: ab vno primo, à quo dependent, vt ab efficiente: in quibus quidem communibus vna princeps & perfectissima quasi species est, reliquarum quasi mensura; reliquæ secundariæ.

5. Seu, Æquiuocum est ἕτερον τῷ λόγῳ. Synonymum est vnum in singulis speciebus, habens se eodem omnino modo (ἐπίσης.) At præterea est vnum in singulis gradibus seu subordinatis ipsi, aliter atque aliter se habens: Oportet igitur statuere, esse medium inter æquiuocum & vniuocum, quod ab vno ad vnum dicitur, eoq; distinctionem nostram limare ad veritatem Philosophicam, non populariter factam.

6. Sed commune ab vno hinc quoque astrui potest, quod definitio generis, quæ est in Top. Arist. etiam hoc ipsum complectatur.

7. Hoc autem modo propius accedit ad vnitatem generis, seu propius ad naturam vere & pure synonymorum aspirat, ac dicitur ἐγγὺς γένει (vere naturam generis referens) modo propius est naturæ verorum homonymorum; itaque & homonyma vocari possunt, vt à quibus longe absit.

8. Addo hic loc. Scal. ex. 18. Calor iste tuus aut erit eiusdem essentiæ cum suis principiis (id est vniuocum) aut analogum, aut æquiuocum: Hem tibi medium.

SYNOPSIS.

Commune simpliciter re & ratione secundum vnum seu vnam naturam κοινὸν ὁλόκληρον (synonymum) vt animal.	Commune ad vnum, seu ad vnam φύσιν vel ἀρχήν. Aliquo modo secundum vnum commune re: vt ens, sanum.	*Commune secundum nomen tantum ἕτερον multiplex significatur* (homonynum) *vt canis*, gallus.

Potest & homonymum statui medium inter synonym. & commun. ad vnum sic.

PARTICIPATIO.

Æqualis	*Nulla*	*Inæqualis.*
Synonymorum	Homonymorum	Cõmune ad vnũ.

Διχ-

Διχοτόμως.

Participatio est
- Aliqua
  - Æqualis synonymorum.
  - Inæqualis, cōmunium ad Vnum.
- Nulla, Homonymorum.

Πῶλος igitur meus σφόδολος deinceps hic quiescat.

APPENDIX. I.

Commune
- Nomine tantum *Homonymum*
  - A casu, πολὺ ἀπέχον multum remotum.
  - A consilio ἐγγύτερον propius.
- Re & ratione
  - Prorsus eadē: *Synonymum*: Genus vere
  - non prorsus eadem. Commune ab vno. Quodā modo genus: vt salubre.

Commune ab vno tribuitur quasi specieb. vel intrinsecus vel extrinsecus. In communium ab vno quasi speciebus, spectatur primum quoddam & inde dependentia. Intrinsecus seu formaliter, id est natura, vel perfectius vel imperfectius. Perfecte, vt motus locali motui & alterationi, & quod nonnullis placet, anima sentiendi nutriendi. Hic τὸ ἐγγὺς γένει, id est, instar generis anima est, ad generis constitutionem propius hæ animæ accedunt. Imperfectius & paucioribus numeris, vt demonstratio demonstrationi à posteriori. Extrinsecus id est externa denominatione seu appellatione & certa relatione ad primum illud significatum Sic sanus dicitur color, sanus scilicet relatione ad significatum illud sani primarium, quo corpus dicitur sanum. Itaque in iis est ordo. In speciebus non est ordo, non prius & posterius. Itaque non possunt Pater, Filius & S. Sanctus esse species Dei. Ablata vna specie vniuoca, non protinus tollitur etiam genus, hoc enim remanet in alia specie ὁλοκλήρως. At sublata substantia continuo corruit ens. Ergo substantia non est species vniuoca entis.

AD CAPVT VI. DE IDENTITATE ET diuersitate.

Dissertatio de diuersis.

Doctrinam de diuersis, quæ multis multorum dispu-

tationibus intricatior redditur, hic thetice & antithetice proponam.

ADVERS. Diuersa eum Ramo vocamus *dissentanea*, *quæ sola ratione inter se dissentiunt*.

Resp. Ergo diuersa consentiunt re, & ita quoque sunt consentanea. Videntur igitur esse dissentanea leu-a.

AD. Boetius ex Cic. & aliis non inepte *repugnantia* vocat, Græce διαφέροντα, id est, *differentia* & ἕτερα.

Resp. Falsius hoc nihil est. Neque Cicero, neque Boetius, neque alii diuersa Rami vocant *repugnantia*: & ne possunt quidem. Diuersorum enim inter se pugna seu repugnantia non est. At oppositorum hæc est. Nec differentia & diuersa sunt æquipollentia. διαφέροντα enim Græcorum, id est, differentia longe latius patent ἑτέροις. Nam & disparata dicuntur differe: vt forma aquæ & forma aeris & contrariæ species & formæ oppositæ eiusdem generis, quæ propterea *differentiæ* dicuntur. Aristoteles vero lib. 5. cap. 3. primæ Philos. ἕτερα seu diuersa latius accipit, quam διαφέροντα, seu *differentia*. Nam omnia differentia eius sunt diuersa: Non autem omnia diuersa, differentia. Schegk. etiam ipsum & diuersum, seu ἕτερον inter se opponit. Quid? quod Cic. etiam dissimilia vocat differentia. Non possum facere, quin in transcursu hic moneam lectorem in sacra Philosophica ingressum, falli eos, qui quoties legunt apud Philosophos *diuersa inter se quadam esse*, intelligunt *sola ratione* dissentientia. Diuersa enim a Philosophis accipiuntur dupliciter: primo specialiter pro dissentaneis seu disiunctis, quæ sola ratione dissentiunt: sic accipit Ramus in loco diuersorum Logic. vt, *Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses*: hic *formosum esse*, & *facundum* tantum respectu Vlyssis, in quo pulchritudo & facundia non sunt simul, dissentiunt (alterum enim membrum negatur, alterum affirmatur:) cum alias re & subiecto consentire possint. Secundo generaliter pro differentibus seu discrepantibus, siue ratione tantum, siue ratione & re simul. Vnde tum reipsa consentanea, qua ratione distingui possunt, tum opposita, diuersa dicuntur: vt, genus & species, quæ cognata sunt & re consentiunt, vt subordinata; vt superius & inferius; vt vni-

 650
vt vniuersale & particulare, sunt diuersa, id est, discerni possunt ratione. Sic homo & animal rationibus differunt formalibus. Diuersi colores sunt colores varii. Sic cum dico; Etsi Deus est misericors, tamen etiam est iustus, esse misericordem & iustum, re subiecta, in qua sunt coniuncta, consentiunt, sed nihilominus diuersa dici possunt, cum distingui possint ratione, seu definitione. Melancth. in Logicis in tractatiuncula de distinctionum nominibus, distinctionis rationis exempla affert: Idem Carolus est Imperator & Rex, vbi vtrumque membrum affirmatur. Et idem Roscius aliquando est Palamedes, alias Vlysses. Hæc enim etsi consentiant subiecto, ratione tamen discernenda sunt: Scalig. exerc. 11 sect. 1. *Idem* RE, sed DIVERSVM *à seipso Ratione:* sic dico: Idem Roscius quia alias est Palamedes in Comœdia, alias Vlysses, est seipso diuersus, hoc est, discretus ratione: sic arida & rara, quæ affinia sunt, diuersa tamen dici possunt ratione; quia potius re, quam definitione differunt, id est, non genere, sed modo. Omne enim aridum rarius seipso est, non arido, teste Scal. exer. 16. sect. 1. Idem lac est & dulce & album; plura enim accidentia specie differentia hærere simul in eodem subiecto possunt, sed τῷ λόγῳ, lac album & lac dulce discreta seu diuersa sunt, id est, ratione dissident. Aristot. album & musicum, quæ accidentia sunt realiter, id est, vt res & res, distincta, & sunt vnum per accidens, ait esse vnum subiecto, ratione autem diuersa, id est, distincta definitione 1. Phys. c. 2. (Aristot. enim ita late aliquando accipit distinctionem rationis, vt reales quoque multas comprehendat.) Quæ definitione diuersa sunt, id est, differunt sæpe etiam realiter & semper ex natura rei, vt homo & animal, distinguuntur: vt Fonseca 3. 4. Ens & vnum est vna & eadem natura, inquit Arist. 4. 1. Phil. c. 2. id est, non habet naturas veras & reales diuersas, hoc est, realiter distinctas, (tametsi ratione, id est, qualicumque definitione distinguantur.) Priuatio & materia, non sunt proprie numero diuersa, id est, re distincta. *Ratione*, id est, quodammodo formaliter diuersa, id est, distincta seu differens est priuatio a materia. Fonsec. vide in Metaph Arist lib. 5. c. 5. quæst. 7 sect. 4. 1. Phys. Aristot. c. 7. *Ipsum à seipso diuersum esse non potest*, id est, distinctum reali-

liter, Schegk. vt lupus & ouis, forma aeris, & forma aquæ substantiæ sunt, non aduersæ, sed diuersæ, id est, disparatæ. Substantiæ diuersæ dicuntur disparatæ. Melanch. in Dial in prædic. Substantiæ *Distinctio realis est diuersitas rerum naturalis.* Idem in doctrina de distinct. Boetius 1. de hypotheticis. *Disparata*, inquit, *sunt, quæ tantum à se diuersa sunt nulla contrarietate pugnantia*, vt ignis, vestis. Tertio diuersitas pro dissimilitudine, & diuersa pro dissimilibus accipiuntur.

Itaq; diuersitas est { Dissensio { Leuior: Diuersitas in specie. / Vehementior & infestior, vt contrarietas. } / Dissimilitudo. }

Quanquam & contrariis interiecta media, quæ Ramus *disparata* facit, quia aliquid de externis participant, iis non ita infesta sunt, sed leuius repugnant, quam inter se pugnant vere contraria. Scaliger diuersa accipit pro polyonymis, vt sunt Alexander & Paris, de causis L. L.l.11.c.170.

AD. Dissensio diuersorum rationalis dicitur, quia ea quidem in ipsis rebus diuersis fundamentum reale habet, sed non existit, aut apparet nisi rationis humanæ operatione ad eiusmodi dissensionem repræsentandam res accommodante & vsurpante diuersas. Nec dissensio hæc naturalis est. Thes. 8. & 10.

Resp. *Αἰτιολογία* hæc fallax est. Non enim omnis dissensio rationis habet fundamentū reale in rebus, hoc est, nō omnis distinctio rationis est pura: sed alia est pura, alia non pura. Pura, quæ tantum à nostra pendet *ἐννοίᾳ*, id est, cum solus intellectus distinctionem sibi format, ita vt prorsus nullum sit diuersitatis in rebus ipsis fundamentum; vt cum distinguimus partem dextram & sinistram in columna. Non pura, quæ fundata est in rebus. Pura dicitur distinctio rationis raticiocinātis, seu solius. Non pura, rationis naturæ rerum conformatæ. Quid opus est pluribus? Ramo sunt ficta comparata, cur non & ficta diuersa? Verum dicat mihi Aduers. Si *ratione dissentire*, Ramo nihil aliud est, quam non dissentire infesta ac pugnante rerum natura, & dissensio rationis est non naturalis dissensio, quomodo à Ramo dici possit, opposita ratione & re dissentire. Dissentiente opposita ratione,

id est,

 651

id est, non naturali dissensione, & RE, id est, naturali dissensione? Dissidebuntue ratione, id est, non infesta pugnantque rerum natura, & re, id est, infesta & pugnante rerum natura? & sic, quod est αὐτιφατικὸν, seu contradictionem habet ἄφυκτον id est, ineuitabilem, à nobis admitte-ur? Sane Philosopho ratione differre etiam est definitione: (τῷ λόγῳ) differre. Vide 1. Phys. Aristot.

AD. Regula diuersorum est: *Opposita secundum propriam ipsorum legem, qua prohibentur eidem subiecto attribui secundum idem, ad idem & eodem tempore, non affirmata aut vsurpata consideratione; ac vsum consentaneorum vel diuersorum recipere.*

Resp. Assentior.

AD. At quod ex diuersis consentanea fieri possunt, non ideo tamen duplex arguenda facultas more relatorum illis attribui potest. Nam forma diuersorum non nisi dissensionem rerum exhibet.

Resp. Hic dissentio. Diuersa enim ita dissentiunt, vt cōsentire possint: vt, Titius etsi mendax sit; tamen non est furax. Absolon formosus quidem fuit, sed non fuit pius. In aliis enim multis pietas & forma simul inueniuntur; vel ita consentiunt, vt dissentire possint, vt: Hæc puella etsi est formosissima, tamen casta est & pudica, in aliis enim multis forma eximia & pudicitia nō reperiuntur simul. Præterea diuersa recte enunciari axiomate segregatiuo, non tantum negato, sed etiam affirmato, ait Aduersarius thesi 19. Affirmatio autem consensionis signum est thes. 16. Aduers. Ergo falsum, formam diuersorum exhibere dissensionem rerum.

AD. Disponuntur diuersa axiomate tum simplici: vt, Absolon est pius; tum composito. Simplex non nisi negatum esse potest, quia forma diuersorum non nisi dissensionem & separationem mutuam eorum repræsentat.

Resp. Simplex axioma è diuersis non nisi negatum esse posse falsum est. Ratio, quia forma, &c. falsa est. Cum enim realis sit diuersorum consensio & coniunctio, quomodo tantum interna est dissensio, & eorum mutua separatio?

AD. Negatio proprium separationis instrumentum

est & symbolum, vt affirmatio coniunctionis à consensione.

Resp. Ergo si axioma è diuersis est affirmatum, diuersa consentanea sunt; si negatum, dissentanea. Porro affirmatio est instrumentum & symbolum coniunctionis & consensionis: Hæc: *Filius Mariæ est Deus*, vel *Filius Dei est filius Mariæ*: est affirmata: Ergo est è consentaneis seu coniunctis composita (componuntur partes & enunciantur vt consentaneæ: Ergo sunt consentaneæ, qua ita prædicantur.)

AD. Axiomate composito diuersa disponuntur vel congregatiuo vel segregatiuo. Congregatiuo non nisi negato; vt, Absolon non formosus simul & pius fuit. Segregatiuo vero, tum affirmato tum negato: Negatum est, Absolon etsi formosus, non tamen pius fuit: At affirmatum æquipollens: Absolon fuit formosus quidem, sed non pius seu impius.

Resp. Suffragor, & quidem hoc ipsum est, quod vrgeo, quod premo etiam atque etiam; *Diuersorum altero affirmato non necesse est alterum negari*: Itaque P. Ramus eam arguendi rationem, qua ex altero affirmato, alterum negatur specialiter oppositis attribuit: Axioma discretum est: Hic puer locuples est, sed malæ fidei tutores habet. Hic subiectum explicatur adiuncto per distinctionum diuersa, ait Beurhusius libro 1. Dialect. Ram. pag. 71.

AD. Sed etsi hic membrum vtrumque videatur affirmari, tamen vi coniunctionis discretiuæ, alterum reuera à subiecto separatur, ac ita negatio in altero membro occultatur.

Resp. Discretiuæ cõiunctionis vis est in eo posita, quod illa vnum ab altero discernitur, siue affirmando, siue negando, siue proleptice, siue sine prolepsi: vt, etsi Deus est misericors, tamen etiam iustus est. Hic discretiua discernuntur affirmate vera diuersa coniuncta ac cohærentia: sic: Hic etsi est sobrius, tamen saltat: Aqua etsi est leuis (ratione terræ) tamen etiam est grauis (ratione aeris). Æsopus fuit is quidem ingeniosus, sed deformis. Dicitur & aduersatiua coniunctio, quia diuersam sententiam, vt Melanchthon ait, præcedenti subiicit.

AD. Ex affirmata intelligenda est negata: sic, Etsi aqua est

est leuis respectu terræ, tamen non est leuis respectu aeris: Quia grauis & non leuis idem est.

Resp. Id vero superuacaneum est, inutile est, & non necesse est, errori affine est: Non enim res redit eodem, siue dicas *grauis*, siue *non leuis*: Differunt hæc, vt finitum & infinitum: Nec sequitur: Cœlum non est leue, cœlum est non leue: Ergo cœlum est graue: Cœlum enim neque graue est, neque leue est. *Falsum igitur, quod ait Aduersarius: Non leue & graue idem esse:* Nota autem quod Aduersarius ait: *Ad significandum diuersum respectum opus esse tali axiomate. Aqua est leuis respectu terræ, grauis vel non leuis respectu aeris.* Hinc enim compositionem diuersorum consentaneorum concludo: vbi vni duo tribuuntur contraria diuerso respectu, vel idem de eodem affirmatur & negatur diuerso respectu, ibi sunt diuersa consentaneá: Hæc enim diuersus respectus constituit: Hic aqua est leuis ad terram, non est leuis ad aerem, de eodem idem affirmatur & negatur diuerso respectu: Hic Æthiops est albus dentibus & niger facie, duo contraria tribuuntur vni diuerso respectu: Ergo hic sunt diuersa consentanea.

A D. Cum dico, Moyses est Philosophus Ægyptius & Theologus Hebræus, est compositio duorum adiunctorum cum subiecto.

Resp. Quis negat? At Philosophus tamen Ægyptius & Theologus Hebræus consentanea, id est, subiecto Moyse conuenientia seu vnum, quatenus distinguuntur ratione, diuersa dicuntur. Nec hæc compositio subiecti & adiunctorum est, sed adiuncti & subiecti cum adiuncto, id est, subiecti compositi: Aliquis Philosophus Ægyptius est Theologus Hebræus: sicut nec hæc: Aliquis albus est simul ater. Hæc vero, aliquis est & Philosophus & Theologus, est compositio subiecti & adiunctorum.

A D. Hæc prædicatio, *Maria est mater & virgo*, dissimilis est isti: *Moyses est Philosophus & Theologus.*

Resp. Imo similis est: Duo enim adiuncta seu accidentia prædicantur de subiecto Maria affirmate: Sic cum dico, Christus est Deus & homo, compono παρωνύμως partes cum toto.

A D. At inusitatæ hæ sunt: Deus est homo, Maria est virgo.

Resp. Nihilominus Logicæ sunt & regularibus analogæ, sunt enim inusitatæ, secundum quid, non simpliciter. Secundum quid, quia formarum disparatarum coniunctio est inusitata & miraculosa: Ideoque qualitas, id est, affirmatio enunciationis est insolens. Non simpliciter, quia modus prædicandi seu attributionis est vsitatus: modus prædicationis de Minotauro est vsitatus & regularis: Hic homo est taurus: Etsi formarum disparatarum taurinæ & humanæ coniunctio sit inusitata & monstrosa.

Ad. In profanis quidem aliquis diuersus respectus, nimirum duorum oppositorum attributione ad idem subiectum statui potest. At is in Theologicis illis & miraculosis rebus prorsus statui nequit. Interim hæc antithesis falsa est. Annon enim diuerso respectu seu κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο vni subiecto Christo duo opposita tribuuntur, esse cum dicitur immensus & circumscriptus, seruus & Dominus, ἀπαθὴς & passus? Necesse enim est, vt res diuersum respectum in vno subiecto recipientes aliquam identitatem & communionem habeant, vt piper est calidum & frigidum diuerso respectu, quia vtraque qualitas altera alteri coniuncta Physica est πεφυκὼς συνυπάρχειν τῷ ὑποκειμένῳ φυσικῷ. Frigiditas quidem simul inest cum caliditate illa exterius in cortice tactu sentitur inexistens per modum adiuncti: hæc in formæ viribus latet inexistens per modum causæ.

Resp. 1. Vtraque qualitas Physica est, non πεφυκὼς, sed πεφυκυῖα.

2. Et caliditas & frigiditas inexistit piperi per modum adiuncti: Exterius frigidum est piper actu, internus calidum est.

3. Nihil in formæ viribus latens inest per modum causæ, sed per modum effecti: vt, Calor inest vino per modum effecti & virtutis, quia est a vino, vt motus ab anima.

Ad. At finiti hominis ad infinitum Deum, quæ identitas & proportio est?

Resp. Quid ais? Nulla prorsus identitas est inter Deum & creaturam, vt hominem? Annon quædam identitas, quædam σχέσις, quidam ordo est inter independens & dependens, inter causam & effectum, inter ens per essentiam,

653

tiam, & ens per participationem, inter finem & destinatum, inter archetypum & imaginem? Et an sequitur? Non est finiti hominis ad infinitum Deum identitas specifica aut generica: Ergo nulla: Est enim inter eos identitas similitudinis, etsi imperfecta & analogica: Id scilicet volunt sententiæ Aristotelicorum, Scholasticorum, Zabarellæ & aliorum: Omnes res creatæ similitudinem Dei secundum esse & naturam gerunt, eiusque perfectione, licet non ostendant exprimendo, adumbrant tamen imitando. Augustin. Anima est beata Dei participatione. Omnes res diuinam perfectionem participant, sed non eodem gradu. Nam cum Deo conueniat esse, vita & cognitio, quæ ex iis plus sortita sunt, magis ad ipsum appropinquant: quæ minus longius ab eo recedunt. Zabarell. in Phys. lib. 1. pag. 17. Quælibet species est imago certi gradus perfectionis diuinæ, & per acquisitionem formæ res fit Deo similis, quia acquirit actum aliquem. Omne ens dependet à prima caussa, tum vt sit, tum vt operetur tanquam adumbrata quædam illius similitudo. Similitudo autem est species identitatis Philosopho: Etsi enim non sint eadem simpliciter, id est, secundum essentiam; sunt tamen eadem *κατά τι*, id est, secundum qualitatem, relationem, motum. Itaque non diuersa. Aristot. lib. 1. de cœlo. Omnibus rebus à Deo communicatur esse & viuere, his quidem clarius, illis vero obscurius, id est, quælibet res illud est quod est, per participationem perfectionis diuinæ, sed & participatio est inæqualis, quia aliæ res magis, aliæ minus ad perfectionem diuinam accedunt. Nondũ agnoscis analogiam inter creatorem & creaturam, quam agnoscunt omnes Philosophi? Sequitur: *Finiti ad infinitum non est proportio proprie dicta:* Ergo prorsus non cadere in eos diuersos respectus. Non enim necesse est esse proprie proportionalia, inter quæ affectio, *σχέσις* & respectus diuersus est. Ne in hoc quidem diuersum respectum dare licet, Mundus est finitus & infinitus. Et nudæ appellationes formarum abstractarum nullum respectum stabilire possunt.

D. Thom.

Dionys. c. 4 de diuinis nominibus.

Resp. Omnia hæc falsa: Annon enim mundus est finitus absolute; Infinitus comparate, hoc est, quasi infinitus seu similis infinito? Plin. lib. 2. Annon Christus est ho-

mo propter formam humanam, & assumptione formæ humanæ, & Deus propter formã, vt ita dicam, diuinam, & GRATIA vnionis: Sunt hi prorsus nulli respectus? An non Maria dicitur mater respectũ filii, virgo vero respectu integritatis abstinentiæ a complexu viri? Lineas transiliisti.

AD. Vtrumque disparatum Deus & homo tam in coniunctione mutua miraculosa, quam extra eam constantissime retinet suam naturam alteri oppositam: Ergo in vnione etiam Deus & homo sunt disparata.

Resp. Extra vnionẽ Deus & homo sunt duo supposita, duæ personæ: At in vnione Deus & homo sunt vna persona, non differunt diffidentue personaliter. Itaque cum dicitur, Deus est homo, Deus & homo non denotant personas, contra affirmationem Buscheri. Non igitur sunt disparata: etsi non negetur naturam humanam, & τὸν λόγον esse disparata: sic in definitione peccati, cum coniunguntur defectus, affectus, actio, quæ disparata per se sunt, genus fiunt, seu generis rationem induunt. Cur dico humana natura, assumpta à λόγῳ, non est λόγος, vel non est diuina natura: ferrum non est ignis: corpus meum non est anima? Quia disparata sunt, quæ de se inuicem negantur, vbique subiectum & prædicatum: At cur dico, hic homo est Deus seu λόγος? meum corpus est animatum, ferrum est ignitum? Quia disparata non sunt: Cur non dico, humana natura assumpta à λόγῳ est λόγος, vel diuina natura? Ferrum est ignis, corpus est anima? Quia disparata sunt quæ de se inuicem non affirmantur: Cur non dico, hic homo non est Deus, ferrum non est ignitum, corpus non est animatum? Quia hic homo & Deus, ferrum & ignitum, corpus meum & animatum, sunt consentanea; consentaneorum autem vnum de altero non negatur: non igitur sunt disparata. Possunt quidem homo & Deus ratione connotatarum, seu insinuatarum naturarum disparata dici, sed ratione denotationis seu significationis (quæ principale est) vnius personæ consentanea sunt: Hinc intelligitur falsum esse istud Aduersarii, *Extraordinaria illa ratio, qua Christus homo differt à cæteris hominibus non facit, vt homo & Deus in persona Christi non sunt disparata*: Falsa quidem hæc est, Plato est Aristoteles, quia persona hic disparata de per-

de persona disparata affirmatur: At cum vere dicit Theologus. Filius Dei est filius Mariæ, non prædicatur disparata persona de disparata persona.

At enim inquis, anima rationalis & corpus faciunt vnam personam, nempe hominem, & tamen anima & corpus possunt dici disparata: Ergo etiam homo & Deus, quæ faciunt vnam personam Christi, sunt disparata: At vero ego nego Christum hominem & Christum Deum facere vnam personam; hanc enim faciunt seu constituunt ὁ λόγος, & humanitas assumpta: Christus autem homo & Christus Deus sunt vna persona. Neque vero absurdum est opposita aliquando transire in consentanea, vt albedo & pomum realiter differunt, & tamen cum albedo παρωνύμως prædicatur de pomo, pomum & albedo transeunt in consentanea: Pax & bellum sunt aduersa, quæ tamen transeunt in consentanea, quando belli, vt destinati finis dicitur esse pax: Sic homo & Deus disparata quidem sunt per se, sed per vnionem consentire possunt.

ADVERS. THES. XLIII.

Homo corporatus est animatus, est dispositio subiecti cum adiuncto.

Resp. Tam homo corporatus nō est subiectum animati, quam homo animatus non est subiectum corporati, cum dico, *homo animatus est corporatus.*

AD. Aliquid flauum & dulce, prædicatio aut falsa est disparati cum disparato, aut distorta nec ἀκριβολογοῦντι, id est, accurate loquenti, legitima.

Resp. Non satis cautus es cum hoc dicis. 1, Tollis enim primam figuram syll. Aristotelicam: Id tibi ostendo: Mel est dulce: Mel est flauum: Ergo aliquid flauum est dulce: An hæc forma est tortuosa? An conclusio est enunciatio falsa? Prædicatio affirmata disparati de disparato? Minime gentium: In viam igitur te reuoca, & sit sane ἀκριβολογοῦντι, & demonstratori minus legitima, an vero icirco Logico non erit legitima? ταυτόλογον aliquid est & petitio principii demonstratori, quod è probabilibus disputanti ταυτόλογον, & petitio principii non est: Ostendit hoc argumentum à definitione, & à coniugatis, ac docent idem organon Aristotelis eiusque Interpretes. 3, Fonseca (non enim assero hanc

sententiam pro mea) has, Album est dulce, & dulce est album, dicit pertinere ad prædicationẽ præter naturam seu per accidens, mediam inter prædicationem contra naturam, seu indirectam & prædicationem secundum naturam seu directam; ac definit prædicationem præter naturam, in qua nec id, quod prædicatur, est velut forma eius, quod subiicitur, nec id, quod subiicitur, est velut forma eius quod prædicatur, sed ambo vnius cuiusdam alterius, vt neque dulce est, quasi forma albi, neque album est quasi forma dulcis: sed ambo sunt, veluti formæ lactis aut saccari: Statuit igitur esse quidem prædicationes quodammodo obliquas, sed adiuncti de subiecto esse negat. Compositio autem hic est diuersorum coniunctorum, quæ si reducatur ad hanc: Mel habet cum flauedine dulcedinem coniunctam, eam esse compositionem adiunctorum cum subiecto affirmo: Sic si ista, *Homo corporatus est animatus*, reducatur ad hanc, homo habet & animam & corpus, compositio fuerit totius & partium. Ad eam reducuntur quoque à Fonseca hæ: Christus est homo; & Christus est Deus (prædicationes per se primi modi.) Sic hæc; Persona Christi constat τοῦ λόγου & humana natura, est analoga vsitatæ, propriæ & regulari partium [componentium vnum per se] de toto coniuncto. Hypostaticum autem totum est persona Christi singulare & extraordinarium. Itaque & partes eius extraordinariæ sunt, & quidem respectu partium ordinariarum, quasi partes, seu analogia quadam partes integrantes. Vide Damasc. lib 3. orthodoxæ fidei, & Fonsec. in Metaph. Arist. l. 5. c. 8. q 7 s. 2. Vnde intelligitur propositionem esse vniuocam, seu synonymam, Christus est homo: Christus enim vniuoce & proprie homo est cum cæteris hominibus, cum natura specifica vniuoce conueniat Christo & aliis hominibus: Secundum illam enim vniuocatio spectatur. Sed redeamus ad prædicationem, Dulce est album. Ea est Arist. in 1. Phys. cap. 2. text. 21. & 5. Metaph. c. 7. Illic album & musicum, vt vnum per accidens, facit vnum subiecto: hic vero ait, Ens per accidens dicitur, velut cum iustum musicum esse dicimus. Hic non prædicatur accidens de subiecto: (Is enim Aristoteli est secundum genus entis per accidens; vt, homo est musicus) sed vnum accidens coniunctum,

ctum, seu cohærens dicitur de altero accidente cohærente seu coniuncto παρωνυμικῶς; etsi alterum alteri simpliciter & per se non accidat, sed ratione vnius tertii, vt hominis, cui ambo accidunt. Optarim ego, Sectatores Rami cogitare de Argumento coniunctorum seu connexorum: In bene enim disserendo occurrunt propositiones, quæ nonnisi è connexis seu coniunctis compositæ esse commode planeque dici possunt. Exempla sunt. Theologicum: *Vbi est Filius Dei, ibi habet secum personaliter assumptam humanam suam naturam.* Physicum: *Facultas videndi cohæret cum facultate lacrymandi: Generatio vnius est corruptio alterius*, quæ & impropria prædicatio est.

De Prædicationi,

Deus est homo, Christus est Deus & homo.

In hac disputatione. ἁπλῶν ὁρῶσιν οἱ αἰδοῦντες ὁρῶνται. Et pauca respicientes facile pronuntiant, quod ait præceptor sapientiæ, ideoque facile falluntur & fallunt. Hic igitur ne erremus, distinguimus diligenter inter concretum seu hyphistamenon & abstractum seu naturas: Inter extraordinarium seu singulare, & ordinarium seu commune: inter denotans & connotans: Inter distincta ratione, seu formaliter & re subiecta: inter considerationem partium inter se & considerationem earum ad totum. Cum dico: Christus constat τοῦ λόγου & carne, hæc non est compositio disparatorum: Etsi enim ὁ λόγος & caro, vt partes inter se dissentiunt, tamen cum toto Christo consentiunt. Cum dico: Deus est homo, vel Christus est Deus & homo. Deus & homo non *denotant* Disparata, sed tantum *connotant* seu insinuant. Denotare autem principale est, connotare minus principale. Itaque illud principaliter spectatur. Vnus & idem Dei & Mariæ filius in vna hypostasi, non in duabus existens, non denotat seu significat disparata. Ipsum enim à se ipso disparatum esse non potest. Cum dico: Deus est homo, Deus & homo vnus & idem est Dei & Mariæ filius in vna hypostasi, non in duabus subsistens. Ergo hic Deus & Homo non denotant seu significant disparata; sed tantum innuunt, seu consignificant naturas disparatas. Cum dicitur: *Christus est Deus & homo*, nihil aliud dici-

tur, quam Christus est θεάνθρωπος, seu, Deus homo, θεάνθρωπος autem non denotat disparata. Nihil enim idem à seipso disparatum est. Cum igitur dicitur: *Christus est Deus & homo*, Deus & homo non denotant disparata, sed, vt dixi, connotant, seu oblique tantū significant. Quando igitur Melanchthon dicit in Dialecticis: Hic, *Filius Dei est homo, natus ex virgine*, disparatum de disparato affirmatur: hoc ita explico: Deus & homo, quæ secundum ordinem naturæ disparata sunt, de se mutuo affirmantur: Quia extraordinarie per singularem Dei coniunctionem ita consentiunt, vt sint vna persona, & distinguantur tantum Ratione seu formaliter. Et tamen in vnione etiam Deus assumens, & natura assumpta differunt realiter, & manent disparata (etsi non sint disparata.) Non enim dicitur, Diuinitas est humanitas, Deus est humanitas, Humanitas est Deitas, humanitas est Deus. Nam disparatum, qua tale, non affirmatur de disparato, qua tale: Sicut non dicitur: *Ferrum est* (proprie) *ignis: Hoc corpus est anima: pomum est albedo: Homo est peccatum.* Dicitur autem consentanee, seu prædicatione consentanea, *Ferrum est ignitum: Hoc corpus est animatum: Pomum est album: homo est peccator.* Ita & consentanee dicitur: *Filius Dei assumsit humanam naturam:* nec ibi prædicatio est disparati de disparato: qualis contra hæc falsa est: *Filius Dei est humana natura.* Albedo non est quantitas dissentanee dicitur: disparatum enim vnum non est disparatum alterum. At, hoc album est quantum, dicitur vere consentanee: quantum enim & hoc album, vt disparata hic non spectantur. Sic dissentanee dicitur, *Humanitas non est Deitas:* sed consentanee: *Hic homo est Deus:* Dissentanee, *Anglia non est Scotia.* Consentanee, *Rex Angliæ est Rex Scotiæ.* Et, *Rex Scotiæ est Rex Angliæ.* Sed videamus atque expendamus aduersarii quædam pronunciata, vt tota res fiat clarior.

AD. Cum in Theologia dicitur: *Filius Dei est homo*; affirmatio hæc est disparati de disparato, absurda rationi.

GOCLENIVS.

Non est absurda rationi eorum, quæ natura disparata sunt, coniunctio: E. nec affirmatio. Antecedens manifestum est. Quia ratio intelligit disparata esse coniuncta ὑπὲρ φύσιν, præter naturam & leges Dei. Videmus

 656

παρὰ φύσιν (ὀ πᾶσιν, ἀλλὰ τὴν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ) aliquod ſuppoſitum eſſe mixtum vel conflatum ex diuerſis ſpeciebus: Idem eſſe canem & lupum, Græcis eſt λυκίσκοι. Ex tauri forma & aſinæ forma fieri hinnulum. Ad ſummam, videmus eſſe monſtra, quæ ſunt naturarum παρεκβάσεις. (Vide 2. Phyſ Ariſt. & 4. De gener. animal.) Itaque Ariſtoteles concedit animal poſſe conſtare è partibus animalium diſtinctæ ſpeciei. 4. De gener. anim. Quia & ratio, ſi intelligit Deum eſſe infinitæ potentiæ, intelligit diſparata poſſe coniungi, ὑπὲρ φύσιν *ſupra naturam*: omninoque agnoſcit miracula.

Ad. Quorum & ſunt & manent diſtinctæ formæ vel eſſentiæ, inter ea eſt & manet realis diſſenſio, ſeu oppoſitio: Atqui Dei & hominis in Chriſto ſunt & manent diſtinctæ formæ & eſſentiæ. E. inter Deum & hominem in Chriſto manet realis diſſenſio.

GOCLEN.

1. Eſt fallacia expoſitionis terminorum. Eubulidea & Sophiſta digna. Propoſitio eſt de pluribus: aſſumptio de vno, nempe θεανθρώπῳ. In vna enim perſona eſt Deus plenus & homo perfectus, qui vnus idemque Chriſtus, vnus Filius. Fulgentius.

2. Impropriè dicitur *Dei & hominis in Chriſto*: cum dicendum ſit, *Dei & hominis Chriſti*. Sic igitur argumentandum fuit Buſchero: *Quorum ſunt & manent*, &c. τοῦ λόγου *ſeu filii Dei & humanitatis aſſumpta, vt Perſona & natura ſunt ac manent diſtinctæ formæ. E. inter* τὸν λόγον *& aſſumptam naturam eſt & manet realis diſſenſio.* Id quod do libenter. Vel: Cuius manent diſtinctæ eſſentiæ ſeu naturæ, in eo manet diſſenſio realis: θεανθρώπου, ſeu Dei hominis ſint & manent diſtinctæ eſſentiæ ſeu naturæ: E. in θεανθρώπῳ manet realis diſſenſio, nempe naturarum diſparatio. Quis vero hoc negat?

BVSCHERVS.

Vt forma rem à re eſſentialiter diſtinguit: Ita realis diſſenſio ſeu oppoſitio propriè ex formarum diſcrepantia pendet. Alia forma eſt Dei, alia forma hominis. E. homo & Deus realiter differunt.

GOCLENIVS.

Reſp. Primum, quod Deus & homo non ſint diſparata, eius rationem oſtendo tibi clariſſimam. Materia & for-

ma differunt realiter: At habens materiam & habens formam, est vnum naturale seu essentiale. Sic Deitas & humanitas (vt Deus est humana natura) differunt realiter. At Deus & homo est vnum personale. Albedo & dulcedo differunt specie, sed habens albedinem & habens dulcedinem vnum quid numero est. Sic ὑφιστάμενον, quod Deus est, & ὑφιστάμενον, quod homo est, vnum numero singulare est. Differt autem hoc ὑφιστάμενον, seu hæc persona à seipsa ratione, seu νῷ. Hinc aliqua natura dicitur homo; natura seu forma humana Deus, ab essentia diuersa: sicut Carolus Q. vnus idemque cum sit & Imperator & Rex Hispaniæ, à se ipso differt ratione, aliterque describitur Carolus Rex Hispaniæ, aliter Carolus Imperator.

Secundo nunc ad obiectionem respondeo, cuius quidem propositio est fallax, quia non necessaria. Etenim in formarum discrepantia non semper pendet realis dissensio. Nec sequitur: Hæc discrepant formaliter: Ergo differunt etiam realiter. In lumine vis calefactiua, & vis exiccatiua forma differunt, atte non differunt. Homo & animal differunt forma, at non differunt re. τὸν λόγον autem & carnem assumptam οὐσίᾳ & re differre neu nego: sunt enim duæ inter se reuera distinctæ res. Vis aliquid amplius? Concedam etiam tibi hic Deum & hominem disparata esse κατά τι & secundario, nempe ratione connotatarum naturarum. Vide quam sim prolixus, quam largus.

BVSCHERVS.

Quæ hypostatice vniuntur, propter vnionem, non desinunt esse disparata, sed manent disparata etiam in vnione. Deus & homo hic hypostatice vniuntur. E. in vnione etiam hac disparata esse non desinunt.

GOCLENIVS.

1. Minor est falsa. Deus enim assumpsit non hominem, sed humanam naturam. Itaque Deus & natura humana natura vniuntur non Deus & homo, (quia non persona & persona) quæ sunt concretæ personæ vnius

σημαι-

 657

συμφυλικῶς. Deus ergo & natura humana etiam in vnione manent disparata. Differre hic autem hominem & humanitatem hinc paret, quod homo Christus, seu filius Mariæ, Iesus, est Deus & creator mundi. At humanitas Christi non est Deus, non est creatrix mundi: Personæ enim quæ homo est, non autem humanæ naturæ, ceu pars substantialis est Deitas, sicut animal est pars substantiæ hominis. 2, Oppono Achillem meum, quo pene triumpho: *Quorum eadem prorsus sunt attributa & essentialia & accidentalia, ea non possunt esse disparata. Filii Mariæ & filii Dei omnino eadem sunt attributa. Ergo Filius Mariæ & filius Dei non sunt disparata.* Assumptionem probo. Dico: Filius DEI est æternus & omnipotens Deus, creator & conseruator cœli & terræ. Dico item, Filius Mariæ est æternus & omnipotens Deus, creator, &c. Dico, Filius Mariæ ambulauit, passus est: Idem dico de Filio Dei. Dico: Filius Dei est adorabilis & adorandus: Idem dico de filio Mariæ. Dico: Filius Dei redemit & saluat nos: Idem dico de filio Mariæ. Dico: Filius Dei est & impatibilis & passus: & filius Mariæ est ἀπαθὴς & passus.

BVSCHERVS.

Quæ substantialiter differunt, re differunt. Filius Dei & filius Mariæ substantialiter differunt, ait Goclenius è Fulgentio: Ergo realiter differunt.

GOCLENIVS.

Respondeo ad assumptionem: *Substantialiter*, ait Fulgentius, *aliud puer Iesus, & aliud Deus*: id est, ratione naturarum. Substantiam enim Fulgentius semper accipit pro natura seu essentia. Hoc respectu disparata dici posse iam ante largitus sum. At personaliter (per vnionē seu communionem naturarū) non est alius puer & alius Deus. Eatenus igitur Deus & hic puer non sunt disparata (per *συγγενείαν* diuinam singularem.

BVSCHERVS.

Non sequitur, *Filius Dei & filius Mariæ non differunt hy-*

postatice: E. realiter non differunt. Realis enim dissensio ab hypostasi non pendet.

GOCLENIVS.

Ain tu? Adeo pendet, crede mihi, nonnunquam realis distinctio ab hypostasi, vt quia alia est hypostasis Gabriel, alia Maria; alia homo à cacodæmone obsessus, alia ipse cacodæmon. Cacodæmon & homo obsessus. Gabriel & Materia differunt realiter. Nec vna hypostasis vt totum considerata disparatorum notionem recipit. Itaque disputationem hanc sic concludo: Sicut vna numero res non potest à se ipsa realiter dissentire, qua vna; ideoque nec ad se disparata esse: Ita quoque vna numero persona Filius Dei & Filius hominis est vna numero persona seu hypostasis, ac vna persona vtriusque naturæ vocibus concretis (Homo & Deus) vere designatur. E. Filius Dei & filius hominis non potest à se ipso realiter dissentire, qua vnus. Seu: quam fieri nequit, vt vna numero persona sint duæ numero personæ: tam fieri nequit, vt vna numero persona sit disparata. Filius autem Dei, & hic filius Mariæ est vna numero persona &c. E.&c. SEV: Oppositio minimum est inter duo: seu, opposita saltem, hoc est, minimum sunt duo. Hic filius Mariæ & filius Dei non sunt duo, (non ἄλλος καὶ ἄλλος) sed vnus Christus: nec differunt hypostasi E. non sunt opposita. Finis autem assumens vere & realiter est distinctus à Natura assumpta seu vnita: vt persona & natura assumpta in disparatis censeri possunt. Vbi enim sunt duæ generationes, ibi duæ res generatæ realiter & numero inter se differentes sunt. Iam τοῦ λόγου vna est generatio: Assumptio carnis altera. Ergo ὁ λόγος & assumpta caro reipsa differunt. Ad summam: immota est hæc veritas. Homo & Deus, qua aliud sunt & aliud, non vnum, disparata sunt; qua non sunt alius & alius, sed vnus, disparata non sunt. Et Filius Dei, & humanitas, disparata, vt partes concurrunt ad constituendam personam Mediatoris: cui gratiæ sint, laus, honos & gloria.

AD CAPVT VII.

De ordine.

Τάξις] Ordo, bonum: ἀταξία, malum. Igitur Deus non est autor ἀταξίας. Ordinatio est ad bonum siue finem proprie

prie dictum. Is mediis præscribit ordinem & mensuram. Scholastici ordinem, non REM, sed *modum rei* nominant.

Ordo est dispositio] habitudo rationabilis. Vnde & *ratio* seu λόγ☉ ab Arist. dicitur. Vide Zab. l. 8. Phys. p. 120. Hinc πεπαγμένον, id est, ordinatum.

Simul κατ' τόπον] Simul *ratione loci* omisit Aristoteles: Quia corpora sunt locis disclusa. Attamen per accidens loco, vt inquit Schegkius, participantia vt accidentia, simul in loco sunt.

Secundum cognitionem prius] Principium à principio, vt subiectum a subiecto pendet ratione cognitionis; Inferioris cognitio pendet omnino à principiis superioris. Scalig. exerc. 6. sect. 3.

An eorum, quæ sunt vna res, alterum altero possit esse prius?

Affirmo: Intellectus prior est natura, voluntate. At res vna est intellectus & voluntas.

An ordo originis recte dicatur ordo naturæ?

D. Timplerus ait ordinem originis vulgo dici ordinem naturæ. Verum hoc est in rebus creatis, naturalibus & artificiosis: sed in Trinitate diuina Patre ordine originis posterior est Filius, & tamen Pater & Filius simul sunt natura: quod magnum & ineffabile mysterium est.

De Substantiis.

AD CAP. I. LIB. IV. METAPHYS.

NOTÆ.

Vna de substantiis] Græce: Res omnis aut est τόδε τι seu ὁ ποῦ, τὸ δέ τι, aut περὶ ἐν τῷ δε, vt ποσόν τι ποιόν τι, πρός τι.

Aut est substantia, aut accidens] vel primario, vel secundario, vel directe vel reductiue, vel abstracte vel concrete: vt; cum dicitur, hoc est substantiale, illud accidentale. Quidam tamen è Scholasticis Relationes esse accidentia, vocantes illas Modos rerum, volunt & subsistentiam non esse accidens, & alii substantiam; sed modum rei. Scaliger. τὸ αὐτὸ ἀγαθὸν neq; substantia neq; accidens est. Exerc. 6. sect. 4. Id est, non est essentia, seu natura, seu natura substans accidentibus seu affectionibus, non est subiectum inhæsionis. Substantia Dei alterius generis

est, quam nostra Dulce, album & similia nec substantiæ, nec accidentia sunt directe.

Substantia est ens.] Substantia primario est Ens, quæ per se existit, & cæteris præbet existentiam. Cætera præter substantiam ita existunt per substantiam, vt ipsa etiam propriam habeant existentiam (nempe accidentalem.) At quæ per quantitatem extensa sunt, non habent aliam extensionem quam quantitates.

Per se subsistens.] Alii definitionem hane substantiæ completæ seu perfectæ tribuunt. Aiunt enim nec formam, nec materiam per se subsistere, sed coniunctas subsistere. Sed *τὸ per se*, est ambiguum. Dici quoque potest, materiam & formam esse substantias potentia, non actu. Quod in vna re (intellige creata) est substantia, non est in alia accidens: vel, quod eadem ratione, seu vniuoce & sine ambiguitate acceptum in vna re est substantia, non est in altera accidens. Bonitas Dei est essentialis. At bonitas nostra est participata & inhærens. Itaque illa est substantia: hæc contra accidens.

AD QVÆST. III.

Aristoteli ens primario dicitur de substantia, quia substantia verius est; Secundario de accidente, quia accidens potius inest. Fortun. Crellius Aristotelem secutus in 7. l. Phys. Comment. text. 31. *Propinqua* inquit, *& quidem genera propinqua homonyma sunt, quæ ad vnum ἀφ' ἑνὸς καὶ μίαν τινὰ φύσιν dicuntur*, hoc est, cum multa respectu primarii cuiusdam vnum aliquod dicuntur, vnoque & eodem nomine vocantur. Commune illud generis rationem habet. Ita multa entia sunt & dicuntur: vt, Substantia est ens, Quantitas est ens. Qualitas est ens: Sed omnia respectu primarii cuiusdam entis, quod substantia est, à qua & cuius gratia entia cætera dicuntur. Ens igitur genus est, sed genus non synonymum, sed ἀφ' ἑνὸς ἕν.

AD QVÆST. IV.

Substantia, essentia & hyparxis differunt. Essentia generaliorem habet significatum: est enim & substantiæ & accidentis essentia. Sæpe tamen essentia pro substantia accipitur. Hyparxis temporis est, quod tempus sit. Essentia temporis est eius natura. Illa ad quæstionem.

An sit

An sit; hæc v ad quæstionem *Quid sit*, pertinet. Qui homo est, habet in se aliquam ὕπαρξιν, quam non habet humanitas. Ideo non est omnimodo idem, homo & humanitas. Vox enim. Homo existentiam simul cum essentia complectitur.

Ad Qvæst. IX. X. XI. XII.

Diuinam personam aiunt Scholastici constare ex essentia & personalitate. Personalitas in diuinis est relatio subsistens & distincta ab aliis. Persona hic seu hypostasis e s est essentia ad certum subsistendi modum quasi contracta. Deitas relate considerata, est eis diuina hypostasis. Deitas absolute considerata, est nomen naturæ. Relate spectata in persona aliqua, est nomen personæ. In creatione corpus hominis erat hypostasis per se; anima hypostasis per se: vtrumque enim est seorsum conditum. Nunc autem animus & corpus coniuncta faciunt hyphistamenon.

Ad Qvæst. XIV.

Nulla forma, ac ne cœlestis quidem conficere potest, vt duo contraria actu in vno sint, ex quibus vnum fiat illud. Scal.exer.16. sect.3.

Ad Qvæst XV.

Sic obratiocinor: Lux fuit natura prior sole: Lux est accidens: Sol est Substantia: E aliquod accidens natura prius est, quam substantia. Respondeo. Lux primo die creata non fuit accidens, sed materiam lucida solis: Vndę postea Sol perfectissima luce præditus & formatus est.

Ad Capvt II. Lib. IV.

ὑπομνήματα Gocl.

Substantia increata Deus] Plato vocat ὑπερούσιον. Schegkius dicit Deum non esse in genere οὐσίας, ait Deum esse ἄῤῥητον alicuius ὄντος vocabulo. Vocatur translate. *Natura* & quidem barbaris *Naturans*. Naturæ Dei autem nomine & essentia ipsius simpliciter in se considerata & omnes eius proprietates, quibus, qualis sit, nobis nostraque causa declaratur, interdum significantur. Est qui in natura Dei duo momenta considerat, quibus perfectio eius continetur, Essentia & vita. Essentia Dei est primum naturæ diuinæ momentum, quo Deus

esse intelligitur. Spiritualem illam esse dicimus, cum supereminenter modo, vt patri spirituum. Is enunciatur negate, nempe quod sit ἄναρχος & ἀναίτιος, sine principio & sine causa.

Hinc primo existunt simplicitas & infinitas entitatis. Simplicitas est modus supereminens essentiæ Dei, quo omnis compositionis partiumque componentium expers est. Infinitas est modus supereminens, quo essentia Dei omnis limitationis & termini expers est, nisi quod intus terminatur eius essentia, proprietate sua, secundum quam est id, quod est & non aliud. Ex simplicitate & infinitate essentiæ existunt infinitas ratione temporis, id est, Æternitas & Infinitas, ratione loci, quæ dicitur *Immensitas*; item *Impatibilitas, Immutabilitas, Incorruptibilitas*.

Simplicissimum.] Hoc dicit Scaliger; Solus Deus simplex est, in quo nihil est in potentia, sed in actu omnia, imo ipse purus, medius, vltimus actus.

Secundum nostrum concipiendi modum.] Hoc dicit Scaliger exerc. 6. sect. 3. Ipsum infinitum intellectione nostra & partiri & finire possumus potius, quam in suo ambitu comprehendere: id est: Deus vi intellectus nostri est partibilis, qui per se est impartibilis. Sic Bonauentura in 3. Magistr. Sententiarum Distinct. 5. Deitas Dei forma est, *non secundum rem, sed secundum modum intelligendi.*

AD QVÆST. III.

Ab intelligentia, id quod Deus est, recipitur, quantum recipi potest a recipiente, non autem quantum ipsum est. Ac tametsi cognoscit ipsum infinitum esse, non tamen cognoscit ipsam infinitatem. Scal. Intellectio igitur Dei nostra est, quasi mutila & vmbratilis. Ita intelligatur, quod dicitur infinitum, ἄπειρον; vt Deus est ἀκατάληπτον, incomprehensibile. Et Deus non potest distincte cognosci, nisi per se vnum & à se vno.

AD QVÆST. IV.

Deus est ens primum & simplicissimum, quod nulla specifica differentia ad speciem contrahitur aliquam, vt solent genera. Quæ sunt sub genere, partim sunt actu, partim sunt in potentia ad aliud, & per differentiam specificam ad speciem aliquam contrahuntur. Tale quid

quid Deus non est. E. non est sub genere. Prædicationis tamen gratia à nonnullis in Categoria Substantiæ collocatur.

AD QVÆST. V.

Personarum distinctio non tollit simplicitatem & actum purum Dei. Personarum enim diuinarum distinctio in Deo est ex summa perfectione, sicut & esse vnum in essentia. Nec personarum diuinarum distinctio facit diuisionem naturæ.

AD QVÆST. VII.

Quidam Theologi dicunt: quædam attributa Dei sunt κοινώνητα, quædam ἀκοινώνητα, Communicabilia, secundum participationem similitudinis. Hinc creatura dicitur, bona, potens, sapiens. Incommunicabilia, vt in se sunt: vt, infinitas, æternitas. Ego soleo dicere, *Nulla attributa Dei essentialia esse communicabilia absolute & essentialiter.* Hinc nulla creatura dicitur omnibona, omnisapiens, τὸ αὐτὸ ἀγαθόν.

AD QVÆST. IX.

Monas genuit] Ænigma, Ecce monas genuit monadem, reflexit & in se Ardorem (res est illa stupenda) suum: id est, à Patre vno Deo, est vnigenitus.

AD QVÆST. X.

Deus est essentia simplicissima, quæ est omnipotens, æterna, omnisapiens &c. Hæc omnia sunt declaratio naturæ simplicissimæ potius, quam pars descriptionis.

AD QVÆST. XI.

Etsi Damascenus bonum esse, iustum esse in Deo vocat τὰ περὶ τὴν φύσιν, & παρεπόμενα τῇ φύσει Θεοῦ, l. 1. c. 2. & 4. tamen, vt Deus est sua vita, sua æternitas: sic est ipsa iustitia, ipsa bonitas sua, & hæc in Deo οὐσίαν demonstrant. Regula, *Cum referuntur attributa Dei ad creaturas, distinguuntur inter se & à Deo.* Hinc dicitur vsitate, mundus est conditus à Deo, non ab æternitate.

AD QVÆST. XIII.

Deus magis est in cœlo, quam in terra, magis in piis, quam in impiis, non ratione essentiæ suæ, sed efficacitate operationis & Gratiæ. Mala est consecutio: Deus implet cœlum & terram. E. est in loco repletiue. A baculo

ad angulum. Deus enim omnia implet, non vt locatum, sed efficiendo, operando, conseruando.

AD QVÆST. XIV.

Deus est omnia eminenter. Vide Præfationem Schegkii in lib. de persona Christi.

AD QVÆST. XVII.

Ænigma: quem videt pauper (mihi fare) sæpe: Rarius Princeps: Deus ipse nunquam. Lumini cuius tamen est apertum, Quicquid in orbe est? Resp. Sibi parem. Nam Deo nihil est par aut simile, secundum conuenientiam vniuocam & perfectam.

AD QVÆST. XVIII.

Quæ semel statuit & conclusit Deus, siue absolute, siue conditionaliter, ea & necessario & libere vult. Summa libertas cum summa necessitate immutabilitatis non pugnat.

AD QVÆST. XIX.

Facta ne Deus quidem infecta reddere potest. Nec potest Deus facere ens essentia infinitum, (faceret enim aliud Deum.) Quia res ipsa nō potest esse δεκτικὴ infinitatis.

AD QVÆST. XL.

Deus sua natura malum velle nequit. Egregia Climax est: Primum & summum volens est simpliciter volens: Quod simpliciter vult, tantum vnum vult. Quod tantum vnum vult, id vult (obiectum) quod est per se. Solum autem bonum est obiectum voluntatis per se, vult igitur Deus tantum bonum. Proinde Deus est necessario bonus. Voluntas in Deo non est malum, sed mali, vel eius, quo malum oritur.

AD CAPVT IV.

ὑπομνήματα GOCLENII.

Alii negant formam esse spiritum hoc modo: Spiritus est ὑφιστάμενον: Forma non est ὑφιστάμενον: Ergo forma non est spiritus. Quæritur, *an angelus substantia sit finita.* Affirmatur. Contra: Omne finitum habet dimensiones: Angelus non habet dimensiones: Ergo non est substantia finita. Nego maiorem cum Timplero. Omne enim finitum certis finibus terminatur, nec necesse est, vt habeat quantitatem dimensiuam. Alii negant

gant minorem. Quia quisque angelus propriam quandam spiritualem habet dimensionem, qua terminatur. Hanc sententiam videtur amplecti Scaliger.

AD QVÆST. IX.

Non videtur quibusdam eruditissimis viris absurdum, dicere angelos habere corpora tenuissima alterius generis quam elementaria & cœlestia, & propter tenuitatem inuisibilia. Itaque motu spirituali, id est, pernicissimo, in imperceptibili tempore, mouentur τοπικῶς, id est, localiter.

AD QVÆST. XIX.

Facultas intelligendi & volendi tribuitur recte angelis, sed MELIORIS NOTÆ est, id est, perfectior, quam nostra: sicut & intellectionis accidentia nobiliore modo, & constantius intelligit angelus, quam nos. In nos conuenit obliuio: in angelum non conuenit obliuio, quia assidua est in eo VISIO.

Angeli boni liberi sunt
- Primitius, seu ex origine, à coactione: qua voluntas *a* cogitur velle, quod non vult.
- Ex gratia Dei, à potentia *b* peccandi & ab omni miseria.

a *Hoc implicat contradictionem. Atque hac libertas à coactione ita naturalis & essentialis est voluntati, (itaq; & homini conuenit) vt tolli ab ea nunquam possit.*

b *Ita facta est libertas eorum perfectior.*

AD QVÆST. XX.

Canon: *Angeli non tantum cognoscunt res vniuersales, sed etiam singulas: sed non cognoscunt singulorum, quæ in mundo fiunt, actiones; quia non sunt omniscientes: vt Deus. Obiectio.* Sensus sunt singularium: At angeli non habent sensus: Ergo angeli non cognoscunt singularia. Respondeo ad antecedens, id scriptum esse de intellectu humano. Angeli quædam simplici statim intuitu cognoscunt. Nonnulla Angeli ex vno ad aliud discurrendo cognoscunt; vt ex apertis effectis, occultas causas; & contra ratiocinando cognoscunt, quales in animo nostro delitescant affectus, per externa signa. Augustinus libro 2. Retractat. capite 30. In quodam loco libelli mei de diuinatione dixi, dæmones

aliquando & hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur, in corpore tota facilitate perdiscere, *Rem dixi occultissimam audaciore asseueratione, quam debui.*

Cognitio Angelorum est vel Physica: Indita eis cum crearentur.

Hyperphysica: quæ ad illam accessit, postquam essent confirmati in bono, ita, vt à Deo actu deficere nequeant.

Empirica: (experimentalis) acquisita, experiundo.

Patefacta: cum mysteria aliqua Deus iis reuelat.

Secunda ex his, tertia & quarta sunt ἐπιγινόμεναι.

AD QVÆST. XXIII.

Angeli res futuras cognoscunt, quæ necessariæ sunt, vel plerunque contingentes. Has, inquam, cognoscunt, non in seipsis, sed in suis causis & per suas causas.

AD QVÆST. XXVI.

Angelum non generare hominem per se; posse autem in animali hoc vim gignendi excitare, & in illo vim concipiendi: simulque, vt ea coeant, efficere, ac ita permota hæc animalia, & præparata aliud animal generare: sicut Angelus Tobiam illuminauit per collyrium ex felle piscis, scribit acutissimus Theologus Hieron. Zanch. Mediata igitur, seu quæ fit per media naturalia, productio corporis ab eo tribuitur angelis. Fides penes legentem esto.

AD QVÆST. XXVIII.

Magnorum quorundam virorum hæc sententia est: Inferior substantia seu causa, seu forma vim non habet in superiora se, sed tantum in inferiora. Stante hac hypothesi inferunt illi: Cacodæmones igitur cum eiecti sint è supremo cœlo, beatorum domicilio (quod, vt inquit Augustinus, transgreditur omnia corpora) in hoc cœlum inferius, hoc est, in hunc inferiorem aerem, infra orbem Lunæ, nullam habent vim in corpora cœlestia, sed tantum in corpora infra cœlos stelligeros, in elementa, & res ex elementis compositas alterandas, vt *Potestatis aeris:* sicut cognominantur in sacris literis, vt dici possit, Diabolos regnare in suo cœlo.

AD

AD QVÆST. XXXVI.

Nulla ratio patitur, inquit August. vt factura factori suo æquetur. Si igitur proprie dicta miracula ex se Diabolus edere posset, Deo æqueretur omnipotentia, cuius illa sunt opera. Cum nonnulli dicunt miracula fieri contra naturam: vt, cum Patres dicunt: *Ambulare super aquas*, contra naturam huius corporis est: id sane intelligendum est, pro eo, quod est præter vel supra naturam. Miracula enim non euertunt totam substantiam. Hoc sensu non dicitur antiphysica. Ac ita intelligendus Augustinus: *Conditor Deus in miraculis nihil contra naturam facit. Nec, quod ne vnum est consuetudini* (id est, quod præter consuetudinem est, & inusitatum) *repugnans est rationi*: vt virginem parere præter consuetudinem & ordinem totius naturæ creatæ est, sed non est *contra rationem*. Idem creator omnium naturarum nihil *contra naturam* facit. Thomas Aquinas: Licet Deus aliquando præter ordinem rebus inditum aliquid operetur, nihil tamen facit *contra naturam*.

AD CAP. V. NOTÆ GOCLEN.

QVÆST. III.

Generari formam malim dicere, quam *creari*, etsi compositum proprie & principaliter generari dicatur, & forma *congenerari*, id est *comproduci*. Continetur enim in principio, generationis termino, qui est compositum. Formam prorsus non generari nolo affirmare; cum generatum intrinsecus & formaliter tendat termineturque ad formam. Forma modo quodam corrumpi dicitur: Quidni igitur modo quodam generari dicatur?

Quæri potest, *An forma sit energia seu actus actu an potentia?* Resp. Est actus actu, cum iam materiæ vnita est. Est actus potentia, nondum actu, antequam vniatur materiæ.

Quæritur: *Quomodo Anima sit in nostro corpore?* Resp. Non per inhæsionem, quia non est accidens, sed per informationem. Ratio animalis est anima, corpus informans, inquit Schegkius. Itaque ei prædicatio hæc, Animal est animatum, est prædicatio Synonyma, non paronyma.

Quæro & hoc: *Cur Augustinus dicat, solam habens animam, esse substantiuam, bruti non?* Resp. solus homo, Augustino de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 16. habet animam substantiuam, id est, per se subsistentem, immortalem, quæ exuta corpore viuit, non moritur cum corpore. Animalium (brutorum) animæ non sunt Substantiuæ, id est, non viuunt substantialiter: cum carne ipsa nascuntur & cum carnis morte finiuntur & moriuntur. Suo modo tamen omnis anima subsistere dicitur. Omne enim, quod alii vitam subministrat, ipsum esse necesse est, vt subsistat. Sed anima vitam corpori tribuit. Igitur anima realiter subsistit. Hanc vitã esse ipsamet probat, dum præsentia sua corpus viuificat, absentia sua idem mortificat, vt ait Augustinus de cognitione veræ vitæ lib. c. 5.

ALIA QVÆSTIO.

Anima in singulis membris tota est Philosophis. *Cur igitur Aristoteles in libro de motu Animalium, c. 7. ait, Animam in certo principio consistere?* Resp. Anima consistit in certo principio, non secundum substantiam, sed quoad potentiam motricem. Hæc est Aristoteli in corde, vt in omnium vitalium functionum principio & fonte, Zabarella Aristotelem defendit. Galenici non omnino consentiunt.

Q. An aliquatenus anima hominis dici possit mortalis?

Anima hominis immortalis est, quia sensum, quo eã post hanc vitam vel bene vel male fit, amittere non potest. Est tamen aliquatenus mortalis, quatenus in deterius mutari & à voluntate Dei, cuius participatione bona fit, alienari potest. Est enim creatura non ex Dei natura, sed ex nihilo facta, in bonum & malum conuertibilis. Hæc sententia est Augustin. libro de Spir. & anima, cap. 8. quam non improbandam esse censeo, modo τὸ *Mortale* accipiatur improprie, seu translate, cum affirmatur, animam humanam esse aliquatenus mortalem.

AD CAPVT VI.

Rodolphi Goclenii Schol.

Esse per se diuisibile] Quicquid igitur est ὅλως ὅλοι, non est cor-

est corpus. Verum *corporis* vox nobis ex ambiguitatis latebris eruenda, & distinctionis quasi instrumento in lucem producenda est, simulque res ipsa diuidenda, sed γενικῶτερον. Accipitur igitur dupliciter, proprie magis, & improprie. Magis proprie acceptum corpus est mundanum, vel transmundanum: Mundani duo sunt genera: Vnum, reuera existit in natura; alterum, sola cogitatione est. Quod existit actu in natura est substantia quanta, inquit Zabarella: itaque materiata. Primo hoc est συνεχὲς, vnum continuitate, seu coniunctione continua, vt lapis, secundo συνημμένον, ex pluribus inter se contiguis constans, vnum ex coaptatione partium, vt mundus, ædificium; tertio quod ex distantibus membris (capitibus ait Iurisconsultus) constat, vt grex, legio, collegium, & Vniuersitas, corpus ciuium, fabrorum, &c. *Pomponius de vsucapionibus l. rerum.* Huc refero Ecclesiam, quæ Apostolo corpus est mysticum, cuius caput Christus est. Secundo, genera eius duo sunt, vnum naturale, alterum artificiale: (quanquam & quoddam videtur esse amphibolum; vt vocat *Velcurio*, seu ambiguum: vt farina, lora, quam Scaliger ait fieri à natura per artem.) Physicum seu naturale est, quod è natura concretum est. Itaque per se mobile est; siue sit totum substantiale compositum, vt homo est corpus, id est, substantia corporea, habens formam in materia, siue pars totius substantiæ, vt cum dicitur, homo constat ex corpore & anima. Iureconsultus dicit rem abesse, quamuis maneat corpus, si forma mutetur. *De verborum significatione l. mulier.* Physicum corpus, cœleste est, vel sublunare (quanquam interdum Philosophus accipit corpus Physicum angustius, vt tantum contineat sublunaria corpora.) Errant igitur, qui Aristoteli cœlum seu corpus cœleste esse corpus naturale, id est, compositum è materia & forma, negant. Inspiciantur & considerentur hæc loca, 1 De cœlo, textu 3. 3. De cœlo, text. 1. 8. Metaphys. text 12. 12 Metaphys. text 5. 1. De part. animalium, cap. 5. 2. Phys. text. 7 Physico corpori tribuitur ψυχικὸν, id est, animale: de quo infra ex Apostolo. Monstrosum etiam, quod fit παρὰ φύσιν, non quidem omnem, sed quandam: itaque κατὰ τι est & Physicum

seu naturale, & paraphysicum seu præter naturam. Quod sola cogitatione est, Mathematicum dicitur: Magnitudo trium dimensionum. Altitudo hæc dicitur, quatenus sursum; profunditas, quatenus deorsum: crassities seu corpulentia, quatenus in transuersum tendit dimensio. Dicitur ens ἐξ ἀφαιρέσεως, quia à materia Physica abstractum est seu seiunctum mentis abstractione. Mathematico corpori addit Pererius Metaphysicum, quod etiam sola fit νοήσει: sed hoc in medio relinquo, nec tamen improbo. Artificiosum corpus est, cuius subiecta materies est corpus naturale, in quo forma figuraque est ab arte inducta, vt lectica, & mensa. Hæc forma, hæc figura est in 4. cap. Qualitatis. Vltramundanum seu hyperphysicum (supernaturale) corpus est, quod transcendit naturæ conditiones, vt corpus gloriæ, quod θεῖον (diuinum) dici potest: quanquam & cœlum Philosophus θεῖον suo modo corpus vocat, h. e. *physicum*, habens in se aliquid diuinitatis. Ab Apostolo vocatur πνευματικόν. Sed & quoddam corpus physicum à Philosophis *spirituale* dicitur, quod purissimum sit, & sub aspectum non cadat, qua conditione ad incorporeæ substantiæ, id est, veri spiritus naturam accedit, spiritus, qui in semine continetur, & est caloris sedes: in semine inquam, cuius massa vocatur corpus genituræ. Improprie magis accipitur corpus. I. Pro corporis principio materiali, id est, pro materia prima, quam Zab. appellat corpus indeterminatum, h. e. nulli certæ naturæ alligatum, imperfectum, potentiale (non enim est corpus actu per se existens) vide librum eius de materia. II. Pro syntagmate seu opere scripto: vt corpus doctrinæ cœlestis. III. Veteres etiam seruos nominabant corpora, vide Maioragium lib. I. miscell. cap. 13. IV. quod ad scholas θεολογούντων pertinet, corpus maxime improprie à nonnullis veterum videtur sumi pro complemento, rei veritate & substantia, seu pro quauis re per se subsistente, vt pro persona: vt Deus est corpus. Tertull. Tria sunt σώματα, id est tres sunt personæ, seu hypostases. *In Christo habitat plenitudo deitatis corporaliter seu σωματικῶς, i. e. personaliter, substantialit.* vel vt Aug. interpretatur non vmbratiliter. Christus vmbrarum præcedentium est corpus, hoc est, figurarum & significationum illarum veritas. August. de vera innocen-

innocentia. Sic Colloſſenſ. 2. Corpus, hoc eſt complementum opponitur vmbris, ſeu figuris ac typis legalibus.

Occupare certum ſpatium.] Congruit cum ὁρισμῷ Auguſtini: Corpus eſt natura quælibet longitudine, latitudine, & altitudine, ſpatium loci occupans. Sadeel χωρητικόν.

Eſtque vel immateriatum vel materiatum.]

Theſ. a. Omne corpus eſt materiatum.	*Antit. b.* Non omne corpus eſt materiatum.

CONCIL.

a Id eſt, conſtat materia, habet materiam.	*b* Id eſt, ex materia productum.

AD QVÆST. II.

Nullum corpus poteſt exiſtere abſque eſſentiali proprietate, pro diuino ordine, ſeu rationis diuinæ inſtituto, quod Deus non conuellit. Itaque à nonnullis hæc ἰδιότης dicitur συστατική (vt à Damaſceno) quia res ſine ea conſiſtere, hoc eſt, manere & durare nequeat. Omnia corpora neceſſario habent terminatam tum quantitatem, tum qualitatem. Singulis corporibus à natura definita & aſſignata eſt magnitudo ſua, vt vltra & citra, ac progreſſio in infinitum aut diminutio ad οὐδετότητα, vel ἀσκεπτον (imperceptibile) exiguum hic locum non inueniant. Eſt naturale minimum & naturale maximum. Tam minimus quam maximus homo eſt φυσικῶς terminatus, nec maximo maior, nec minimo minor inuenitur. Vt igitur quoduis humanum corpus & quæuis res phyſica finitum habet μέγεθος & finitæ eſt paruitatis: Ita nec Chriſti corpus tam ſubtile, contractum & exiguum eſt, vt ſub minimo fruſtulo latere poſſit, nec ita vaſtum, vt omnia mole & eſſentia repleat.

AD QVÆST. III.

Mare dicitur infinitum οὐ κατὰ πρᾶγμα, ſed καθ' ἡμᾶς.

AD QVÆST. VI.

Opus eſt hic diſtinctione. Penetratio eſt propria vel impropria. Propria quæ fit ſine ceſſione alterius. Hanc negat Timplerus eſſe poſſibilem. Quia ſi eſſet corpus in corpore, tolleretur rerum Ordo & Diſtinctio. Impro-

pria, quæ fit cum cessione, vel per poros: vt penetrauit aërem, nubes, cœlum: id est, perrupit. Ignis penetrat ferrum insinuando se per poros ferri & in eos immeando. Sic aqua est in cauis spongiæ. Sed an aer sit admistus aquæ & penetret aquam, dubium est, quod mouet Scalig. Exerc. 273. Auer. sane penetrationem quandam aliqua ex parte & imperfectam, aeris & aquæ in mari horum concedit, atque eam his corporibus conuenire, quatenus naturam quandam Spiritualem participat. etsi corporata sint. Vide Comment. Fortun. Crellii in 8. Phys. Acroa. Aristot. ad text. 82. p 415.

Ad Quæst. VII.

Totum corpus in pluribus locis esse nequit, propter obstantem veri corporis modum, vt loquar cum Augustino. Veri corporis non solum physici, sed etiam gloriosi, modus est ratio essentialis, qua corpus ab eo, quod corpus non est, vel corpus absolute spectatum, à se ipso respectiue spectato, discernitur. Ratio hæc in 3. consistit: 1. corpus nō potest in loco vnius partis simul habere alias partes. 2. non potest ibi totum simul esse, vbi pars est (cum habeat partem extra partem & post partem) 3. non occupat eodem momento, punctove temporis diuersa loca simul. πολυτοπία corporis refutatur valide hoc argumento, Si esset verum corpus in duobus locis; loca illa fierent vnus locus, aut res dispesci posset in plures. Sed neutrum horum est. Ergo nec illud.

AD CAP. I. LIB. V. METAPH.

Notæ.

DE ACCIDENTE.

Accidens, vel opponitur substantiæ, cui inest, vt in doctrina prædicamentorum: vel dicitur, quicquid non est de ratione rei formali: seu est, extra rei essentiam: vt, lapis, ratione finitis, homo, ratione animalis. Non enim necesse esse limitem esse lapidem, & animal esse hominem. Complexio subiecti & prædicati, quam significat copula verbalis, est ens rationis. Ipsa igitur propositio est ens rationis, sicut dicit Auerroes: Ens significans verum, dicit verum accidens, quia rebus accidit, concipi sic & apprehendi. Tale autem ens dicit accidens,

non

 664

non quidem accipiendo de nouem generibus, sed pro omni eo, quod conuenit alicui rei, non ex necessitate (sed contingenter) quatenus extenditur nomen entis etiam ad ens rationis, quod sæpiuscule fit. Sic quidam argumentatur: Accidens est entis: Ergo non est ens, & ex consequenti, accidentia non habent propriam existentiam, sed per solam substantiæ existentiam existunt. Resp. Non sequitur: Accidens refertur ad ens quoddam, nempe ad substantiam: Ergo accidens non est. Itaque consectarium quoque falsum est. Porro arguo sic: Accidentia interdum considerantur vt substantiæ: Ergo substantia & accidens essentialiter non differunt. Resp. Hoc sequeretur, si antecedens tale esset; accidens interdum est substantia, quod falsum est. Aliud est esse substantiam, & aliud considerari per modum substantiæ. Accidentia considerantur vt substantiæ, id est, vt subiecta, prout substant suis affectionibus. Instantia: At solius substantiæ est substare, non etiam accidentis. Resp. Nullum accidens potest esse subiectum accidentis inhæsionis, & vt sustentari; at potest esse subiectum attributionis, & hac ratione substare potest. Vide Zabarell. in Analyt.

Ad Qvæst. III.

Quod accidens solum est nulli substantiæ inhærescens (vel adhærescens:) vbi tamen inueneris accidens mobile sine substantia, ait Scalig. exerc. 16.

Q. *An accidens transit è subiecto in subiectum?* Negatur. Itaque si ex vno igne alium accendis, calor prioris ignis non transit in alterum, sed similis tantum ingeneratur. Ita non idem numero morbus, corruptio, pestis, quæ fuit in Adamo, post peccatum transiit in liberos & posteros, sed similis in eorum γενέσει ἐμφύεται (implantatur quasi.)

Ad Cap. II. *De Quantitate.*

Quantitas est] Descriptio Quantitatis Timplerianæ legitima est. Hæc contra nulla est: Quantitas est à qua, vel secundum quam aliquid dicitur quantum. Quia hic definitū (Quantitas) ingreditur in Descriptionē: (à qua, nempe quantitate) quod est ἄλογον *Extensiua*] Extensiuæ magnitudinis species est spatium, hoc est, interstitium

inter duo extrema interiectum. *Intensiua.*] Ad quantitatem intensiuam referunt quantitatem ponderis, vt ad genus speciem. *Numerus*] *Numerus actiuus* vulgo dicitur abstracte consideratus, & *numerans* vt duo, tria, *passiuus* spectatus in concreto & numeratus, vt duo equi, Thalerus, id est 21. vsati. Platonicis tamen etiam Anima nostra dicitur numerus numerans.

Numerus
- Numerans
  - Duo, tria: *Aristotelicis.*
  - Anima. *Platonicis.*
- Numeratus
  - Duo equi
  - Turba, aceruus, respublica, Ecclesia, sylua, id est, multæ arbores.

AD QVÆST. II.

Figura globi à magnitudine eius distinguitur non realiter, sed modaliter.

AD QVÆST. III.

Omnis quantitas est finita & proprio fine seu termino, & alieno (loci) excepta quantitate vltimi seu extremi corporis. Hoc enim alieno externoque fine actu terminatum non est.

AD QVÆST. X.

Aristoteli tempus vnum numero est & continuum seu quantitas continua; quia eius partes copulantur in instanti medio tanquam in communi termino. Vide Zabarellam in 8. Phys. pag. 115.

AD QVÆST. XIV.

Communem sententiam Philosophorum sequitur Scaliger, vnitatem numerum esse negans, quod ei numeri essentia sit, esse non vnum: Exerc. 65. sect. 2.

AD QVÆST. XVII.

Oratio ab Aristot. refertur ad Quantitatem respectu materialis, id est, ratione syllabarum, & dictionum mensuratarum sono longiore aut breuiore. Vnum autem est per aggregationem.

AD QVÆST. XX.

Notentur quatuor axiomata. 1. Magnitudinis, qua magnitudo, Numeri, qua numerus nulla vis est in mutandis rebus. 2. Quantitas etsi non sit actiua realiter, agit tamen spiritaliter; quia imprimit in oculo speciem suam, & inde in phantasia, ac demum in intellectu. 3 Efficax ad im-

 665

ad imbecillam effectionem est parua quantitas. Italicus Aristoteles exerc. 151. Non est causa mutationis rerum publicarum quærenda in numeris. Corollarium seu consequens hoc est axiomatis primi: ex quo etiam intelligitur, quod à Poeta dicitur Horatio; *Nos numerus sumus.* Cum enim numeri per se efficaces non sunt, dicitur hic nihil aliud, quam, Nos sumus otiosi & inertes: *inutilia pondera terræ:* quod Hesiodeum est.

An Diuisio propria sit Quantitatis.

Partitionem seu diuisionem esse proprietatem quantitatis, docent Philosophi. Intelligatur autem illam ei conuenire primo. Nam 2. Ethicorum c. 6. Aristoteles facit affectus, qui qualitates sunt & animi actiones diuisibiles. Tenendum igitur quasdam esse qualitates & actiones, quæ rationem subeunt magnitudinis eum possint vel contentiores vel remissiores fieri, cum habeant suos gradus, per quos incrementum aut diminutionem accipiunt. Ex quo intelligitur rei formam aliquando habere partes (quod fatue indocteque quidam negant) nempe cum actio ipsa rei forma est; actio, inquam, tota è multis partialibus actionibus composita. Vide & Scheggkium in comment. in Prædicamenta, pag. 68. vbi ait; *Quantitates etiam qualitate participare.*

Creaturæ intelligentis.] In bestiis possunt esse habituum ὁμοιώματα. Dicitur habitus à Græcis διάθεσις μόνιμος.

διάθεσις
- τελειωτική, perficiens.
- στερητική, perimens seu conficiens priorem, perniciosa.

διάθεσις
- Inchoata affecta.
- Absoluta & ἑκτική
  - Propria, secundum naturam.
  - Impropria (vt perfectus morbus) contra naturam.

Quanquam διάθεσις, sæpe etiam pressius accipitur: vt, cum habitus dicitur esse δυσκίνητος, diuturnior & constantior, χρονιώτερος & μονιμώτερος. Diathesis vero εὐμετάβολος εὐκίνητος difficulter mobilis.

Habitus
- Inchoatus: διάθεσις, id est, dispositio viaque ad habitum completum.
- Perfectus: qui habet suum συμπλήρωμα (complementum) proprie habitus.

Distinctio hæc est è gradibus, non est diuisio generis

in species. Itaque non sunt vere opposita habitus & dispositio, sed quasi subordinata. Dispositio habet se vt tepor; Habitus vt feruor seu intensus calor.

AD QVAST. VI.

De Potentia.

In Ethicorum Aristotelis lib. 2. cap. 4. etiam παθητικαὶ ποιότητες, id est, patibiles qualitates dicuntur Δυνάμεις, id est, potentiæ seu potestates; quia in iis est vis quædam afficiendi & perturbandi.

AD QVAST. VII.

Potentia actiua est qualitas, secundum quam aliquid habile est ad agendū. Eaq; aliquando ducit ad perfectionem, aliquando ad imperfectionem: passiua est qualitas, secundum quam aliquid est aptum ad recipiendum, ad impressionem suscipiendam, ad actionem excipiendam. Omnis autem passiua potentia imperfectionem includit.

AD QVAST. XIX.

An Quantitas seu dimensiones sint à corpore separabiles? Neg. Corpus non potest existere nisi sit Quantum.

Quantum esse non potest, nisi propriis dimensionibus sit definitum ac circumscriptum. SORITES.

Propriis enim dimensionibus corporis sublatis, corporis partes non sunt extra partes.

Si partes non sunt extra partes, non sunt partes, sed aliquid σύγχυτον (confusum) minimeque distinctum.

Si non sunt partes, non est σωόλον.

Si non est syholon, non est corpus: Ergo Corporis propriis dimensiónibus sublatis, corpus non est, seu non existit.

An locus sit quantitas? N.

Negationem suadent hæc: Quantitas denominat non externe, sed interne. Locus autem non denominat locatum intrinsecus: Ergo non est quantitas. Quantitas non denominat, nisi cui dat esse quantum. Locus autem non dat esse quantū locato: Ergo. Sed alii respondent: Quantitas denominat interne subiectum cui inhæret, id est, quantitas interna denominat subiectum interne, non externe; sed externa, externe.

AD

606

Ad Capvt III.

De Qualitate.

Qualitas sensilis.] Dicitur & afficiens & παθητικὴ, quia afficit sensus & efficit passionem in sensibus. *Infusa.*] Dicitur θεόδοτος *Acquisita*] Græce ἐπίκτητος *Naturalis.*] Dicitur ἀρετὴ φυσικὴ, δύναμις ἔμφυτος. *Habitualis*] Græce ἕξις. Zabarella ait, eandem qualitatem dici potentiam & impotentiam diuerso respectu: Salubritatem dici & esse impotentiam ad ægrotandum, & potentiam ad valendum. Sed hoc mihi non placet, sicut nec Timplero. Nullus habitus potest induere rationem priuationis, ait Timplerus, etsi Aristoteli priuatio sit forma πῶς.

Ad Qvæst. X.

Potentia { *Actiua*, à qua producitur res. Talis est in faciente, cum creatur aliquid. / *Passiua*, in qua recipitur. Talis est materiæ, seu in materia, è qua aliquid generatur. / *Obedientiaria*, vt materiæ è qua Deus creauit Διχοτόμως.

Potentia { Actiua / Passiua { Receptiua, Ordinaria, Naturalis. / Pura Obedientialis, Extraordinaria, Hyperphysica.

Ad Qvæst. XII.

Sententia Timpleri verissima probari etiam potest Impatibilitate, quæ est qualitas corpori glorioso inhærens ex Dei gratia, qua temperamentum eius tota æternitate est inuariabile.

Ad Qvæst. XVII.

Satis est εἶναι πεφυκός, id est, aptum natum esse. Actus aptitudinis non est in omnibus indiuiduis.

An non potentia aliquando sit perfectio?

Affirmo. Nam non posse peccare est summa perfectio, sicut potentia non peccandi est perfectio; at potentia peccandi & labendi, est imperfectio.

An eiusdem sit actus, cuius est potentia?

Affirmatio vera est. Cum itaque potentia sentiendi sit compositi seu coniuncti: sentire quoque eiusdem erit, id est, non fiet sine consortio corporis & animæ.

AD CAPVT IV.

De Motu.

Actio est actus agentis.] Actio perficit subiectum, intellige, accidentaliter, hoc est, affert perfectionis ἐπίδοσιν. *Immanens.*] Actio immanens est, quæ intra se vertitur. Quidam sentiunt, omnes potentias fluere ab anima per actionem immanentem. At alii, vt colleg. Conimbricense, volunt, materiales potentias fluere ab anima per actionem transeuntem in materiam vbi recipiuntur, Spiritales vero potentias fluere ab anima per actionem manentem in ipsa anima. Spiritales esse inextensas in voluntate & intellectu. Materiales esse extensas, recipique in materia, non quidem nuda, sed vt connotat organa, & vt sub forma est substantiali. Fluxus autem huiusmodi volunt Philosophi, non esse proprie actiones, sed tantum quasdam resultantias. Ad actionem immanentem referunt Scholastici *Actum Notionalem*, hoc est propriam personæ actionem, qua persona producitur. *Tertio motus simplex.*] Spontaneus motus est à principio interno; violentus ab externo. *Generatio.*] Omnis generatio fit è materia, vt è seminario: fit per antecessionem mutationis materiæ, id est, alterationis successiuæ, qua materia suscipit qualitatem, quam non habet. Et propter hanc alteratione̅ dicitur in tempore fieri generatio. Alias generatio Aristoteli fit in non tempore accepta pro introductione formę *Augmentatio.*] Augmentatio maxime propria fit per nouæ partis adiunctionem: Itaque non fit sine generatione. *Alteratio.*] male dicitur *commutatio:* Rectius *variatio*, vt cum ex ferro frigido fit calidum. *Transmutatio.*] Hæc dicitur κυκλικὴ, id est circularis, si est mutua & necessitudinaria. *Motus localis.*] Motus localis ex parte temporis, est æqualis, qui æquali fit tempore: vel inæqualis qui inæquali fit temporis spatio. Hic velox est vel tardus. Ex parte terminorum & spatii est rectus vel obliquus. Rectus est superus, inferus vel neuter: cum corpus neque sursum neque deorsum mouetur: vt lateralis. Obliquus, vt gyratio.

AD QVÆST. I.

Κινεῖν & ἐνεργεῖν differunt. Mouere est ducere de potentia in actum, ἐνεργεῖν est exire è seipso in actum & operationem

rationem à natura manentem. ἵστασις est via, seu motus ad statum & quietem.

Motus
- Actiuus, secundum quem ens dicitur mouere.
- Passiuus secundum quem ens dicitur moueri.
- Verus seu proprius, vt corporis physici.
- Metaphoricus seu analogicus, vt cum dicitur intellectus moueri circulariter, id est, in seipsum reflecti se suamque operationem cognoscendi.

De vtroque loquitur Scaliger, cum ait: Forma est finis motus. Introducta enim in materiam cessat apud naturam motus generationis, apud artificem motus fabricationis, 2. Poetices, cap. 1.

Ad Qvæst. II.

Non passio quæ qualitas tertiæ speciei est, sed passio ex qua passio ea quæ qualitas est, existit, motus est, vt non est motus albor, sed dealbatio. Aristot. 5. Phys. cap. 1.

Ad Qvæst. IX.

Intelligere significat actionem intellectui inhærentem, seu insidentem; intellectio autem vt ab intellectu egreditur, actio dicitur, vt recipitur, passio. Is igitur qui intelligit, dum intellectionem recipit, patitur. Ipsum autem intelligere non est pati, sed agere. Attamen Aristoteles ait, intelligere esse passionem quandam, hoc est, intellectus, dum intellectionem recipit, patitur. Passio hæc est perficiens, non corrumpens.

Ad Qvæst. XV.

Reciproca perpessio Græce dicitur ἀντιπεπονθός.

Ad Qvæst. XX.

Productio
- Substantiæ. — Generatio.
- Accidentis. — Aggeneratio, vt Nutritio.

Generatio est totalis, cum totum, vel partialis, cum pars gignitur.

Generatio
- Simpliciter, vt productionis substantiæ.
- Secundum quid, vt alteratio.

Insinuat nobis hoc Scaliger his verbis: Non fit alteratio sine productione recenti qualitatis, quæ in suo genere habet proportionem (id est, rationem) generationis. Fit enim postquam non fuit.

Sic augmentatio est generatio κατά τι, id est, non quantitatis generatio.

AD CAPVT
De Relatione.

In controuersiis Theologicis doctrina Relationum magnum habet vsum, in cœna Domini foris, seu ore editur corpus DOMINI, non absolute, id est, in se ipso seu in sua ipsius essentia, sed Relate, id est, Sacramento-tenus, seu in externo signo, pane Eucharistico aut Sacrament. Nicht für/vnd an sich selbst. Ecclesia patiente in se seu absolute patitur Christus Relate. Quærunt Theologi, *an Deo in tempore aliquid accedat?* Ego affirmo cum Augustino. Quid autem illud est? *Relatio Realis & Noua actio.* Si ex omni æternitate eodem prorsus modo habuisset se Deus erga creaturas, quo nunc se habet, ab æterno mundus extitisset Antequam mundus crearetur, Deus erat causa potens, id est, virtutem habens causandi, non operans, id est, causans actu. Obiicitur: Si nouæ relationes reales Deo aduenirent aut ab eo decederent, vere mutaretur: Quia non solum aliter atque aliter se haberet ad creaturas, sed etiam in seipso propter nouas entitates receptas aut amissas. Sed respondetur: Relatione non mutari vere res, quo ad οὐσίαν & qualitates.

AD QVÆST. XVI.

An necesse sit, relata esse simul loco? Negatio Timpleri verissima est. Relationem enim non efficit παράστασις (assistentia) positus corporum aut rerum quarumcunque coexistentia (συνυπαρξία) in eodem loco, vt non efficit situs localis aut corporum coniunctio relationem inter dominum & seruum. typum & archetypum, signum & rem signatam, inter panem sacramentalem & corpus DOMINI (ille enim in terra est, hoc in cœlo) sed ordo certus & collatio istorum, tanquam extremorum, inter se relationem constituit.

AD CAPVT VLTIMVM
De Priuatione.

Differt priuatio à simplici negatione. 1, Determinatione subiecti. 2, ratione oppositæ ἕξεως. Est enim priuatio negatio habitus ἐν πεφυκότι subiecto: est absentia habitus

bitus seu formæ in subiecto habili per φύσιν vel τάξιν. Habitus autem φύσει prior est priuatione: quia potest esse habitus sine priuatione; at non contra.

AD QVÆST. III.

Priuatio non est nihil, quia est negatio τ͂ εἴδους, simul comprehendens subiectum speciei oppositæ: Διοριζθεῖσα ἡ συνειλημμένη τῷ δεκτικῷ πεφυκότι. Quodammodo igitur ens seu aliquid est propter subiectum, cui inest quasi fulcro. Hinc priuatio subiectum implicare dicitur. Priuatio autem εἶδος, id est, species non est. Quia omnis species participat genere. Priuatio autem nullo participat genere. Priuatio est habitus quidam, id est, quasi habitus, non verus habitus. Priuationem adeo esse rerum principium suo modo, vt etiam fuerit ante mundi constitutionem, ait Scaliger exer. 356. sect. 1. Sed ego hic non credulus illi. Quid enim Deo coæternum. *Conclusio.* *Propositio.* *Assumptio.*

AD QVÆST. V.


Vnus homo non est magis cæcus aut mortuus, quam alius. At aer magis vel minus dicitur esse tenebrosus, qua in eo plus vel minus est luminis.

AD QVÆST. VI.

Facultate naturæ non datur regressus à priuatione vitæ, id est, morte ad habitum (vitam): anima vitibus naturæ non remeat ad cor, vel ad totum corpus, quod semel dereliquit. Potest tamen accedente artis industria particula carnis omnino diuulsa iterum cum reliqua carne coire & cohærere, ac rursum informari anima & vitales actiones exercere.

Nota, A, & *In* non semper esse notas priuationis. Inscitia, inquit Scaliger, est eius, qui nescit, aut qui praue scit. Deus dicitur ἀόργητος, id est, tardus ad iram. Immobile est, vel quod moueri non potest, vel quod difficulter est mobile. Immortalitas & Immutabilitas (*ἀμεταβλησία*) perfectiones sunt, non priuationes. Ἔχειν etiam interdum non est nota habitus. Græci enim dicunt ἔχειν ἀγνοίαν, pro ignorare.

FINIS.







19H